DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN SCALAM PARADISI


S. JOANNIS CLIMACI ABBATIS

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCV





ENARRATIONES
IN SCALAM PARADISI
S. JOANNIS CLIMACI


D.DIONYSIVS CARTHVSIEÑ
DOCTOR EXTATICVS.
BENEDIC
TVS DEVS
IN SECVLA

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES DOCTISSIMÆ

IN LIBRUM

S. JOANNIS CLIMACI

ABBATIS

QUI INSCRIBITUR ΚΛΙΜΑΞ

SIVE

SCALA PARADISI

EX EDITIONE COLONIENSI

MELCHIORIS NOVESIANI, ANNI MDXL.

D. DIONYSII PRÆFATIO

VIDIT *Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, angelosque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus,* etc. Gen. XXVIII, 12, 13.

Quamvis hæc verba multipliciter exponantur, tamen hoc loco per Jacob intelligi potest auctor libri nunc explicandi atque ad stilum facillimum transferendi, Joannes Climacus, vitiorum omnium inclytus supplantator, verusque Israelita, et vir Deum contemplans. Qui vidit in somnis, id est in quiete contemplationis, scalam stantem super terram, cujus vertex attigit cœlum. Hæc etenim scala est gradata, ordinata ascensoriaque virtutum connexio, a terrenis ad cœlestia, ab humanis ad divina, ab imis ad summa erigens ac perducens. Denique scala hæc habet triginta gradus. Primus in ascendendo, qui et infimus est terramque tangens, est abrenuntiatio terrenorum, seu fuga mundi, aut abdicatio vanæ vitæ. Supremus vero gradus istius scalæ, qui est primus in descendendo, et summus ac cœlum attingens, est caritas, seu trium theologicarum virtutum possessio. Præter hos gradus sunt medii, ut infra patebit, recte coordinati.

Præterea, per hanc scalam angeli sancti ascendunt atque descendunt. Primo per
angelos intelligendo homines virtuosos, angelicam vitam in terris ducentes, quorum
conversatio est in cœlis. Qui per scalam istam ad Deum conscendunt quantum ad
exercitia vitæ contemplativæ, ad proximos quoque descendunt quantum ad opera
vitæ activæ : imo etiam ad quotidianam sui ipsorum considerationem, discussionem,
provisionem, expurgationem, per actus virtutum moralium purgativæque viæ ex-
ercitationem rursus ascendunt per scalam hanc, per quotidianum profectum euntes
de virtute in virtutem, et meliora charismata æmulantes, scientes quod non proficere
exstet deficere. Secundo per angelos sanctos intelligendo spiritus illos angelicos, 31.
cives cœlestes : qui ad commissos suæ custodiæ descendunt assidua et benignissima
dignatione, subventione, præsentia ; ascendunt quoque, orationes et vota ac merita
hominum offerendo Altissimo. — Postremo, huic scalæ innixus est Dominus, qui 3, 4.
prope est omnibus invocantibus eum, et oculi ejus super justos, estque paratissimus
semper adsistere ascendentibus per hanc scalam ad ipsum. 18. Ps. xxxiii

Itaque, sicut jam Domino operante transtuli tria volumina illustrissimi patris 16.
nostri Joannis Cassiani ad stilum facillimum, ita nunc eodem Domino auxiliante

intendo librum præstantissimi ac illustrissimi viri Joannis Climaci elucidare. Verumtamen, quoniam liber iste duplici difficultate frequenter involvitur, utpote stili et sensus, propono in talibus locis non solum verba ad ordinem intelligentiæ planioris redigere, sed item eadem brevissima expositione clarificare, invocato ad tantum opus exsequendum idonee auxilio superdulcissimi Spiritus Sancti, qui totius veritatis examen, magister ac dator est. Nempe liber hic Climaci admirabili excellentia decoratur, atque ab omnibus non immerito commendatur, quum mirabiliter sententiosus consistat ; et nescio si ab aliquo queat plene intelligi, nisi habeat spiritum, gustum et exercitationem, imo perfectionem sui auctoris, videlicet hujus Climaci : quo constat insufficientia mea ad tanti operis executionem plenariam.

NOTA. — Sequens translatio videtur esse Angeli de Cingulo, Ordinis Minorum. (Cf. Migne *Patrol. gr*. tom. 88, p. 614, 615.)

ENARRATIONES

IN SCALAM PARADISI

EPISTOLA

JOANNIS ABBATIS MONACHORUM IN RAITHU
AD JOANNEM CLIMACUM.

SUPERMIRABILI, æquali angelo, Patri Patrum et doctori superexcellenti Joanni abbati montis Sinai, peccator Joannes, Raithu abbas, in Domino gaudere. — Cognoscentes nos imperfecti obedientiam tuam non discernentem, in Domino præcipuam, ante omnia exornatam, sicut et in aliis virtutibus universis ornatus es, et maxime in illa parte in qua utique convenit te lucrari insistendo aliorum profectui ac saluti cum talento tradito tibi a Deo, supplicatione hujusmodi utimur, illud dictum in mente habentes : Interroga patrem tuum, et annuntiabit Deut. XXXII, 7.
tibi ; seniores tuos, et dicent tibi. Hujus rei causa per litteras nostras procidimus tibi sicut communi omnium Patri, seniorique seu majori præ cunctis in pugna exercitationis atque acumine intellectus, et virtuoso ac perfecto doctori ; et exoramus summitatem virtutum tuarum, ut mittas nobis indoctis ea quæ vidisti in contemplatione Dei circa hunc eumdem montem, secundum quod Moyses olim contemplatus est Deum in monte hoc Sinai. Et propone librum venerabilem in doctrinam, quasi tabulas scriptas a Deo, a te missas ad nos : propone, inquam, novo Israeli egresso perfecte ac noviter de intellectuali Ægypto et mari vitæ sæculi hujus. Quemadmodum ergo operatus fuisti mirabilia in mari, functus deiloqua lingua vice virgæ ; ita et nunc rogatus, ne devites ordinate describere, sicut doctor vere magnus, sine pigritia simul et bene discrete, documenta congruentia monasticæ perfectioni, ad salutem omnium eligentium hujusmodi angelicam conversationem. Non arbitrans blanditias seu adulationes quæ a nobis dicta sunt : nosti enim vere, sancte vertex, quia extranea sunt ista a nobis. Sed illud arbitror quod est manifeste visum et intellectum ab omnibus.

Propterea confidimus in Domino, quod cito accipiemus et amplectemur pretiosas exarationes in tabulis (quas diu speravimus obtinere a te) quæ dirigant vere et sine errore volentes imitari, tanquam scalam quamdam confirmatam usque ad cœli portas, et sursum trahentem sine læsione et nocumento eos qui præeligunt
Ephes. vi, 12. pertransire mundi rectores tenebrarum harum et principes aeris. Si enim Jacob
Gen. xxviii, 12. 13. exsistens ovium pastor, intuitus fuit in scala visionem talem tremendam, quanto tu magis, rationalibus ovibus præsidens, universis ostendes non solum visionem, sed ascensum opere et veritate atque sine errore regressum ad Deum?

Vale in Domino, Reverendissime Pater.

ARTICULUS PRIMUS

HUJUS EPISTOLÆ EXPOSITIO.

SUPERMIRABILI, æquali angelo, Patri Patrum et doctori superexcellenti Joanni abbati montis Sinai, peccator Joannes, Raithu abbas.

A Ista epistola præmittitur libro Climaci, quia (ut infra ex tenore hujus epistolæ innotescit) Joannes Climacus abbas monachorum in monte Sinai Domino militantium, edidit hoc volumen ad affectuosissimam humillimamque instantiam Joannis abbatis monachorum in Raithu: qui quam sublimiter senserit de Joanne Climaco, patet ex epistolæ hujus exordio, quod tanto fulget præconio, ut videatur transcendere qualitatem conditionis humanæ. Quomodo enim homo mortalis, purus viator, communi fragilitate circumdatus, potuit supermirabilis nuncupari, quum hoc soli incomprehensibili competat Deo, sicut apparet, quum is solus transcendat ac superet capacitatem et admirationem omnis intellectus creati? Rursus, qualiter potuit æqualis angelo dici, quum de beatissimo
Luc vii, 28. Joanne Baptista Christus testatus sit, Qui minor est in regno Dei (id est, infimus est angelorum), major est illo? Non enim potest purus viator in vita hac comprehensoribus seu Beatis æquari, quum omnis contemplatio atque dilectio viæ, a contemplatione dilectioneque patriæ quasi incomprehensibiliter distet. Amplius, Climacus iste, qui non profuit nisi monachis suis, aut et aliis numero paucis, qui et multis prælatis erat inferior, quomodo potuit Pater Patrum vocari, præsertim quum præconium istud nulli videatur in hac vita absolute competere nisi summo Pontifici? Postremo, qualiter vere vocatus est doctor superexcellens, quum temerarium videatur eum præferre multis qui eum præcesserant, puta, Basilio, Gregorio Nazianzeno, B Athanasio, Chrysostomo et Cyrillo?

Sed ad solvenda ac declaranda hæc omnia, oportet advertere, quod in hujuscemodi locutionibus ex fervoris magnitudine aut devotionis excessu prolatis, magis pensanda est loquentis intentio, quam forma verborum. Propter quod talia sunt pie interpretanda, et ad loquentis propositum restringenda, non curiose aut captiose discutienda; vel etiam per modum hyperbolicæ locutionis, ut in pluribus, accipi queunt.

C Itaque Climacus iste fuit supermirabilis, id est magnus et admirandus super omnes aut plurimos qui suo tempore admirabiles erant, et super communem modum fuit mirabilis propter eminentiam

donorum gratiæ ei desuper collatorum. A Fuit quoque æqualis, id est similis, angelo : unde ad insinuandum excellentiam similitudinis hujus, appellatus est æqualis angelo. Nam et in Scripturis frequenter accipitur similis pro æquali, juxta illud
Exod. xv, 11. in Exodo : Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Item in Psalmo :
Ps. lxxxviii, 9. Domine Deus virtutum, quis similis tui? Sic et æquale pro simili suscipi potest. Præterea dictus est Pater Patrum in genere ac Ordine suo, et quia multorum Patrum exstitit Pater : imo et omnium nostrum pa- B ter est instructione, sanctitate et eminentia grandi. Appellatus est quoque doctor superexcellens, hoc est valde excellens et excellentibus multis excelsior, utpote in sapientia et doctrina præfulgidus. Et dicitur doctor ab actu docendi, et etiam ab auctoritate id peragendi, in quantum fuit prælatus seu abbas.

Denique humilitas Joannis abbatis, scriptoris hujus epistolæ, patet ex hoc quod peccatorem se nominat, quum tamen fuerit vir perfectionis eximiæ, ut probatur ex C epistola Climaci mox sequente.

Sequitur salutatio. *In Domino gaudere.* Homo enim naturaliter appetit gaudium, sicut et pacem : et quia carnale gaudium est vitandum, debemus spirituale gaudium amplexari aliisque optare. Porro spirituale gaudium est omnis delectatio actui virtuoso annexa. Dupliciter quoque gaudemus in Deo. Primo, directe et intime gloriando in ipso tanquam in objecto, videlicet ipsum contemplando, diligendo cum jucunditate interna, et congaudendo infini- D tæ bonitati ejus, itemque credendo ac sperando in ipsum. Secundo gaudemus in Deo finaliter et tanquam in objecto secundario seu mediato, faciendo cum gaudio propter Deum quemcumque actum virtuosum circa objectum creatum versantem.

Sequitur narratio. *Cognoscentes nos imperfecti obedientiam tuam non discernentem,* seu indiscretam, *in Domino præcipuam, ante omnia exornatam, sicut et in aliis virtutibus universis ornatus es, et maxime in illa parte in qua utique convenit te lucrari insistendo aliorum profectui ac saluti cum talento tradito tibi a Deo, supplicatione hujusmodi utimur, illud dictum in mente habentes : Interroga* Deut. xxxii, 7.
patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos, et dicent tibi. Circa hæc quæri posset, an obedientia indiscreta, seu non discernens, sit commendanda, et qualiter sit servanda. Sed quoniam infra, speciale capitulum introducitur de obedientia, in Grad. iv.
quo etiam multa dicuntur de obedientia indiscreta; idcirco usque ad illum locum differo determinationem istorum. Porro Climacus in prælatione nequaquam est oblitus neque reliquit obedientiam illam plenissimam quam in statu subjectionis tam perfectissime didicit atque exercuit, quemadmodum infra dicetur.

Sequitur supplicatio. *Hujus rei causa per litteras nostras procidimus tibi sicut communi omnium Patri, seniorique seu majori præ cunctis in pugna exercitationis atque acumine intellectus, et virtuoso ac perfecto doctori ; et exoramus summitatem virtutum tuarum, ut mittas nobis indoctis ea quæ vidisti in contemplatione Dei circa hunc eumdem montem, secundum quod Moyses olim contemplatus est Deum in monte hoc Sinai. Et propone librum venerabilem in doctrinam, quasi tabulas scriptas a Deo, a te missas ad nos : propone, inquam, novo Israeli egresso perfecte ac noviter de intellectuali Ægypto et mari vitæ sæculi hujus,* id est religiosis personis quæ relinquentes hoc sæculum nequam, quod in Apocalypsi vocatur Ægyptus ac Sodoma, ingressæ sunt Apoc. xi, 8.
solitudinem monasticæ conversationis, et rigorem observantiæ regularis seu arctum iter pœnitentiæ salutaris, per quas tanquam per desertum tendunt ad terram promissionis, ad regionem vivorum, ad patriam Beatorum.

Præterea, sicut Moyses accepit a Deo in Exod. xxxi,
monte Sinai decem præcepta descripta in 18.
tabulis, ita et Climacus in hoc monte accepit a Deo sapientiam in hoc libro qua

si in tabulis exaratam; et sicut decem præcepta Moysi in tabulis tradita, concernunt ac pertinent ad universos fideles; ita documenta in isto libro contenta, specialiter spectant ad religiosos et monachos. Postremo, quamvis per Israeliticum populum de Ægypto egressum ac liberatum, designetur communiter totus populus christianus de vitiorum eductus caligine, redemptus a diaboli servitute et renovatus Christi Baptismate; nihilo minus per populum illum Hebræum peculiarius figurati sunt religiosi, qui se a vita mundana, a jugo peccati, a tenebris sæculi excellenter sequestrant, abdicant et avertunt. Vocatur quoque hoc sæculum
I *Joann.* v, 19. nequam seu mundus in maligno positus, intellectualis ac spiritualis Ægyptus, non quia in se ipso sit res intellectualis seu immaterialis et spiritualis, sed quoniam spiritualis et intellectualis est ratio propter quam nominatur Ægyptus.

Sequitur : *Quemadmodum ergo operatus fuisti mirabilia in mari, functus deiloqua lingua vice virgæ; ita et nunc rogatus, ne devites ordinate describere, sicut doctor vere magnus, sine pigritia simul et bene discrete, documenta congruentia monasticæ perfectioni, ad salutem omnium eligentium hujusmodi angelicam conversationem.* Climacus operatus fuit « mirabilia in mari », hoc est in sæculo isto, illud viriliter superando, et aquas concupiscentiæ illæsus pertranseundo, sæcularesque homines mirabiliter convertendo aut instruendo. Quod faciendo, « functus » (seu usus) est « deiloqua lingua » sua, id est loquente verba divina, « vice » seu loco « virgæ » : nam sicut Moyses fecit mirabilia in Ægypto et mari Rubro atque deserto per virgam, ita et Climacus in sæcularibus ac religiosis hominibus fecit mirabilia per deiloquam ac eruditissimam linguam suam. Nempe quod per virgam lingua designetur, constat per id quod pro-
Is. xi, 4. pheta Isaias de Christo prædixit : Percutiet terram virga oris sui.

Sequitur : *Non arbitrans blanditias seu*
A *adulationes quæ a nobis dicta sunt,* hoc est, non sis existimans quod adulando protulerimus de te præconia tua jam tacta. *Nosti enim vere, sancte vertex, quia extranea sunt ista a nobis,* id est, tu qui es sanctus prælatus et vir valde sublimis religiosorumque apex, vere cognoscis quod adulari et ficte laudare sint aliena a corde nostro. *Sed illud arbitror quod est manifeste visum et intellectum ab omnibus,* hoc est, id de te dico et judico quod omnibus constat.

B *Propterea confidimus in Domino, quod cito accipiemus et amplectemur pretiosas exarationes in tabulis,* seu descriptiones in libro, *quas diu speravimus obtinere a te, quæ dirigant vere et sine errore volentes imitari* easdem : quas amplectemur *tanquam scalam quamdam confirmatam,* id est, firmiter pertingentem, *usque ad cœli portas, et sursum trahentem sine læsione et nocumento eos qui præeligunt pertransire mundi rectores tenebrarum* *Ephes.* vi, 12.
harum et principes aeris, tendendo ad pa-
C triam absque prohibitione spiritualis malignitatis.

Si enim Jacob exsistens ovium pastor, intuitus fuit in scala visionem talem tre- *Gen.* xxviii, 12, 13.
mendam, quanto tu magis, rationalibus ovibus præsidens, universis ostendes non solum visionem, sed ascensum opere et veritate atque sine errore regressum ad Deum? Vale in Domino, Reverendissime Pater. Hæc omnia satis plana videntur, excepto argumento isto quo ait : « Si enim Jacob exsistens ovium pastor », etc. Quod
D non est ita accipiendum quasi auctor hujus epistolæ intenderet Climacum præferre beatissimo Jacob, eximio Patriarchæ, in donis gratiæ gratum facientis, aut gratiæ gratis datæ, ad quam pertinet gratia revelationis ac visionum : imo in utrisque donis forsitan illo inferior fuit, quamvis Jacob exstiterat ovium pastor sicut et Moyses. Sed quantum ad hoc potest argumentatio ista salvari, quod Climaco in quantum prælato, data sit similis gratia instruendi ac intuendi.

EPISTOLA

JOANNIS CLIMACI AD JOANNEM ABBATEM RAITHU.

JOANNES Joanni gaudere. — Suscepi litteram venerandam valde convenientem tuæ pudicæ et impassibili vitæ (id est a passionibus expurgatæ), imo mundo ac humili cordi, quam destinasti ad nos pauperes et egenos virtutibus : magis vero præceptum et jussionem excedentem vires nostras. Verbum enim doctrinæ et eruditionis quod postulasti a nobis indisciplinatis, opere ac sermone indoctis, tuum erat, atque ad te magis pertinuit, et sanctæ animæ tuæ amplius competebat : semper namque fuisti sollicitus proponere nobis per te ipsum exempla humilitatis. Porro nos dicimus, quia nisi periculosum esset ac formidandum abjicere a nobis jugum sanctæ obedientiæ, matris universarum virtutum, non utique auderemus irrationabiliter attentare ea quæ sunt supra nostram virtutem. Decet autem, o admirabilis Pater, ut is qui postulat ista, discat ea a bene scientibus. Nos vero sumus adhuc constituti in ordine docendorum. Sed quoniam doctores nostri deiferi, et mystici seu spirituales ac mysteriales instructores veræ scientiæ, determinant hanc veram obedientiam esse, obedire jubenti indubitanter et sine discretione in his quæ proprias vires transcendunt, ecce humiliter et audacter obtemperare studuimus in his quæ sunt supra nostram potentiam, pie despicientes ea quæ sunt secundum nos (id est, vilipendentes propriam vim, imperitiam defectuositatemque nostram). Non quasi nostra responsione conducendo, loquentes de his ad veritatis manifestationem, aut declarantes id quod tu, o sanctum et divinum caput, ignores magis quam nos : certus sum enim, non solum ego, sed et unusquisque bene intelligens, ut opinor, oculum tuæ mentis ac deliberationis esse purgatum ab omni terrena affectione et tenebrosa superfusione, et eumdem esse infixum luci divinæ sine impedimento, atque illuminari a Deo. Verum, ut dixi, ego timens ex inobedientia incurrere mortem, et quasi compulsus obedire, ex hoc veni ad exsequendum tuam sanctissimam jussionem cum desiderio ac timore, tanquam obediens bene rationabilis, et inutilis puer perfecti pictoris, utpote exprimens uniformiter et umbrose eloquia atramento tantum viventia, prolatione vocis exili, et vacua atque non probata seu informi scientia, relinquens reliquum tibi sufficientissimo doctori ordinationisque principi et quasi completori tabularum legis spiritualis, ut exornes, declares ac suppleas ea quæ desunt in libro isto. Quem tibi non misimus tanquam emolumento tibi futurum. Absit hoc, quia id esset extremæ dementiæ : sufficis quippe in Domino informare non alios tantum, sed item nos ipsos, doctrinis moribusque divinis. Sed, o virtuose magister, librum hunc misimus tuo collegio vocato a Deo et docto a te, a quo docti sumus et nos. Itaque lævigatus et alleviatus ab indisciplinabilitate ora-

tionibus tuis ac tuæ congregationis quasi quibusdam fiduciis intellectualibus, expandens de cetero calami velum, committens quoque Christo bono rectori directionem nostri sermonis, levansque manus cum omni supplicatione ad Deum, ex ipso incipio ad tuum collegium per te. Rogo autem legentes ut si quid utile invenerint in hoc libro, adscribant hoc ut bene prudentes nostro præceptori, et petant remunerationem dari nobis a Deo pro exsecutione mandati et pro vigilia seu labore : non attendendo hæc scripta nostra, quoniam imperfecta sunt vere, et plena omni ignorantia ac rusti-
Marc. XII, 42-44. citate ; sed acceptent intentionem devotionemque nostram, qui consideravimus oblationem pauperis viduæ. Deus namque mercedem retribuit non juxta multitudinem munerum et laborum, sed secundum fervorem intentionis et electionem voluntatis atque propositi.

ARTICULUS II

HUJUS EPISTOLÆ EXPOSITIO.

NON videtur in ista epistola esse notabilis difficultas ; sed patet ex ea profunda et grandis humilitas sui auctoris, ingens quoque perfectio ejus ad quem directa est. Per doctores autem suos deiferos et mysticos instructores veræ scientiæ, intelligit Climacus sanctos Patres anachoretas et eremitas, monachorumque institutores ac fundatores, videlicet, beatissimum Antonium, Basilium, Cassianum, ac alios. Insuper vocat se puerum inutilem, id est imperfectum discipulum, « perfecti pictoris ». Cujus causam insinuat, quemadmodum tactum est. Perfectus enim pictor imagines novit multipliciter vivaciterque formare ex multiplici differentia pretiositatum, pulchritudinum ac colorum. Ipse autem Climacus dicit se hunc librum composuisse modo uniformi, umbroso, et solo atramento splendente : uniformi, videlicet quantum ad stilum, umbroso, id est non ornato fulgore rhetorico. At vero per præceptorem suum, designat abbatem ad cujus instantiam scripsit hæc : cujus meritis vult adscribi, si ipse aliquid utile hic conscripsit.

PROLOGUS AUCTORIS

PRÆSENS liber manifeste ac sapienter ostendit viam currendi ad Deum, his qui cupiunt nomina sua describi in libro vitæ in cœlis. Hanc enim viam pergentes, inveniemus manu ducentem nos Salvatorem et custodientem suos sectatores ab omni lapide offensionis, et inveniemus nos tutos a læsione ac scandalo. Reperiemus quoque scalam usque ad cœlum porrectam, seu in cœlestibus confirmatam et fixam, provehentem suos ascensores ad sancta sanctorum, quæ ostendit
Gen. XXVIII, 12, 13. Deum caritatis innixum vertici suo : nempe scalam hanc, arbitror, quam et Jacob

supplantator vitiorum contemplatus est in exercitationis quiescens cubiculo (hoc est in exercitio virtutum quieto, seu loco pacis tranquillo). Quocirca exhortor ut prompte fideliterque scandamus cursum scalæ hujus intellectualis atque cœlestis, et iter hoc sursum reducens : cujus initium est abdicatio et abrenuntiatio omnium terrenorum, finis vero est caritas Dei seu ejus dilectio.

GRADUS PRIMUS

DE ABRENUNTIATIONE TERRENORUM ET ABDICATIONE VITÆ INANIS.

A BONO et superbono et toto bono Deo et rege nostro. Pulchrum est enim ex Deo ad Dei famulos principium facere. Omnium rationalium ab ipso creatorum, ex liberi arbitrii dignitate honoratorum, quidam sunt amici ipsius, quidam vero nobiles servi, quidam vero inutiles, alii vero omnino extranei, alii vero licet infirmi, tamen adversarii. Et amicos quidem proprie nos idiotæ, o sanctum caput, ex Deo sumpsimus circa ipsum intellectuales et incorporeas substantias. Nobiles vero servos Dei vocamus universos facientes et facturos sanctissimam voluntatem ipsius absque pigritia et negligentia ; inutiles vero servos vocamus quicumque arbitrati sunt digni divino Baptismate, ad ipsum vero pactiones amabiliter non servaverunt. Extraneos autem et peregrinos a Deo et inimicos intelligimus quoscumque non baptizatos vel male credentes videmus exsistere. Impugnatores vero et adversarii sunt, qui non solum a se projiciunt ac repellunt Dei præcepta, sed etiam fortiter impugnant eos qui ea observant. Quoniam ergo unusquisque omnium prædictorum possidet sermonem aliquem proprium et pertinentem ad rem, nobis autem indoctis non expedit prosequi de omnibus illis ad præsens ; age, jam age, ad pie nos tyrannizantes et vim fideliter inferentes eorum præceptis, et extendentes manum nostram indignam, per obedientiam non discernentem, ad servos Dei dilectos, suscipientes calamum verbi a cognitione ipsorum, et intingentes humilitate mœrenti et splendenti, quietantes hunc calamum in cordibus eorum expolitis ac candidis, tanquam in quibusdam chartis, magis autem spiritualibus tabulis, depingemus divina eloquia, magis vero semina et imaginationes.

Dicimus vero sic : Deus est creator ac Dominus, vita et salus omnium libero arbitrio utentium : fidelium et infidelium, justorum et injustorum, piorum et impiorum, virtuosorum et vitiosorum, monachorum et secularium, sapientium et idiotarum, sanorum et infirmorum, juvenum et provectorum ; quemadmodum luminis effusio et solis adspectus, et vicissitudines aeris et horarum. Et alius non est. Non enim est personarum acceptio apud Deum.

Impius est natura rationalis mortalis vitam voluntarie fugiens, et proprium factorem sempiterne exsistentem, quasi non exsistentem existimans. — Iniquus est qui retinet legem quæ ex Deo est, cum intelligentia propriæ malignitatis, et cum electione contraria putat se credere Deo. — Christianus est imitator Christi Jesu, secundum quod possibile est homini, verbis, operibus et intentione, credens recte et sine querela in Deum et in sanctam Trinitatem. — Dei amator est qui sine peccato exsistit in participatione omnium naturalium, et secundum virtutem bona non negligit. — Abstinens et continens est qui conversatur et vivit in medio tentationum et laqueorum atque tumultuum, et tamen conatur imitari et possidere cum virtute modos ac mores a tumultibus liberos.

Monachus est ordo et consistentia incorporalium in corpore mortali et sordido consummatus. Monachus est qui solum ea quæ Dei sunt, agit, cogitat et loquitur, Christo unitus omni tempore, loco et negotio. Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens. Monachus est sanctificatum corpus, et expurgatum os, et illuminata mens. Monachus est mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria, exercitans, vigilans et dormiens.

Recessus a mundo et abdicatio mundi, est voluntarium odium laudatæ materiæ, et abnegatio naturæ propter sortitionem eorum quæ sunt supra naturam. Universi prompte relinquentes ea quæ sunt hujus mundi et vitæ præsentis, fecerunt hoc propter futurum regnum, aut propter multitudinem peccatorum, aut propter caritatem in Deum. Si vero nulla prædictarum intentionum sit in illis, irrationabilis exstitit recessus eorum. Verum qualis invenietur finis vitæ nostræ, talis suscipietur a Jesu Christo bono positore nostrorum agonum. — Qui egressus es de mundo ad dispergendum ac destruendum pondus peccatorum tuorum, imitare eos qui extra
Joann. XI, 31. civitatem ante sepulcrum sedent ; et non cesses a calidis et ignitis lacrimarum guttis,
Ibid. 38-44. nec ab ejulatibus cordis absque voce, quousque et tu videas Jesum Christum venientem et revolventem lapidem cæcitatis cordis, et liberantem Lazarum, utpote mentem tuam, a peccatorum vinculis, et jubentem angelis suis ministris : Solvite istum a passionibus et peccatis, et sinite abire ad beatam impassibilitatem. Si vero non sic, nihil proficies.

Quicumque ex Ægypto et Pharaone exire et fugere volumus, penitus indigemus Moyse aliquo mediatore ad Deum, quatenus prælatus noster medius pro nobis exsi-
Exod. XVII, 11-13. stens actu et theoria, manus extendat ad Deum, ut sub ejus ducatu transeamus recte mare peccatorum, et Amalec passionum triumphando vincamus. Seducti ergo fuerunt confidentes in se ipsis, et suspicantes se nullo duce dirigente indigere. Et
Hebr. III, 16. filii Israel exeuntes de Ægypto habuerunt Moysen ducem ; exeuntes vero de Sodomis
Gen. XIX, 15-17. habuerunt angelum ducem. Et primi assimilantur eis qui a spiritualibus passionibus sanantur per curam et studium medicorum : et isti sunt qui ex Ægypto egrediuntur. Secundi vero assimilantur his qui desiderant exspoliare immunditiam corporis adversantis. Propter quod indigent duce angelo : secundum enim corruptionem plagarum indigemus artifice et medico magis perito.

Violentia vero et continuis laboribus et doloribus egent, qui cum corpore cœlum intrare conantur, et præsertim in prooemiis abrenuntiationis ipsorum, quousque mos noster amator concupiscentiarum et concupiscibilium, et cor sine dolore, convertantur per luctum efficacem in divinum amorem et sanctificationem. Angustia namque et vere angustia est et multa invisibilis amaritudo, potissime conversantibus negligènter, donec canem, videlicet intellectum nostrum, immunde amantem macellum et cibos, fecerimus amatorem casti et cujuscumque visitationis, per simplicitatem et profundam inirascibilitatem et sollicitum studium. Veruntamen confidamus nos vitiosi et sine virtutibus, offerentes Christo Jesu cum fide constanti et indubitanti, dextera manu nostra, nostram infirmitatem et animalem impotentiam nostram, et confitentes; et omnino ipsius adjutorium etiam supra nostram dignitatem reportabimus.

Cognoscant omnes accedentes ad hunc agonem pulchrum, arctum, et durum et levem, quod advenerunt insilire in ignem, si tamen recipiunt ignem immaterialem habitare in se ipsis. Probet autem unusquisque se ipsum, et sic edat de pane ipsius cum lactucis agrestibus, et ex calice ipsius bibat cum lacrimis, ut non sibi ipsi in judicium militet. Si non omnis qui baptizatur, salvatur; quod sequitur tacebo.

Omnia abnegabunt, omnia contemnent, deridebunt, excutient accedentes, ut bonum jaciant fundamentum. Pulchra et bona et triangularis est domus, et trium columnarum fundamentum : innocentia, jejunium humile, et castitas. Omnes in Christo parvuli per ista innitentur, parvulos sensibiles in exemplum sumentes. In parvulis enim nulla crudelitas, nulla duritia, nulla fraus invenitur, non insatiabilis appetitus, non insaturabilis venter, non corpus libidinosum aut furens; sed juxta appositionem escarum crescunt et calorem assumunt.

Odibile vere et valde periculosum est, eum qui certat, evacuari statim a principio sui certaminis, et universis hostibus animæ suæ dare arma propriæ occisionis. Utilitas nobis est omnino ex firmo principio, etiam in eo quod est post evacuationem. Anima namque viriliter agens, et rursus submisse operans, a memoria prioris sollicitudinis quasi stimulo pungetur. Propter quod et ex hoc quidam renovaverunt se ipsos quasi pennis et alis : erant enim sicut aquilæ, quæ dicuntur pennas projicere. — Quando anima semetipsam prodens, perdit calorem superamabilem et beatum; quærat diligenter qua causa ipso privatur, et contra illam reassumat totum laborem et desiderium, pugnam et sollicitudinem : non est enim possibile ipsam animam reverti per aliam portam nisi per quam exivit.

Qui ex timore abrenuntiationem facit, comparatur quasi ardenti incenso, in principiis ex bono odore initians, ultimo vero in fumum desinens. Qui vero spe mercedis facit abrenuntiationem, molendinum asinarium constituitur semper similiter motum. Qui ex caritate divina recessum facit, confestim possidet ignem in prooemiis; et missus in anteriora, succendet vehementiori combustione velut silvam. — Sunt quidam ædificantes super petras latericias; et sunt alii qui super terram firmaverunt columnas; et sunt qui ambulantes modicum iter pedestre, peragrarunt [illegible].

confotis nervis eorum et artubus. Qui intelligit, intelligat : verbum symbolicum est.

Prompte curramus, tanquam a Deo et rege nostro Christo Jesu vocati, ne forte paucorum dierum exsistentes, inveniamur steriles et sine fructibus in die mortis, et fame intereamus. Beneplaceamus Domino sicut milites regi : post militiam enim requiritur a nobis diligens servitus. Timeamus Dominum sicut timemus bestias. Vidi enim viros euntes ad prædandum, qui Deum non timuerunt ; audientes vero vocem canum, continuo sunt reversi ad locum suum : et quod timor Dei non fecit, hoc timor potuit bestiarum. Amemus Deum sicut amamus et honoramus amicos. Vidi enim quosdam Deum sæpius contristantes, et de hoc nihil curantes ; et vidi eosdem exacerbantes suos dilectos aliquo minimo verbo, et apposuerunt omnem industriam, sollicitudinem, intentionem, tribulationem, et omnem confessionem, per se ipsos, per amicos et propinquos, et dona dederunt, ut reducerent eos quos offenderant ad caritatem antiquam.

In principio abrenuntiationis operamur virtutes penitus cum labore et violentia et amaritudine ; proficientes vero, deinceps sine tristitia sumus, quamvis in ipsis modicum contristati afficiamur ; quando vero voluntas et nostrum mortale sapere conculcatur et absorbetur et potestative subjicitur a promptitudine exsistente in nobis, tunc de cetero operamur virtutes cum omni gaudio et sollicitudine et desiderio et igne cordis, et cum flamma divina. Quantum laudabiles sunt qui operantur virtutes cum gaudio et promptitudine statim a principio suæ conversionis, et mandata perficiunt ; tantum miserabiles sunt qui diu immorati in obsequio Dei, adhuc cum labore gradiuntur per exercitia cultus divini, et cum labore eadem exsequuntur.

Non abominemur nec dijudicemus abrenuntiationes quæ ex seditionibus fiunt. Vidi namque quosdam fugientes et non voluntarie occurrentes regi, et deinceps circa ipsum arma tulisse, palatiumque ingressos fuisse cum rege in convivio. Vidi semen cadens in terram non voluntarie, et afferens fructum valde pulchrum et copiosum ; quemadmodum vidi et econverso. Vidi quemdam venientem in locum medicinalem juxta aliquam aliam opportunitatem, et tentum ab astutia medici elegantis, ac tractum a multitudine, abjicientem caliginem superimpositam lumini ejus. Et non spontanea facta sunt in aliquibus firmiora et principaliora voluntariis.

Nemo causans pondus et multitudinem peccatorum suorum, appellet se indignum monastica sponsione et professione, et per amorem vitiosæ delectationis et concupiscentiæ vilipendere putet se ipsum, excusans excusationes in peccatis. Ubi *Ps.* CXL, 4.
enim multa corruptio, ibi et magnæ necessitas medicinæ ut sordes deponat : etenim sani et bene habentes non veniunt ad remedia medicinæ, neque ad stationem locumve *Luc.* V, 31.
medici. Si rege terreno nos vocante, et volente nos militare in obsequium suæ personæ, non excusamus, sed relinquentes et excutientes omnia, accedimus prompte ad ipsum ; attendamus nobis ipsis, ne quando Rege regum et Domino dominorum et Deo deorum nos vocante ad cœlestem ordinem istum, renuamus acquiescere ei ex pigritia et negligentia nostra, et inexcusabiles inveniamur ante magnum tribunal ipsius.

Vinctum negotiis sæcularis vitæ ac ferreis curis possibile est adhuc ambulare, sed difficulter : quoniam compedes circumpositi pedibus, faciunt conantes ambulare cum eis frequentius cespitare, et multoties suscipiunt vulnera. Non conjugatus, sed solis rebus in mundo ligatus, comparatur habenti sertum in manibus : propter quod non prohibetur currere ad vitam monasticam quum voluerit. Nubens vero similis est circumvincto manibus et pedibus. Audivi quosdam in mundo negligenter permanentes dicentes ad me : Quomodo conviventes uxoribus et circumgradientes publicis curis, possumus viam monasticam ambulare ? Quibus respondi : Omnia bona quæ potestis facere, facite ; nemini maledicatis, nemini mentiamini, non furemini, super nullum vos efferatis, neminem odiatis, non recedatis a congregationibus Officiisque divinis, vinctis et indigentibus compatiamini, nullum scandalizetis, alienis parietibus non appropinquetis, et contenti estote stipendiis uxorum vestrarum : si *Luc.* [illegible], 11
sic feceritis, non eritis longe a regno cœlorum.

Occurramus cum gaudio et timore, pulchro et bono certamini, non dubitantes, neque timentes inimicos nostros : quoniam in faciem animæ nostræ intuentur, quamvis non videantur ; quod si viderint ipsam ex pavore commutatam, tunc contra nos crudelius armantur, intelligentes fraudulenti quia timuimus. Idcirco armemur contra ipsos gaudenter : nam contra gaudenter certantem nullus prompte concertat.

Dominus dispensative alleviat pugnas a novis incipientibus, nequando ex proœmiis confestim in mundum denuo resolvantur. Ideo gaudete in Domino semper, *P*[illegible] 4.
omnes servi ejus, cognoscentes in vobis ipsis hoc primum signum caritatis Regis vestri ad vos, et quomodo vos vocavit. Faciensque hoc Deus multoties cognoscitur. Vidit enim sæpe viriles animas, et statim ex proœmiis permisit in eis pugnas relaxari, volens eas in brevi coronari. Occultavit Deus ab his qui sunt in mundo, stadii importunitatem (magis vero opportunitatem) : si enim hanc cognovissent, non utique abrenuntiasset omnis caro.

Da prompte labores juventutis tuæ Christo Jesu, et gaudebis in senio super divitiis impassibilitatis : congregata enim in juventute, consolantur ac nutriunt confectos senio. Laboremus in juventute ferventer, curramus vigilanter, quia mors est incerta. Habemus inimicos vere malignos, crudeles, dolosos, astutos, potentes, non dormientes, immateriales, invisibiles ; in manibus ignem tenentes, cupientes et nitentes comburere templum Domini nostri Jesu Christi per flammam quæ in eis est. Nullus juvenis exsistens recipiat inimicos suos dæmones dicentes : Non conteras carnem tuam, et corpus tuum ne concidas infirmitatibus atque languoribus ; nam in præsenti generatione vix aliquis invenitur qui præeligat corpus suum mortificare, et ipsum privare saltem delectantibus escis multis. Intentio namque dæmonum est, ipsum nostrum introitum in stadio facere vacuum et negligentiis plenum, et de cetero finem nostrum concordare principio.

Volentes autem Christo prudenter servire, ante omnia quærunt et faciunt istud, puta : ut eligant loca, modos, mores, institutiones, adinventiones et studia ipsis convenientia, obedientiam quoque spiritualium Patrum, et [illegible]

familiarem. Non enim omnium sunt cœnobia, propter scurrile et gulosum; neque omnium eremitaria, propter triste, furiosum et irosum. Præterea universa conversatio monastica continetur in tribus generalissimis constitutionibus stationum : in agonistica singularitate et recessu ; aut quiescere cum uno vel duobus sub obedientia *Prov.* IV, 27. Patris spiritualis; aut sedere in cœnobio cum patientia. Non declines ad dextram neque ad sinistram, sed via regia gradiaris. Media prædictorum multis convenientia *Eccle.* IV, 10. exsistunt. Et quidem væ soli (ait Ecclesiastes) : quia si ceciderit in acediam, aut somnum, vel negligentiam, aut indolentiam, seu desperationem, non est resuscitans *Matth.* XVIII, 20. eum in hominibus. At ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dixit Dominus.

Quis, putas, est fidelis et prudens monachus, qui calorem suum custodivit inexstinguibilem, et usque ad exitum suum non cessavit quotidie addere ignem igni, fervorem fervori, desiderium desiderio, amorem amori, sollicitudinem sollicitudini?

ARTICULUS III

EXPOSITIO HUJUS GRADUS PRIMI.

A *BONO et superbono et toto bono Deo et rege nostro.* Subintelligendum est aliquid, ut sit sensus : Inchoandum est « a Deo » naturaliter « bono ». Nam et theologus incipit a supremo. Quemadmodum *Ibid.* VI, 33. enim debemus primum quærere regnum Dei et justitiam ejus, agendo in primis ea quæ Dei sunt, et omnia opera nostra ad Creatoris gloriam referendo; ita et in loquendo decet nos a Deo incipere, et omnia verba nostra ad ejus honorem referre, ita ut primo loquamur de Deo secundum se, vel de creaturis et effectibus ejus per comparationem ad ipsum. Hinc ad Colos- *Coloss.* III, 17. senses monet Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite. Idcirco Climacus subdit : *Pulchrum est enim ex Deo ad Dei famulos principium facere,* id est, rationabile conveniensque consistit ut famuli Dei faciant « principium » seu inchoationem sui sermonis « ex Deo », id est ab eo.

Denique Deus tam proprie dicitur bo- A nus, ut in Evangelio dicat Salvator noster : Nemo bonus nisi solus Deus. Siqui- *Marc.* X, 18. dem Dei natura est bonitas pura, perfecta ac infinita. Ideoque dicitur superbonus, quia in infinitum melior est quam comprehendere valeamus, et bonitas ejus transcendit omnia bona creata incomparabiliter et immense. Hinc quoque dicitur totus bonus, id est quomodolibet seu omniformiter bonus : quia secundum omnem sui considerationem ac comparationem est bonus, hoc est, qualitercumque consideretur B aut comparetur. Itaque nec actu nec habitu neque potentia est in eo aliquid mali aut privationis seu defectibilitatis, aut aliqua minoratio vel diminutio bonitatis. Hoc autem non competit alicui creaturæ. Imo omnis creatura per comparationem ad suam originem, ex qua de se nihil est, et secundum se sumpta, vanitati subjecta *Rom.* VIII, 20. est : quæ vanitas est defectus a vero, pleno et incommutabili esse. Propter quod indiget incessabiliter conservari a Deo, et si sibimetipsi ad momentum relinqueretur,

mox in nihilum relaberetur. De hac materia divinus Dionysius plenius tractat in
cap. v. libro de Divinis nominibus, et Boetius in speciali quæstione super hoc mota.

Consequenter Climacus ponit quinque differentias seu quinquepartitam distinctionem et divisionem rationalium creaturarum, intelligendo per rationales creaturas non homines tantum, sed etiam angelos. *Omnium rationalium ab ipso creatorum,* id est universarum rationalium et intellectualium creaturarum, *ex liberi arbitrii dignitate honoratorum,* id est, quas Deus decoravit ac honoravit libero arbitrio quod contulit eis, per quod et fecit eas honorabiles secundum se, ac ceteris magis
Gen. i, 26. eminentes, creando eas ad imaginem et similitudinem suam : harum itaque creaturarum *quidam sunt amici ipsius* Dei, *quidam vero nobiles servi, quidam vero inutiles, alii vero omnino extranei, alii vero licet infirmi, tamen adversarii.*

Deinde exponit hæc omnia.

Et amicos quidem proprie nos idiotæ, o sanctum caput, ex Deo sumpsimus circa ipsum intellectuales et incorporeas substantias. Ordo et sensus verborum est : « Et quidem, o sanctum caput », id est sancte abbas Joannes, cui hæc mitto, « nos idiotæ ex Deo sumpsimus », hoc est, ex divina instructione vocamus, « amicos » Dei, « intellectuales et incorporeas substantias », utpote angelos sanctos, « circa ipsum » Deum intentos, ut vultui gloriæ ejus indesinenter infixos. Amicorum namque est eadem velle et nolle. Quum ergo angeli sancti et omnes Beati in patria sint confirmati in bono, et Deo inavertibiliter couniti, atque divinæ voluntati plenarie conformati, a qua nec per mortale neque per veniale peccatum possunt deflectere aut errare, constat quod eis potissime competit esse amicos Dei : quod tamen et virtuosis hominibus, præsertim perfectis, aliqualiter convenit, quamvis non ita plenarie. *Nobiles vero servos Dei vocamus universos facientes et facturos sanctissimam voluntatem ipsius absque pigritia et*

A *negligentia ; inutiles vero servos vocamus quicumque arbitrati sunt digni divino Baptismate,* id est, quos Deus dignanter perduxit ad Christi Baptismum, *ad ipsum vero pactiones amabiliter non servaverunt,* id est, ea quæ Deo promiserunt in Baptismo, non impleverunt, sed gratiam baptismalem amiserunt peccando mortaliter.

Extraneos autem et peregrinos a Deo et inimicos intelligimus quoscumque non baptizatos vel male credentes videmus exsistere, id est, quos interiori exteriorive oculo videmus esse paganos, Judæos, et prorsus incredulos, sive hæreticos. Qui omnes a Deo extranei seu alieni sunt, non quantum ad creationem seu quoad dona naturæ : nam opera manuum ejus sunt Job xxxiv, 19.
universi. Aliqui etiam tales sunt Dei, et ejus electi secundum prædestinationem æternam, quamvis extranei sint ab eo secundum præsentem justitiam. *Impugnatores vero et adversarii sunt, qui non solum a se projiciunt ac repellunt Dei præcepta, sed etiam fortiter impugnant eos qui ea observant.* Isti sunt persecutores justorum : qui prædictis pejores exsistunt, et sunt « impugnatores » [Dei] eo ipso quo servis Dei adversari dicuntur, secundum quod Christus dixit ad Paulum : Quid me Act. ix, 4.
persequeris? Sunt tamen infirmi, quoniam Deus dum vult, solo nutu dejicit eos atque condemnat.

Quoniam ergo unusquisque omnium prædictorum possidet sermonem aliquem proprium et pertinentem ad rem. Hoc loco accipitur sermo pro re significata per sermonem, quemadmodum in secundo Regum libro : Quod est verbum quod factum [illegible]
est? Ut sit sensus : « Unusquisque omnium prædictorum », videlicet, amicorum, nobiliumque servorum, inutilium quoque servorum, etc., habet aliquam proprietatem sibi convenientem et inhærentem. Formaliter enim differunt ; non realiter semper : imo substantialiter coincidere possunt, quia et amici Dei sunt nobiles servi ejus, et econverso. Unde in Apocaly

Apoc. XXII, 9. psi angelus dixit Joanni apostolo : Conservus tuus sum et fratrum tuorum ; et Psalmista : Ps. CII, 21. Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Hebr. I, 14. Omnes enim sunt administratorii spiritus.

Nobis autem indoctis non expedit prosequi de omnibus illis ad præsens. Ex humilitate indoctum se vocat, sicut et Paulus : I Cor. XV, 9. Non sum (inquit) dignus vocari apostolus. Prov. XXX, 2. Salomon quoque : Stultissimus (ait) sum virorum. In talibus quippe orationibus ex humilitate prolatis, sufficit quod secundum aliquam considerationem verificentur. Est autem omnis homo viator indoctus, non solum respectu Dei, sed etiam comparatione omnium civium supernorum. Propter quod loquitur Jeremias : Jer. II, 17. Stultus factus est omnis homo a scientia sua ; I Cor. VIII, 2. et item Apostolus : Si quis se putat aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Sed cur non expediebat Climaco prosequi in hoc libro de omnibus illis ? Et respondendum quod ideo, quoniam intentio et materia hujus voluminis non exigebant hoc ipsum, præsertim ut tractaret hic de naturis atque ordinibus angelorum, et propter prolixitatem vitandam, rursus et propter difficultatem et sublimitatem materiæ.

Deinde hortatur se ipsum ad prosequendum de his quæ præsentem concernunt tractatum.

Age, jam age. « Age » est hic interjectio : cujus repetitio fervorem exhortationis designat. *Ad pie nos tyrannizantes et vim fideliter inferentes eorum præceptis.* Christus in evangelio Matthæi loquitur : Matth. XI, 12. Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Coloss. III, 5; Matth. X, 39; Luc. XIV, 26. Et rursus jubemur mortificare, superare, frangere, perdere et odire nos ipsos. Hæc ergo est violentia salutaris, sensualitatem reprimere, propriam voluntatem suppeditare, motus ac impetus passionum frenare. Ista quoque est tyrannizatio contra se ipsum piissima. Idcirco nunc ait : « Nos tyrannizantes ad pie », id est, valde pie nobis ipsis quasi tyranni- A dem infligentes sæviendo contra judicia nostra, non acquiescendo proprio sensui, sed dure ac acriter reluctando omni inordinationi naturæ nostræ, « et vim fideliter inferentes præceptis eorum », obediendo jussionibus Patrum ex fide quæ est theologica virtus (ex qua omnia fieri debent, quum dicat Apostolus ad Romanos : Omne quod non est ex fide, peccatum est), Rom. XIV, 23. vel cum fide, id est fidelitate, quæ est pars justitiæ ; et cum vi, hoc est cum violentia prætacta salubri. Taliter enim obedire ar- B dua aggrediendo et alios instruendo ac librum componendo, contra propriæ humilitatis inclinationem et contra proprii sensus dictamen, est sibi ipsi fideliter vim inferre : quod dicitur hic vim inferre ipsis « præceptis », quia cum tali vi aggreditur quis præcepta ad eadem exsequenda. Juxta quem modum loquendi, regnum cœlorum vim pati asseritur.

Et extendentes manum nostram indignam, per obedientiam non discernentem, seu indiscretam, *ad servos Dei dilectos,* C scribendo de eis, et item ad eos : ideo subditur : *suscipientes calamum verbi,* id est instrumentum scribendi, *a cognitione,* id est manifestatione seu descriptione, *ipsorum :* de ipsis namque mox incipit loqui seu scribere, quamvis pauca quædam pro introductione præmittat. Vel, « suscipientes calamum verbi a cognitione ipsorum », utpote a notitia seu informatione quam ab ipsis accepimus, a quibus sumus instructi. *Et intingentes* calamum hunc seu pennam atramento *humilitate* D *mœrenti et splendenti,* id est ex humilitate præcipua et præclara. Quæ dicitur mœrens, quia inducit hominem ad considerandum ac deplorandum propriam vilitatem, defectuositatem, ærumnam et culpam, sicque parit salubrem tristitiam. Dicitur quoque splendens, quum sit pulcherrima virtus mentem vehementer perornans, et quia in veritatis cognitione fundatur, habetque sapientiam sibi semper conjunctam, quemadmodum Salomon in Proverbiis protestatur : Ubi humilitas, ibi et Prov. XI, 2.

sapientia. Imo splendore gratiæ ac luce A virtutum singulariter decoratur : humilibus enim dat gratiam Spiritus Sanctus, qui super quietum et humilem requiescit. Denique quam odibilis, turpis ac sordida est coram Deo superbia, tam amabilis, pulchra ac splendida est coram eo humilitas.

Jacob. IV, 6; Is. LVII, 15.

Quietantes hunc calamum in cordibus eorum expolitis ac candidis, tanquam in quibusdam chartis, magis autem spiritualibus tabulis, id est, quiescere facientes scripturam hoc calamo exornatam, seu libri hujus doctrinam, in mentibus dilecto- B rum servorum Dei, velut in membranis, imo potius velut in «spiritualibus tabulis». Ad hoc quippe Climacus ista descripsit in libro hoc, ut scriberentur seu imprimerentur cordibus talium sanctorum : et ita ipse impressit eis hæc documenta dispositive seu ministerialiter quantum in se fuit. Quietavitque calamum suum in cordibus eorumdem, quoniam actum seu usum calami sui ordinavit ad finem hunc : in fine autem quiescitur. Porro corda talium devotorum expolita seu decorata virtuti- C bus, et candida per innocentiam et sapientiam salutarem, potius comparantur spiritualibus tabulis quam chartis, propter eorum soliditatem, quia in Dei amore sunt firma atque virtutibus roborata.

Depingemus divina eloquia, magis vero semina et imaginationes, hoc est, verba sacra describemus, et ea in illorum cordibus « depingemus » : quæ verba potius dici poterunt « semina », quia ad hoc scribuntur et ibi pinguntur, ut ex eis actiones virtuosæ procedant, utpote, sanctæ medi- D tationes, piæ affectiones, fructuosæ locutiones, et opera bona. Semen namque, ut ait Salvator, est verbum Dei. De quo denuo asserit : Semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum centuplum. Dicit quoque, quod magis depinget « imaginationes » quam « divina eloquia » : et hoc ait vel ex humilitate, quasi verba sua sint potius imaginationes quædam sive imagines divinorum eloquiorum, quam divina eloquia ; vel quia ex lectione et auditione verborum suorum generantur imaginationes rerum significatarum per ea, in cordibus audientium atque legentium. Ex sensationibus enim procedunt imaginationes, ex imaginationibus intellectiones, secundum Boetium : nam et juxta Philosophum, intelligentem oportet speculari phantasmata, id est similitudines rerum interiori sensu contentas.

Luc. VIII, 11.

Ibid. 8.

Dicimus vero sic : Deus est creator ac Dominus, vita et salus omnium libero arbitrio utentium : fidelium et infidelium, justorum et injustorum, piorum et impiorum, virtuosorum et vitiosorum, monachorum et sæcularium, sapientium et idiotarum, sanorum et infirmorum, juvenum et provectorum. Hic asserit Climacus, quod « Deus » sit « omnium » horum « creator ac Dominus, vita et salus » : verumtamen non eodem modo neque eisdem ex causis. Est equidem omnium Deus et Dominus ratione et jure creationis provisionisque generalis, et item auctoritate judiciariæ potestatis ac universalis dominii ; bonorum vero et virtuosorum est Deus et Dominus per specialem providentiam et gratiam suam ad illos, et etiam per singularem subjectionem et cultum eorum ad ipsum. Hoc etenim unicuique deus est, quod maxime cupit, colit ac veneratur. Propter quod ait Apostolus de gulosis : Quorum deus venter est. Insuper Deus est omnium horum vita, quantum ad hoc quod vitam naturæ omnibus his largitur et conservat quamdiu subsistunt : unde et omnium salus vocatur, quoniam omne bene esse eorum ab ipso dependet et in ipso consistit. Virtuosorum vero vita est Deus causaliter, quia nunc influit vitam gratiæ ac virtutum ; est quoque eorum salus, quoniam vitam gloriæ præstat eis in patria. Cui et ipsi nunc dicunt quotidie : Domine, Deus salutis meæ. Nam et modo dat eis beatitudinem viæ, prosperitatemque spiritualem, quæ est profectus et quidquid ad eum disponit. Impii quoque vitam gratiæ ac salutem possunt ab ipso suscipere ; et si prædestinati sunt sortiendi eas ab

ipso finaliter. Hinc in Deuteronomio scri-
Deut. XXX, 20. ptum est : Ipse Deus est vita tua et longitudo dierum tuorum.

Deinde exemplariter docet qualiter Deus sit omnium vita et salus ac Deus. *Quemadmodum luminis effusio et solis adspectus, et vicissitudines aeris et horarum:* id est, sicut diffusio luminis cœlestium corporum ac solis præsentia, et permutationes aeris hujus ac temporum, communes sunt omnibus, seu universis generaliter communicantur (quemadmodum scriptum
Matth. v, 45. est : Deus solem facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos); ita et Deus est generaliter omnium Deus, salus ac vita, propter prætacta. *Et alius non est,* hoc est, præter unum ac verum Deum, non est qui sit omnium Deus, vita
Is. XLV, 21. ac salus. Qui per Isaiam fatetur : Ego Dominus, et non est Deus absque me; Deus justus et salvans non est præter me. *Non est personarum acceptio apud Deum.* Hoc est quod in Actibus Apostolorum asserit bea-
Act. X, 34. tissimus Petrus : In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus.

Impius est natura rationalis mortalis vitam voluntarie fugiens, et proprium factorem sempiterne exsistentem, quasi non exsistentem existimans. In hac descriptione « natura » accipitur pro supposito seu persona, ut sit sensus : « Impius est » suppositum rationale mortale sponte seu ex proposito se avertens a Deo, atque per hoc « voluntarie fugiens vitam » gratiæ, seu viam justitiæ et actus virtutum. Propter quod ita se habet ac si proprium Creatorem æternaliter consistentem, putaret non esse : quia non solum non curat nec metuit nec honorat eum, sed etiam tam audacter et irreverenter ipsum offendit, quasi non sit providentia, neque justitia, neque futurum judicium Dei. De
Job XXII, 17. talibus fertur in libro Job : Quasi nihil posset facere Omnipotens, ita æstimave-
Epist. VIII. runt eum. Et S. Dionysius loquitur, quod constitutus in sacro ordine et impie vivens, est Dei irrisor ac subsannator, putans eum nescire quæ ipse scit.

A *Iniquus est qui retinet legem quæ ex Deo est, cum intelligentia propriæ malignitatis, et cum electione contraria putat se credere Deo.* Ex Deo sunt lex naturalis, lex scripta, lex evangelica ac divina. Est ergo « iniquus », qui has leges aut aliquam harum habet atque intelligit, et tamen in sua malignitate perdurat, « et putat se credere Deo » et esse fidelem, quum tamen eligat ea quæ prohibentur lege divina. Idcirco non credit salubriter, nec habet fidem formatam, estque infideli de-
B terior. Unde de talibus ait Apostolus : Con- *Tit.* I, 16.
fitentur se nosse Deum, factis autem negant; et Isaias : Transgressi sunt leges, *Is.* XXIV, 5.
mutaverunt jus, irritum fecerunt fœdus sempiternum. Porro lex scripta adhuc obligat quantum ad præcepta moralia. De his legibus ait Dominus per Osee : Scribam ei *Osee* VIII, 12.
multiplices leges meas. De quibus habetur in Job : Utinam intelligeres quod multi- *Job* XI, 6.
plex sit lex ejus. Itaque quod dicitur, « Cum intelligentia propriæ malignitatis », tantum est dicere, Cum intelligentia seu
C cognitione sua malignitati suæ conjuncta, vel, Cum intelligentia sui ipsius maligni.

Christianus est imitator Christi Jesu, secundum quod possibile est homini, verbis, operibus et intentione, credens recte et sine querela in Deum et in sanctam Trinitatem. Hæc est compendiosa optimaque descriptio Christiani : cui per omnia consonant quæ in libro de Nomine christiano Augustinus disseruit. Christianus quippe a Christo nomen sortitur : ideo Christum sequi tenetur. Sed quoniam Deus
D non requirit impossibile quidquam ab homine, est autem impossibile omni homini Christum perfecte ac plene sectari, seu ejus perfectioni atque virtutibus coæquari, ideo scriptum est in descriptione prætacta, « secundum quod possibile est homini » : possibile, inquam, per gratiam adjuvantem, sine qua nihil valemus meritorie operari. Debemus itaque Christum sequi etiam « intentione », locutione, id est in omni conversatione, sicut ait Joan- I *Joann.* II, 6.
nes apostolus : Qui se dicit in Christo

manere, debet sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare. Nam et Christus in Evangelio dixit : Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? (Luc. vi, 46.) Ex quibus constat quam pauci sint Christiani. Insuper « recte » credere, est credere sine erroris permixtione ; credere vero « sine querela », est fidem vita ac moribus decorare, sicut hortatur Apostolus : Omnia (inquiens) facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei. (Philipp. ii, 14, 15.) Postremo credere « in Deum et in sanctam Trinitatem », est credere in unum et trinum Deum.

Dei amator est qui sine peccato exsistit in participatione omnium naturalium, hoc est, qui bonis naturalibus utitur ordinate, omnes quoque naturales motus et affectiones ita refrenat ac regit, ne innaturales aut vitiosi reddantur; *et secundum virtutem bona non negligit,* id est, quantum potest vitat omissiones bonorum, imo et actus virtutum diligenter exsequitur. Signum namque dilectionis est adimpletio jussionis et executio operis. Propter quod ait Salvator : Qui servat mandata mea, ille est qui diligit me. (Joann. xiv, 21.) Porro quod ait, « qui sine peccato exsistit », intelligendum est de culpa mortali, quæ cum caritate non stat; non de veniali, quum scriptum sit : Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. (I Joann. i, 8.)

Abstinens et continens est qui conversatur et vivit in medio tentationum et laqueorum atque tumultuum, et tamen conatur imitari et possidere cum virtute modos ac mores a tumultibus liberos. Omnes in sæculo isto viventes conversamur « in medio tentationum et laqueorum », quum scriptum sit, Militia (seu tentatio) est vita hominis super terram (Job vii, 1.); in medio quoque « tumultuum » : nam omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionibus et tribulationibus exercentur. (II Tim. iii, 12.) Qui ergo in istis studet ac satagit pacem pectoris habere et conservare, et Deo servire corde tranquillo, rite « abstinens et continens » vocatur : abstinet namque a multis illicitis, et continet animum suum a tentationum consensu et perturbationum tumultu. Unde constat, quod abstinentia et continentia non sumuntur hoc loco ut sunt speciales virtutes ad temperantiam pertinentes. Per « modos » hic quoque intelligi potest modestia seu actio moderata. Quantumlibet ergo forinsecus impugnemur, tentemur, pulsemur, non admittamus aliquam vehementiam passionum aut indecentiam morum, sed pacem pectoris conservemus. Hic namque est proprius præcipuusque effectus virtutum, servare hominem in omni eventu imperturbatum, ita ut vultus ejus non mutetur amplius in diversa. (I Reg. i, 18.)

Monachus est ordo et consistentia incorporalium in corpore mortali et sordido consummatus.

Climacus ponit hic quinque descriptiones seu notificationes monachi. Infra quoque, gradu vicesimo secundo, ponit alias quasdam, ut ibi Deo præstante patebit. Sunt autem descriptiones istæ pie interpretandæ, atque secundum mentem auctoris accipiendæ; et dantur de monacho secundum supremum suæ perfectionis, et secundum statum suum perfectum.

Itaque quum ait, « Monachus est ordo et consistentia », sumenda sunt nomina ista substantiva, quorum unum est abstractum, pro adjectivis concretis, ut sit sensus : « Monachus est ordo et consistentia incorporalium », id est homo ordinatus et consistens instar invisibilium angelorum, « consummatus » in omni virtute « in corpore mortali et sordido », hoc est in carne mortali immunditiis plena. Quum enim ad omnem pertineat Christianum habere se in omnibus ordinate, decenter, honeste, juxta illud Apostoli, Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis; istud tamen ad religiosos potissime spectat. Propter quod ipsa claustralis religio, observantia seu professio, dicitur ordo. Hinc ad insinuandum quam ordinatissime debeat monachus se habere, potius ait, Monachus est ordo, quam, Monachus est res ordinate se habens. Monachus igitur omnia agere

debet loco et tempore opportunis, cum A omni discretione atque modestia; angelicam quoque vitam ducere debet in terra, actibus quoque vacare cœlestibus ac internis, Deum contemplando, amando, orando, laudando ac jugiter honorando.

Secunda descriptio est : *Monachus est qui solum ea quæ Dei sunt, agit, cogitat et loquitur, Christo unitus omni tempore, loco et negotio.* Si verba ista accipiantur ut sonant et jacent, nulli tam proprie competit ista descriptio monachi sicut Beatis in patria, ut facile est pensare. Rursus, se- B cundum talem verborum istorum acceptionem, omnis homo heroicus et perfectus exsisteret monachus, nec aliquis esset monachus nisi perfectus. Est igitur sensus : « Monachus est » homo religiosus « qui solum agit », meditatur, cupit ac « loquitur » ea quæ Deo sunt placita, ita quod talia solummodo agit ex intentione, quamvis interdum ex humana fragilitate contra suum propositum veniales incidat culpas. Hoc quippe ad monachum maxime pertinet, ut omnes suas cogitationes, affectio- C nes, verba et opera dirigat juxta divinæ legis tenorem et suæ religionis institutionem, omnesque actus suos ex virtutibus et caritate principiet ac producat, atque ad Dei honorem ac beatificum finem ordinet eos; sicque « unitus » sit « Christo » actualiter, aut saltem habitualiter, « omni tempore, loco, negotio ». Nam quamvis impossibile sit defectuositati humanæ actualiter esse unitum Christo in omnibus istis indesinenter, ad hoc tamen monachus infatigabiliter niti debet ut de die in diem D stabilius, frequentius sinceriusque unitus sit Deo, et pro hoc impetrando jugiter oret et suspiret ad Creatorem, exemplo
Ps. xxiv, 15. Prophetæ dicentis : Oculi mei semper ad Dominum. Hinc innotescit, quod monachus assuescere debet levare cor suum ad Deum, non solum in divino Officio, sed item in mensa, in lecto, in labore et studio, in via, in colloquio, imo et in scribendo.

Descriptio tertia est : *Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens :* hoc est, « monachus est indesinens » violentator, fractor seu abnegator sui ipsius seu propriæ voluntatis et affectionum « naturæ » infectæ, « indeficiens » quoque custos « sensuum » suorum externorum et internorum. Spectat namque ad monachum mortificare et vincere in cunctis se ipsum, et coram Altissimo semper esse sollicitum, timoratum et custoditum. Quales ergo sunt monachi, qui sunt oculis vagi etiam in divinis, et incustoditi in sensibus suis ?

Descriptio quarta est : *Monachus est sanctificatum corpus, et expurgatum os, et illuminata mens.* Hæc est descriptio totius integralis per partes suas. Itaque « monachus est sanctificatum corpus », etc., id est, homo habens corpus divino cultui consecratum, a carnalibus inquinamentis mundatum, virtuosis actibus occupatum, habens quoque os a loquacitate et omni excessu verborum purificatum, et mentem illuminatam ad contemplandum divina.

Quinta descriptio est : *Monachus est mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria, exercitans, vigilans et dormiens.* In hac descriptione rursus accipitur pars pro toto, seu principalis pars hominis pro toto homine. Et sumitur hic genus pro specie, utpote anima pro anima rationali : tamen differentia satis insinuatur per verba animam determinantia in descriptione hac ipsa. « Monachus » ergo « est anima » (nam et anima, juxta Philosophum, homo est, maxime suus intellectus; est etiam monachus « anima », id est rationalis creatura seu homo religiosus) « mœrens et dolens » ex jugi « mortis memoria », ita ut in mortis memoria includantur rigor divini judicii, consideratio infernalis purgatoriique supplicii, propriorum quoque attentio peccatorum : non enim est monachi ex sola mortis recordatione mœrere atque dolere, sed in quantum mors est terminus vitæ præsentis, in quo fit peculiare judicium, id est retributio me-

ritorum. Unde ex omnium horum pervigili pensatione debet religiosus assidue conteri, contristari ac pœnitere, id est, sua atque totius mundi peccata deflere, inanes quoque consolatiunculas totis præcordiis detestari : ut dicere queat cum Jeremia,
Jer. xvii, 16. Diem hominis non concupivi; et cum ve-
Tob. iii, 17. nerabili Sara, Nunquam cum ludentibus miscui me, nec cum his qui in levitate ambulant participem me præbui. Verumtamen exercitatio ista pœnitentialis debet discretione ornari, ut vicissim per serenioris conscientiæ itinera ambuletur, et recreatio moderata non aspernetur, ne humani cordis imbecillitas obruatur pondere graviori, quemadmodum in secundo volumine Collationum Patrum plenius edoce-
Collat. xxiv, cap. 20, 21. tur, in collatione Abrahæ anachoretæ.

Denique monachus debet sic esse mœrens ac dolens, « exercitans, vigilans et dormiens », hoc est tam operando quam vigilando et dormiendo. Juxta quem mo-
Deut. vi, 6, 7. dum scriptum est : Erunt verba Domini in corde tuo, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens. Quocirca quæri potest, qualiter valeant ista in somno fieri ac impleri. Et respondendum, quod in homine contemplativo, quieto ac sobrio, ex continuis occupationibus virtuosis ac seriosis in vigilia habitis producuntur frequenter salubres meditationes, imo et profundissimæ ac sincerissimæ considerationes, in somno, præsertim cooperante ad hoc causa superiore, videlicet Deo aut angelo sancto, secundum quod scriptum est :
Job xxxiii, 15, 16. Per somnium in visione nocturna, quando sopor irruit super homines et dormiunt in lectulo, aperit Deus aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.

Postremo, ex præinductis considerationibus monachi solerter penset quilibet nostrum an vere sit monachus. Quomodo enim monachus poterit appellari, qui levis est corde et moribus dissolutus ; qui non custodit os suum, nec silentium diligenter observat ; qui ad exteriora adspirat, aut præesse molitur ; qui corpus suum per immoderantiam gravat, et animam suam somnolentia lædit aut per acediam perimit?

Recessus a mundo et abdicatio mundi, est voluntarium odium laudatæ materiæ, id est mundanæ substantiæ et omnium sæcularium rerum, quas laudant et appretiantur sæculi amatores. Quæ odiendæ sunt sponte, non quantum ad id quod substantialiter exstant atque a Creatore sortitæ sunt, sed in quantum a spirituali profectu impediunt, et sanctæ caritatis puritatem offuscant; et item, respectu ac comparatione boni increati, æterni et infiniti, ac divinorum charismatum. Juxta quem sensum ait Apostolus : Existimo om- *Philipp.* iii, 8.
nia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. *Et abnegatio naturæ propter sortitionem* seu adeptionem *eorum quæ sunt supra naturam :* id est, abdicatio ista est « abnegatio » sui ipsius, seu reformatio naturalium affectionum, vel derelictio bonorum « naturæ », intuitu et amore obtinendi supernaturalia bona, utpote dona gratiæ in præsenti et munera gloriæ in futuro, quæ incomparabiliter præstantiora sunt bonis naturæ atque fortunæ. Idcirco qui bona ista naturæ præferunt donis supernaturalibus gratiæ ac virtutum, vitio puerilitatis, quod dono sapientiæ opponitur, seducuntur, et vere ac miserabiliter pueriles ac stolidi nuncupantur. De quibus ait Scriptura : Stultorum infinitus *Eccle.* i, 15.
est numerus. Pro quibus semper orare debemus et sollicitari, ne et nos in eorum catalogo deputemur. Propterea monet Apostolus : Nolite pueri effici sensibus. I *Cor.* xiv,

[illegible] id est divitias, delicias, honores, vanitates, prosperitates et libertates sæculi hujus, [illegible]

Hic tangitur triplex motivum seu causa et ratio abrenuntiandi et bene agendi. Pri

ma est desiderium regni cœlestis seu amor A præmii : unde ait, « propter futurum regnum ». Secunda est timor supplicii seu quævis adversitas : unde subjungit, « aut propter multitudinem peccatorum », hoc est ex consideratione pœnarum quas quis se promeruisse attendit per vitia sua. Si quis autem reliquerit mundum ac pristina vitia ex ipsa detestatione et abominatione suorum excessuum, propter enormitatem et turpitudinem eorum in se, et in quantum sunt Deo contraria ejusque offensiva; hoc pertinet magis ad tertiam causam, de B qua subditur, « aut propter caritatem in Deum », hoc est ex pura dilectione ad Deum et zelo divini honoris, ut scilicet Deum perfectius veneretur, cordialius amplectatur, sincerius atque frequentius contempletur, ac amet ardentius. Et istud est perfectorum et filiorum ac amicorum, qui non intuitu proprii præmii, nec horrore tormenti, sed ex puro, irreflexo et non reciproco amore divino, ad Deum et vitam religiosam conversi sunt, ac Domino serviunt. Et isti a perfectione quodammodo C inceperunt. Inter quos fuerunt B. Antonius, Benedictus, Augustinus, Bernardus, et alii quidam desuper gratiosissime mirabiliterque præventi.

Porro ex solo desiderio præmii aut solo timore supplicii mundum relinquere et facere bona ex genere, non est meritorium apud Deum, sed ad mercenarios et servos serviliter metuentes id pertinet : nil enim est meritorium vitæ æternæ nisi procedat ex caritate. Si vero fiat partim ex Dei amore, et partim ex affectu D mercedis seu timore damnationis aut ex quacumque adversitate; meritorium est. Affectio etenim caritatis, quantumcumque sit parva, major et fortior est omni alia affectione. Nam et minima caritas plus diligit Deum, quam maxima cupiditas mundum : plus, inquam, appretiative et elective, quamvis non intensive. Præterea, si quis ex solo desiderio præmii aut solo horrore tormenti mundum relinquat, postmodum tamen proficiat, et ex caritate prosequatur quod ex naturali affectione aut fide informi exorsus est; nil obest eidem sic incepisse, nec a perfectione impedit eum. Nam et Paulus primus eremita, ex timore pœnarum reliquit mundum; et abbas Moyses ex simili causa occasionem conversionis accepit. De hac materia diffuse habetur in primo Collationum volumine. *Si vero nulla prædictarum intentionum sit in illis, irrationabilis exstitit recessus eorum,* id est, si non reliquerunt mundum ex aliqua trium causarum nunc prætactarum, irrationabiliter recesserunt a sæculo ad vitam monasticam.

Verum qualis invenietur finis seu terminus *vitæ nostræ, talis suscipietur a Jesu Christo bono positore nostrorum agonum,* hoc est, Christus qui est bonus institutor et judex nostrorum certaminum, talem judicabit finem nostrum seu terminum vitæ nostræ, qualem invenerit eum : imo tales judicabit nos ipsos, quales invenerit nos in fine vitæ nostræ, puta in morte. Si enim invenerit nos tunc in caritate seu statu salutis, salvabit nos in æternum, statim aut post debitam purgationem. Si autem invenerit nos tunc in aversione a Deo seu in culpa mortali, æternaliter nos damnabit. Nempe in illa dispositione seu affectione permanet anima sine fine, in qua terminat vitam hanc et recedit a corpore. Propter quod Salomon ait : Ubicumque ceciderit lignum, ibi erit, *Eccle.* XI, 3.
sive ad austrum, sive ad aquilonem. Damascenus quoque disseruit : Quod angelis est ruina, hoc hominibus mors. Et Augustinus : Talem (inquit) unumquemque inveniet novissimus dies, qualem eum invenerit suus ultimus dies. Tanto ergo timoratiores et humiliores esse debemus, quanto plus ignoramus quales in ultimo vitæ hujus instanti reperiemur. Unde hortatur Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. I *Cor.* X, 12.
Habemus autem indesinentem agonem sive luctamen contra hostes nostræ salutis. De quo loquitur Paulus : Non coronatur II *Tim.* II, 5.
nisi qui legitime certaverit; et rursus : I *Tim.* VI, 12.
Certa bonum certamen fidei. Quod certa-

men Christus instituit, qui præcepit nobis reluctari hostibus nostræ salutis.

Qui egressus es de mundo ad dispergendum ac destruendum pondus peccatorum tuorum, imitare eos qui extra civitatem ante sepulcrum sedent, hoc est, ita deplange mortem animæ tuæ seu vitia tua, quemadmodum illi deplorant corporalem mortem carorum ac propinquorum suorum. Imo quo mors animæ exstat deterior ac periculosior morte corporea, eo amplius est deflenda. Propter quod loquitur Augustinus : Annon sunt in te viscera pietatis christianæ, ut deplores corpus a quo recessit anima, et non lugeas animam a qua recessit Deus ? Hinc subditur : *et non cesses a calidis et ignitis lacrimarum guttis, nec ab ejulatibus cordis absque voce, quousque et tu videas Jesum Christum venientem et revolventem* seu deponentem *lapidem cæcitatis cordis, et liberantem Lazarum, utpote mentem tuam, a peccatorum vinculis, et jubentem angelis suis ministris : Solvite istum a passionibus et peccatis, et sinite abire ad beatam impassibilitatem,* hoc est ad perfectam reformationem a motibus passionum. *Si vero non sic,* id est, si ita non egeris, *nihil proficies.* Hoc videtur esse metuendum ac arduum verbum, quum perpauci videantur hæc observare.

Denique loquitur auctor hic parabolico modo, sumens hunc modum loquendi ex
Joann. XI, 31. evangelio Joannis, ubi leguntur Maria Magdalene et Martha sedisse ante sepulcrum fratris sui Lazari, et flevisse ibidem quo-
Ibid. 38-44. usque Christus venit ad eas, et jussit lapidem tolli a monumento, suscitavitque Lazarum, et dixit Apostolis : Solvite eum et sinite abire. Quo facto, sorores ejus cessaverunt a lacrimis, et consolatæ sunt vehementer. Sic ergo religiosus debet se ipsum deflere et cordialiter lamentari (instar di-
Ps. XXXVII, 9. centis : Afflictus sum et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei) quousque videat, id est, per consolationem internam et gratiæ operationem experiatur et spiritualiter contempletur, « Christum » sibi « venientem » per vitiorum suorum remissionem, sicque « revolventem » a corde suo « lapidem cæcitatis » suæ mentalis. Qui lapis est cordis duritia, consuetudo prava, et quæcumque culpa mortalis, qua quasi saxo gravissimo premitur anima. Jubet autem Salvator « angelis » sanctis ut solvant nos : quoniam angeli, Deo præcipiente, cooperantur nostræ saluti ; et animas nostras illuminando, consolando ac roborando, solvunt eas a reliquiis vitiorum atque immoderantiis passionum, ita ut currant alacriter ad reformationem completam. Possunt quoque per angelos intelligi sacerdotes, qui confitentes absolvunt ex instituto di-
vino : nam sacerdos dicitur angelus Domi- Malach. II, 7.
ni exercituum in Malachia propheta. Porro qui aqueas lacrimas nescit effundere, igneas fundat spiritualiter lacrimando.

Quicumque ex Ægypto et Pharaone exire et fugere volumus, id est, de hoc sæculo nequam, et principe iniquorum diabolo per Pharaonem designato, egredi affectamus, *penitus indigemus Moyse aliquo mediatore ad Deum,* puta prælato ac duce qui sit mediator inter Deum et nos, secundum quod Moyses dixit ad filios Israel,
Ego sequester et medius fui inter Deum Deut. V, 5.
et vos : *[illegible] pro nobis exsistens actu et theoria,* id est operatione et contemplatione, præcedendo et dirigendo nos per utrumque, *manus extendat ad Deum,* orando pro nobis, *ut sub ejus ducatu transeamus recte mare peccatorum,* id est, inquietudinem ac abundantiam vitiorum evadamus sine obliquitate iniquitatis, eundo semper per regiam viam, *et Amalec passionum,* id est impugnationes ac impetus irrationabilium motuum [illegible] oratione ac ope nostri rectoris, quem-
admodum filii Israel superaverunt Ama- Exod. XVII,
lec Moyse extendente manus ad Deum pro eis.

[illegible] Tales enim voluerunt esse

magistri antequam fuerint discipuli, et a se ipsis discere præsumpserunt modum et artem vitæ spiritualis, monasticæ ac internæ, et qualiter contra invisibiles dimicandum sit hostes atque compendiosius proficiendum, quum tamen ad ista requiratur peritia, illuminatio et exercitatio maxima. Hinc sancti Patres dixerunt, neminem debere ad vitam anachoreticam solitariamque procedere, nisi prius bene exercitatus et reformatus esset in claustro. Verumtamen quidam ex singulari gratia sine humano ducatu in solitudine perfectionem adepti sunt : qui tamen in se ipsis nullatenus confidebant.

Hebr. III, 16. *Et filii Israel exeuntes de Ægypto habuerunt Moysen ducem ; exeuntes vero* Gen. XIX, 16-17. *de Sodomis,* videlicet uxor Lot ac filiæ ipsius, *habuerunt angelum ducem. Et primi assimilantur eis qui a spiritualibus passionibus sanantur per curam et studium medicorum.* Hoc est, filii Israel ex Ægypto educti sumuntur ad figurandum ac designandum eos qui curantur a spiritualibus vitiis quibus impugnantur, videlicet a superbia, vana gloria, invidia, tristitia : curantur, inquam, per piam diligentiam ac conatum prælatorum suorum, qui habent se circa ipsos condescendenter et compassive, ut medici pii, non injungendo eis tam arduas abstinentias atque vigilias, ne ex eis amplius extollantur majorique gloria vana pulsentur. Unde ut recitat Cassianus, sancti Patres et Fratres in Collat. VIII, cap. 1. eremo infuderunt unam olei guttam suo cibo ad repellendum vanam gloriam de abstinentia duriori. *Et isti sunt qui ex Ægypto egrediuntur,* id est, hi præfigurati sunt per filios Israel de Ægypto egressos : nam et hi de hoc sæculo quasi de Ægypto exire dicuntur. *Secundi vero assimilantur his,* id est, egressi de Sodomis accipiuntur ad designandum eos, *qui desiderant exspoliare immunditiam corporis adversantis,* id est, se ipsos expurgare conantur a passionibus et vitiis carnalibus, scilicet gula, luxuria, avaritia, et eis annexis. *Propter quod indigent duce angelo,* puta viro angelico præsidente, qui per rigorem abstinentiæ austeritatemque vitæ et corporis mortificationem doceat eos vitia illa penitus exstirpare. *Secundum enim corruptionem plagarum indigemus artifice et medico magis perito,* id est, quo gravius corrupti et læsi sumus in anima, eo plus indigemus prælato ac duce magis exercitato, discreto ac virtuoso : quemadmodum etiam ad sanandum graviora corporis vulnera requiritur in medico major peritia.

Sed contra hæc objici potest, quoniam vitia spiritualia sunt graviora quam carnalia, loquendo in genere, ut ait Gregorius : ergo ad exstirpanda spiritualia vitia requiritur prælatus magis angelicus et perfectus. Rursus, experientia docet, quod religiosus multo facilius celeriusque curatur ab omni avaritia, quam a vana gloria, elatione atque pigritia, ut etiam in Collationibus Patrum habetur. — Et respondendum, quod quamvis ista sint vera, nihilo minus passiones gulæ et luxuriæ ita inviseratæ et naturales sunt homini, quod difficillimum est eas plene et integre reformare. Nam et vis concupiscibilis est magis infecta in homine quam irascibilis et rationalis. Religiosus quoque vitio avaritiæ semel corruptus, valde difficulter curatur ab eo, ut in Collationibus dicitur.

Violentia vero et continuis laboribus et doloribus egent, qui cum corpore cœlum intrare conantur, id est, qui carne circumdati conantur contemplari cœlestia, et conversationem habere in cœlis, atque in terris angelicam ducere vitam, *et præsertim in procemiis* seu exordio *abrenuntiationis ipsorum, quousque mos noster amator concupiscentiarum et concupiscibilium, et cor sine dolore, convertantur per luctum efficacem in divinum amorem et sanctificationem,* id est, pristinus noster affectus quo assueti sumus concupiscibilia hujus mundi et carnis appetere, « et cor » nostrum quod « sine » salubri compunctionis « dolore » est, impleantur spirituali amore et puritate interna : ad quod « per

luctum efficacem » pertingitur : lacrimosæ A etenim preces sunt maximæ virtutis, et omnia impetrant a piissimo Domino.

Augustia namque et vere angustia est et multa invisibilis amaritudo, potissime conversantibus negligenter, donec canem, videlicet intellectum nostrum, immunde amantem macellum et cibos, fecerimus amatorem casti et cujuscumque visitationis, per simplicitatem et profundam inirascibilitatem et sollicitum studium. Hoc est : Magna valde pressura et amaritudo interior inest nobis adhuc imperfectis, et B maxime negligentibus, quousque « intellectum nostrum » instar canis assuetum amare delectabilia carni et consentire superfluis ac immundis, « fecerimus amatorem » castitatis ac puritatis, ac cujuslibet « visitationis », id est tribulationis et castigationis, seu correptionis et correctionis : quod fit per hoc quod damus nos ad columbinam « simplicitatem » et « profundam » mansuetudinem, et ad « sollicitum studium » circa spiritualia ac divina. Qui enim carnalia appetunt, frequenter sunt C duplices corde, atque per quasdam versutias quærunt ea adipisci : quæ si desint, faciliter irascuntur, et indignantur etiam superioribus suis. Tales quoque præferunt bonum delectabile et propria commoda bono honesto, refugiuntque pro suis excessibus visitari et corripi ac puniri, et potius student circa appetibilia quam circa sua salubria et interna.

Incipientibus ergo via salutis et observantia regularis angusta et amara videtur, præsertim si negligentes exsistant, quo- D usque per præfatas virtutes, puta simplicitatem et mititatem et exercitationem spiritualem, mens eorum transformetur in affectum boni honesti, et delectetur in his quæ saluti suæ veraciter prosunt. Interea constat, quod quanto quis occupat se intensius ac frequentius circa divina et interiora, tanto minus curat carnalia. Unde Hieronymus dixit : Ama studia Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Quum enim quis in spiritualibus delectatur et per assuefactionem illis ex corde afficitur, sensualia detestatur. Hinc sancti viri, Bernardus, abbas Pastor, et alii multi, iverunt ad corporalem refectionem quasi ad carcerem.

Verumtamen confidamus nos vitiosi et sine virtutibus. Verba hæc implicare videntur : qui enim est vitiosus et sine virtutibus, quamdiu talis est, non potest confidere, sicut hic dicitur. Est itaque sensus : « Nos vitiosi et sine virtutibus », hoc est nos imperfecti et in virtutibus defectuosi, carentes perfectis virtutibus, non desperemus, sed « confidamus » in pietate divina. *Offerentes Christo Jesu cum fide constanti et indubitanti, dextera manu nostra,* id est virtute salubriter operativa, seu practico intellectu per fidem et gratiam informato, *nostram infirmitatem et animalem impotentiam nostram,* hoc est pronitatem nostram ad vitia infectionemque fomitis et difficultatem ac tarditatem ad opera virtuosa, *et confitentes* easdem humiliter, tam confessione sacramentali quam accusatione propriæ calamitatis ac perversitatis assidua. *Et omnino ipsius adjutorium etiam supra nostram dignitatem reportabimus,* id est, sic agendo obtinebimus auxilium gratiæ Dei ultra merita nostra : Deus enim per infinitam suæ pietatis ac liberalitatis plenitudinem, inæstimabiliter transcendit supplicantium vota ac merita. Hanc ergo « nostram infirmitatem et impotentiam » debemus Christo offerre « fide constanti », non quasi munus acceptum aut hostiam ei placentem, sed debemus eas ei offerre, hoc est præsentare, considerando, confitendo ac deplorando easdem cum fide certissima impetrandi misericordiam et gratiam Salvatoris. Quemadmodum sanctus Job : Vias tamen meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. 16.
Et Psalmista : Delictum quoque meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi ; dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei.

In verbis autem præhabitis [illegible]

ex humilitate connumerat se imperfectis A et defectuosis, quum tamen perfectus esset virque heroicus seu divinus. Juxta
Is. LIII, 6. quem modum loquitur Isaias : Omnes nos quasi oves erravimus ; Esdras quoque :
I *Esdr.* IX, 6. Peccata (inquiens) nostra creverunt usque ad cœlum.

Cognoscant omnes accedentes ad hunc agonem pulchrum, arctum, et durum et levem, quod advenerunt insilire in ignem, si tamen recipiunt ignem immaterialem habitare in se ipsis. Per « agonem » intelligit spiritualem militiam, seu abrenuntia- B tionem mundi et conversationem monasticam, quæ est gravis pugna contra hostes humanæ salutis. Qui agon dicitur pulcher, quum sit virtuosus, virtute autem nihil pulchrius est; et arctus seu strictus, quia consistit in medio, a quo non declinare exstat difficile; ac durus, quia incipientibus ac pusillis est sæpe laboriosus : perfectis autem ac fervidis est levis, dulcis ac
Matth. XI, 30. facilis, quemadmodum ait Christus, Jugum meum suave est, et onus meum leve. Qui ergo agonem istum aggrediuntur, sciant C se ad hoc venire ad ipsum, ut « in ignem » insiliant, id est, tribulationes et tentationes sustineant, jugiterque sanctis exerceantur laboribus. De quo igne ait Do-
Zach. XIII, 9. minus per Zachariam : Ducam eos per
Ps. LXV, 12. ignem ; et Psalmista : Transivimus (ait) per ignem et aquam. Venerunt quoque « insilire in ignem », hoc est ardorem concupiscentiæ impugnare et aggredi ad exstinguendum eumdem. Rursus, venerunt « insilire in ignem », utpote, ad hoc ut divini amoris fervori se ingerant, et absor- D beantur in Deum, de quo ait Scriptura :
Hebr. XII, 29. Etenim Deus noster ignis consumens est. Hoc itaque sciant, « si tamen recipiunt », admittunt seu credunt, « immaterialem ignem », de quo ista intelliguntur, « habitare » et residere « in se ipsis ». Unde af-
Luc. XII, 49. firmat et Dominus : Ignem veni mittere in terram.

I *Cor.* XI, 28. *Probet autem unusquisque se ipsum,* id est, discutiendo conscientiam suam et experiendo vires proprias sese probatum exhibeat; *et sic edat de pane ipsius,* id est, exercitiis hujus agonis reficiat mentem suam, *cum lactucis agrestibus,* id est du- *Exod.* XII, 8.
ris et asperis disciplinis ac pœnitentiæ actibus; *et ex calice ipsius bibat cum lacrimis,* id est, poculo hujus agonis utatur cum fletu salubri, juxta id Psalmi : Pocu- *Ps.* CI, 10.
lum meum cum fletu miscebam. Poculum autem hujus agonis est consolatio spiritualis annexa actibus bonis, propter quam agon hic dicitur levis ac dulcis : quæ consolatio temperanda est miscendaque fletui, ut in die bonorum memores simus *Eccli.* XI, 27.
malorum, nec unquam inaniter resolvamur. *Ut non sibi ipsi in judicium militet,* hoc est, ne graviorem damnationem incurrat ex hoc quod agonem istum aggressus est, in quo non dimicavit viriliter, sed acediæ, negligentiæ ceterisque peccatis succubuit. Nam ut beatissimus princeps Apostolorum testatur : Melius erat non co- II *Petr.* II, 21.
gnoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Dum ergo religiosus corripitur, castigatur, despicitur, subsannatur, laborat, esurit, sitit, lassatur, et multipliciter tribulatur ; nequaquam deficiat aut frangatur, nec pusillanimis fiat, sed cur venerit penset, impleatque quod Jacobus docet apostolus : Omne gau- *Jacob.* I, 2.
dium existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis.

Si non omnis qui baptizatur, salvatur; quod sequitur tacebo. Quum scriptum sit, Multi sunt vocati, pauci vero electi; con- *Matth.* XX, 16; XXII, 14.
stat quod eorum qui baptizantur major pars pereat. Sed quid sequitur inde? Et cur auctor tacuit illud? Certe inde elici potest, quod non omnes salvantur qui spiritualem agonem accedunt religionemve intrant, sed qui in ea digne proficiunt et perseverant usque in finem. Quod ideo *Ibid.* XXIV, 13.
tacuisse videtur, ne forte averteret quemquam a religionis proposito. Vel tacuit hoc, quoniam satis elici potest ex dictis; sive ut nobis relinqueret considerationis diligentioris occasionem.

Omnia abnegabunt, omnia contemnent, deridebunt, excutient accedentes, ut bo-

num jaciant fundamentum : id est, qui ad vitam religiosam accedunt, ut in ea bene se fundent et digne incipiant, debent abnegare, contemnere, deridere atque abjicere omnia ista terrena, et quidquid adversatur eorum profectui ac saluti, ut in vera paupertate, obedientia, humilitate, et mortificatione propriæ sensualitatis ac voluntatis se fundent.

Pulchra et bona et triangularis est domus, id est, spiritualis structura quam cupit religiosus ædificare in anima sua ut in ea Spiritus Sanctus moretur, « est pulchra » decore virtutum, « et bona », quia Deo accepta, « et triangularis » ad laudem et gloriam superaltissimæ Trinitatis, secundum quod tres columnæ quibus fulcitur et innititur, sunt in ea. Unde subjungitur, *et trium columnarum fundamentum,* id est, fundamentum domus istius est « fundamentum trium columnarum », quæ in ea figuntur; et sunt : *innocentia, jejunium humile, et castitas.* Oportet enim in primis ad innocentiam quamdam reverti, imo ad baptismalem innocentiam suo modo redire, ut nemini noceat homo verbo aut facto, imo omnibus prosit pro posse, orando, exemplariter conversando, bonam famam habendo, et item loquendo loco et tempore opportuno sicut oportet et expedit. Hæc « innocentia » valet contra concupiscentiam oculorum ; « jejunium humile », contra superbiam vitæ ; « castitas », contra concupiscentiam carnis.

Omnes in Christo parvuli, id est pusilli et imperfecti, *per ista innituntur,* hoc est, vitam religiosam incipient a fundamento prædicto et a tribus istis columnis, ut in primis studeant se ipsos et omnia sua veraciter abnegare, deinde nulli nocere, humiliter abstinere, concupiscentias penitus refrenare. Hic namque funiculus triplex rumpitur difficulter. *Eccle. iv, 12.* *Parvulos sensibiles in exemplum sumentes,* id est, a corporaliter infantulis accipientes exemplum. Quod et Christus facto et verbis docuit esse agendum, qui advocans parvulum, statuit eum in medio discipulorum, dixitque : *Matth. xviii, 2, 3.* Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *In parvulis enim nulla crudelitas, nulla duritia, nulla fraus invenitur, non insatiabilis appetitus, non insaturabilis venter, non corpus libidinosum aut furens ; sed juxta appositionem escarum crescunt et calorem assumunt.* In his ergo proprietatibus debemus eis assimilari ; et quanto frequentius sacramentis Christi reficimur, eo plus proficere in magnitudine perfectionis ac spirituali fervore debemus.

Odibile vere et valde periculosum est, eum qui certat contra adversarios suæ salutis, *evacuari* virtutibus *statim a principio sui certaminis, et universis hostibus animæ suæ dare arma propriæ occisionis.* Hoc dicitur contra eos qui cito resiliunt a bono incepto. De quibus in Evangelio ait Salvator, quod radices non habent, *Luc. viii, 13.* quia ad tempus credunt seu bene agunt, sed tempore tentationis deficiunt. Idcirco hortatur Apostolus : Non fatigemini, animis vestris deficientes ; nondum enim *Hebr. xii, 3, 4.* usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Unicuique talium irrisorie dicitur : Quia hic homo cœpit *Luc. xiv, 30.* ædificare, et non potuit consummare.

Utilitas nobis est omnino ex firmo principio, etiam in eo quod est post evacuationem : hoc est, post tepefactionem et lapsum provenit nobis utilitas ex hoc quod semel ferventer fortiterque incepimus Deo servire. Quod qualiter verum sit, consequenter exponitur.

[illegible] ad tempus, [illegible] seu tepide [illegible] *rans, a memoria prioris sollicitudinis* [illegible], id est ex recordatione pristinæ diligentiæ suæ atque fervoris meditatur ad emendandum se, et ad hoc ut conetur redire ad primum fervorem. Unde in Apocalypsi dicitur homini tali : Memor esto unde excideris, et pœnitentiam age et prima opera fac. Hinc in Vita patrum legitur de quodam fratre evacuato, quod ad mentem rediens, dixit :

Quando inveniam me talem qualis aliquando fui, videlicet tam alacrem et ferventem? Hoc figuratum est per id quod sanctus Job dixit : Quis mihi det ut sim juxta pristinos menses, quando Deus secreto erat in tabernaculo meo? Verumtamen in se valde malum est a primo fervore corruere, juxta illud in Apocalypsi : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Imo interdum valde difficile est a tali tepore ad fervorem redire, secundum quod dicitur ad Hebræos, Impossibile est eos qui semel sunt illuminati et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam : ubi impossibile, pro difficili secundum unam expositionem accipitur. Verum Deus misericors electos suos sic lapsos non deserit, sed reducit. De quibus subjungitur :

(*Job* XXIX, 2, 4. — *Apoc.* II, 4. — *Hebr.* VI, 4, 6.)

Propter quod et ex hoc, id est ex recordatione prioris diligentiæ suæ, *quidam renovaverunt se ipsos quasi pennis et alis,* redeundo (ut dictum est) ad id unde exciderant, per orationes et compunctiones, per quas volaverunt ad illum primævum ardorem quasi per pennas et alas. *Erant enim sicut aquilæ, quæ dicuntur pennas projicere,* id est antiquas pennas deponere. Istud est renovari in interiori homine, juxta quod scriptum est : Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

(*Ps.* CII, 5.)

Quando anima semetipsam prodens, id est, vane ostentans aut jactans, *perdit calorem superamabilem et beatum,* utpote caritatis ardorem, seu Spiritum Sanctum infinite amabilem, qui est caritas ipsa, tuncque amittitur, quando qui habet eum peccat mortaliter; *quærat diligenter qua causa ipso privatur,* hoc est, solerter consideret pro qua culpa aut per quam occasionem perdidit hunc calorem, *et contra illam* causam *reassumat totum laborem et desiderium, pugnam et sollicitudinem,* vitando de cetero talem causam cum omni labore et affectu, pugna et cura. *Non est enim possibile ipsam animam reverti per aliam portam nisi per quam exivit.* Porta ista est cor, de quo exeunt bona et mala. Sicut ergo per incustodiam cordis exitur a Deo et peccatur, ita per cordis diligentiam ad Deum reditur, et quod amissum est recuperatur. Propter quod loquitur Isaias : Redite, prævaricatores, ad cor; Salomon quoque : Omni (inquit) custodia serva cor tuum. Vel porta ista est os, per cujus insipientem locutionem peccatum ostentationis incurritur, et per oris refrenationem ac humilem confessionem, virtus amissa rursus acquiritur.

(*I Joann.* IV, 16. — *Is.* XLVI, 8. — *Prov.* IV, 23.)

Qui ex timore abrenuntiationem facit, comparatur quasi ardenti incenso, in principiis suæ conversionis *ex bono odore initians.* Iste bonus odor ex quo initiantur seu inchoantur opera bona, est consideratio sive perceptio rigoris divini judicii ac æternalis supplicii : qui odor procedit ex timore de quo loquitur modo. Loquitur autem nunc de timore pure servili : ex quo potest quis magna quædam peragere etiam cum fervore, non utique caritatis, sed cujusdam naturalis affectionis. Propter quod ita renuntians assimilatur « ardenti incenso ». Sed nisi quis ex tali timore proficiat ad timorem initialem et filialem, tandem cadit et deficit a bono incepto, ac perit : ideo subditur, *ultimo vero in fumum desinens,* id est, tandem finem accipiens in fumo negligentiæ ac torporis et culpæ.

Qui vero spe mercedis facit abrenuntiationem, molendinum asinarium constituitur semper similiter motum, id est, tali molendino assimilatur : nam sicut molendinum illud assidue circumfertur uniformiter propter quæstum seu lucrum, ita iste intuitu præmii sui movetur ad opera bona, permanens in eodem, neque proficiens, nisi ad caritatem ascendat.

Qui ex caritate divina recessum facit, id est, mundum relinquit, *confestim possidet ignem in prooemiis,* id est, in exordio suæ abrenuntiationis habet ignem ferventis devotionis; *et missus in anteriora, succendet vehementiori combustione velut silvam,* id est, « in anteriora » et viciniora saluti extendens se ipsum, amplius incale-

(*Philipp.* III, 13.)

scet, et intensiori flamma amoris consumet A quotidiana peccata, atque præteritorum vitiorum delebit reatum, quemadmodum Salomon ait : Universa delicta operit caritas. Prov. x, 12.

Sunt quidam ædificantes super petras latericias; et sunt alii qui super terram firmaverunt columnas; et sunt qui ambulantes modicum iter pedestre, peragrarunt velocius, confotis nervis eorum et artubus. Qui intelligit, intelligat : verbum symbolicum est, id est similitudinarium et obscurum : idcirco difficile est certitudinaliter scire quid auctor intellexerit B per hæc verba.

Porro Christo testante, agnoscimus quod Matth. vii, 24, 25. sapientis sit ædificare supra petram lapideam, quæ non cito frangi potest neque resolvi. Petra autem latericia grave pondus diu ferre non potest, quamvis videatur pulchra ac dura. Idcirco per ædificantes super hujuscemodi petram, possunt intelligi qui opera excellentis virtutis exercent, et contemplari conantur, quum non sint in vera ac solida humilitate atque in plena patientia satis bene fundati : idcirco C dum irruit super eos tentatio gravis, aut tribulationum et injuriarum tempestas, vincuntur. Porro « qui super terram firmaverunt columnas » ferreas, possunt intelligi qui solitariam et anachoreticam vitam aggrediuntur et exsequuntur ad tempus, quum non sint in congregatione sufficienter exercitati, fracti, et obedientiæ jugo subjecti : qui dum excellentissima opera super terrenum ac debile fundamentum construere non verentur, ab invisibilibus hostibus prosternuntur. Qui vero ambulant D omni die « modicum iter pedestre », sunt qui in monasteriis sub obedientia humiliter vivunt, et faciunt quod ipsis injungitur ; sicque « velocius » pertransierunt viam præsentis exsilii, « nervis et artubus » seu membris « eorum confotis », id est viribus virtutibusque eorum confortatis et inflammatis per gratiam et ardorem Spiritus Sancti. Hi enim securius ambulant, et frequenter pertingunt celerius ad bravium supernæ vocationis.

Prompte curramus, tanquam a Deo et rege nostro Christo Jesu vocati, id est, ferventer ac festinanter tendamus ad nuptias Sponsi cœlestis. Ad quod incitare nos debet : primo, dignitas invitantis. Propter quod ait : « tanquam vocati » seu invitati « a Christo », qui est Deus et rex noster. Secundo, tantæ beatitudinis magnitudo. Tertio, incertitudo ac brevitas vitæ præsentis. Unde subjungitur : *ne forte paucorum dierum exsistentes,* id est, modico tempore hic viventes, *inveniamur steriles et sine fructibus in die mortis.* Hoc est quod ait Salvator : Vigilate, quia Matth. xxv, 13. nescitis diem neque horam. Quarto, pondus annexi periculi si negligentes fuerimus. Ideo subditur : *et fame intereamus,* id est, ex defectu virtuosorum operum, quibus reficitur anima, condemnemur. Propterea in Ecclesiastico scriptum est : Ante [illegible] 17. obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibos.

Beneplaceamus Domino sicut milites regi, hoc est, Deo placere conemur sicut decet milites ad hoc niti ut placeant suo regi, præsertim Regi huic altissimo. Hinc dicitur ad Hebræos : Serviamus Deo pla- [illegible] 28. centes, cum metu et reverentia. *Post militiam enim requiritur a nobis diligens servitus,* id est, postquam mancipavimus nos Deo et professi sumus christianam militiam, exigit Deus a nobis ut ei diligenter obsequamur. Etenim maledictus est Jer. xlviii, 10. qui facit opus Dei negligenter. Et unusquisque secundum exigentiam suæ vocationis debet digne Deo ambulare seu conversari. Et præsertim requirit Deus a religiosis ut ei puram ac fervidam exhibeant servitutem : cui enim plus datum Luc. xii, 48. est, plus requiretur ab eo.

[illegible] id est non minus timeamus Deum [illegible] quam timemus [illegible] ac [illegible] timore servili ; quod multi non faciunt. De quibus adjicitur : *Vidi enim* [illegible]

um : et quod timor Dei non fecit, hoc A *timor potuit bestiarum :* nam timor Dei non refrenavit eos a præda, sed timor canum. Hinc sanctus Job fassus est : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. (*Job* xxxi, 23.) Itaque qui solus exsistens habet se negligenter et pigre, multaque facit illicita quæ coram hominibus non patraret, convincitur homines magis timere quam Dominum majestatis : quod quam vile ac miserum sit, quis possit exprimere?

Amemus Deum sicut amamus et honoramus amicos. Certum est quod teneamur B Deum incomparabiliter plus amare quam nos ipsos et ceteros universos ; sed ad quem sensum auctor dixerit verbum istud, pandit subdendo : *Vidi enim quosdam Deum sæpius contristantes,* id est, graviter offendentes, ita quod quasi per modum contristati se habuit, *et de hoc nihil curantes; et vidi eosdem exacerbantes suos dilectos aliquo minimo verbo, et apposuerunt omnem industriam, sollicitudinem, intentionem, tribulationem* seu laborem, *et omnem confessionem, per se ipsos, per* C *amicos et propinquos, et dona dederunt, ut reducerent eos quos offenderant ad caritatem antiquam* seu pristinam. Ita ergo et nos debemus Deum diligere, ut quum offenderimus eum quantumlibet modice, mox conemur eum placare omni modo jam tacto. Sed heu, quanta, imo quam infinita est imperfectio, defectuositas, miseria, ingratitudo, negligentia et perversitas nostra, qui omnipotentem Creatorem non ita timemus, diligimus, veneramur, curamus, sicut timemus, amamus, hono- D ramus atque curamus homines similes nobis defectuosos!

In principio abrenuntiationis operamur virtutes penitus cum labore et violentia et amaritudine : quod contingit propter reliquias pristinorum vitiorum, quæ manent in nobis post conversionis initium quousque per exercitationem assiduam et assuefactionem ad bona eis contraria exstirpentur. Porro se ipsum sic frangere, reformare, et proprias voluntates ac passiones mortificare, vocatur hic violentia et amaricatio quædam. *Proficientes vero, deinceps sine tristitia sumus,* id est, bona agimus sine mœrore ac tædio aggravante. Salutarem vero ac ordinatam tristitiam nunquam debemus abjicere, quum Salomon dicat, Cor sapientium ubi tristitia; (*Eccle.* vii, 5.) et Salvator, Beati qui nunc fletis. (*Luc.* vi, 21.) *Quamvis in ipsis* virtutibus *modicum contristati afficiamur.* Proficientes enim non sunt adhuc tam integre alieni a difficultate præfata atque tristitia sicut perfecti : idcirco in bonis quæ agunt, interdum afficiuntur aliquali tristitia. *Quando vero voluntas et nostrum mortale sapere conculcatur et absorbetur et potestative subjicitur a promptitudine exsistente in nobis,* id est, postquam jam didicerimus conculcare et abnegare in omnibus propriam voluntatem sapientiamque carnalem seu proprii sensus immansionem, et absorpta seu exstincta hæc fuerint ac potenter victa a fervore et alacritate exsistente in nobis; *tunc de cetero operamur virtutes cum omni gaudio et sollicitudine* spirituali *et desiderio et igne cordis, et cum flamma divina.* Habitus enim seu consuetudo est quasi altera natura; et quando natura perfecte subjecta est gratiæ, tunc sine resistentia et sine inclinatione ad oppositum exsequimur actus virtutum : nam et virtus ex sua natura delectabilis est ac dulcis, quum sit habitus rationi et naturæ bene dispositæ consentaneus.

De hac re multa habentur in Regula S. Benedicti, atque in Homiliis Eusebii Emiseni episcopi. Hinc religiosus fervens ac diligens, etiam in præsenti sortitur pro parte præmium fervoris ac diligentiæ suæ : quoniam cum ingenti alacritate et gaudio agit quæ Ordinis sunt, et cum hoc multo plus promeretur quam imperfectus et piger eadem agens cum angustia et labore.

Quantum laudabiles sunt qui operantur virtutes cum gaudio et promptitudine statim a principio suæ conversionis, et mandata tam Dei quam superiorum suorum *perficiunt :* quod quibusdam ex spe-

ciali gratiæ præventione conceditur, quibus A etiam valde necessaria exstat discretio, ne per immoderatam corporalem exercitationem destruant corpus suum et caput suum debilitent; *tantum miserabiles sunt qui diu immorati in obsequio Dei, adhuc cum labore gradiuntur per exercitia cultus divini, et cum labore eadem exsequuntur.* Hoc equidem signum est, quod modicum profecerunt et diu negligentes fuerunt. Quod si isti rite tam « miserabiles » appellantur, quam miserabilissimi sunt censendi qui quum diu in Ordine fu- B erint, adhuc tamen multa quæ Ordinis sunt non observant.

Non abominemur nec dijudicemus abrenuntiationes quæ ex seditionibus fiunt, id est, si aliqui mundo renuntient ex dissensione aut contentione quam contra aliquem habuerunt, non reprobemus hoc ipsum.

Vidi namque quosdam fugientes et non voluntarie occurrentes regi, et deinceps circa ipsum arma tulisse, palatiumque ingressos fuisse cum rege in convivio. Hoc C est : sicut interdum contingit in sæculo, quod aliqui fugiunt a rege terreno, nec ei occurrunt spontanee, sed invite sive coacte; nihilo minus postea fiunt regi suo tam familiares et cari, ut juxta eum pergant, et arma coram eo deportent secumque epulentur : ita contingit interdum, quod quidam ex dissensione, adversitate seu displicentia in se non bona, occasionem accipiunt sæculo renuntiandi et ingrediendi religionem; et tamen quod minus bene cœperunt, mutato corde in melius, D laudabiliter prosequuntur.

Vidi semen cadens in terram non voluntarie, et afferens fructum valde pulchrum et copiosum : id est, quemadmodum hoc ita fit in exterioribus, ita contingit quod gratia seu inspiratio Dei descendit in aliquem contra aut præter ipsius conatum aut præparationem, et tamen mox consentit et cooperatur eidem, et proficit multum. *Quemadmodum vidi et e converso,* utpote semen in terram voluntarie cadens, non tamen fructificans, quia volucres Luc. VIII, 5. cœli comederunt illud, aut ex alia causa infructuosum effectum est. Sic quoque contingit aliquem ex devotione religionem intrare, et tamen per negligentiam suam deficere.

Vidi quemdam venientem in locum medicinalem juxta aliquam aliam opportunitatem, et tentum ab astutia medici elegantis, ac tractum a multitudine, abjicientem caliginem superimpositam lumini ejus. Hoc est : sicut aliquando accidit quod aliquis male videns veniat ad medici domum non ut sanetur, sed ex alia causa opportuna, et teneatur ab industria medici eruditi, atque a multitudine ibi præsentium trahatur ut curationem a medico sumat, sicque per medicum liberetur a caligine superinducta oculis ejus ; ita interdum contingit quod aliquis vitiis excæcatus veniat ad congregationem hominum devotorum non ut eorum vitam assumat, sed ex alia causa, et tamen a Patre congregationis sapienter alliciatur, atque a Fratribus de conversione admoneatur, sicque illuminetur et eis associetur.

Et non spontanea facta sunt in aliquibus firmiora et principaliora voluntariis, id est, quidam abrenuntiantes et conversi ex adversitatibus et causis quasi cogentibus ac involuntariis, sic profecerunt quod meliores ac stabiliores sunt facti his qui ex voluntariis et prosperis causis renuntiaverunt atque conversi sunt. Occulta quip- Rom. XI, 33. pe sunt Dei judicia, et Deus ipse, cujus sapientiæ non est finis, variis et imper- Ps. CXLVI, 5. scrutabilibus modis ac viis trahit et perducit ad salutem suos electos.

Insuper præinductis concordat quod Paulus ait apostolus : Quidam ex contentione annuntiant Christum. Et dicit se gaudere quod Christus annuntiatur sive ex sinceritate, sive per occasionem.

[illegible] id est, nullus ita exaggeret, penset, accuset multitudinem et magnitudinem vitiorum

suorum, ut asserat se prorsus ineptum ad A
hoc quod promittat seu profiteatur vitam
religiosam ; *et per amorem vitiosæ delectationis et concupiscentiæ vilipendere putet se ipsum,* hoc est, ex amore delectationis suæ iniquæ et concupiscentiæ pravæ
non arbitretur quod ita rite vilipendat se
ipsum, quasi non possit converti, *excu-*
Ps. CXL, 4. *sans,* id est, excusatorie proferens, *excusationes in peccatis,* hoc est, pravitatem
suam perverse excusans, dum ex causa
illa jam tacta asserit se non posse converti, quum tanto plus debeat merito ad B
conversionem accelerare, quanto vitiosior
exstat, secundum quod subditur. *Ubi enim multa corruptio, ibi et magnæ necessitas medicinæ ut sordes deponat* ipsa medicina. *Etenim sani et bene habentes non veniunt ad remedia medicinæ, neque ad stationem locumve medici* pro medela. Hoc
Luc. V, 31. est quod loquitur Christus : Non egent qui
sani sunt, medico. Denique qui ita excusant se, figurati sunt per Petrum adhuc
Ibid. 8. infirmum, qui dixit ad Salvatorem, Exi a
me, quia homo peccator sum, Domine : ut C
exponit Gregorius.

Si rege terreno nos vocante, et volente nos militare in obsequium suæ personæ, non excusamus, sed relinquentes et excutientes omnia impedimenta, *accedimus prompte ad ipsum ; attendamus nobis ipsis, ne quando Rege regum et Domino dominorum et Deo deorum nos vocante ad cœlestem ordinem istum, renuamus acquiescere ei ex pigritia et negligentia nostra, et inexcusabiles inveniamur ante magnum*
Rom. XIV, 10 ; II Cor. V, 10. *tribunal ipsius,* cui nos præsentari et ad- D
stare oportet tam in die particularis judicii quam in die generalis judicii.

Vinctum negotiis sæcularis vitæ ac ferreis curis possibile est adhuc ambulare, sed difficulter : quoniam compedes circumpositi pedibus, faciunt conantes ambulare cum eis frequentius cespitare, et multoties suscipiunt vulnera ex ruina. Sensus verborum istorum est, quod homines sæculares mundanis sollicitudinibus negotiisque intenti et occupati, possunt adhuc aliqua facere opera bona, « sed difficulter » : nam sicut « compedes pedibus » alligati « faciunt » vinctos « ambulare conantes » multoties vacillare ac ruere, ita ut sæpius vulnerentur; sic duræ et ferreæ illæ curæ ac occupationes mundanæ impediunt sæculares a multis bonis operibus, et faciunt eos sæpe peccare ac lædi.
Hinc ait Salvator : Ærumnæ sæculi et Marc. IV, 19.
deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ, introeuntes in cor suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

Non conjugatus, sed solis rebus in mundo ligatus, comparatur habenti sertum in manibus. Talis enim adhuc liber est, et solubili vinculo detinetur « in mundo », videlicet amore et possessione divitiarum suarum, a quibus potest se ipsum dissolvere, et eas sponte propter Christum deserere, sicut qui tenet « sertum in manibus » deponit illud ad libitum. Ideo sequitur : *propter quod non prohibetur currere ad vitam monasticam quum voluerit. Nubens vero similis est circumvincto manibus et pedibus.* Est enim insolubili vinculo matrimoniali conjunctus uxori post copulam illam carnalem, nec potest ad libitum suum ingredi claustrum; habetque plurima bene vivendi obstacula,
dicente Apostolo : Qui habet uxorem, sol- I Cor. VII, 33.
licitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.

Audivi quosdam in mundo negligenter permanentes dicentes ad me : Quomodo conviventes uxoribus et circumgradientes seu occupati undique *publicis curis, possumus viam monasticam ambulare ? Quibus respondi : Omnia bona quæ potestis facere, facite ; nemini maledicatis, nemini mentiamini, non furemini, super nullum vos efferatis, neminem odiatis, non recedatis a congregationibus Officiisque divinis, vinctis et indigentibus compatiamini, nullum scandalizetis, alienis parie-*
tibus non appropinquetis, et contenti es- Luc. III, 14.
tote stipendiis uxorum vestrarum : si sic feceritis, non eritis longe a regno cælorum. Hæc plana videntur. Non est autem

recedendum « a congregationibus Officiisque divinis » nisi tempore opportuno, videlicet finito Officio et dimissa ecclesia, nisi rationabilis causa aliud exigat. Unde de beatissima Anna vidua ait Lucas evan-
[Luc. II, 37.] gelista, quod non discedebat de templo. Porro « alienis parietibus » appropinquare, est causa illicitæ (præsertim adulterinæ) commixtionis ad feminas ire. Quid autem est esse contentum « stipendiis » propriæ conjugis, nisi solutionem debiti ei solum impendere, atque ab ea tantum exigere?

Occurramus cum gaudio et timore, pulchro et bono certamini, non dubitantes, neque timentes inimicos nostros. Pulchrum et bonum certamen est spiritualis militiæ pugna contra invisibiles hostes : quæ pugna dicitur pulchra, quoniam sapientialis et justa; et bona, quia salubris et virtuosa. Cui pugnæ debemus occurrere gaudiose : quod est cum spirituali lætitia semper esse accinctum, paratum et agilem ad resistendum adversariis nostræ salutis. Quod etiam fieri debet cum moderato timore, ita ut gaudium spirituale oriatur ex consideratione et spe subventionis divinæ, timor vero ex consideratione infirmitatis defectuositatisque propriæ : nam ut ait Hieronymus, non debemus esse securi, quoniam adversarius noster diabolus, etiam
[Ibid. XI, 21, 22.] Christi victoris voce vocatur fortis armatus. Denique, sicut in bello exteriori, ita in spirituali certamine moderatus timor est utilis, quoniam facit hominem esse consiliativum, sollicitum et circumspectum ad præcavendum pericula. Non debemus etiam dubitare de Dei auxilio, quantum est ex parte infinitæ bonitatis ac misericordiæ Dei, ex qua non erit defectus. Quod vero nunc ait, « neque timentes inimicos nostros », intelligendum est de timore immoderato rationem impediente, animam prosternente, hominemque gravante, et vires debilitante.

Quoniam in faciem animæ nostræ in-tuentur, quamvis non videantur, hoc est, invisibiles hostes considerant dispositionem animæ nostræ. *Quod si viderint ipsam ex pavore commutatam*, id est ex inordinata formidine alteratam, et ab arce spei dejectam pusillanimemque effectam, *tunc contra nos crudelius armantur*, id est, ferocius irruunt, et magis audacter insurgunt, *intelligentes fraudulenti quia timuimus* congressum eorum. Interdum tamen armantur contra nos tanto ferocius quanto viderint nos virilius eis resistere; sed si in virili reluctatione manserimus fixi, cito dejiciuntur.

Idcirco armemur contra ipsos gaudenter : nam contra gaudenter certantem nullus prompte concertat. Porro qualiter debeamus contra eos armari, docet Apostolus : Confortamini (inquiens) in Domino
et in potentia virtutis ejus; induite vos [Ephes. VI, 10, 11, 14, 16, 18]
armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; state induti loricam justitiæ; in omnibus sumentes scutum fidei; omni tempore orantes in spiritu, etc. Qui autem videt certantem adversus se gaudiose certare, frangitur corde, et ita (ut communiter) non certat contra illum tam « prompte ».

Dominus dispensative alleviat pugnas a novis incipientibus, nequando ex proœmiis confestim in mundum denuo resolvantur : hoc est, Deus sapienter et pie minuit tentationes et impugnationes noviter conversorum, ne mox post conversionis suæ exordium redeant victi ad sæculum : ideo non permittit eos tentari tam acriter; aut si acriter impugnentur, celeriter eis succurrit, et pias consolationes infundit. *Ideo gaudete in Domino semper, omnes servi ejus, cognoscentes in vobis ipsis hoc privilegium* [illegible] *vestri ad vos*, utpote, quod tam gratiose et dispensative alleviat in vobis pugnam præfatam circa exordium vestræ conversionis. [illegible], id est, hoc etiam attendentes quam pie « vocavit vos » ad viam salutis.

[illegible], id est, ex hoc quod sequitur frequenter cognoscitur benignitas Dei, quod scilicet amorose agit cum servis suis.

Vidit enim sæpe viriles animas, et statim ex procœmiis Deus *permisit in eis pugnas relaxari,* id est extendi, augeri ac multiplicari. Sic enim sumitur nunc « relaxari », ut patet ex eo quod loquitur de animabus virilibus, id est virtuosis fortiterque pugnantibus : quas Deus permittit latius ac multiplicius impugnari. Dispensat namque tentationes secundum mensuram et capacitatem ac vires hominum qui
I *Cor.* x, 13. tentantur, non permittens quemquam tentari supra id quod potest. Et idem constat ex eo quod subditur : *volens eas in brevi coronari.* Ideo sinit eas mox a principio conversionis abundantius impugnari, ut
Sap. iv, 13. consummatæ et victrices factæ in brevi, expleant tempora multa, celeriter quoque pertingant ad bravium, imo et nunc coronentur a Domino corona justitiæ et diademate judicii in misericordia et miserationibus.

Occultavit Deus ab his qui sunt in mundo, stadii importunitatem, magis vero opportunitatem. Per stadium intelligitur iter observantiæ regularis, seu ipsa religio, qua ad æternam beatitudinem imus et currimus. In quo stadio sæpe occurrunt magnæ difficultates, exercitationes, tentationes, castigationesque corporis, et duri labores : quos « Deus occultavit » sæcularibus hominibus, ne ex timore illorum retrahantur a religionis ingressu. Propter quod subditur : *Si enim hanc cognovissent, non utique abrenuntiasset omnis caro,* id est, nullus homo reliquisset mundum, intrando claustrum seu eremum. Verumtamen multi abrenuntiantes sciunt talia in communi : imo abrenuntiare cupientibus proponuntur in generali, ne postea difficultate obruti, resipiscant a bono incepto ; in particulari tamen omnia non prænoscunt. Porro per « stadii importunitatem » designat vehementem ac copiosum impulsum prætactarum difficultatum et angustiarum : quæ tamen importunitas est magis opportunitas reputanda, quoniam discreto moderamine dispensantur a Deo, et vere salutares sunt his qui bene utuntur eisdem.

Da prompte labores juventutis tuæ Christo Jesu, id est, juventutem tuam Christo alacriter offer in sanctis laboribus, *et gaudebis in senio super divitiis impassibilitatis,* id est de copiosa reformatione ab immoderantiis passionum, atque de fructibus ac meritis virtutum tuarum consummatarum. *Congregata enim in juventute, consolantur ac nutriunt confectos senio.* Ideo loquitur Jeremias : Bonum est *Thren.* iii, 27.
viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Maximum etenim gaudium est antiquo, quod dies juventutis suæ expendit fructuose in Dei obsequio. *Laboremus in juventute ferventer, curramus vigilanter, quia mors est incerta.* Hoc est quod ait Salvator : Videte, vigilate et orate (nescitis *Marc.* xiii, 33, 35, 36.
enim quando Dominus veniat), ne quum venerit repente, inveniat vos imparatos. Ad quæ omnia peragenda incitare nos debet adversariorum nostrorum malignitas. Unde subjungitur :

Habemus inimicos vere malignos, crudeles, dolosos, astutos, potentes, non dormientes, immateriales, invisibiles ; in manibus ignem tenentes. Manus eorum sunt naturales potentiæ operativæ, aut actus eorum perversi : in quibus tenent « ignem » furoris, invidiæ atque libidinis causaliter, ignem quoque tentationis et tribulationis. *Cupientes et nitentes comburere templum Domini nostri Jesu Christi per flammam quæ in eis est,* id est, præfato igne optant ac student fideles vitiis inflammare spiritualiterque destruere, et eos ad varias passiones inducere quibus vera dilectio exstinguatur in eis. De hoc templo ait Apostolus : Templum Dei sanctum est, I *Cor.* iii, 17.
quod estis vos. Ad quod potest et illud mystice applicari : Incenderunt igni san- *Ps.* lxxiii, 7.
ctuarium tuum.

Nullus juvenis exsistens recipiat, id est, consentiendo advertat, *inimicos suos dæmones dicentes* per suggestionem occultam sive apertam : *Non conteras carnem tuam, et corpus tuum ne concidas infirmitatibus atque languoribus ; nam in præsenti generatione vix aliquis inveni-*

tur qui præeligat corpus suum mortificare, et ipsum privare saltem delectantibus escis multis. Intentio namque dæmonum est, ipsum nostrum introitum in stadio facere vacuum et negligentiis plenum, et de cetero finem nostrum concordare principio.

Non sunt audiendæ dæmonum suggestiones, qui etsi interdum videantur bona suggerere, intendunt tamen finaliter fallere, et sub specie boni proponunt plurima mala. Quosdam autem instigant ad hoc ut per immoderatas abstinentias, vigilias, B disciplinas, destruant corpus suum; alios quosdam, quos vident in talibus se discrete habere, conantur inde retrahere ac remissos efficere, persuadendo ne destruant corpora sua, ne incidant in languores, et ceteris onerosi reddantur inutilesque conventui. Verumtamen audire debemus do-
Rom. xii, 1. ctrinam Apostoli edocentis : Rationabile obsequium vestrum. Tamen consilium istud de corpore non destruendo, videtur nunc necessarium satis paucis, eo quod modo ad tantam sumus carnalitatem de- C jecti, ut non solum non vitemus cibos superfluos, sed nec delectabiles seu delicatas escas vitemus; et propriæ sensualitati irritamenta concupiscentiæ delectationisque pravæ apponimus, fiuntque duo contra unum, et periclitatur sobrietas. Porro « intentio dæmonum » prætactam remissionem suggerentium, « est facere introitum » seu initium conversationis nostræ « vacuum » a profectu « et negligentiis plenum », ut tandem perducant nos ad « finem » periculosum, tali « principio » D proportionatum.

Volentes autem Christo prudenter servire, ante omnia quærunt et faciunt istud, puta : ut eligant loca, modos, mores, institutiones, adinventiones et studia ipsis convenientia, obedientiam quoque spiritualium Patrum, et cognitionem ipsorum Deo familiarem. Volentes sæculo renuntiare debent in primis perpendere quæ religio, quæ loca, quæ observantiæ, quæ occupationes, quæ societates magis conve-

A niant naturæ viribusque eorum, ne postea doleant se assumpsisse quod assumpserunt. Debent item curare ut stent sub obedientia « spiritualium Patrum », et notitiam habeant eorumdem, ut instruantur ac dirigantur ab ipsis, ne prius velint esse magistri quam discipuli. Unde et scriptum est : Quum videris sensatum, statim evigila *Eccli.* [illegible] ad illum; et rursus : Cum viro sancto assiduus esto. *Psal.* [illegible] Talium namque cognitio familiaris est Deo, quia per eam efficimur Deo familiares acquiescendo et conformando nos ipsis, et ipsi Deo familiares exsistunt.

Deinde tangitur ubi in primis quærenda ac eligenda sint ista. *Non enim omnium sunt cœnobia, propter scurrile et gulosum :* hoc est, non convenit omnibus in cœnobio commorari, ne vel sua scurrilitate et gulositate inficiant alios, vel ne ex humana societate corruant in hæc mala. *Neque omnium eremitaria, propter triste, furiosum et irosum :* id est, non convenit omnibus in solitariis eremi locis manere, quia aliqui ad inordinatam tristitiam, furorem ac iram sunt proni; propter quod ferre non poterunt eremiticam [seu] solitariam vitam, in qua desunt humana solatia, et adsunt diversæ penuriæ impugnationesque fortissimæ, ex quibus ubertim inducerentur ad graves tristitias et furores brutales ac irrationabiles iras. Idcirco necesse est ut antequam vitam illam aggrediantur, exerceantur inter Fratres, donec a passionibus sint purgati, præsertim a tristitia, furore et ira : nam tristitia, quemadmodum et pigritia, solet solitariis nondum perfectis sæpe esse molesta.

Deinde dividit vitam monasticam in tres species seu differentias. *Præterea universa conversatio* [illegible], id est monachalis seu religiosa, *continetur in tribus* [illegible], id est statutis seu regulis, [illegible], seu ordinum, utpote : [illegible] *cessu*, hoc est in vita omnino solitaria : quæ dicitur « agonistica », quia acrius et incessabilius impugnatur ab invisibilibus hostibus, contra quos indiget infati-

gabiliter dimicare. Hæc est species prima. A De secunda quoque adjungitur : *aut quiescere cum uno vel duobus sub obedientia Patris spiritualis.* Sic enim consueverunt plures Deo servire sub uno Patre, ita quod hinc inde habitaverunt duo aut tres simul, et vicissim visitabantur et instruebantur a Patre suo. Quidam vero habitaverunt sic simul sine spiritualis Patris regimine, viventes juxta proprium velle : qui in Collationibus Patrum maxime vituperantur; nec erant condigni nomine monachi. Deinde tangitur species tertia : *aut sedere in* B *cœnobio cum patientia,* hoc est in communi congregatione patienter morari.

Prov. IV, 27. *Non declines ad dextram neque ad sinistram, sed via regia gradiaris.* Via regia est ipsa justitia, imo et quælibet virtus seu actio virtuosa, itemque conversatio regularis. Virtus enim consistit in medio, et inter duo extrema reprehensibilia. *Media prædictorum multis convenientia exsistunt,* id est, cum uno aut duobus quiescere sub spirituali Patre pluribus convenit, non autem solitaria vita. Propter quod C subditur : *Et quidem væ soli (ait Ecclesiastes),* id est, periculum imminet ei præ aliis; *quia si ceciderit in acediam, aut somnum, vel negligentiam, aut indolentiam, seu desperationem, non est resuscitans eum in hominibus,* id est, neminem habet sublevantem, corripientem, hortantem, regentem. *At ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dixit Dominus.*

Eccle. IV, 10.

Matth. XVIII, 20.

Quis, putas, est fidelis et prudens monachus, qui calorem suum, id est primum fervorem, *custodivit inexstinguibilem* sub obedientia et subjectione, labore et dolore, *et usque ad exitum suum non cessavit quotidie addere ignem igni, fervorem fervori, desiderium desiderio, amorem amori, sollicitudinem sollicitudini?* tanquam dicat : Talis monachus valde laudandus est, sed rara est avis hæc. Verumtamen conemur effici tales, nec caritatem pristinam relinquamus, imo « inexstinguibilem » conservemus, obediendo cum omni promptitudine Patri spirituali in debitis, et subjiciendo nos ei etiam in his quæ sunt supererogationis (nec hoc tantum, sed juxta doctrinam Apostoli, subjecti simus invicem in caritate, et omni humanæ creaturæ propter Deum, et præsertim juniores senioribus deferant), laborando quoque ut boni milites Christi, et dolendo salubriter de peccatis, fragilitatibus et imperfectionibus nostris. Postremo, « addere ignem igni », est caritate validius inflammari; addere autem « fervorem fervori », est in Deum frequenter actualiter ferri; et « desiderium desiderio » addere, est ad futura bona omni die cordialius adspirare; addere demum « amorem amori », est caritate fraterna magis accendi; « sollicitudinem » vero « sollicitudini » addere, est coram Altissimo omni die sollicitiorem ac timoratiorem consistere, ne ipse in aliquo offendatur, ne vita decrescat, ne paulatim mens resolvatur, imo ut Deo jugiter magis complaceat.

Ephes. V, 21; I *Petr.* II, 13; V, 5.

II *Tim.* II, 3.

GRADUS II

DE NON HABENDO PASSIONEM AD ALIQUID, ID EST NON AFFICI AD ALIQUID INORDINATE.

In veritate Dominum nostrum Jesum Christum diligens, et eum in corde ac corpore suo portans, in veritate quærens ac cupiens obtinere regnum futurum, in veritate dolens de peccatis et offensionibus suis, in veritate possidens memoriam æternalium tormentorum judiciique divini, in veritate reassumens memo-

riam ac timorem exitus sui : non amabit neque curabit ulterius pecunias aut possessiones, nec erit sollicitus de parentibus, amicis aut fratribus, neque de gloria vitæ præsentis, nec de aliqua re terrena. Sed odiens atque excutiens omnem suam habitudinem, omnem quoque ad aliquid passionem, et omnem sollicitudinem prædictorum, insuper et propriam odiens carnem, nudus ab omnibus his, sequetur Christum absque sollicitudine sæculari et absque pigritia, et adspiciet semper in cœlum, invocabitque inde auxilium, secundum verbum sancti Psalmistæ dicentis, Adhæsit anima mea post te ; et juxta verbum Jeremiæ jugiter memorandi, qui ait, Ego vero non laboravi te, Domine, sequens, et diem aut requiem hominis non desideravi. Confusio maxima est, ut relinquentes universa prædicta, post vocationem nostram, qua vocavit nos Deus, et non homo, curemus aut sollicitemur de aliquo quod non potest nobis prodesse in hora necessitatis nostræ extremæ, videlicet mortis. Nempe hoc est quod Christus vocavit converti et respicere retro, et ita agentem non esse aptum ad percipiendum regnum cœlorum.

Dominus noster Jesus Christus, quod nostrum est incipientium instituti ad spiritus iter facile lubricabile noscens, et quomodo opportune ac leviter, sæcularibus participantes et commorantes, denuo in mundum convertimur ; ait ad dicentem sibi, Domine, permitte me abire primum et sepelire patrem meum : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. — Dæmones suggerunt nobis ut post abrenuntiationem nostram beatos reputemus homines sæculares tanquam compassivos et misericordes, atque nos ipsos credamus miserabiles ex consideratione conversationis eorum, quasi nos ipsi privaverimus nos cunctis illorum virtutibus. Intentio autem dæmonum est ut ad mundum nos reducant per hanc adulterinam et fictam humilitatem ; aut si monachi permanemus, præcipitent nos in desperationis profundum. — Est parvi pendere mundanos sæculariter viventes, per arrogantiam et propriam æstimationem et reputationem ; et est ipsos absentes contemnere ad adipiscendum spem et fugiendum desperationem.

Audiamus Dominum Jesum dicentem ad adolescentem illum qui fere implevit universa mandata : Unum tibi deest ; vende cuncta quæ habes, et da ea pauperibus, et te ipsum fac pauperem eleemosynas suscipientem. Denique volentes prompte ac velociter currere, superintendamus quomodo Dominus noster Jesus Christus in mundo conversantes ac viventes judicavit mortuos, dicens ad quemdam : Dimitte mortuos sæculares sepelire mortuos corpore. — Divitiæ non prohibuerunt adolescentem illum accedere ad Baptismum : evanuerunt ergo dicentes, quod Dominus Jesus statuit illum vendere divitias suas Baptismatis gratia. Testimonium istud et tanta hæc certitudo sufficiat nobis ad maximam certificationem magnæ atque plenissimæ gloriæ hujus nostræ professionis et sponsionis.

Qui in mundo degunt, et vigiliis, jejuniis, laboribus et malorum passionibus se ipsos cruciant, et inde procedunt ad vitam monasticam tanquam ad stadium et quamdam probationem examinationis, non gradiuntur priorem quam exercitationem segnem et fictam. Nil mirum : nam vidi plurimas ac differentes plantas virtutum

plantatas ab his qui sunt in mundo, et quasi irrigatas ex cœnoso limo aquæductuum vanæ gloriæ, et cultas ostentatione quasi sarculo, ramificantes, et stercoratas a lau-
Ps. LXII, 3. dibus. Nempe quid contigit? Transplantatæ in terra deserta et inaquosa et invia, sæculari et vane glorificante, et corruptæ cœno aquæ, confestim exaruerunt. Non enim est natura aquaticarum plantarum in aridis ac duris locis exercitationis atque in stationibus nudis et inaquosis fructificare.

Si quis mundum odivit, iste tristitiam aufugit. Si quis vero ad aliquid visibilium possidet passibiliter affectionem, nondum a tristitia est redemptus. Quomodo enim non tristabitur saltem super privatione dilecti?

In omnibus necessaria nobis est vigilantia magna; superabundantius vero attendendum est prudenter ante alia hoc. Multos vidi in mundo fugientes vesaniam proprii corporis sub sollicitudinibus et curis et exercitationibus et vigiliis vitæ hujus; exsistentes vero in omni tranquillitate, quum venissent ad vitam monasticam, inquinati miserabiliter fuerunt corporis motu.

Attendamus nobis ipsis, nequando dicentes nos ambulare viam angustam et arctam, curramus ad illicita, tenentes viam amplam et spatiosam. Arctam viam declarabit tibi et indicabit : tribulatio ventris, statio ad vigilandum in orationibus per totam noctem, potus aquæ, penuria panis, subsannationes, derisiones, illusiones, abscisio propriarum voluntatum, poculum ignominiarum improperiis purgativum, patientia percussionum et impulsionum, esse sub despectione sine murmuratione, fortiter sustinere læsiones ac violentias injuriarum, ex aliorum oblocutione non indignari, ex contemptu et vilipensionibus non irasci, et quum fueris judicatus, te humiliare. Beati qui gradiuntur per viam istam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Nemo ingredietur in regnum cœlorum ferens coronam coram Sponso, nisi impleverit abrenuntiationem primam, secundam, et tertiam. Dico autem : abscisionem universarum rerum et negotiorum, et hominum et parentum; secundam, abnegationem proprii sensus et propriæ voluntatis; et tertiam, depositionem et abnegationem
Is. LII, 11. vanæ gloriæ consequentis obedientiam. — Exite de medio eorum, et separamini, et ne tetigeritis mundum immunditiæ, dicit Dominus. Quis enim illorum fecit aliquando mirabilia? Quis mortuos suscitavit? Quis dæmones effugavit? Nullus. Ista enim universa sunt certamina et bravia perfectorum, Sanctorum et monachorum, quæ capere mundus non potest : si enim posset, superflua esset exercitatio ac recessio vitæ solitariæ ac remotæ.

Quando dæmones post abrenuntiationem nostram accendunt et fervere faciunt cor nostrum memoria parentum, fratrum, amicorum, ac propriæ regionis; tunc armemus nos orationibus contra ipsos, et inflammemus nos ipsos recordatione ignis æterni, ut per eam ocius exstinguamus importunum ignem cordis nostri. — Si quis putat se adjacere circa rem aliquam impassibiliter, et tamen cor suum aliqualiter contristatur in privatione illius rei; hic talis perfecte seduxit se ipsum.

Quicumque juvenes adjacent atque effusi sunt circa concupiscentias corporales

et amores carnales, ac delicias furiosæ seu irrationabilis gulæ, et volunt accedere ad conversationem monasticam, excitare debent se ipsos in omni vigilia et attentione, sub doloribus et laboribus et omni austeritate, abstinentes ab omni malignitate et ab universis deliciis, ne aliquando fiant eis posteriora seu novissima pejora prioribus, et ne portus salutis fiat eis aggregatio periculorum. Et istud cognoscunt navigantes intellectuale mare. Miserabile namque spectaculum est, salvatos in pelago videre naufragari in portu. Matth. XII, 45.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS SECUNDI.

Collat. III, cap. 6. SICUT in Collationibus Patrum docetur, abrenuntiatio habet tres gradus : primus est, ut exteriora propter Deum corporaliter relinquantur ; secundus, ut omnis inordinata ad ea affectio penitus deseratur ; tertius, ut mens in Deum pure ac integre transferatur. Nunc itaque agitur de gradu abrenuntiationis secundo.

In veritate Dominum nostrum Jesum Christum diligens, et eum in corde ac corpore suo portans, in veritate quærens ac cupiens obtinere regnum futurum, in veritate dolens de peccatis et offensionibus suis, in veritate possidens memoriam æternalium tormentorum judiciique divini, in veritate reassumens memoriam ac timorem exitus sui : non amabit neque curabit ulterius pecunias aut possessiones, nec erit sollicitus de parentibus, amicis aut fratribus, neque de gloria vitæ præsentis, nec de aliqua re terrena. Sed odiens atque excutiens omnem suam habitudinem, omnem quoque ad aliquid passionem, et omnem sollicitudinem prædictorum, insuper et propriam odiens carnem, nudus ab omnibus his, sequetur Christum absque sollicitudine sæculari et absque pigritia, et adspiciet semper in cælum, invocabitque inde auxilium, secundum verbum sancti Psalmistæ dicentis, Ps. LXII, 9. *Adhæsit anima mea post te ; et juxta verbum Jeremiæ jugiter memorandi, qui ait, Ego vero non laboravi te, Domine, sequens, et diem aut requiem hominis non desideravi.* Jer. XVII, 16, juxta LXX.

Verba ista sunt plena devotione atque salubri instructione : ex quibus perpendere possumus, an Deum veraciter diligamus et intra nos portemus, an regnum cœleste optemus, et vere pœniteamus, ac novissima nostra præmeditemur. Quemadmodum enim majus lumen offuscat minus, sic motus et affectiones, curæ et occupationes majores expellunt aut minuunt motus, affectiones, curas et occupationes minores. Idcirco quo cordialius ac vehementius afficimur, occupamur, figimur et sollicitamur circa Deum et circa spiritualia ac æterna : eo minus afficimur, occupamur, immoramur et solliciti sumus circa carnalia et caduca ; tanto etiam promptius ac ferventius sequimur Christum, adspiramus ad Deum, et pertinentia ad salutem viribus infatigabilibusque exsequimur. Qui ergo sinceriter et perfecte circa Deum et circa interiora, spiritualia et æterna afficitur, de temporalibus, carnalibus et terrenis non curat. Verumtamen pro parentum et propinquorum ac amicorum (imo et hominum universorum) salute, debet vir talis spiritualiter sollicitari tempore opportuno, et orare pro eis, quemadmo-

dum vera requirit dilectio : aliter esset illis ingratus, nec satisfaceret caritatis præceptis.

Ephes. III, 17. Interea, sicut portamus Deum « in corde » per fidem et caritatem, ita portamus eum in « corpore » per cruciformem Christi imitationem et obsequiosam subjectionem. Galat. V, 24. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis; et quantum ad hoc, dicuntur eam odire salubriter : quod est vere diligere. — Quamvis autem passio, secundum doctrinam philosophorum et multorum theologorum, dicat naturalem et simplicem motum seu affectionem appetitus sensitivi, qui de se non est virtuosus nec vitiosus; auctor tamen nunc sumit « passionem » pro immoderato et non refrenato motu seu affectu appetitus prædicti. Per « habitudinem » vero intelligi potest respectus seu qualificatio quæcumque ad aliquid. Pro verbis quoque Jeremiæ quæ allegat, Hieronymus Jer. XVII, 16. transtulit : Ego non sum turbatus te pastorem sequens. Sed quomodo potest quis Deum sequi sine labore ? Dicendum, quod Deum sine labore sequi, est cum intima alacritate ei libentissime adhærere ac deservire : quod in se ipso delectabile est et suave, quamvis labor et lassitudo aliunde se misceant.

Confusio maxima est, ut relinquentes universa prædicta, post vocationem nostram, qua vocavit nos Deus, et non homo, curemus aut sollicitemur de aliquo quod non potest nobis prodesse in hora necessitatis nostræ extremæ, videlicet mortis. Nempe hoc est quod Christus vocavit Luc. IX, 62. *converti et respicere retro, et ita agentem non esse aptum ad percipiendum regnum cœlorum.*

Dominus noster Jesus Christus, quod nostrum est incipientium institui ad spiritus iter facile lubricabile noscens, hoc est, Christus considerans quod institutio seu conversio nostra primordialis ad vitam monasticam, qua institutione incipimus converti « ad » spirituale « iter » religionis atque salutis, sit faciliter lubri-

A cabilis, vacillans, ac devians ab isto itinere, quia tunc nondum radicati sumus aut stabiliti in bono, *et quomodo opportune ac leviter, sæcularibus participantes et commorantes, denuo in mundum convertimur,* id est, Christus etiam intuens quemadmodum cito ac leviter redimus corde aut etiam corpore ad mundana, quando communicamus, commiscemur et cohabitamus sæcularibus hominibus, *ait ad dicentem sibi, Domine, permitte me abire primum et sepelire patrem meum : Dimitte* Matth. VIII, 21, 22.

B *mortuos sepelire mortuos suos.* Ut enim refert Matthæus evangelista, quum Christus vocasset quemdam ad suum discipulatum, et ille postulasset inducias quousque sepeliret patrem suum, Christus non annuit. Ex quo innotescit quam periculosum sit imperfectis demorari inter mundanos. Hinc sanctus pater Antonius dixit, quod sicut pisces extra aquam tardantes mox moriuntur, sic monachi dum inter sæculares homines faciunt moram, resolvuntur a rigore sui propositi. Itaque con-

C stat, quod religiosis (præsertim novellis plantationibus) nociva sit visitatio frequens, confabulatio multa, communicatio, societas seu participatio magna cum mundanis hominibus.

Consequenter inducitur una specialis fallacia tentatoris. *Dæmones suggerunt nobis ut post abrenuntiationem nostram beatos reputemus homines sæculares tanquam compassivos et misericordes, atque nos ipsos credamus miserabiles ex consideratione conversationis eorum, quasi nos*

D *ipsi privaverimus nos cunctis illorum virtutibus. Intentio autem dæmonum est ut ad mundum nos reducant per hanc adulterinam et fictam humilitatem,* qua vilipendimus nos comparatione sæcularium hominum; *aut si monachi permanemus, præcipitent nos in desperationis profundum.* Sic quoque malignissimi et astutissimi dæmones vicissim persuadent Fratribus pigris, quibus labor est ad Matutinas consurgere, vigilare, cantare et laborare in nocte ac die, quod sæculares et uxorati

habeant vitam bonam, utpote qui non obstante quod ad placitum suum cum suis quiescant conjugibus, facere queunt plurima bona. Et non attendunt Fratres obtenebrati, quanta sint pericula vitæ conjugatorum sæculariumque annexa, quam difficillimum sit eos salvari, quam multa quoque beneficia contulerit eis Deus revocando eos a conversatione illa mundana, et constituendo eos in claustro, in quo habent tot copiosissimas promerendi sublimiter occasiones ac vias.

Est parvi pendere mundanos sæculariter viventes, per arrogantiam et propriam æstimationem et reputationem, id est, interdum contingit ut religiosi despiciant conjugatos et sæculares mundane viventes, ex elatione et propria reputatione : quod valde perversum est, quum dicat
I Cor. x, 12. Apostolus, Qui stat, videat ne cadat; et
Matth. vii, 1. Salvator, Nolite judicare; Salomon quo-
Eccle. ix, 1. que, Nescit homo an sit dignus amore an
Is. v, 21. odio; et Isaias, Væ (inquit) qui sapientes estis in oculis vestris. *Et est ipsos absentes contemnere ad adipiscendum spem et fugiendum desperationem,* hoc est, aliquando accidit ut monachi spernant mundanos secum non exsistentes sæculariterque viventes, in quantum sunt tales, ut ita concipiant spem salutis et desperationem expellant, pensando quam gratiose Deus egit cum ipsis, quos a tantis retraxit periculis conversationis mundanæ. Mundani enim in quantum sæculariter vivunt, sunt parvi pendendi, sicut et impius secundum quod talis. Unde Propheta ait de
Ps. xiv, 4. viro justo : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Propter quod
Job v, 3. fertur in libro Job : Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus. Et istud est sapientiale ac bonum : ex receptione quippe et consideratione præsentium munerum, firma et certa fit exspectatio futurorum, certitudine saltem probabili.

Audiamus Dominum Jesum dicentem ad adolescentem illum qui fere implevit
Marc x, 21. *universa mandata : Unum tibi deest : vade cuncta quæ habes, et da ea pauperibus, et te ipsum fac pauperem eleemosynas suscipientem.* Ex quo patet quantum præcellat vita religiosorum vitam etiam bonorum sæcularium hominum. *Denique volentes prompte ac velociter currere* in via virtutum ad gloriam Beatorum, *superintendamus,* id est, vigilantissime consideremus, *quomodo Dominus noster Jesus Christus in mundo conversantes ac viventes judicavit mortuos, dicens ad quemdam : Dimitte mortuos sæculares sepelire* Matt. viii, 22.
mortuos corpore.

Divitiæ non prohibuerunt adolescentem illum accedere ad Baptismum. Evanuerunt ergo, id est, inaniter erraverunt et perierunt, *dicentes, quod Dominus Jesus statuit,* id est, ordinavit seu docuit, *illum vendere divitias suas Baptismatis gratia,* utpote ob hoc ut posset Baptismum suscipere : quod falsum est; imo idcirco consuluit ei Christus divitias vendere et pauperibus erogare, quatenus per hoc viam perfectionis evangelicæ posset intrare.

Testimonium istud et tanta hæc certitudo sufficiat nobis ad maximam certificationem magnæ atque plenissimæ gloriæ hujus nostræ professionis et sponsionis, id est, quæ parata est nobis pro conversatione ista monastica et pro professione nostra qua obligavimus nos ad eam, si tamen perseveremus in ea usque in finem. Ve- [illegible]
rumtamen de hoc multa testimonia alia in Evangelio continentur.

Qui in mundo degunt, et vigiliis, jejuniis, laboribus, et [illegible], id est tribulationum et adversitatum tolerantiis, [illegible], id est, castigant insistendo istis pœnitentiæ actibus, *et inde procedunt ad vitam monasticam tanquam ad stadium* [illegible] *tionis,* id est, tanquam ad religionem et locum in quo quotidie exercebuntur, et discutientur an vere proficiant, an patientes humilesque consistant, et utrum in cunctis rite obediant et frangant viriliter semetipsos. [illegible], hoc est, exercitia illa

in sæculo habita amplius non observent : A « exercitationem », inquam, *segnem et fictam.* Cur exercitationem seu conversationem illam laudabilem vocat « segnem et fictam » ? Puto quod ideo, quoniam comparatione conversationis verorum religiosorum, est pigra et modica, et simulationi frequenter miscetur, vanaque gloria maculatur, et partim fieri solet propter laudes humanas : quamvis non semper sit ita, præsertim quum S. Antonio et aliis perfectissimis eremitis fuerit aliquando revelatum, quod nondum pervenissent ad B mensuram seu perfectionem quarumdam sæcularium personarum.

Hinc subditur quasi expositorie : *Nil mirum,* id est, non est mirum nec falsum quod dico : *nam vidi plurimas ac differentes plantas,* id est actiones, *virtutum,* ut apparebat, *plantatas ab his qui sunt in mundo,* hoc est a sæcularibus personis exhibitas seu peractas, *et quasi irrigatas ex cœnoso limo aquæductuum vanæ gloriæ, et cultas ostentatione quasi sarculo, ramificantes, et stercoratas a laudibus,* hoc C est nutritas a gloria vana, quæ similis est terræ lutosæ maculanti tangentem et incedentem per eam : quæ actiones etiam fuerant cultæ seu continuatæ ex « ostentatione » inani, et stercoratæ seu impinguatæ « laudibus » humanis ut fimo, quia ex laudibus illis copiosius exercebantur, sicque extendebantur et procedebant ex hujusmodi vanitate, ut rami ex arbore.

Nempe quid contigit? Transplantatæ
Ps. LXII, 3. *in terra deserta et inaquosa et invia, sæculari et vane glorificante, et corruptæ* D *cœno aquæ, confestim exaruerunt,* id est, transpositæ de loco ecclesiæ virtuosorum ad locum ecclesiæ malignantium, et vanitate infectæ, omni merito sunt privatæ. Ecclesia etenim bonorum et electorum
Is. LXII, 4. vocatur terra fecunda, aquosa, terra non derelicta : sunt enim fecundi et aqua sapientiæ irrigati, virtute directi, et Deo conjuncti. Malignantium vero ecclesia est terra deserta, invia, inaquosa, vane glorificans : nam impii sunt a Deo relicti, errabundi, fluentis gratiæ destituti, spiritualiter aridi, et sæpe collaudant illicita. Quum autem præfatæ actiones fiunt recta intentione sinceriter, plantantur in loco ecclesiæ virtuosorum, hoc est in corde eorum ; sed quum fiunt ex vanitate, spectant ad opera ecclesiæ malignorum, de quibus ait
Salvator : Quia receperunt mercedem suam. Matth. VI, 2.

Non enim est natura aquaticarum plantarum in aridis ac duris locis exercitationis atque in stationibus nudis et inaquosis fructificare : id est, sicut hoc ita est in corporalibus plantis, quibus naturale est « fructificare » et crescere in humidis locis ; sic opera ex genere bona, quæ in cordibus bonis crescunt et fructum efficiunt, non possunt vere fructificare efficaciamque habere in hypocritis, callidis, iniquis ac vanis hominibus, quorum corda assimilantur « locis duris ac aridis », et « stationibus nudis et inaquosis », sicut
per Isaiam loquitur Deus : Scio quia durus Is. XLVIII, 4.
es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea.

Si quis mundum odivit, iste tristitiam aufugit. Mundum odire, est mundi vanitates, divitias, delicias et honores, et reliqua quæ sunt mundi, homines quoque mundanos in quantum sunt tales, abhorrere ac evitare. Qui ita facit, hic vitat ac abjicit inordinatam, carnalem et sæcularem tristitiam : de mundanorum namque carentia seu amissione non dolet nec mœret, quum non appetat ea, sed detestetur.

Si quis vero ad aliquid visibilium possidet passibiliter affectionem, id est, ad aliquid hujusmodi inordinate afficitur, *nondum a tristitia est redemptus,* hoc est, nondum purgatus est a passione tristitiæ, quum habeat causam ejus in se, utpote inordinatum et sensualem amorem, de quo passiones ceteræ oriuntur. *Quomodo enim non tristabitur saltem super privatione dilecti,* id est de morte alicujus propinqui et cari, aut de amissione cujuscumque entis amati? Verumtamen de morte dilecti potest quis ordinate ac meritorie contristari, puta ex caritate, in quantum

fuit Ecclesiæ utilis, aut ex alia pia causa. A Unde et S. Ambrosius amarissime flevit, quando audivit aliquem virtuosum sacerdotem obiisse. Apostolus quoque scribit *Philipp.* II, 27. de uno discipulorum suorum : Infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus, sed etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Rursus, tristari de morte dilecti ex naturali amore et pietate, sicut non est meritorium, ita nec vitiosum. Talis tamen tristitia non debet esse immoderata. Pro- *I Thess.* IV, 13. pter quod loquitur Paulus : Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent.

In omnibus necessaria nobis est vigilantia, id est diligentia, *magna :* quia in medio laqueorum versamur, et undique vallamur periculis ineffabiliter magnis. *Superabundantius vero attendendum est prudenter ante alia hoc* quod subdo. *Multos vidi in mundo fugientes vesaniam proprii corporis,* hoc est furorem et irrationabilitatem libidinis, *sub sollicitudinibus et curis et exercitationibus et vigiliis vitæ hujus,* id est, per hoc quod occupati fuerunt curis, laboribus et inquietudinibus atque angustiis vitæ præsentis. *Exsistentes vero in omni tranquillitate, quum venissent ad vitam monasticam, inquinati miserabiliter fuerunt corporis motu,* utpote stimulo carnis, quem sibi incaute procuraverunt, aut non vitaverunt causam ipsius, aut consenserunt et immorati sunt ei. Istud interdum contingit quibusdam in claustro ex negligentia, incustodia, aut periculosa securitate, aut diabolica tentatione. Imo nonnulli qui in sæculo fuerunt immunes a vitiis carnis, exsistentes in monasterio, se habent incautius circa vitandos corporis motus, quam hi qui in sæculo erant corrupti : quibus timendum *Galat.* III, 3. est illud Apostoli, Quum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.

Attendamus nobis ipsis, nequando dicentes nos ambulare viam angustam et arctam, curramus ad illam, [illegible]

viam amplam et spatiosam. Hoc accidit his qui in religione negligenter se habent et carnalia commoda quærunt : qui blandiuntur sibi de observatione viæ angustæ, eo quod monasticam vitam professi sunt et exteriora quædam observant cum aliis; non autem proficiunt in reformatione interna, in mortificatione vivifica, in abnegatione plenaria.

Deinde subjungitur quæ vere sit arcta via. *Arctam viam declarabit tibi* per experientiam *et indicabit* realiter: *tribulatio* B *ventris,* videlicet fames, *statio ad vigilandum in orationibus per totam noctem, potus aquæ, penuria panis, subsannationes, derisiones, illusiones, abscisio propriarum voluntatum, poculum ignominiarum improperiis purgativum,* id est copiosa sustinentia ignominiarum, quæ purgativa est animæ per improperia pie perpessa, *patientia percussionum et impulsionum, esse sub despectione sine murmuratione, fortiter sustinere læsiones ac violentias injuriarum, ex aliorum oblocutione non* C *indignari, ex contemptu et vilipensionibus non irasci, et quum fueris judicatus,* id est reprobatus, *te humiliare. Beati qui gradiuntur per viam istam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hoc quippe est quod ait Salvator : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam *Matth.* V, 10-12. ipsorum est regnum cœlorum; beati estis, quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me, etc.

D *Nemo ingredietur in regnum cœlorum ferens coronam coram Sponso, nisi impleverit abrenuntiationem primam, secundam, et tertiam.* Quæ verba ipsemet auctor exponit adjungens : [illegible] Hæc est abrenuntiatio prima, videlicet derelictio facultatum et mundanarum causarum, parentum quoque ceterorumque sæcularium hominum. Secunda abrenuntiatio [illegible]

priæ voluntatis, ut magis credatur et obtemperetur judicio ac voluntati spiritualis Patris quam sui ipsius; *et tertiam* dico, *depositionem et abnegationem vanæ gloriæ consequentis obedientiam.* Qui enim prompte obediunt, vicissim pulsantur vana gloria de obedientia sua : quam impugnationem oportet prorsus abjicere. Porro hæc triplex distinctio abrenuntiationis partim aliter signatur hic quam superius tactum est.

p. 19 A.

Is. LII, 11. *Exite de medio eorum,* videlicet carnalium et sæcularium hominum, *et separamini* ab eis, loco et conversatione, non caritate, *et ne tetigeritis mundum immunditiæ, dicit Dominus.* Per « mundum immunditiæ » intelligit homines sæculares vitiis plenos, et vanitates ac pravitates ipsorum, quæ non sunt per consensum et vitæ imitationem tangenda, sed evitanda. *Quis enim illorum fecit aliquando mirabilia? Quis mortuos suscitavit? Quis dæmones effugavit? Nullus. Ista enim universa sunt certamina et bravia perfectorum, Sanctorum et monachorum, quæ capere,* id est facere, *mundus non potest : si enim posset, superflua esset exercitatio ac recessio vitæ solitariæ ac remotæ.*

Præinductis his verbis contrarium videtur quod Christus in Evangelio ait : Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus et signa multa fecimus? Et tunc confitebor eis : Quia non novi vos; discedite a me, operarii iniquitatis. Denique, virtus faciendi miracula est donum gratiæ gratis datæ, quod commune est bonis ac malis; nec dubium quin multi vitiosi exorcistæ frequenter expulerunt dæmonia. Rursus, mirabilia jam prætacta facere, non est merces nec finis nec bravium solitariæ atque monasticæ vitæ : quæ non ideo esset superflua, quamvis mali sæcularesque homines facerent mirabilia illa. — Ad hæc arbitror respondendum, quod auctor loquitur de mirabilibus istis secundum quod fiunt ex merito facientium ea, seu propter sanctitatem qua Deo accepti sunt, et quia frequentius fiunt per Sanctos. Verum de hac materia plenius tractatur in Collationibus Patrum, in collatione quæ intitulatur, De charismatibus divinis. Si autem mirabilia ista fieri possent per sæculares injustos quasi ex meritis eorumdem, superfluum esset relinquere mundum.

Matth. VII, 22, 23; *Luc.* XIII, 27.

Collat. XV.

Quando dæmones post abrenuntiationem nostram accendunt et fervere faciunt cor nostrum memoria parentum, fratrum, amicorum, ac propriæ regionis; tunc armemus nos orationibus contra ipsos, et inflammemus nos ipsos recordatione ignis æterni, ut per eam ocius, id est velocius seu protinus, *exstinguamus importunum ignem,* hoc est irrationabilem et inconvenientem affectionem ac concupiscentiam, *cordis nostri.*

Consequenter ponit documentum ac signum per quod scire poterimus an inordinate seu passionate afficimur ad aliquam rem. *Si quis putat se adjacere,* id est habere se, *circa rem aliquam* aut circa quodcumque negotium *impassibiliter* aut impassionate, absque affectione vitiosæ delectationis, *et tamen cor suum aliqualiter contristatur in privatione,* id est subtractione, *illius rei* sive negotii; *hic talis perfecte seduxit se ipsum,* majora sentiens et præsumens de se ipso, et putans se aliquid esse, quum nihil sit. Ex hoc itaque documento pensemus anne inordinate afficiamur ad ea quæ nostro usui sunt concessa, et quæ habemus in cellulis nostris. Sic quoque si quis dicat se non appetere aliquid hujus mundi, non laudem, non honorem, nec aliquam promotionem; et tamen ferre non potest increpationem, derisionem, contemptum : talis perfecte decepit se ipsum, et mentitur iniquitas sibi. *Ps.* XXVI, 12.

Galat. VI, 3.

Quicumque juvenes adjacent atque effusi sunt ac dediti *circa concupiscentias corporales et amores carnales, ac delicias furiosæ seu irrationabilis gulæ, et* pœnitentia ducti *volunt accedere ad conversationem monasticam, excitare debent se ipsos in omni vigilia et attentione, sub*

doloribus et laboribus et omni austeritate, abstinentes ab omni malignitate et ab universis deliciis, ne aliquando fiant eis posteriora seu novissima pejora prioribus, et ne portus salutis, puta cœnobium, seu professio religionis, ad quam tanquam ad portum salutis confugerunt, *fiat eis aggregatio periculorum,* id est accumulatio vitiorum, seu gravioris damnationis occasio. *Et istud cognoscunt navigantes intellectuale mare :* id est, qui per sæculum istud nequam tanquam per mare festinant ad patriam, sciunt quod istud sit verum atque salubre. *Miserabile namque spectaculum est, salvatos in pelago videre naufragari in portu,* hoc est, eos qui evaserunt vitia mundi et damnationem quum adhuc erant in sæculo, periclitari graviusque peccare et perire in claustro aut eremo.

Matth. XII, 45.

A Ratio prædictorum est, quoniam sicut in corporalibus, ita in spiritualibus unum contrariorum expellitur et curatur per aliud. Propterea quanto quis fuit in sæculo magis libidinosus, gulosus, et mundi vanitatibus vitiisque intentus ; tanto debet post suam conversionem esse districtior, temperatior, purior, atque instantior in « doloribus » compunctionis et mœroribus pro suis excessibus, in « laboribus » quoque exercitiorum pœnitentialium, operumque claustralium ac manualium et pe- B jorum. Istud quippe requirit condigna pœnitentia, reformatio vera, ac salutaris morum conversio. Verumtamen prætacta, præsertim vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ, et ceteræ corporales exercitationes, debent esse discreta, ut sit rationabile obsequium nostrum. Rom. XII, 1

GRADUS III

DE VERA PEREGRINATIONE.

PEREGRINATIO est irreconversibilis derelictio omnium quæ sunt in hac patria, contra agentium nobis ad pietatis intentionem. Peregrinatio est repulsio propriæ confidentiæ, mos reverens, modus verecundus, incognita sapientia, non publicatus intellectus, abscondita via, occulta substantia, invisa intentio, vilitatis appetitio, angustiæ concupiscentia, divini desiderii suppositio, multitudo amoris Jesu Christi, vanæ gloriæ negatio, odium nominis scientiæ et sanctitatis, silentii profundum. — Denique cogitatio ista peregrinationis habet naturam molestandi servos Dei incessanter in prooemiis, et desuper ordinata est stimulare amatores Dei quasi igne divino : dico vero, a domesticis et propriis elongatio, exhortans amatores Dei ad pulchritudinem talem et ad bonum sub intentione amoris et vilitatis et tribulationis.

At quantum agonizatio ista magna ac laude digna est, in tantum eget multa possessione discretionis. Non enim omnis peregrinatio [illegible] — Si omnis Propheta sine honore est in patria sua, sicut dicit Dominus, videamus Matth. XIII, [illegible] [illegible]

Pergens ad peregrinationem ac solitariam mansionem, non sustineas tecum morari animas amatrices mundi, eo quod fur sit non exspectatus et insuspicabilis. Multi enim tentantes secum salvare pigros ac negligentes, perditi sunt cum eis, igne ex eis exstincto sub tempore. Suscipiens flammam, curre : non enim nosti quando exstinguatur et in tenebris te relinquat. Nam alios salvare non exquirimur. Ait enim divinus Apostolus : Unusquisque pro se rationem reddet Deo. Et iterum : Qui alium (inquit) doces, te ipsum non doces. Quasi diceret : De alio non nosti, at omnes novimus de nobis ipsis. — Peregrinus, remove a te certa munitione dæmonem gyrovagum et voluptatum amatorem : nam peregrinatio ei præbet occasionem.

Rom. XIV, 12. *Ibid.* II, 21.

Pulchrum et bonum est non habere ad aliquid vitiosam affectionem : peregrinatio vero mater est et origo non habendi ad aliquid vitiosam affectionem. — Qui peregrinus est propter Jesum Christum Dominum nostrum, non copulabit amplius affectiones ad aliquid, ut non appareat passionibus abstractus et appropinquans. Qui a mundo peregrinatur, nequaquam appropinquabit ulterius mundo : vitia enim habent naturam diligere reverti.

Exsulat Eva non spontanee a paradiso, et monachus spontanee a patria sua. Et Eva lignum inobedientiæ iterum concupivisset ; monachus vero detrimentum quotidie passus a cognatis suis carnalibus, penitus interisset. — Tanquam a flagello fuge loca ruinarum : nam absente fructu, non tam frequenter appetimus illum. — Neque te lateat iste modus suggestionis et dolus latronum. Suggerunt enim nobis a sæcularibus non discedere, dicentes nos reportare magnam mercedem, si videndo feminas, servamus nos continentes ab eis. Quibus non convenit obedire, sed magis oppositum facere.

Quum recedentes a domesticis nostris per tempus vel tempora, acquisivimus nobis ipsis aliquam religiositatem, compunctionem, continentiam aut abstinentiam : tunc dæmones demum instantes cogitationibus vanis, iterum suggerunt nobis accedere ad propriam patriam ad ædificationem et utilitatem multorum ; et actus nostros illicitos dicunt esse formam scientium ea quæ necessaria sunt ad salutem. Si vero fuerimus aliqualiter potentes in bono sermone et vili scientia, tunc instigant nos redire ad mundum tanquam animarum salvatores et magistros, ut bene congregata in portu, male dispergamus in pelago. — Festinemus imitari ipsum Lot, non conjugem ejus : anima enim conversa ad ea unde exivit, sicut sal evanescit, et de cetero manet immobilis. Inconvertibiliter fuge Ægyptum : nam corda ibi conversa non viderunt terram impassibilitatis Jerusalem.

Quod relinquentes propria, requirunt ea ex cordis instabilitate, contingit sæpe propter puerile in prooemiis. Contingit similiter ut omnia relinquentes, perfecte purgati, salvent et convertant quosdam post suam salutem, sicque utiliter et convenienter reconvertantur ac redeant ad ipsos. Etenim Moyses contemplator Dei, missus a Deo in salutem cognatæ gentis, sustinuit multa pericula in Ægypto, videlicet tenebrefactiones in mundo.

Bonum est contristare parentes, et non Dominum Jesum. Christus enim plasma-

vit et salvavit nos ; parentes vero sæpius perdiderunt et æternis pœnis tradiderunt quos dilexerunt. — Peregrinus est ille qui sedet in scientia, sicut alienus a lingua, incognitis sibi linguis.

Nos non odientes proprios et domesticos nostros seu loca, recedimus. Absit : nam Jesus Christus factus est nobis Dominus et magister in isto sicut in universis aliis bonis operibus. Fuit enim et ipse frequenter relinquens parentes secundum carnem. Audiens enim a quibusdam, Mater tua et fratres tui foris stant et quærunt te, ipse bonus magister confestim ostendit nobis odium impassibile, dicens : Mater mea et fratres mei sunt qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. — Sit tibi pater, qui vult et potest tecum laborare ad dissipandum onus peccatorum tuorum. Mater vero tua sit compunctio valens te lavare a sordibus. Frater vero tuus sit, qui tecum laborat ad cursum virtutum et ad vitam supernam, et coarctatur. Posside uxorem inevulsibilem, memoriam mortis. Filii vero dilectissimi sint suspiria cordis et gemitus. Servum posside corpus tuum. Amicos vero habe et posside sanctas virtutes, quæ possunt tibi prodesse in tempore exitus, si fuerint tibi amici. Hæc est generatio quærentium Dominum.

Dilectio et desiderium Dei exstinxit dilectionem parentum. Qui vero dicit se habere simul utramque, seducit se ipsum, audiens Christum dicentem, Nemo potest duobus dominis servire, et quæ sequuntur. — Dominus ait, Non veni mittere pacem, sed gladium ; id est : non veni mittere amorem parentum ad filios ac fratres eligentes mihi servire, sed pugnam et gladium ; veni enim separare amatores Dei ab amatoribus mundi, materiales ab immaterialibus, amatores gloriæ ab humilibus. Gaudet enim et epulatur Dominus super dissensione et separatione facta propter perfectam caritatem ad ipsum.

Vide, vide nequando universa videantur tibi passionate ac vitiose diligenti domesticos tuos, esse plena aquis, et submersus diluvio mundani amoris, pereas simul cum eis. — Ne miserearis lacrimarum parentum et amicorum : alioqui in futuro in æternum plorabis. — Quando circumdabunt te propinqui tui sicut apes, magis vero sicut vespæ, lamentum super te facientes ; confestim intuere indesinenter oculo animæ mortem tuam et actus tuos, ut valeas removere dolorem dolore. — Spondent nobis dolose nostri et non nostri, universa amabilia prompte peragere ; intentio vero eorum est impedire virtuosum cursum nostrum et viam nostram, conantes ad hoc, ut queant nos sic trahere consequenter ad propriam intentionem. *Ps. cxvii, 12.*

A locis nostris secessus si fiat, sit semper ad partes humiliores, magis privatas consolationibus et deliciis sæculi et delectationibus vitæ præsentis, maxime quoque remotas a gloria vana et laude hominum ac tumultu. Si vero non sic, volamus cum passionibus et peccatis. — Absconde ingenuitatem, et fuge publicare pompatice bonam famam et opinionem, nequando inveniaris exsistere alius ore, alius actibus. — Nullus tradidit se ipsum peregrinationi tam excellenter sicut pertinet ad rem, ut magnus ille qui audivit : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Etenim vocatus fuit a Domino ad alienas linguas et terram barbarorum.

Et quando Dominus glorificavit peramplius aliquem peregrinantem, secundum similitudinem hujus magni sancti Abrahæ? Verum, quamvis a Deo data sit gloria, optimum tamen est ipsam scuto humilitatis avertere. — Quando dæmones vel homines laudant nos de peregrinatione quasi de magna directione, tunc cum intentione assumamus memoriam ejus qui propter nos de cœlo venit peregrinus in terram, et inveniemus nos peregrinationem non posse implere in sæculum sæculi.

Porro affectio ad aliquem propriorum domesticorum vel extraneorum habita, quæ potest nos ad modicum retrahere ad ea quæ mundi sunt, et ignem nostræ compunctionis finaliter exstinguere, crudelis est, passionata et vitiosa. — Sicut impossibile est uno oculo intueri cœlum et alio terram, ita impossibile est eum non perire in anima, qui se ipsum non facit perfecte peregrinum cogitatione et opere ab omnibus suis domesticis et extraneis et familiaribus.

Mores boni et bene compositi, multo labore et magno agone diriguntur in nobis; et possibile est uno temporis momento deperdere mores ipsos multo labore directos : (I *Cor.* xv, 33.) corrumpunt enim mores bonos colloquia mala, ornata simul et inornata. — Qui post renuntiationem conversatur cum mundanis vel propinquus exsistit eis, incidet penitus in laqueos eorum et foveas; aut coinquinabitur meditando ex deliberatione de his quæ fiunt in ipsis ; vel manens non inquinatus, inquinabitur dijudicans inquinatos.

DE SOMNIIS.

Quoniam quidem intellectus nostræ scientiæ est totaliter imperfectus et repletus (*Job* xii, 11; xxxiv, 3.) omni ignorantia, impossibile est occultari. Guttur namque discernit escas, auris vero intellectualia percipit; et informitatem quidem oculorum manifestavit sol, insipientiam vero animæ redarguunt verba. Verumtamen caritatis lex violentat ad ea quæ sunt supra virtutem. Igitur arbitror (neque enim determino) esse conveniens et consequens inserere pauca et minima quædam de somniis post verba peregrinationis, magis autem in ipsis, in tantum ne contingat nos esse indoctos de hac fraude dæmonum malignorum.

Somnium est motus mentis in immobilitate corporis. — Phantasia est illusio oculorum in dormiente mente. Phantasia est ecstasis mentis corpore vigilante. Phantasia est non subsistens contemplatio.

Causa propter quam volumus loqui de somniis post assumptum ordinem, est manifesta. Quoniam relinquentes nos ipsos propriosque parentes et domos propter Dominum Deum nostrum, vendidimus nosmetipsos per peregrinationem pro caritate Jesu Christi divina; tunc dæmones conantur nos conturbare per somnia, demonstrando nobis domesticos et familiares cæde prostratos aut morientes, aut oppressos (*Eccli.* xxxiv, 2.) læsione vel amaritudine propter nos. Qui ergo somniis credit, similis est homini currenti post umbram suam et conanti apprehendere eam.

Dæmones vanæ gloriæ, in somniis prophetæ, conjecturantes ventura tanquam versipelles et astuti, prænuntiant nobis ipsa, ut faciant nos stupere quum visa seu prænuntiata fuerint adimpleta, et exaltemus cogitationes nostras sursum, quasi deinceps exsistentes prope gratiam prophetalem. — Dæmon frequenter fit propheta in his qui obediunt ei ; semper vero mentitur contemnentibus eum. Nam quum sit spiritus, videt ea quæ sunt infra aerem ; et intelligens aliquem morientem, prophetat per somnia his qui leviores et vani sunt. Nihil enim eorum quæ futura sunt, dæmones sciunt ex præcognitione : nempe incantatores potuerunt nobis taliter quædam prædicere.

Dæmones pluries se transformant in angelos lucis et in speciem martyrum, et monstraverunt nobis per somnia ipsos quasi angelos ac martyres venire ad nos ; evigilantes vero demerserunt deorsum propria reputatione gaudioque elatos. Hoc vero fiat tibi signum seductionis : nam angeli demonstrant pœnas et judicia et segregationes, quæ evigilantes faciunt trementes et mœrentes. — Quando incipimus obaudire et credere dæmonibus in somnis, tunc et evigilantes ab ipsis illudimur. Qui somniis credit ex toto, reprobus est ; qui autem omnibus somniis incredulus exstat, iste sapientiæ est amator. Crede omnibus et solis evangelizantibus tibi pœnam et judicium. — Si vero desperatio te molestat et palpat ex his, tunc ista similiter est ex dæmoniis.

ARTICULUS V

EXPOSITIO PARTIS PRIMÆ GRADUS HUJUS TERTII : DE VERA PEREGRINATIONE.

POST eradicationem omnis inordinatæ affectionis ad quæcumque creata, mox sequitur vera ac plena tendentia cordis ad beatificam Deitatis visionem patriamque Beatorum : idcirco de peregrinatione ista nunc agitur.

Peregrinatio est irreconversibilis derelictio omnium quæ sunt in hac patria, id est in vita præsenti, quæ est exsilium magis quam patria : « omnium », inquam, *contra agentium,* id est, renitentium et adversantium, *nobis ad pietatis intentionem,* hoc est, impedientium nos a proposito piæ ac virtuosæ conversationis. Requiritur namque ad hanc peregrinationem ut universa creata, carnalia et caduca deserantur ad minus mentaliter, aut etiam quandoque corporaliter, quantum ad id quo impediunt a salute. Dicitur quoque derelictio ista « irreconversibilis », non quod semper permaneat talis (nam interdum contingit quod peregrinator fidelis cadat a gratia, mortaliterque peccando convertatur ad vana quæ dereliquit) ; sed dicitur irreconversibilis quantum ad peregrinantis intentionem, quia proponit nequaquam reverti ad talia : juxta quem modum pœnitere dicitur præterita mala deplangere, et deplangenda non facere.

Deinde multa dicuntur de peregrinatione ista, quæ non sunt essentialiter peregrinatio ipsa ; sed quædam eorum sunt quasi integrales partes ipsius, et quædam sunt causa ejus, quædam vero sunt ejus

effectus, aut aliquo modo pertinent ad eamdem.

Peregrinatio est repulsio propriæ confidentiæ. Pertinet enim ad peregrinum non confidere de viribus propriis, sed in Deo totam spem figere : nam iter sæculi hujus sine periculo et irreconversibiliter pertransire, et laqueos adversariorum evadere, non valemus sine indesinenti auxilio gratiæ Creatoris. *Mos reverens :* nam peregrinans reverentialem debet gerere apparatum, et morigerate incedere, imo et verecundus consistere, tanquam in alienis exsistens. Ideo subditur : *modus verecundus,* sumendo modum pro moderatione, dispositione seu manerie.

Est item peregrinatio ista : *incognita sapientia,* quia procedit ex vera et salubri sapientia, quam ignorant amatores sæculi
Sap. I, 4. hujus. In malevolam quippe animam non
Job XXVIII, 13. intrat sapientia ista, nec invenitur in terra deliciose viventium. *Non publicatus intellectus,* id est cognitio non omnibus sed perpaucis manifestata. Pertinet equidem ad hanc peregrinationem, intelligere quam vana ac vilia sint universa ista carnalia et terrena comparatione futurorum, spiritualium cœlestiumque bonorum, præsertim respectu summi, increati et incircumscriptibilis boni : quod perpauci intelligunt intellectu formato seu per donum scien-
Matth. XI, 25. tiæ. Unde Salvator disseruit : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvu-
Is. XXVIII, 9. lis. Isaias quoque : Quem docebit (inquit) Dominus scientiam ? Et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere.

Abscondita vita. Nam peregrinatio ista pro maxima parte consistit in exercitatione interna ; et peregrinans salubriter, quantum in se est, intendit et cupit bona opera sua abscondere, sicut jubet Salva-
Matth. VI, 1. tor : Videte ne faciatis justitiam vestram coram hominibus ut videamini ab illis ;
Coloss. III, 3. et Paulus : Mortui (inquit) estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Occulta substantia,* id est operatio seu spiritualis opulentia modo jam tacto secreta. *Invisa intentio,* quia ad peregrinationem hanc spectat spiritualis ac recta intentio complacendi ac inhærendi soli Altissimo : quæ intentio non est exteriori perceptibilis visu ; imo nec interiori visu apprehensa est a perversis perfidisque hominibus.

Vilitatis appetitio : nam peregrinator hujusmodi, quum sit vere humilis, appetit vilipendi. Concupiscit etiam pro suis peccatis affligi, et cum Christo angustiari. Propterea sequitur : *angustiæ concupiscentia ;* et sumitur « concupiscentia » hic in bono, videlicet pro ordinato affectu, sicut in libro Sapientiæ, quo habetur :
Concupiscentia sapientiæ deducet ad re- Sap. VI, 21.
gnum perpetuum. *Divini desiderii suppositio.* Est enim fundamentum seu basis desideriorum cœlestium : nam quanto plus deseruntur terrena, tanto fit anima aptior ad superna. *Multitudo amoris Jesu Christi,* hoc est multa et copiosa seu fervens affectio Christi, ad quem suspirat ac tendit peregrinator, cum Apostolo dicens :
Desiderium habeo dissolvi et esse cum Philipp. I, 23.
Christo. *Vanæ gloriæ negatio.* Nam gloriam vanam peregrinator hic summe abhorret, cum Paulo protestans : Mihi absit Galat. VI, 14.
gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Odium nominis scientiæ et sanctitatis,* id est detestatio famæ de scientia et sanctitate. Detestatur namque habere famam quod sit doctus et sanctus : imo quantum in se est, potius cupit defectuosus, negligens ac fatuus reputari. *Silentii profundum,* id est magna et humilis observantia silentii, seu taciturnitas virtuosa : quæ utique spectat ad peregrinum, ut non intromittat se de impertinentibus sibi, neque loquatur inania, sed custodiat os suum, ne inquinet conscientiam suam.

Denique cogitatio ista peregrinationis, habet naturam molestandi servos Dei incessanter in prœmiis : id est, in principio conversionis molestum ac laboriosum est taliter peregrinari in sæculo isto, et

cuncta tam perfecte deserere; *et desuper ordinata est stimulare amatores Dei quasi igne divino.* Et quid per istud quod est quasi ignis intelligat, pandit subdendo : *Dico vero, a domesticis et propriis elongatio,* id est, istum ignem quo præfata cogitatio stimulat Deum amantes, voco elongationem « a domesticis et propriis » hominibus. Qui enim se cogitat peregrinum in mundo, libenter ab aliis se elongat ac abstrahit : per quod amore divinorum validius inflammatur. Unde de elongatione ista subjungitur quod sit *exhortans amatores Dei ad pulchritudinem talem,* videlicet spiritualem, quæ in peregrinatione consistit, *et ad bonum* virtutum, *sub intentione amoris et vilitatis et tribulationis,* id est, hac « intentione » et ratione seu isto intuitu, ut per elongationem illam in amore sancto proficiant, ampliusque vilescant seu vilipendantur, atque pro suis vitiis se affligant aut tribulentur ab aliis. Hæc enim peregrinus affectat, ut dictum
Jacob. i, 2. est, perfectum videlicet gaudium existimans quum in diversas tentationes inciderit.

At quantum agonizatio ista, id est pugna et peregrinatio, *magna,* id est virtuosa, *ac laude digna est, in tantum eget multa possessione discretionis,* id est copiosa ac firmiter inhærente discretione. *Non enim omnis peregrinatio summe facta, est pulchra,* hoc est, non omnis derelictio omnium rerum præsentium valde eminenter exhibita, est veraciter virtuosa, quia interdum corrumpitur gloriatione inani, aut
Marc. vi, 4. amore humani præconii. *Si* (pro Quia) *omnis Propheta sine honore est in patria sua, sicut dicit Dominus* in Evangelio, juxta sensum ibi inductum, *videamus ne peregrinatio fiat nobis forte occasio vanitatis.* Ex actibus quippe sublimiter virtuosis, occasionaliter celeriusque nascuntur spiritualis superbia, complacentia vana, inanis lætitia.

Peregrinatio enim est ab omnibus separatio, hoc est abstractio cordis aut etiam abscessio corporalis ab omnibus rebus no-

A civis ac proximis, *ob hoc ut faciat mentem et cogitationem a Deo inseparabilem.* Hic plane est finis hujus peregrinationis et solitariæ mansionis, ut mens sit tanto stabilius sinceriusque Deo unita, quanto ab aliis cunctis est magis remota. Mens autem virtuosa fit a Deo in hac vita inseparabilis, id est difficulter separabilis ; in futuro autem erit a Deo prorsus inseparabilis, utpote confirmata in bono.

Peregrinatio est amatrix et operatrix incessabilis planctus. Nam facit hominem
B plangere omni tempore opportuno, ex tædio hujus exsilii ac desiderio paradisi superni, ita ut dicat : Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est; itemque : Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Peregrinus est qui fugit et fugat omnem habitudinem et affectionem propriorum et alienorum : hoc est, omnem inordinatam occupationem, curam et passionatam affectionem intraneorum extraneorumque hominum, seu omnium proximorum alio-
C rumque rerum, « peregrinus fugit » seu vitat, ne intret in eum, « et fugat » seu pellit a se, quando cœperit introire aut pulsare cor suum.

Tu *pergens ad peregrinationem ac solitariam mansionem, non sustineas tecum morari animas amatrices mundi,* id est homines mundum prave amantes, *eo quod fur sit non exspectatus et insuspicabilis,* id est, cohabitatio talis, sive diabolus per talem cohabitationem insidians et dona gratiæ auferre cupiens, homini bono est
D fur improvisus, ex abrupto et insuspicabiliter irruens, lædens ac spolians. *Multi* [illegible] *negligentes, perditi sunt cum eis.* In quibus impletum est illud : Cum perverso perverteris. Maxime etenim nocet mala societas, quemadmodum scriptum est : Qui tangit picem inquinatur ab ea. *Igne ex eis* [illegible], id est fervore devotionis deficiente in eis paulatim, exemplo, confabulatione et communione negligentium et pigrorum.

Suscipiens flammam, curre, id est, quando infunditur tibi aliquis fervor et salubris compunctio, protinus acquiesce et cooperare eidem, atque celeriter tende ad patriam per actus virtutum. *Non enim nosti quando exstinguatur et in tenebris te relinquat :* id est, incertum est tibi quando cessabit inflammatio seu inspiratio illa, sive ex dispensatione divina qua Deus vicissim subtrahit ad tempus gratiam talem ex certis causis, sive ex instabilitate, occupatione aut negligentia tua, sive ex impugnatione diaboli; sicque gratia illa subtracta aut perdita, relinqueris « in tenebris » ignorantiæ atque pigritiæ tuæ. Ideo ait Apostolus (I Tim. IV, 14.) : Noli negligere gratiam Dei quæ in te est; et Salvator (Luc. XIX, 13.) : Negotiamini (inquit) dum venio. *Nam alios salvare non exquirimur,* id est, non tenemur proximos nostros salvare exponendo nos periculis damnationis propter illorum salutem, agendo incaute. Propter quod loquitur Christus (Ibid. IX, 25.) : Quid proficit homo si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat et detrimentum sui faciat? Verumtamen requirit Deus a præsidentibus ac prælatis, ut quantum in ipsis est salvent sibi commissos. Unicuique quoque (Eccli. XVII, 12.) mandavit Deus de proximo suo, ut diligat et ædificet eum, ac tempore opportuno oret pro ipso, et opem ei impendat pro posse. *Ait enim divinus Apostolus* (Rom. XIV, 12.)*: Unusquisque pro se rationem reddet Deo. Et iterum* (Ibid. II, 21.)*: Qui alium (inquit) doces, te ipsum non doces. Quasi diceret : De alio non nosti* quid agatur in eo; *at omnes novimus de nobis ipsis* quid agatur in nobis, quid cogitemus, appetamus, et quales simus. Propter quod asserit Paulus (I Cor. II, 11.) : Ea quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus ejus. Et quamvis (Eccle. IX, 1.) non habeamus certitudinem absolutam an simus in caritate et vere devoti, probabiliter tamen scire id possumus.

Peregrinus, remove a te certa munitione dæmonem gyrovagum et voluptatum amatorem, hoc est, tu peregrinus exsistens, non acquiescas maligno spiritui te tentanti ut circumquaque discurras, et lautas refectiones desideres in locis quæ visitas. *Nam peregrinatio ei præbet occasionem:* id est, ex hoc quod quis nil proprium habet, oritur ei occasio quærendi victum apud diversos, et dæmon inde accipit occasionem tentandi peregrinum ut gyrovagetur. Cui resistendum est « certa munitione », id est speciali armatura, videlicet Dei timore et mentis constantia, seu consideratione malorum quæ ex tali gyrovagatione procedunt. Unde in Regula S. Benedicti maxime vituperantur Fratres ita per cœnobia circumeuntes, et hinc inde per biduum aut triduum repausantes suoque ventri deservientes.

Pulchrum et bonum est, utpote virtuosum atque salubre, *non habere ad aliquid vitiosam affectionem,* ut scilicet nil amplius appetatur sive ametur quam utile aut necessarium est ad veram salutem. Quod si quid plus appetatur aut ametur quam sic, tamen citra Deum, tunc est veniale peccatum; si vero afficiatur quis ad aliquid plus quam ad Deum, mortale peccatum est. *Peregrinatio vero mater est et origo non habendi ad aliquid vitiosam affectionem,* quemadmodum et econtra, secundum diversum respectum ac distinctam causalitatem : ex hoc nempe quod cuncta modo præfato relinquimus, procedit ut ad nihil inordinate afficiamur.

Qui peregrinus est propter Jesum Christum Dominum nostrum, non copulabit amplius affectiones ad aliquid, id est, non inibit nec contrahet inordinatos affectus ad creaturam quamcumque (nam quidquid impedit a Christi contuitu et amore abhorret), *ut non appareat passionibus abstractus et appropinquans,* hoc est, ne coram Deo inveniatur aversus a Christo per passiones, « et appropinquans » eisdem per consensum illicitum. Unusquisque enim (Jacob. I, 14.) tentatur a sua concupiscentia abstractus et illectus, ut Jacobus fatetur apostolus. *Qui a mundo peregrinatur,* id est, mente a rebus mundanis ac vanis recedit, *nequaquam appropinquabit ulterius mundo* per

affectum immoderatum : hoc enim intendit; et si perseverat in peregrinatione, implet hoc opere. *Vitia enim habent naturam diligere reverti,* id est libenter redire ad eos quos ante inquinaverunt : tales enim sunt magis proni ad vitia pristina, quousque perfecte purgentur a reliquiis vitiorum, et in virtutibus radicentur. Hinc qui peregrinantur a mundo, non cito appropinquant eidem.

Exsulat Eva non spontanee a paradiso, hoc est, Eva invite sustinuit expulsionem atque exsilium a paradiso terrestri; *et monachus* exsulat *spontanee a patria sua* terrestri, egressus ex devotione de terra sua et de sua cognatione. *Et Eva lignum inobedientiæ,* utpote fructum ligni (Gen. ii, 9, 17; iii, 6.) scientiæ boni et mali, in quo per inobedientiam peccavit, *iterum concupivisset* si in paradiso mansisset; *monachus vero detrimentum quotidie passus a cognatis suis carnalibus, penitus interisset* in patria sua inter illos manendo.

Tanquam a flagello fuge loca ruinarum, id est mansiones et societates eorum qui ad peccata alliciunt : oportet namque vitare non solum peccata, sed et occasiones peccandi. *Nam absente fructu, non tam frequenter appetimus illum :* sic et desiderabilibus hujus mundi a visu atque auditu nostro remotis, non tam sæpe ad ea afficimur. Objecta quippe fortius movent quando sensibus aut ceteris potentiis præsentantur, quamvis interdum ex vehementia diabolicæ impugnationis aliter accidat.

Neque te lateat iste mundus suggestionis et dolus latronum, videlicet dæmonum, qui animas jugiter trucidare conantur. *Suggerunt enim nobis a sæcularibus non discedere, dicentes nos reportare magnam mercedem, si videndo feminas, servamus nos continentes ab eis. Quibus* latronibus *non convenit obedire, sed magis* convenit *oppositum facere.*

Quum recedentes a domesticis nostris per tempus vel tempora (id est, per annum vel annos fuerimus ab eis absentes), *acquisivimus nobis ipsis aliquam religiositatem, compunctionem, continentiam aut abstinentiam : tunc dæmones demum instantes cogitationibus vanis,* id est, instanter conantes nos inducere ad consensum cogitationum inanium, *iterum suggerunt nobis accedere ad propriam patriam ad ædificationem et utilitatem multorum; et actus nostros illicitos,* utpote esse et loqui, manducare et conversari inter cognatos et sæculares, *dicunt esse formam,* id est exemplum salubre, *scientium ea quæ necessariæ sunt ad salutem.* Persuadent etenim nobis, quod omnia verba et opera nostra ædificativa sint aliorum; nec advertimus illusiones defectuositatesque proprias. *Si vero fuerimus aliqualiter potentes in bono sermone et vili scientia, tunc instigant nos redire ad mundum tanquam animarum salvatores et magistros,* id est tanquam idoneos salvare, convertere et docere animas plurimorum, *ut bene congregata in portu, male dispergamus in pelago,* hoc est, opera virtuosa et spirituales divitias in claustro collectas perdamus in sæculo.

Festinemus imitari ipsum Lot, qui non retrospexit, sed angelis acquievit; *non conjugem ejus,* quæ contra angelorum mandatum respexit retrorsum. (Gen. xix 17, 26.) *Anima enim conversa ad ea unde exivit,* id est, monachus ad mundum et ea quæ mundi sunt per inordinatum affectum se vertens, *sicut sal evanescit, et de cetero manet immobilis,* hoc est difficulter convertibilis.

Inconvertibiliter fuge Ægyptum : id est, mundum et tenebras vanitatesque ejus ita relinque ut nunquam revertaris ad ea. *Nam corda ibidem conversa,* id est ad Ægyptum per affectum reversa, [illegible] terram repromissionis [illegible], id est, terram promissionis et urbem Jerusalem non introierunt : quæ terra præfiguravit regionem vivorum cælestem, et ipsa Jerusalem tropologice signat animam a passionibus emundatam. Conformiter monachi redeuntes corde ad sæculum nequaquam merentur videre bona Domini [illegible] in terra viventium beatorum.

Quod relinquentes propria, requirunt A *ea ex cordis instabilitate, contingit sæpe propter puerile in proœmiis,* id est, ex hoc quod in exordio suæ conversionis habuerunt se pueriliter et torpenter, non sol-
Ephes. IV, 1. liciti digne Deo ambulare juxta exigentiam suæ vocationis. *Contingit similiter ut omnia relinquentes, perfecte purgati, salvent et convertant quosdam post suam salutem,* id est post propriam conversionem felicem, *sicque utiliter et convenienter reconvertantur ac redeant ad ipsos* quos reliquerunt. *Etenim Moyses contemplator* B *Dei, missus a Deo in salutem cognatæ gentis,* hoc est ad liberationem et informationem Israeliticæ plebis, de cujus prosapia fuit ipse, *sustinuit multa pericula in Ægypto.* Interdum enim filii Israel repu-
Exod. V, 21. lerunt eum a se, dicentes : Judicet Dominus inter nos et te, quia fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone. Inter-
Ibid. 4; X, 28. dum quoque Pharao indignabatur comminabaturque ei. *Videlicet tenebrefactiones in mundo,* hoc est, ipse Moyses pertulit varias perturbationes, inquietudines, cu- C ras, angustias inter Judæos, in tantum
Num. XI, 15. quod dixit ad Dominum : Obsecro ut interficias me, ne tantis malis afficiar.

Bonum est contristare parentes, relinquendo eos propter Christum, *et non Dominum Jesum,* præferendo ei carnales
Matth. X, 37. parentes. Nam ipse ait : Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Contristatur autem Christus a nobis, dum per modum contristati se habet ad nos. *Christus enim plasmavit et salvavit nos; parentes vero sæpius perdiderunt* D *et æternis pœnis tradiderunt quos dilexerunt* carnali amore, impediendo eos a via salutis imitationeque Salvatoris.

Peregrinus est ille qui sedet in scientia, id est, in divinorum contemplatione cum taciturnitate quiescit, *sicut alienus a lingua,* id est tanquam viator aliquis linguam seu loquelam non habens, *incognitis sibi linguis* eorum inter quos ambulat, quorum non intelligit verba : unde nec loquitur eis.

Nos non odientes proprios et domesticos nostros seu loca, recedimus, id est, propinquos et loca nativa relinquimus non ex odio eorumdem : non enim odimus personas aut naturas eorum, sed vitia, quibus conantur nos a via perfectionis retrahere. *Absit* a nobis odium illud caritati contrarium; *nam Jesus Christus factus est nobis Dominus et magister in isto* recessu a nostris propinquis, *sicut in universis aliis bonis operibus. Fuit enim et ipse frequenter relinquens parentes secundum carnem,* id est veram suam Matrem virgineam et patrem putativum, seu consanguineos suos carnales. *Audiens enim a quibusdam, Mater tua et fratres tui foris* *Matth.* XII, 47.
stant et quærunt te, ipse bonus magister confestim ostendit nobis odium impassibile, id est intellectuale atque laudabile (quo odiuntur impedimenta salutis seu vitia, non personæ), et non odium passionatum vituperabile, *dicens : Mater mea et fratres mei sunt qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* *Ibid.* 50.

Sit tibi pater, qui vult et potest tecum laborare ad dissipandum onus peccatorum tuorum : talis enim dispositive perducit te ad esse spirituale, quod est esse gratiæ ac virtutum; et ita spiritualiter gignit te, et debes eum habere pro patre. *Mater vero tua sit compunctio valens te lavare a sordibus* vitiorum, et ita per eam ad spirituale esse perduceris. *Frater vero tuus sit, qui tecum laborat ad cursum virtutum et ad vitam supernam,* id est conversationem regularem monasticam, per quam itur ac pervenitur ad patriam illam cœlestem, *et coarctatur,* hoc est, constringitur ac tenetur tecum sub regula tuæ professionis, et sub regimine Patris spiritualis. *Posside uxorem inevulsibilem, memoriam mortis,* id est, memoriam mortis assiduam habe pro uxore inseparabili, ex qua producas saluberrimos fructus, de quibus subjungitur : *Filii vero dilectissimi sint suspiria cordis et gemitus,* sed et devotæ meditationes et sancti affectus, ac

ceteri meritorii actus. *Servum posside corpus tuum,* ut caro tua sit rationi subjecta, quemadmodum servus domino suo. *Amicos vero habe et posside sanctas virtutes, quæ possunt tibi prodesse in tempore exitus, si fuerint tibi amici,* hoc est, si vere inhæserint conjunctæque fuerint tibi sicut
Ps. xxiii. 6. amicus amico. *Hæc est generatio quærentium Dominum,* id est, fideles taliter se habentes et bonis his decorati, sunt populus Deum veraciter quærens.

Dilectio et desiderium Dei, id est spiritualis infususque amor summi et incommutabilis boni, et appetitio perfruendi eodem et complacendi ac inhærendi jugiter ei, *exstinxit dilectionem parentum* carnalem, non spiritualem. *Qui vero dicit se habere simul utramque,* utpote spiritualem Dei amorem atque carnalem affectionem parentum, *seducit se ipsum, audiens*
Matth. vi. 24. *Christum dicentem, Nemo potest duobus dominis servire, et quæ sequuntur* in Evangelio, scilicet : aut enim unum odio habebit, etc. Quod intelligendum est de dominis invicem sibi contrariis prorsus, ita quod quidquid complacet uni, displicet alteri. Conformiter, amor carnalis et spiritualis secundum esse completum, simul inesse non possunt eidem, quia contrariantur ad invicem. Propter quod loquitur
Is. xxviii. 20. Isaias : Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat.

Matth. x. 34. *Dominus* in Evangelio *ait, Non veni mittere pacem, sed gladium; id est : non veni mittere amorem* carnalem *parentum ad filios ac fratres eligentes mihi servire, sed pugnam et gladium,* id est bonam dissensionem et separationem. *Veni enim separare amatores Dei ab amatoribus mundi, materiales ab immaterialibus,* id est sensuales terrenosque homines a spiritua-
Philipp. iii. 20. libus, quorum conversatio est in cœlis, qui vivunt in carne sine carne. Quibus ait Apo-
Rom. viii. 9, 8. stolus : Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt. *Amatores gloriæ* temporalis, puta superbos, *ab humilibus.* Hi separantur in præsenti vita ab invicem dissimilitudine cordis, ac merito, aliquando quoque et loco : in futuro autem dividentur a se mansione ac præmio.

Gaudet enim et epulatur Dominus super dissensione et separatione facta propter perfectam caritatem ad ipsum : hoc est, de « dissensione » qua electi et boni a pravis dissentiunt, atque de « separatione » qua ab illis se abstrahunt ex divino amore, quatenus crescant assidue et perfecti reddantur in caritate ipsius, Deus in tantum lætatur et complacentiam habet, ut inde quasi refici videatur. Omnia enim evangelica Christi consilia ordinantur et tendunt ad hoc ut proficiamus celerius et perfecti efficiamur in caritate divina.

Vide, vide (repetitio ista indicium est seriositatis et intentæ admonitionis) *nequando animæ tuæ* quæ deseruisti in mundo, videlicet propinquorum tuorum carorumque agmina, *videantur tibi passionate ac vitiose diligenti domesticos tuos,* puta propinquos quos reliquisti, *esse plena aquis* tribulationum et penuriarum, *et submersus diluvio,* id est abundantia [illegible] *ni amoris, pereas simul cum eis.* Persuadet enim callidus hostis interdum religioso, quod debeat ire ad consolandum, fovendum et adjuvandum parentes ceterosque propinquos, eo quod in tribulationibus et ærumnis sint constituti : quod periculosum est facere, ne quis ex sensuali affectione et externa occupatione refrigescat in caritate et pereat. Verumtamen in Collationibus Patrum recitat Cassianus, quomodo admodum vir sanctus abbas Arthebius subvenerit matri suæ vehementi inopia desolatæ, triplicando sibi laborem in claustro seu eremo. De Institut.

N[illegible] *et amicorum,* id est, non ita condoleas parentibus et amicis carnalibus contristatis ac flentibus eo quod ipsis relictis pergas ad vitam monasticam, ut propter mœrorem et fletum illorum retraharis a via salutis. [illegible] *rabis.*

[illegible]

sicut apes, magis vero sicut vespæ (quæ graviter lædunt : propter quod eis comparantur propinqui animam graviter lædere satagentes), *lamentum super te facientes,* ob id quod velis eos deserere, et religiosam vitam assumere ; *confestim intuere indesinenter oculo animæ mortem tuam et actus tuos* defectuosos ac vitiosos, in quibus perires in sæculo remanens, *ut valeas removere dolorem dolore,* id est inordinato et carnali dolori tam propinquorum quam tui ipsius resistere salubri ac pœnitentiali dolore.

Spondent nobis dolose nostri et non nostri, universa amabilia prompte peragere. Isti « nostri et non nostri » sunt parentes, propinqui, et carnales amici : qui sunt nostri secundum carnis originem et sensualem eorum amorem ad nos ; sed non sunt nostri per caritatem sinceram, imo sunt adversarii nostræ salutis. Isti promittunt nobis, quando volumus eos relinquere ac religionem intrare, quod apud eos manendo poterimus « prompte peragere universa amabilia », id est cuncta opera bona vere amanda; vel, quod ipsi impendent ac facient nobis omnia ad amorem spectantia, et quæcumque desideraverimus ab eisdem, dummodo non recedamus ab eis. Sed « dolose » istud promittunt, secundum quod subditur : *Intentio vero eorum est impedire virtuosum cursum nostrum et viam nostram* ad vitam religiosam, *conantes ad hoc, ut queant nos sic trahere consequenter ad propriam intentionem,* hoc est ad intentionem sæcularem, inanem, intentionique eorum conformem.

A locis nostris secessus si fiat, sit semper ad partes humiliores, id est, si recesserimus a pristino loco, declinemus ad loca humiliora seu viliora, *magis privatas consolationibus et deliciis sæculi et delectationibus vitæ præsentis, maxime quoque remotas a gloria vana et laude hominum ac tumultu* inquietudinum mundanarum : hoc enim ad humilitatem et pœnitentialem districtionem ac prudentiam pertinet, ut scilicet occasiones pec-

A candi vitentur. *Si vero non sic* fecerimus, *volamus cum passionibus et peccatis,* id est, propriis vanitatibus et irrationabilibus motibus agitamur, et ad pericula propria currimus, quærendo magna, delicata et deliciosa, et honores ac laudes hominum in hoc mundo : quod totum omnino contrarium est professioni monasticæ.

Absconde ingenuitatem, id est, si nobilis es, hoc ipsum occulta pro posse, *et fuge publicare pompatice bonam famam et opinionem,* id est, devita te dilatare et
B facere tibi ipsi ex elatione famam laudabilem et reputationem sublimem, *nequando inveniaris exsistere alius ore, alius actibus,* id est, ne sis humilis verbis, te ipsum simulatorie humiliando, et factis superbus, nomen gloriæ tibi ipsi pompatice faciendo. Porro, ut docet Scriptura, debemus habere curam de nomine bono, *Eccli.* XLI, 15.
ad Dei honorem et proximorum ædificationem : nam Deo debemus conscientiam rectam, proximis bonum exemplum seu famam ædificatoriam, ut simus bonus odor II *Cor.* II, 14, 15.
C Christi in omni loco. Unde qui negligit famam, crudelis est, utpote proximum scandalizans quantum in se est. Verumtamen famam bonam oportet quærere et optare non ex pompa, ut nos ipsi reputemur et glorificemur in nobis, sed ex caritate atque justitia, ob causam nunc tactam.

Nullus tradidit se ipsum peregrinationi tam excellenter sicut pertinet ad rem, ut magnus ille, videlicet Abraham, *qui audivit* a Domino : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* *Gen.* XII, 1.
D *Etenim vocatus fuit a Domino ad alienas linguas et terram barbaricam,* id est ad plebem ac regionem Chananæorum, quorum loquelam non intellexit primo perfecte. *Ibid.* 5. 6.
Porro omnes gentes Barbari appellantur, præter Hebræos, Latinos et Græcos. *Et quando Dominus glorificavit peramplius aliquem peregrinantem, secundum similitudinem hujus magni sancti Abrahæ,* scilicet patriarchæ ? Istud per modum interrogationis legendum est, ut sit sensus : Deus de cetero non dedit alicui excellen-

tiorem peregrinationis gratiam et honorem quam Abrahæ ipsi. *Verum, quamvis a Deo data sit gloria,* id est, quamvis Deus faciat aliquem famosum et eminentem in gratia peregrinationis, *optimum tamen est ipsam scuto humilitatis avertere,* id est, salubre ac tutum est pro posse fugere hujusmodi reputationem et laudem sive honorem ex humilitate, quum Christus in Evangelio
Joann. VIII, 50 protestetur : Ego non quæro gloriam me-
Ibid. V, 44. am ; et iterum : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis ?

Quando dæmones per suggestionem interiorem, *vel homines* per exteriorem locutionem, *laudant nos de peregrinatione quasi de magna directione,* id est tanquam de præclara virtute et rectificatione, persuadendo nobis quod peregrinationem prætactam impleverimus eminenter ; *tunc cum intentione assumamus memoriam ejus qui propter nos de cœlo venit peregrinus in terram.* De quo Jeremias prædixit :
Jer. XIV, 8. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? *Et inveniemus nos peregrinationem non posse implere in sæculum sæculi,* id est, quamdiu in carne ista vixerimus. Non enim possumus cor nostrum tam perfecte et pure a cunctis istis terrenis avertere, quin interdum aliquæ inordinatæ affectiones, saltem veniales, subrepant ac præoccupent nos.

Porro affectio ad aliquem propriorum domesticorum vel extraneorum habita, quæ potest nos ad modicum a spiritualibus ac divinis *retrahere ad ea quæ mundi sunt, et ignem nostræ compunctionis finaliter,* id est paulatim ac tandem, *exstinguere, crudelis est,* utpote mentem lædens, *passionata et vitiosa.* Quamvis enim affectio modicum retrahens a divinis sit venialis, si tamen in tantum continuetur et crescat ut ignem compunctionis omnino exstinguat, mortalis efficitur et omnino crudelis. Verumtamen monachus debet esse tam custoditus ac fervens, ut etiam venialia detestetur ac vitet tanquam mortalia.

Sicut impossibile est uno oculo intueri cœlum et alio terram, id est, simul et semel fieri nequit præcise, perfecte et impermixte ; *ita impossibile est eum non perire in anima, qui se ipsum non facit perfecte peregrinum cogitatione et opere ab omnibus suis domesticis et extraneis et familiaribus,* ita quod non afficiatur aut occupetur circa eos inordinate. Istud tamen satis rigorose prolatum est, et de religiosis potissime intelligi debet, qui omnibus illis renuntiaverunt. Unde necessarium eis est ut tantum peregrinentur ab illis, quantum requirit eorum professio : quod vocatur hic « perfecte » peregrinari. Vel intendit asserere, quod monachus in tantum perit in anima, quantum quocumque modo Deum offendit et a justitia deficit.

Mores boni et bene compositi, multo labore et magno agone, id est luctamine contra vitiorum deordinationem, *diriguntur* et conservantur *in nobis ; et possibile est uno temporis momento deperdere* per peccatum mortale *mores ipsos multo labore directos.* Mens enim, nisi fuerit jugiter custodita, facillime percutitur quadam inertia ; et spiritualis profectus laboriose adeptus, per incustodiam cordis cito evacuatur, nisi mens reprimatur. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala,* I *Cor.* XV, 33.
ornata simul et inornata, id est, sive sint juxta humanam prudentiam facundiamque ornata, sive omnino distorta. Vel eadem colloquia dicuntur « ornata », quia curiose et prompte prolata, et « inornata », quoniam vitiosa.

Qui post renuntiationem conversatur cum parentibus, vel propinquus exsistit eis loco et mansione, *incidet penitus in laqueos eorum et foveas,* id est in pericula, deceptiones ac vitia alia quæ incidunt ipsi, vel in mala ad quæ nituntur trahere religiosum secum versantem : qui fabulando, comedendo, potando, eundo, seu alias communicando cum illis, multipliciter ac frequenter excedit in verbis, in cibo et potu, in risu, dissolutione, complacentia, ac variis omissionibus negligentiisque di-

versis, nisi forte sit vir perfectus et jugiter custoditus. *Aut coinquinabitur meditando ex deliberatione de his quæ fiunt in ipsis,* hoc est cogitando de his quæ faciunt et loquuntur ipsi mundani : de qui-
A bus sæpe cogitabit superflue, per quod et meliora omittet; *vel manens non inquinatus* juxta modos nunc tactos, *inquinabitur dijudicans inquinatos,* id est, mundanos inordinate aut temerarie judicans.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO PARTIS SECUNDÆ GRADUS HUJUS TERTII : DE SOMNIIS

QUONIAM quidem intellectus nostræ scientiæ est totaliter imperfectus et repletus omni ignorantia, impossibile est occultari hoc ipsum, quia certissimum est et experimentaliter constat. Porro per intellectum « nostræ scientiæ » intelligi potest intellectiva potentia, in qua subjective est nostra scientia; vel ipsa intellectiva consideratio, quæ est intellectio actualis. Et utroque modo « intellectus » noster « est totaliter imperfectus » et ignorantiis plenus : nam et ea quæ scimus, obscure, incomplete et defectibiliter scimus ; ea quoque quæ cognoscimus, minima sunt comparatione eorum quæ ignoramus. Hinc
Job xxxvii, 19. ait Scriptura : Nos quippe involvimur tenebris; et,
I Cor. viii, 2. Si quis putat se aliquid scire, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire.

Guttur namque discernit escas, id est, per sensum gustus judicat de ciborum sa-
Job xii, 11. pore, juxta illud in libro Job : Fauces co-
Ibidem. medentis saporem dijudicant. *Auris vero intellectualia percipit,* id est, per aurem suscipit homo intellectualem instructionem. Propter quod auditus dicitur sensus disciplinæ. Non tamen vis auditiva extendit se ultra suum objectum, ita ut directe et immediate attingat intellectualia a materia et ejus appendiciis separata. *Et informitatem quidem oculorum manifestavit sol,* hoc est, ex solis irradiatione patet quod oculi corporales ex se informes sunt seu absque formis aut speciebus visuali-
B bus : quia non informantur hujusmodi speciebus nec vident per eas quousque lumen accedat, quo mediante, species seu radii visuales visum immutent. *Insipientiam vero animæ redarguunt verba.* Hoc dupliciter potest intelligi. Primo, quod ex verbis stulte prolatis agnoscitur insipientia animæ ea proferentis : et ita « verba redarguunt », hoc est, reprehensibilem esse declarant, ita loquentem. Etenim imago mentis est sermo loquentis ; et qualis vir, talis et sermo ipsius. Secundo, quod « ver-
C ba » instruentis « redarguunt insipientiam animæ » fatui auditoris, dum sapiens insipientem informat.

Verumtamen caritatis lex violentat ad ea quæ sunt supra virtutem. « Lex caritatis » est præceptum geminæ dilectionis, ut scilicet Deus toto corde ametur, et pro- Matth. xxii,
ximus sicut quis amat se ipsum. Hæc ita- 37, 39.
que lex « violentat » hominem « ad ea quæ sunt supra » naturam : quoniam facit hominem cum ingenti labore et fractione sui ipsius quodammodo violenta conari ad
D hoc ut Deum totis præcordiis pure et incomparabiliter diligat, et omnia ejus amore relinquat, se ipsumque abneget, et in adversis quasi in omnibus divitiis glorietur, inimicos quoque et persecutores amet, sinceriter orans pro ipsis, et bona pro malis rependens : et ista sunt supra naturalem potentiam hominis, nec sine supernaturali adjutorio caritatis infusæ et gratiæ possunt impleri. *Igitur arbitror,*

neque enim determino, id est, non absolute affirmo, sed reor, *esse conveniens et consequens inserere pauca et minima quædam de somniis post verba peregrinationis,* id est breviter tractare de somniis post verba de peregrinatione inducta, *magis autem in ipsis,* id est inter verba de peregrinatione, utpote in isto capitulo, quod intitulatur, De peregrinatione ; *in tantum ne contingat nos esse indoctos de hac fraude dæmonum malignorum,* id est, ne ignoremus qualiter decipiant nos in somno per somnia.

Somnium est motus mentis in immobilitate corporis. Per motum « mentis » intelligit apprehensionem cordis aut sensus interioris quæ fit homine dormiente et quiescente. Aliquando tamen contingit dormientem et somniantem se movere, consurgere, loqui, clamare, ambulare et currere, imo et scandere.

Deinde ponit tres descriptiones phantasiæ. Prima est : *Phantasia est illusio oculorum in dormiente mente,* id est visio rei apparentis, non tamen præsentialiter aut sicut apparet exsistentis, ratione per somnum aut alio modo ligata et impedita ab actu suo ac vero judicio : propter quod similitudo rei pro re ipsa accipitur, sicque « illusio oculorum » exteriorum aut interiorum causatur. Secunda descriptio est : *Phantasia est ecstasis mentis corpore vigilante,* id est alienatio cordis in ipsa vigilia, ita quod « corpore vigilante » mens quasi extra se ponitur, apparente sibi re aut similitudine aliqua, cui tota virtute intenta est. Tertia est : *Phantasia est non subsistens contemplatio,* id est apparitio seu imaginatio repente concepta et cito pertransiens, et fundamentum non habens. Aristoteles vero ait, quod phantasia est motus causatus a sensu. Doctores quoque nonnulli sensum interiorem secundum quod est reservativus specierum sensus communis, nominant phantasiam. Communiter autem per phantasiam intelligimus cogitationem vanam atque mutabilem, aut etiam actum ex ea procedentem, vel imaginationem superfluam ac fallacem.

Causa propter quam volumus loqui de somniis post assumptum ordinem, id est post seriem procedendi in hoc tractatu jam inchoatam, vel « post assumptum ordinem », id est post professionem nostram religiosam et monasticæ vitæ aggressionem, *est manifesta,* videlicet, ne ex ignorantia hujus materiæ graviter seducamur. Hinc subditur : *Quoniam relinquentes nos ipsos propriosque parentes et domos,* id est possessiones sive cognatos, *propter Dominum Deum nostrum, vendidimus,* hoc est, resignavimus et superioris potestati tradidimus, *nosmetipsos per peregrinationem* præfatam *pro caritate Jesu Christi divina,* id est, ob hoc ut recipiamus a Deo pro ipsa relictione spontanea quotidianum profectum, et veram perfectionem caritatis divinæ, ad quam ordinantur cetera exercitia religiosa et abnegatio sui ipsius ; *tunc dæmones conantur nos conturbare per somnia, demonstrando nobis domesticos et familiares cæde prostratos aut morientes, aut oppressos læsione vel amaritudine propter nos. Qui ergo somniis credit, similis est homini currenti post umbram suam et conanti apprehendere eam.* Eccli. xxxiv, 2

Dæmones vanæ gloriæ amatores et tentantes nos de ea, *in somniis prophetæ,* id est prænuntiantes futura hominibus tempore somniorum, *conjecturantes ventura tanquam versipelles et astuti, prænuntiant nobis ipsa, ut faciant nos stupere* [illegible] *pleta, et exaltemus cogitationes nostras sursum,* id est, magnifice sentiamus de nobis, [illegible] id est tanquam mox veri prophetæ futuri et sanctis Prophetis æquandi.

Dæmones [illegible] credendo et acquiescendo suggestionibus et revelationibus ejus. Illis namque multoties futura quædam prænuntiat : quæ tamen communiter non transcendunt naturalis cognitionis capacita-

tem. *Semper vero mentitur contemnentibus*
eum. Nam etsi aliquando quædam vera eis
denuntiet, refert tamen ea ad decipien-
dum : et ita ex fine verba ejus mendosa
sunt. A fine quippe denominatio sumitur :
quemadmodum qui furatur ut luxurietur,
potius judicatur mœchus quam fur. Unde
II *Thess.* II, 9. et signa atque prodigia Antichristi dicun-
tur mendacia, quamvis quædam eorum
erunt in se ipsis vera prodigia.

Nam quum sit spiritus, videt, id est
cognoscit, *ea quæ sunt infra aerem,* imo
et multa quæ sunt in aere et supra aerem
et in cœlestibus orbibus; *et intelligens*
aliquem morientem, prophetat per somnia
his qui leviores et vani sunt, id est curiosi
et talium avidi laudisque cupidi. Nam scri-
Eccli. XIX, 4. ptum est : Qui cito credit, levis est corde.
Talibus ergo prænuntiat in vigilia aut in
somno mortem alicujus statim futuram.
Nihil enim eorum quæ futura sunt, dæ-
mones sciunt ex præcognitione. Quod in-
telligendum est de futuris pure contingen-
Is XLI, 23. tibus, quorum præcognitio dicitur propria
Deo. Aliqua tamen futura prænoscunt, se-
cundum quod ex causis suis possunt præ-
sciri, sicut futuram eclipsim, particulare
diluvium, pestem, et quædam similia, quæ
vel certitudinaliter vel probabiliter præ-
noscere prænuntiareque possunt. Nec hoc
mirum de eis : *nempe incantatores potue-*
runt nobis taliter quædam prædicere.

II *Cor.* XI, 14. *Dæmones pluries se transformant in*
angelos lucis et in speciem martyrum, et
monstraverunt nobis per somnia ipsos
quasi angelos ac martyres venire ad nos;
evigilantes vero qui talibus somniis et il-
lusionibus crediderunt, *demerserunt de-*
orsum ad foveam culpæ, *propria reputa-*
tione gaudioque elatos : nam putaverunt
se dignos fuisse visitatione et apparitione
angelorum ac martyrum, atque de hoc ina-
niter sunt gavisi. *Hoc vero fiat tibi si-*
gnum seductionis eorum quæ monstrantur
in somno : *nam angeli demonstrant pœnas*
et judicia et segregationes, id est, de fu-
turis suppliciis impiorum, et de districtio-
ne divini judicii, de segregationibus quo-

A que seu recessu et fuga a vita mundana, et
de finali separatione electorum a reprobis,
immittunt inspirationes, admonitiones, in-
tuitiones in somno, imo et in vigilia, *quæ*
evigilantes faciunt trementes et mœren-
tes, id est, dum ista contingunt in somno,
inducunt evigilantibus salubrem timorem
futuræ damnationis, optimumque mœro-
rem de peccatis præteritis.

Quando incipimus obaudire et credere
dæmonibus in somnis, tunc et evigilantes
ab ipsis illudimur, ita quod credulitas illa
B in somno est sæpe dispositio quædam ad
deceptionem vigilialem; quamvis non sem-
per de necessitate pariat eam. In somno
namque rationis judicium est ligatum :
ideo error qui ibi contingit, non imputatur
ad culpam, ut necessario ad aliud vitium
trahat.

Qui somniis credit ex toto, reprobus
est; qui autem omnibus somniis incredu-
lus exstat, iste sapientiæ est amator. Cre-
de omnibus et solis evangelizantibus tibi
pœnam et judicium, juxta sensum nunc
C introductum. *Si vero desperatio te mole-*
stat et palpat ex his, hoc est, si ex horum
annuntiatione ac apparitione graviter im-
pugnaris, et quasi sensibiliter premeris et
gravaris desperatione, *tunc ista,* id est ho-
rum denuntiatio, *similiter est ex dæmo-*
niis : si tamen tentatio illa protinus sequi-
tur et directe seu ex intentione revelantis
concomitatur; aliter non oporteret.

Circa præhabita quæritur, qualiter pos-
sint ista salvari ac stare, præsertim quod
ait : « Qui somniis credit ex toto, reprobus
D est; qui autem omnibus incredulus exstat,
sapientiæ est amator ». Quod videtur nul-
latenus posse defendi. Primo, quoniam
scriptum est, Intellexit Salomon quod som- III *Reg.* III,
nium esset : ipsa videlicet apparitio desu- 15.
per sibi facta in somno. Secundo, quia in
Evangelio scriptum est quemadmodum an- *Matth.* I,
gelus apparuit S. Joseph in somnis, lo- 20-24; II, 13-15, 19-22.
quens ac jubens ei quid ageret : cui Joseph
mox credidit et obtemperavit. Tertio, quia *Gen.* XX,
in Genesi ubertim describitur qualiter 3; XXVI, 24; XXVIII, 12-15; XXXI, 11-13,
Deus apparuit Jacob et aliis sanctis in 24.

Gen. XLI. 1-32, Dan. II, IV. somno. Pharao quoque et Nabuchodonosor habuerunt somnia vere significativa et futurorum præsagia, Gen. XL. 8-22. quemadmodum et pincerna et pistor regis Ægypti. Et in Numeris Num. XII. 6. loquitur Deus ad Aaron et Mariam : Si fuerit inter vos Propheta Domini, per visionem apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum. Job IV. 13. Unde et in Job habetur : In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. — In oppositum est auctoritas Climaci, cujus doctrinæ concordat quod in Ecclesiastico asseritur : Eccli. XXXIV. 1-3, 6, 7. Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit visitatio emissa. Multos errare fecerunt somnia, Lev. XIX. 26. etc. Rursus in Levitico legitur, Non augurabimini, nec observabitis somnia : ubi observatio somniorum associatur et connumeratur augurio.

Pro horum intelligentia advertendum, quod de ista materia loquitur Boetius multum subtiliter ac perite in speciali tractatu de Somniis, ostendens qualiter somnia sint interdum vere significativa et observanda. q. XCV. a. 6. Sed et Thomas in secunda secundæ verba Boetii sua determinatione efficit clariora. Ait enim ibidem : Somnia sunt interdum causa futurorum eventuum : sicut dum homo evigilans manet sollicitus ex his quæ vidit in somniis, et inde movetur ad aliquid faciendum aut evitandum. Quandoque autem somnia sunt futurorum eventuum signa, in quantum reducuntur ad causam quæ est somniorum et futurorum effectuum causa communis. Porro causa somniorum est duplex : una interior, altera exterior. Interior duplex est. Una animalis, videlicet cogitatio, affectio seu occupatio magna tempore vigiliæ habita, ex quibus similitudines et conceptiones aliquæ occurrunt phantasiæ in dormiente. Et talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum; sed habent se talia somnia per accidens ad effectus futuros, ita quod casuale est, si cum eis concurrant. Alia vero interior causa somniorum est corporalis : quia ex interiori corporis dispositione formatur motus et apparitio in phantasia, tali dispositioni conveniens. Sic enim homini in humoribus frigidis abundanti, apparet in somniis quod sit in aqua aut nive; et abundanti in humoribus calidis, videtur quod sit aut vadat in igne. Et juxta medicos, intendendum est somniis talibus ad cognoscendum interiores corporum humanorum dispositiones. Causa quoque somniorum exterior duplex est. Una videlicet corporalis : ut quando phantasia dormientis immutatur ab aere continente, aut ex cœlestium corporum impressione, ex qua phantasiæ dormientis apparent aliquæ formæ et apparitiones cœlesti dispositioni seu impressioni conformes. Alia causa exterior est spiritualis, utpote Deus seu angelus bonus, et vicissim diabolus, cujus machinatione apparent dormienti aliquæ formæ per quas præcognoscuntur quædam futura, præsertim in his qui cum dæmonibus habent pacta. Itaque si somniis quis utatur ad prævidendum futura, secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina aut angelica, aut ex causa naturali intrinseca seu extrinseca in quantum extendit se virtus hujusmodi causæ, non exstat illicitum; aliter vero non licet. Hæc Thomas.

Insuper quidam ponunt quinque species somniorum, quæ sunt : phantasma et insomnium, quæ nil certum designant ; oraculum, visio, et somnium proprie sumptum. De quibus plenius pertractare re- Cf. t. I, p. 400 C, etc ; XXI, p. 417 C. servo opportuniori loco ac passibus Scripturarum. De hac re ait Basilius : Dæmones variis impugnationum suarum versutiis conantur nos impedire a bonis operibus. Nam primo quærunt ne bona incipiamus : quæ quum inceperimus, moliuntur ut ea [illegible] corrumpere ne ea secundum Deum prosequamur ; quod quum implere nequiverint, student mentem inclinare de eorum [illegible] vitiosa affectione; quorum, si in hoc fuerint superati, nituntur nos [illegible] conturbare ac fallere. De hac materia ait

ctus pater Antonius multa sapienter dicit in Regula sua. A

Quum ergo somnia sint frequenter seductoria, ita quod eis intendere periculosum consistit, præsertim simplicibus idiotisque monachis, ita quod ad discernendum inter ea gratia discretionis spirituum est valde necessaria, imo et grandis peritia; ideo Climacus nunc satis extreme locutus est de somniis evitandis. Nihilo minus verba ejus sunt pie accipienda, juxta moderamen jam tactum.

GRADUS IV

DE OBEDIENTIA VERA ÆTERNALITER MEMORANDA.

SERMO procedens occurrit nobis bene formate, ad pugiles et certatores Jesu Christi. Etenim omnem fructum præcedit flos; et omnem obedientiam præcedit peregrinatio corporis et voluntatis : per duas enim virtutes istas revertitur anima in cœlum sine negligentia, quasi per duas aureas alas. Et quasi de ipsis
Ps. LIV, 7. melodizat quidam Spiritus susceptor : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo per actionem seu vitam activam, et requiescam per contemplationem et humilitatem? — Neque despiciamus, si videtur, manifestare per verba habitum horum
Ephes. VI, 16. virorum pugnatorum : qualiter scilicet teneant fidei scutum ad Deum et etiam ad fidei exercitatorem, repellentes (ut sic loquar) per ipsum omnem infidelitatis et
Ibid. 17. prævaricationis cogitationem. Et indesinenter extendunt gladium spiritus, occidentes
Ibid. 14. omnem suam voluntatem ipsis appropinquantem. Induti ferream loricam patientiæ ac mititatis, repellunt per illam a se ipsis omnem injuriam et punctionem jaculum-
Ibid. 17. que sermonum injuriosorum. Habent vero galeam salutis, protectionem præsidentis per orationem suam. Etenim stant : tamen non stant cum pedibus simul in eodem loco, sed alium pedem extendunt in ministratione obsequii fratrum, alterum vero pedem habent immobilem in oratione.

Obedientia est consummata abnegatio propriæ animæ monstrata manifeste per corpus. Obedientia est perfecta abnegatio corporis ostensa ferventer ex voluntate per animam. Obedientia est mortificatio membrorum in viva mente ex deliberatione. Obedientia est imperscrutatus motus, spontanea mors, vita sine curiositate, periculum absque cunctatione et sollicitudine, non præcogitata Dei excusatio, carentia timoris mortis, absque detrimento navigium, dormiens peragratio viæ. Obedientia est sepulcrum propriæ voluntatis, et resurrectio humilitatis. Non discernit aut contradicit mortuus in bonis aut apparentibus malis. Qui præest, pie mortificat animam
Hebr. XIII, 17. ejus, et reddet rationem, super omnibus satisfaciens. Obedientia est depositio hæsitationis et discretionis.

Initium mortificationis membrorum corporis et voluntatis animæ, est labor et dolor; medium vero quandoque est cum dolore, quandoque sine dolore; finis autem

est in omni immobilitate de cetero et in insensibilitate doloris. — Tunc inspicitur dolens et contristatus, vivens et mortuus iste beatus, quando se ipsum viderit facientem propriam voluntatem, timens pondus proprii judicii.

Quicumque conamini exspoliari ad currendum stadium intellectualis confessionis; quicumque accingimini ad pugnam spiritualis martyrii; quicumque vultis tollere super propriam cervicem et collum jugum Jesu Christi; quicumque festinatis onus vestrum imponere super collum alterius; quicumque acceleratis spontanee vestras scribere emptiones, et vultis vobis rescribi libertatem pro illis; quicumque tenemini exaltati, et natantes super manus aliorum, transfretatis hoc pelagus magnum : cognoscite quia nitimini pertransire quamdam brevem et asperam viam, continentem in se seductionem unam et singularem, nomine idiorithmiam *, quæ est propriæ voluntatis motus, ordo, forma, regula, amor et complacentia. Qui enim ex toto abnegat istam seductionem, pervenit antevadere in his quæ arbitrantur bona et spiritualia ac Deo placentia. Obedientia enim est, sibi ipsi non credere in universis bonis usque in finem.

* [illegible]

Futuri in Domino nostram cervicem inclinare, et alteri credere intentione propriæ salutis et humilitatis, diligenter inquiramus et discernamus, atque (ut sic dicam) examinemus et tentemus gubernatorem ante introitum ordinis, si tamen est in nobis aliqua malignitas et prudentia : ut non credamus nos ipsos nautæ indocto tanquam gubernatori, et infirmanti sicut medico, et vitioso tanquam impassibili; et circumventi incidentes in pelagus velut in portum, naufragium aggregemus nobis ipsis in portum. Sed post eum ingressum qui fit in stadio pietatis et subjectionis, non amplius judicemus aut discernamus totaliter bonum nostrum ductorem et positorem agonis, etiam si videamus in eo quasi in homine adhuc aliqua brevia delicta : alioqui judicantes nihil utilitatis consequentur ex subjectione.

Volentes semper habere fidem inconcussam ad præsidentes, necessarie semper oportet servare in cordibus suis indelebiles memorandas horum directiones, ut quando dæmones moliuntur superseminare in cordibus nostris infidelitatem contra ipsos, faciamus ipsos dæmones obmutescere ex rememorationibus directionum exsistentibus in nobis. In quantum enim pullulat fides in corde, in tantum accelerat corpus in ministratione. Quando vero offendit, cadit in infidelitatem quamdam : quod enim non ex fide, penitus est peccatum. — Quum cogitatio tua suggerit tibi *Rom.* XIV.
discernere ducem aut dijudicare præpositum, resili a tali suggestione quasi a fornicatione, et penitus locum non præbeas, non introitum, non quietem, non initium huic serpenti. Dic enim ad draconem principantem cogitationi : O seductor, ego non suscepi judicium mei Prioris, sed ipse meum; non ego illius, sed ipse meus constitutus est judex.

Patres determinant psalmodiam esse armaturam; orationem vero dicunt murum; donum vero lacrimarum dicunt esse lavacrum immaculatum; beatam vero obedientiam decreverunt esse confessionem martyrii, sine qua nullus vitiosus videbit Dominum nostrum Jesum Christum.

Qui subditus est, ipse contra se ipsum sententiam profert. Nempe si propter Deum perfecte obedit, quamvis non videatur, perfecte se exuit suo delicto et judicio. Si vero in quibusdam suam perficit voluntatem, quamvis obedire appareat, ipse pondus suum portabit. At vero si præsidens non cessavit ipsum arguere, utique bene habebit; si vero tacuit præsidens, non habeo super hoc dicere quidquam.

Qui in simplicitate subditi sunt in Domino, ambulant cursum bonum, et perficient eum. Hi non moveantur a se ipsis per hæsitationes, discretiones, et occultationes cogitationum, secundum astutiam dæmonum.

Sed ante omnia confiteamur eas bono et soli judici nostro; si vero jubet, et universis : cicatrices enim propalatæ non proficient in pejus, sed sanabuntur.

Nam aliquando exsistens in quodam cœnobio, vidi pavendam sententiam judiciariam boni judicis ac pastoris. Quum enim essem ibidem, contigit quemdam ex prædali ordine accedere ad conversationem monasticam : quem perfectus ille pastor et medicus jussit per septem dies frui omni quiete ad contemplationem institutionis ejus quæ erat in loco. Pastor vero post septimam diem vocans prædonem illum seorsum ad se, interrogavit et exploravit an placeret sibi habitare cum ipsis qui in cœnobio erant. Quum vero abbas manifeste conspexisset ipsum velle cum omni integritate propositi morari ibidem, rursus interrogavit quid incongruum aut inhonestum factum fuisset ab eo in mundo. Igitur, ut abbas vidit ipsum prompte confitentem universa peccata sua simul ad verbum, iterum tentans, dixit prædoni : Volo te hæc propalare coram universa fraternitate. Ille autem vere odiens sua peccata et omnem confusionem contemnens, indubitanter respondit se ita acturum, dicens : Etiam, si vis, propalabo ea in medio civitatis Alexandriæ. Deinde pastor congre-
* trecentas gavit in ecclesia universas oves sui cœnobii, numero ducentas * triginta, et fecit illum obnoxium sine querela induci coram omnibus post evangelii complementum, in die dominica, divina synaxi perfecta, tractum et temperate percussum ab aliquibus Fratrum, manusque retro vinctum, et cilicino sacco vestitum, habentemque caput pulvere adspersum, ita quod ex solo visu mutavit confestim in planctum et ejulatum universos Fratres stupore repletos : non enim aliquis illorum noverat quod fiebat. Deinde quum prædo venisset prope ad portas ecclesiæ, sanctum illud caput benigni judicis clamavit ad eum voce magna : Sta, quia indignus es ingressu in hæc sancta. Stupefactus est ergo super voce pastoris ex sanctuario prolata ad ipsum : existimavit enim se audisse non hominis vocem, sed tonitruum, secundum quod postea dixit et certificavit nos per sacramenta. Ideo procidit statim in faciem tremefactus et totus timore perterritus, atque in terram prostratus, irrigavit lacrimis pavimentum. Tunc mirabilis ille medicus negotians et procurans in omnibus his salutem prædonis, et exhibens formam salutis manifestæ quoque et efficacis humilitatis ceteris omnibus, fecit eum dicere coram cunctis omnia acta ab ipso, specifice et distincte. At ille confitebatur omnia cum pavore, per singula, omni auditui peregrina, non solum corporalia vitia cum hominibus facta secundum naturam et præter naturam, et item cum brutis commissa, verum etiam usque ad veneficia ac homicidia, et alia quæ non

est fas narrare, audire aut scribere. Quumque omnia fuisset confessus, jussit abbas illico eum tonderi et Fratribus annumerari. — Porro ego admirans sapientiam sancti abbatis, interrogavi eum seorsum, cur exhibuisset illud spectaculum peregrinum. At ille, qui vere animarum medicus fuit, respondit : Horum duorum causa. Primo, ut illum confessum liberarem confusione præsenti ac futura : quod et factum est. Non enim surrexit a pavimento, o frater Joannes, quousque adeptus est indulgentiam omnium peccatorum. Nec credas hoc difficulter ; nam unus Fratrum ibi præsentium, habens in me fiduciam, dixit : Vidi quemdam horribilem, tenentem scriptam chartam et calamum, et calamo cancellabat peccata quæ ille in terram prostratus dicebat. Et congruenter, quum dicat Propheta : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam *Ps.* [illegible] meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei. Secunda causa est, quoniam habeo quosdam habentes peccata aliqua non confessa. Illos ergo exhortor ad confessionem exemplo istius : nam sine confessione nullus indulgentiam sortietur.

Insuper vidi et alia multa admiratione digna et merito recolenda, apud pastorem illum æternæ memoriæ et gregem ipsius : quorum plurima tentabo vobis manifestare. Mansi enim apud illos non modicum tempus, stupens magnifice super ea quæ vidi, qualiter illi terreni imitabantur cœlestes. Nam insolubile vinculum caritatis fuit inter ipsos connexum : imo, quod mirabilius est, immunes erant ab omni verbositate et confidentia. Ad hoc vero studebant præ omnibus, ut non ferirent in aliquo conscientiam Fratris. Quod si aliquis forte apparuisset in quacumque parte oditor Fratris, hunc dijudicatum abbas exsulabat in monasterio segregato. Nam et quadam vice sanctissimus ille abbas præcepit expelli quemdam ex Fratribus maledicentem proximo coram eo, dicens non debere æque permitti in claustro visibilem et invisibilem dæmonem.

Vidi ego inter sanctos illos negotia vere utilia clarificationeque digna. Vidi fraternitatem collectam, alligatam et colligatam, possidentem actionem mirandam et contemplationem præclaram. Ita enim exercitabant et excolebant se ipsos divinis directionibus, quod pene non indigebant admonitionibus præsidentis, sed spontanee excitabant se invicem ad divinam vigiliam. Erant enim quædam sancta et divina gymnasia in eis et ab eis terminata, meditata et fixa. Si namque aliquando contigisset aliquem eorum incipere maledictionem, aut temerarium judicium, aut condemnationem alterius, vel otiositatem verbosam, alter Frater faciebat eum cessare nutu ignoto, latenter ad memoriam ipsum reducens tali hortatu ; si vero sic forsitan non sensisset neque cessasset, alter ille genu flectens culpam dicendo recessit, illumque ad memoriam sic reduxit. Indesinenter quoque loquebantur aliquid utile et salubre, et in eorum colloquio fuit incessanter rememoratio mortis.

Non tacebo vobis præclaram exercitationem coqui eorum. Vidi etenim eum habentem in suo officio ploratum perpetuum ac mœrorem, supplicavique ei ut diceret mihi unde et qualiter dignus effectus esset obtinere gratiam talem. Qui a me violentiam seu importunitatem passus, respondit : Nunquam cogitavi me hominibus deservire, sed Deo ; et judicans me indignum omni quiete, per adspectum ignis istius

possideo jugem memoriam flammæ futuræ ac infernalis. — Audiamus aliam præclaram observantiam eorumdem. Nam neque in mensa cessabant ab opere spirituali. Exhibito autem quodam more ignoto ac nutu, hortabantur se ipsos secundum animam, reducendo memoriam ad orationem. Nec solum faciebant hoc in mensa, sed in omni mutua obviatione ac synodo seu congregatione.

Porro si quisquam eorum aliquod commisisset delictum, plurimum rogabatur a Fratribus multis ut permitteret eis de hoc satisfactionem ac sollicitudinem derelinquere apud abbatem, et ab eo susciperet correctionem. Unde et magnus hic Pater cognoscens operationem discipulorum, exhibebat deinde leviores increpationes, sciens redargutum esse frequenter sine reatu. Hinc quoque de cetero non requirebat eum qui principaliter seu personaliter lapsus fuit ad culpam.

Ubi otiosa verbositas aut scurrilitatis memoria viguit aliquando apud illos? Porro si quisquam eorum incepisset alicubi litem ad proximum, alius transiens dissipavit iram simul et litem genu flectendo et culpam suam dicendo, quod Græce dicitur μετάνοια, id est pœnitentia. Si autem sensisset Fratrem quærere ultionem pro injuria sibi illata, illico nuntiavit hoc Fratri tunc disponenti in secundo loco sub præsidente, sicque tentavit illos reconciliare ante solis occasum. Si vero obdurabantur nec increpationem recipiebant, non permittebantur sumere cibum ante satisfactionem condignam, vel de cœnobio ejiciebantur. — Erat autem apud eos diligentia ista inaniter consummata, sed laude digna : nam et Frater tumultum aliquem faciens, erat manifestans eumdem, propriam culpam recognoscendo.

Nimirum multi activi atque contemplativi inventi sunt inter sanctos illos; multi quoque discretionem veram habentes, ac humiles. Eratque stupendum videre in ipsis et angelos, exemplare spectaculum : angelos, inquam, utpote canos, reverendos et sanctitate decoros, instar parvulorum circumquaque currentes ad ministrandum, et de sua humilitate maxime gloriantes.

Vidi ibi quosdam habentes circa quinquaginta annos in obedientia : quos rogavi ut docerent me quam consolationem a Deo acceperant pro tanto labore. Ex quibus quidam dixerunt se deinceps occurrere ac venisse in humilitatis abyssum; alii vero dicebant se habere perfectam insensibilitatem carentiamque tristitiæ in maledictis, contumeliis, omnibusque injuriis.

Vidi alios ex illis sanctis perpetue memorandis, post angelicam conversationem et venerandam canitiem perductos ad profundissimam sapientiam, simplicitatem et innocentiam, ad deliberationem quoque spontaneam, non fictam, directissimam Deo : non secundum senescentes in hoc mundo, quos delirantes vocare decernunt, utpote habentes in se aliquid irrationabile aut impudicum, vel adventicium aut segnem sermonem et morem; sed erat videre senes illos sanctos exterius totos lenes, mansuetos et hilares : quod non invenitur in multis faciliter. Intus autem in anima, ad Christum et ad præsidentem erant simplices et innocentes, et quasi parvuli respirantes; possidebantque oculum mentis inconfusum, terribilem et robustum contra dæmones et peccata.

O sanctum caput, et congregatio Deo dilecta, tempus vitæ meæ deficiet me narrantem virtutem et vitam beatorum illorum imitantium e cœlo. Attamen utilius est ornare sermonem nostrum ex laboribus et sudoribus illorum salubriter dolentium, et excitare nos ad zelum illorum Deo acceptum, quam ex propriis viribus et exhortationibus. Nam absque contradictione, id quod minus habet ornatur a meliore. Illudque postulo, ut nemo suspicetur nos scribere compositum aliquid aut confictum. Mos namque est infidelitatis, vastare et impugnare perverse utilitatem in his quæ sunt pia et vera. Sed nos iterum jungamus prædictis.

Vir quidam nomine Isidorus, ex principativa dignitate Alexandrinæ civitatis, abrenuntiavit sæculo ante hos annos in præfato cœnobio : quem reperi ibi. Quem recipiens abbas ille sanctissimus, et videns eum esse omnino versutum, crudelem, durum ac arrogantem, syllogizavit et argumentabatur sapientissimus ipse per humanam inspectionem astutiam dæmonum ; dixitque Isidoro : Si vere elegisti tollere jugum Christi, volo te ante omnia obedientiam exercere. Respondit Isidorus : Sicut ferrum traditur fabro, sic ego, o sanctissime, trado me ipsum esse subjectum in omnibus. Tunc magnus ille abbas curatus super tali ænigmate, confestim tradidit eum gymnasio, et ait : O frater, volo te adsistere et manere in porta cœnobii, et facere metaniam * omni homini ingredienti et egredienti, ac dicere ad unumquemque illorum : Ora pro me, Pater, quia peccavi. Obedivit autem Isidorus sicut obedit angelus Deo. Itaque Isidoro faciente ibi septem annos, et veniente in profundissimam humilitatem atque compunctionem, voluit abbas eum Fratribus annumerare ut superdignum, et ordinatione dignum efficere, post septimanam annorum legalem, et post incomparabilem patientiam ejus. Ipse vero plurimas supplicationes fecit abbati per alios et per me infirmum, ut dimitteret eum ibi perficere cursum suum agendo similiter sicut et antea fecit, inserens et verbis obscure insinuans appropinquare jam finem suum et vocationem a Domino : quod et factum est. Abbate enim dimittente eum ibidem in gradu tali, migravit gloriosus cum gloria ad Dominum post decimum diem, assumens et portarium claustri septimo die post suam dormitionem. Prædixerat enim beatus Isidorus ille portario : Si invenero fiduciam apud Deum, fies in brevi inseparabiliter mihi conjunctus in gloria. Quod et factum fuit ad plenam et maximam certitudinem inconfusæ obedientiæ ejus, et imitativæ humilitatis suæ a Deo collatæ. — Interrogavi hunc magnum Isidorum adhuc superstitem, qualem cogitationem et operationem habebat in mente sua degendo in porta. Et ipse æternaliter memorandus non abscondit mihi hoc ipsum, volens alios ædificare ; et dixit : In primo anno cogitavi me quasi venditum propter peccata mea, et ideo operari quæ feci. Unde cum omni amaritudine et violentia et sudore pœnitentiam feci, et metaniam illam exhibui. Anno autem completo, degebam absque tristitia cordis, exspectans de cetero mercedem a Deo pro patientia et obedientia mea. Rursusque anno secundo finito, reputavi cum sensu cordis ac intima mente me ipsum indignum mansione cœnobii, et visione atque colloquio Patrum, et communicatione sacramentorum. [illegible]

* μετά-νοιαν

defixis deorsum integre exorabam introeuntes et exeuntes pro oratione, inferiori prudentia.

Præterea, recumbentibus nobis quodam die in mensa, magnus ille prælatus et doctor, inclinans sanctum os suum ad me, ait : Vis ut ostendam tibi divinam prudentiam in profundissima canitie? Et me supplicante ut faceret hoc, vocavit quemdam de mensa secunda, Laurentium nomine, habentem in cœnobio annos circiter quadraginta octo, qui fuit secundus sacerdos illius conventus. Veniens ergo ille et genua humiliter flectens coram abbate, benedicebatur ab eo. Sed surgente Laurentio, abbas nil penitus dixit, dimisitque eum ante mensam stare et nihil comedere. Erat autem refectionis initium, ita quod taliter stetit per magnam horam, aut pene per duas, ac per hoc erubescerem deinceps adspicere in faciem operatoris. Erat enim Laurentius totus canus, octogesimum agens annum. Denique manens usque ad finem refectionis absque responsione abbatis, surgentibus nobis a mensa, missus est a sancto abbate dicere initium psalmi tricesimi noni præmemorato magno Isidoro. — Ego autem tanquam nimis malitiosus non omisi tentare senem illum, interrogando quid cogitasset sic stando. Qui dixit : Considerans abbatem quasi Christi vicarium, non cogitavi mihi aliquid ab ipso injungi, sed a Deo ; idcirco, o pater Joannes, stabam non quasi coram hominum mensa, sed tanquam ante altare Dei, ipsum exorans, non concipiens aliquam pravam cogitationem vel intentionem contra abbatem, ex fide et caritate mea ad ipsum, quum scriptum sit : Caritas non cogitat malum. Imo et hoc agnosce, o Pater, quia quum aliquis dederit se ipsum in simplicitatem spontaneam ac innocentiam, non dabit ulterius maligno locum aut horam in se.

1 Cor. xiii, 5.

Denique qualis erat ille justus rationalium pecorum salvator et pastor per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, talem habebat dispensatorem dispensantem ea quæ erant cœnobii, tam castum et mitem ut penitus pauci. Contra quem magnus iste abbas invehebatur aliquando sine culpa illius ad aliorum ædificationem, jussitque eum expelli ab oratorio, præcipiens importune hoc ipsum. At ego, sciens dispensatorem esse sine querela et culpa de qua abbas eum culpabat, excusavi eum seorsum apud abbatem. Qui dixit : Novi, Pater; sed quemadmodum miserabile est et injustum rapere panem ex ore famelici parvuli, sic præsidens animabus lædit se ipsum et operarios sibi subjectos, si non acquirit eis coronas per singulas horas, quantas novit ipsos posse acquirere seu mereri, sive per injurias, sive per ignominias et despectiones atque illusiones. Talis autem præsidens maxime læditur in tribus. Primo, quoniam ipse privatur increpationis mercede. Secundo, quoniam aliis valens prodesse ex eorum virtutibus, hoc omisit. Tertio, quod et gravissimum est, quoniam ipsi qui æstimantur esse patientes et pii toleratores adversitatum, neglecti sub tempore et non redarguti de cetero a præsidente tanquam virtuosi et patientes, privati frequenter fuerunt mansuetudine ac patientia quæ primo erant in eis. Nempe si terra exstiterit bona, pinguis atque fructifera, si tamen fuerit aquæ defectus, fit sterilis, et germinat spinas : ita si aquæ ignominiæ et copia injuriarum subtrahantur,

mens antea bona profert spinas elationis, concupiscentiæ et irreverentiæ. Hoc sciens, magnus ille Apostolus Timotheo præcepit : Argue, obsecra, increpa, insta opportune, importune. — Me autem objiciente abbati, et allegante infirmitatem generationis modernæ quæ secundum nos est, et qualiter multi dirumpuntur seu recedunt a grege congregationis propter correctionem quæ fit eis quasi sine causa, quamvis forsan non sine causa, domus sapientiæ iterum dixit ad me : Anima propter Christum oblata et mortificata, atque ligata caritate pastoris et fide ad ipsum, non recedet usque ad mortem et sanguinem, præsertim si a pastore suscipiat beneficia pietatis super cicatrices, recordans quod scriptum est : Neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque creatura alia separabit nos a caritate Christi et pastoris. Porro si anima non est ita ligata, fixa ac copulata, miror omnino si non inaniter in cœnobio demoretur : ficto enim nuntio comitabitur subjectio. — Non enim magnus ille sibi ipsi mentitus est, sed ducatum præbuit et perfecit.

II Tim. ..

Rom. .. ..

Audiamus sapientiam Dei, et admiremur eam inventam in vasis fictilibus. Admirabar ego præsens fidem et patientiam atque indomitam sufferentiam noviter advenientium, in increpationibus et injuriis præsidentis. Interdum autem persecutionibus afficiuntur non solum a præsidente, sed etiam ab inferioribus valde. Igitur interrogavi causa ædificationis quemdam ex Fratribus habentem in monasterio quindecim annos, nomine Abbacyrum, quem videbam præcipue tribulatum fere ab omnibus. Quandoque enim ministri expellebant eum a mensa : erat quippe a natura modicum incontinens circa linguam. Dixi ergo ad eum : Frater Abbacyre, quare video te quotidie expulsum a mensa, ac sæpius ire dormitum sine refectione ? Respondit : Crede mihi, o Pater, quia probant me Patres mei an vere monachus fiam, sed non in veritate hoc faciunt. Hinc ego cognoscens intentionem eorum et magni, sine pondere universa sustineo. Quindecim habeo annos in congregatione hac, et per totidem annos me probaverunt ; et secundum quod ipsi mihi dixerunt in ingressu, quando me receperunt, probant abrenuntiantes per annos triginta. Et juste, o pater Joannes : aurum enim non perficitur absque probatione. — Sustinens ergo et manens generosus, iste Abbacyrus post meum adventum in monasterio duos annos migravit ad Dominum. Et morti propinquans Fratribus dixit : Gratias ago Domino Jesu Christo et vobis, quia pro eo quod salubriter me tentastis, ecce septemdecim annis mansi a dæmonibus non tentatus. Quem justi judicii pastor præcepit digne collocari ac sepeliri cum sanctis illic quiescentibus.

Lædo cunctos zelatores Beatorum, si sileo sub sepulcro silentii directionem et pugnam Macedonii, primi diaconi habitantium illic. Qui summe sollicitus coram Deo rogavit quadam vice abbatem licentiam eundi in civitatem Alexandrinam, imminente solennitate Epiphaniæ, ante duos dies ejusdem, propter indigentiam cujusdam viri sibi familiaris, promittens celeriter de civitate reverti propter imminentiam ac præparationem solennitati illius. [illegible]
archidiacono faciens, procuravit quod ab [illegible]

tatem præfatam, sive juxta tempus sibi præfixum a præsidente. Quumque post unum diem rediisset, abbas suspendit eum a diaconatus officio, posuitque in ultimo incipientium numero. Suscepit bonus minister Patrem, et patientiæ archidiaconus ita sustinuit verbum sententiamque abbatis absque tristitia, quasi ipse increpatus non fuisset, sed alius. Quumque per quadraginta dies mansisset in incipientium numero, sanctus et sapiens pastor reduxit eum ad proprium gradum. Et ecce post unum diem archidiaconus rogavit abbatem ut constitueret eum rursus in priori increpatione ac disciplina, dicens, Quia irremissibilem quamdam culpam commisi in civitate. Abbas vero sciens eum hoc dicere gratia humilitatis et non vere, consensit bono desiderio ejus. Eratque mirum videre senem reverenda canitie decoratum degere in incipientium ordine, universos quoque integre deprecari ut orarent pro ipso. Nam dixit : In fornicationem inobedientiæ cecidi. — Mihi autem humili Macedonius iste confidenter aperuit cur ad humiliationem illam se tam sponte atque humiliter obtulit. Nunquam, inquiens, vidi in me tantam evacuationem omnis impugnationis tantamque dulcedinem divinæ illuminationis, uti modo. Denique (ut dicunt) angelorum est non cadere, quia nec possunt peccare ; hominum vero est cadere, et iterum surgere quoties hoc contingit ; dæmonibus vero est proprium, quod semel cadentes, nunquam resurgunt.

Præterea ille cui commissa erat dispensatio claustri fiducialiter renuntiavit mihi : Quum essem juvenis et animalia custodirem, inductus fui in gravissimum animæ lapsum, ut assolet. Habebam vero ex consuetudine, nunquam abscondere serpentem in nido cordis. Quocirca tenens serpentem istum cum cauda, medico propalavi quod feci. Caudam vero dico finem actionis. At ille facie subridens, ait ad me, percutiens temperate maxillam meam : Vade, fili, habeto ministerium tuum ut prius, nihil omnino timens. Ego vero credens fide non hæsitanti, suscepi in paucis diebus certam curationem a vitio illo. Gaudens ergo et tremens, currebam viam meam.

Omnis ordo rerum creatarum (ut dicunt quidam) possidet differentias multas. Quoniam ergo in congregatione Fratrum erat differentia quædam profectuum et deliberationum, quando medicus horum notabat aliquos ostentatores in peregrinationibus sæcularium ad mansionem, istos in ultimis contumeliis et vilioribus ministrationibus positos mittebat circumquaque coram sæcularibus illis, ita ut deinceps celeres discederent quando fiebat ad eos aliqua peregrinatio. Et erat supermirabile factum quid videre. Ipsam vanam gloriam admiserunt, jussi sunt viliora quoque peragere coram eis a quibus reputari optabant : sicque vana gloria persequebatur se ipsam, fugiebatque homines sæculares.

Christus Jesus Dominus noster volens me privare oratione sancti Patris, ante unam septimanam egressus mei, assumpsit virum mirabilem, Menam nomine, disponentem omnia secundaria negotia post abbatem : qui quinquaginta novem annos in cœnobio habens, pervigil adimplevit omnem ministrationem. Quid igitur ? Tertia die, perficientibus nobis solitum Canonem dormitionis sancti, repente totus chorus in quo jacebat defunctus replebatur bono suavissimoque odore. Tunc igitur abbas

permisit nos discooperire loculum in quo defunctus erat dispositus. Quo facto, vidimus universi emanare duos fontes quasi unguenti boni odoris ex pretiosissimis plantis ipsius. Tunc abbas ait ad omnes : Videte, ecce sudores laborum ac pedum ipsius vere oblati sunt Deo; et accepti atque suscepti ab eo sicut unguentum. — Porro Patres cœnobii annuntiaverunt nobis alias multas virtutes de isto sanctissimo Mena. Dicebant autem et hoc de ipso, quod abbas ejus volens probare aliquando patientiam sibi a Deo collatam, præteriit eum redeuntem ad abbatiam, quum faceret genuflexionem abbati ad vesperam, nec suscepit eum more solito adorantem, sed dimisit eum in terra sic positum usque ad horam Canonis seu matutinalis Officii ; tuncque benedicens eum, ac increpans ut ostentationis amatorem et impatientem, surgere eum fecit. Noverat enim sanctus abbas qualiter Menas generose sufferret : ideo fecit hoc ad omnium ædificationem. Porro discipulus sancti Menæ certificavit nos de actibus sui præceptoris, dicens : Quum curiose ab ipso inquirerem si forte fuisset somno oppressus in tali genuflexione abbati exhibita, affirmavit se in terra prostratum legisse totum Psalterium.

Non despicio et sermonis coronam exornare præsenti smaragdo. Movi quandoque sermonem de quiete solitaria aliquibus seniorum illorum supersumme virilibus. Qui subridentes facie et hilari ore dixerunt ad me : O pater Joannes, nos quum simus materiales, magis exsequimur materialem institutionem, judicantes et discernentes subire prælium illud quod est secundum mensuram nostræ infirmitatis, æstimantes utilius certare cum hominibus aliquando sævientibus et aliquando pœnitentibus, et non cum dæmonibus contra nos semper furentibus et armatis.

Alter vero illorum seniorum æternaliter memorandorum, habens ad me multam fiduciam et caritatem secundum Deum, rursus ait mihi cum benignitate : Si inest tibi in sensu animæ tuæ operatio dicentis sapientissime, Omnia possum in eo qui me confortat Christo ; si Spiritus Sanctus roris castitatis secundum Virginem supervenit in te, si virtus altissimæ patientiæ obumbravit tibi : præcinge lumbos tuos linteo obedientiæ sicut vir Christus Deus, et surgens a cœna solitariæ tuæ quietis, lava pedes Fratrum in spiritu contribulato, magis vero provolvere pedibus congregationis in subjecta et dejecta prudentia. Statue duros, severos et vigiles ostiarios in porta cordis. Invincibiliter contine mentem, difficulter valentem contineri in corpore circumquaque occupato. In membris motis et concussis intellectualem quietem exercita : quod est gloriosissimum præ universis exercitiis. Esto inconturbabilis in medio conturbationum et tumultuum, animam pacificam habens. Collige linguam furentem et vesanam in contradictionibus insilire ; certa contra reginam hanc septuagies septies in die. Dispone mentem conturbatam ut incudem, figens in ligno animæ crucem, mutuis fragoribus contusionibusque percussam, impugnatam, illusam, improperatam, maledictam, subsannatam, læsam ; in nullo penitus resolutam, nec sustinentem stragem, sed exsistentem et manentem totam planam. Exspolia te voluntate tanquam confusionis amictu, et denudatus intra in stadium necessitudinis, quod raro et difficulter invenitur. Indue loricam fidei ad agonem dispensatorem, [illegible]

solubilem neque penetrabilem ab aliqua infidelitate. Tene tactum inverecunde prosilientem temperantiæ freno. Recordatione mortis coge oculum volentem per singulas horas adspicere curiose magnitudinem et pulchritudinem et visionem corporum. Obmutescere fac intellectum tuum curiosum in familiari sollicitudine, volentem judicare fratrem in negligentia operantem ; et omnem caritatem et compassionem
Joann. XIII, 35. in summa ad proximum absque errore ostende. Tunc vero, amantissime Pater, in hoc cognoscent omnes quia discipuli sumus Jesu Christi, si habemus in congregatione caritatem ad invicem. — Iterum bonus amicus dixit : Veni, veni, concerta et commorare ; bibe subsannationes singulis horis sicut aquam vitæ : quoniam David scrutans universa quæ sunt jucunda sub cœlo, post omnia ultimo dixit quærens :
Ps. CXXXII, 1. Ecce quid bonum et quid jucundum ? Nihil nisi habitare fratres in unum. Si ergo nondum facti sumus digni virtute et actu obedientiæ et patientiæ hujus, bonum est saltem ut longe stantes ab agonistico stadio infirmitatem propriam cognoscamus, et singulariter certantes beatificemus, eisque patientiam imprecemur. — Victus igitur fui sermonibus boni magistri et virtuosi Patris istius mecum pugnantis evangelice et prophetice, magis vero amicabiliter id agentis : unde volui indubitanter dare intercessiones et vota beatæ obedientiæ.

Memor adhuc unius virtutis utilis atque fructiferæ horum beatorum senum, exiens a paradiso, iterum vobis proponam spinosa eloquia, non venusta neque proficua.

Stantibus nobis frequenter in oratione, notavit abbas quosdam mutuo colloquentes : quos statuit per unam hebdomadam ante fores ecclesiæ, jubens (quamvis clerici essent ac seniores) ut genua flecterent coram universis introeuntibus et egredientibus. — Adspiciens ego quemdam ex Fratribus quasi colloquentem ad aliquos facie sua ac motibus in præeloquio hymnorum, quæsivi addiscere morem hujus beati. Qui nesciens occultare utilia, dixit : Pater Joannes, ex procemiis consuevi cogitationes et
Ps. XCIV, 6. mentem simul cum anima congregare, et ipsis vocatis coram, clamare : Venite, adoremus et procidamus Christo regi ac Deo nostro. — Curiosius autem inquirens hunc, auctorem convivii hoc facientem apprehendi ; et videns eum habere permodicam tabulam appensam ad cingulum, didici quod cogitationes suas quotidie scripsit in ea, et omnes illas nuntiavit abbati. Nec hunc solum, sed et alios plures vidi hoc facientes : erat enim hoc ab abbate præceptum, sicut audivi.

Quidam ex Fratribus detrahens proximo suo (tanquam verboso et nugaci) apud abbatem, expulsus est ab eodem. Qui extra portam cœnobii mansit per unam hebdomadam, petens veniam et regressum ad claustrum. Quod quum animarum amator abbas percepisset, inquirens sollicite, et audiens Fratrem illum nil penitus comedisse infra sex dies, renuntiavit eidem : Si omnino vis redire, ponam te inter pœnitentes. Quumque Frater hoc acceptasset libenter, fecit eum abbas in carcere poni, ubi lapsi assidue flebant pro sua ruina. — Et quoniam mentionem fecimus de
Cf. t. XIV, p. 393. mansione lapsorum, modicum dicamus de ea. Itaque a magna mansione cœnobii distabat uno signo locus vocatus carcer, qui erat absque consolatione. Nunquam

enim fuit in eo ignis, vinum, oleum aut aliquid coctum pro cibo, sed panis tantum et herbæ exiguæ. In hoc carcere abbas reclusit ingressibiliter eos qui excesserunt post suam conversionem, non simul, sed separatim, vel ad majus duos simul, quousque Deus certificavit eum de unoquoque illorum. Præfecitque illis virum magnum Isaac, qui a traditis sibi requirebat orationem fere indesinentem, volens ut semper orarent. Habebat autem copiam palmarum, quas dedit incarceratis ut operarentur, ne in acediam caderent.

Hæc est vitæ institutio et conversatio quærentium faciem Dei Jacob. Etenim bonum est admirari labores et dolores Sanctorum; æmulari vero et sequi eos, est augmentativum salutis. Irrationabile autem et impossibile est velle imitari omnem conversationem Sanctorum sub uno.

Morsum et conquassationem in redargutionibus sentientes, habeamus memoriam peccatorum nostrorum, quousque Dominus videns vim nostram esse vim non violentorum inferentium, deleat eam, et dolorem in corde mordentem et luctum vertat in gaudium. Ait enim Psalmista : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam in proprio tempore. — Non obliviscamur Psalmistæ dicentis ad Dominum : Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas! Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me post casum.

Beatus qui sibi ipsi vim fecit, propter Deum quotidie maledictus, contemptus et exprobratus. Iste cum martyribus tripudiabit, et cum angelis fiducialiter aget. Beatus monachus qui singulis horis putat se dignum omni ignominia et despectu. Beatus qui mortificat voluntatem suam usque in finem, et curam sui tradidit magistro suo in Domino : statuetur enim ad dexteram Jesu Christi crucifixi.

Si quis projecit a se redargutionem justam vel injustam, iste negavit salutem suam; si vero suscepit eam cum labore et dolore, aut sine dolore, sortietur celeriter remissionem peccatorum suorum. — Ostende Deo intellectualiter ac integre fidem et caritatem quam habes ad Patrem tuum, et ille hunc incognite certificabit deinceps tibi jungi et familiarem exsistere secundum affectionem tuam ad ipsum. — Qui semper et in multis propalat serpentem, fidem manifestam et efficacem ostendit; qui vero ipsum abscondit, inviis anfractibus errat. — Si quis vult cognoscere suum amorem ad fraternitatem, et proprie suam caritatem, certificetur de hoc in isto, quando videt se ipsum lugentem super offensionibus fratris, et rursus videt se exsultantem de profectibus et gratiis ejus.

Qui verbum suum quod dicit, quamvis sit verum, contendit in collocutione statuere, cognoscat se infirmum infirmitate diaboli : et si operatur loquens cum coæqualibus, forsitan quandoque sanabitur per increpationem majorum; si vero in litigat contra majores aut sapientiores, apud homines hoc insanabile est. — Qui non est subditus verbo, manifestum est quia nec opere. Qui enim infidelis est in modico, infidelis atque inglorius erit in multo. Et talis est in vanum laborans, ex sancta obedientia nihil nisi judicium sibi reportans.

Si quis erga subjectionem Patris possedit conscientiam suam usque ad summum mundam, iste de cetero non conturbatur, exspectans per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero quasi vitam, cognoscens in solido quia ipse non reddet rationem pro se in hora separationis, sed qui præest. — Si quis suscipiens commissionem ministrationis a Patre in Domino absque violentia, passus est improvisum aliquod offendiculum in ipsa; causa instruatur non danti arma, sed suscipienti : suscepit enim arma contra pugnam inimici, intulit vero ac infixit ea cordi suo. Si vero propter Dominum vim passus fuit, et suam infirmitatem prædixit danti; confidat : quoniam si cecidit, saltem mortuus non est.

Latuit, o amici, me vobis coram ponere et hunc suavem panem virtutis : quomodo obedientes in præfato cœnobio conterebant se ipsos injuriis in Domino, et afficiebant se ignominiis secundum Deum, ut essent parati ad patientiam in injuriis illatis eis ab extra et ignominiis.

Anima quæ confessionem excogitat et ex industria tenet, quasi sub ejusdem freno retinetur ut non delinquat. Quæ enim manent non confessa, ipsa de cetero agimus quasi in tenebris sine timore. — Quando præsidente absente imaginamur vultum ipsius, putantes eum quasi adstare nobis, tunc cognoscamus quia vere exsequimur legitimam obedientiam. Segnes pueri arbitrantur absentiam magistri gaudium, generosi vero et nobiles putant eamdem damnum.

Interrogavi aliquando quemdam probatissimum virum, deprecans mihi declarari quomodo obedientia possidet humilitatem. Qui ait : Nimirum si prudens et vere bene obediens mortuos suscitet, et donum lacrimarum possideat, et liberationem a pugnis; putat omnino quod oratio spiritualis Patris fecit, atque manet ipse alienus a vana propriæ reputationis elatione. Quomodo enim exaltabitur de illo quod reputat factum adjutorio Patris spiritualis, non propria sollicitudine? Solitarius operationem istam non novit. Nempe propria reputatio et elatio possidet justa quæ circa ipsum, immittens ei ex propria sollicitudine directiones perficere.

Qui est in subjectione vivens, vincens duos dolos, manet de cetero servus Christi æternus atque obediens. — Agonizat dæmon ut pugil, obedientes aliquando inquinare sordibus, et efficere duros corde; aliquando vero conturbabiles fieri violenter actos, movens contra mœrorem, et aridos et sine fructu, et gulosos et avidos, et circa orationem pigros et somnolentos et tenebrefactos, ut sint quasi nihil proficientes ex subjectione, ut evellat eos a certamine, abeuntes retrorsum. Non enim sinit intendere, quoniam dispensativa oblatio apparentium beatorum, fit nobis pluries aggregatio profundissimæ humilitatis. Seductor ille per patientiam frequenter repulsus ac victus est. Deinde adhuc isto loquente, alius angelus post modicum adstans, tentat nos alio modo seducere. Vidi monachos ex protectione Patris effectos obedientes, bene contritos, tractabiles, mites, continentes, sollicitos, non impugnatos, et callidos, ferventes : quibus dæmones instantes, subseminaverunt eis deinceps esse potentes ad solitariam quietem, et valentes per illam deinceps pertingere ad perfectum certamen, et quasi ad impassibilitatem. Ita ergo seducti, et a portu in pelagus secedentes,

deinde non valentes se gubernare, tempestate eos apprehendente, periculum passi sunt miserabiliter ab hujusmodi falso ac sordido tentatore.

Necesse est mare quassari et conturbari et feraliter elevari, ut materia quam flumina vitiorum deduxerunt in ipsum, et fœnum et universa corruptio, per ea iterum rejiciantur in terram. Superintendamus, et inveniemus post magnam tempe- [illegible]
statem, in mari factam profundam tranquillitatem.

Quicumque est Patri spirituali interdum obediens, quandoque vero inobediens, similis est homini mittenti in oculos suos aliquando collyrium, aliquando calcem. Unus vero qui ædificat, et alius qui destruit, quæ utilitas in utrisque, nisi labor Eccli. [illegible]
tantum?

Ne seducaris, o fili obediens Deo, spiritu reputationis propriæ et elationis, et ne delicta tua annunties magistro quasi sub persona alterius. Non est absque confusione a confusione liberari. Denuda, denuda medico spirituali plagam tuam. Dic, et non confundaris : Meum est vulnus, o Pater, mea est plaga, proveniens ex negligentia mea, non ex alterius culpa; nemo ejusdem causa, non homo, non spiritus, non corpus, neque aliquid aliud, sed insolentia et negligentia mea. More, adspectu et cogitatione esto tanquam convictus judicio, super confessione in terram imminens; et si possibile est, esto rigans pedes judicis ac medici quasi pedes Christi. — Mos est sæpe dæmonibus suggerere nobis ut non confiteamur peccata nostra, aut facere hoc quasi ex alterius persona, vel inculpare alios de nostro peccato, tanquam causatores.

Si omnia consuetudine auferuntur et consuetudinem sequuntur, multo magis penitus bona, sicut habentia cooperatorem magnum Deum. — Non laborabis, fili mi, multis annis invenire in te requiem beatam, si ex tota anima te ipsum tradideris in principio tuæ conversionis ignominiis.

Non dedigneris confessionem facere pastori tuo sicut Deo, in subjecto more. Vidi enim obnoxios mollientes duritiam judicis condemnantis, super nimia confessione et supplicatione, et transformantes furorem judicis in bonam viscerositatem. Propterea Joannes præcursor exigebat confessionem ante baptismum ab accedentibus : non ipse eadem indigens, sed quæstuans eorum salutem. — Non stupeamus et post confessionem impugnari : melius est pugnare cum inquinationibus, et non elatione et reputatione propria.

Noli currere nec extollaris in narrationibus Patrum et anachoretarum : etenim in malitia * Protomartyris est * pervadare electus. — Neque cadens discedas de stadio * militia
necessitudinis hujus : tunc enim maxime indigemus multo amplius medico. Qui cum auxilio pedem pungit in lapidem, cum extra adjutorium exsistentem, contigisset non solum offendere, sed et penitus mori. — Quando in crimine [illegible] dejicimur, dæmones instantes, celeriter apprehendunt nos, quasi sub occasione bene rationabili, quæ tamen est potius irrationabilis, tranquillitatem nobis solitariam suggerentes. Intentio vero est inimicis nostris, apponere nobis vulnus super lapsum.

Quando medicus allegat impotentiam, tunc necesse est accedere alium. [illegible]

medico enim curati sunt valde pauci. Quis ergo arbitrabitur contradicere nobis determinantibus quod omnis navis habens gubernatorem peritum et expertum, et naufragium incurrens, periclitanda erat exsistens omnino absque gubernatore? — Ex

Ps cxxxv. 23. 24. obedientia procedit humilitas, ex humilitate impassibilitas : quia in humilitate nostra memor fuit nostri, et redemit nos ab inimicis. Etenim principiavit quidem illam ista, sicut Moyses incepit legem; perficit vero filia matrem, sicut Maria perfecit Synagogam. — Omni punitione sunt digni coram Deo, infirmantes qui post medici experientiam et utilitatem ex ipso acceptam, derelinquunt hunc ante sanitatem perfectam, præponentes ei alterum proprio suo judicio et comparatione. Non fugias manus offerentis te Domino : non enim in vita tua revereberis alium sicut ipsum.

Qui inexpertus est in bellicis rebus, non separabit se ex multitudine militum cum certa securitate ad singulare certamen; et monachus non conabitur ire ad solitariam quietem sine periculo, ante multam experientiam et exercitationem animalium et spiritualium vitiorum. Solet enim ille quidem corporaliter, iste vero

Eccle. iv. 9. secundum animam subire periculum. Boni enim (ut sacra ait Scriptura) sunt duo super unum : id est, bonum est filio cum Patre per operationem divini Spiritus agonizare contra assumptiones et consuetudines vitiosas. — Qui privat cæcum ductore, et gregem suo pastore, et orbum manuductore, et parvulum suo patre, infirmantemque medico, et navem gubernatore, periculum utrisque conciliat; qui vero conatur certare contra spiritus absque adjutorio, mortificatur ab eis.

Venientes pro curatione ad medici stationem, notent a principiis suos dolores; qui vero in subjectione sunt, humilitatem eis advenientem. Nempe alleviatio dolorum est illis signum sanationis absque errore; his autem, additamentum dijudicationis sui ipsorum : neque aliquid aliud signum tale eis apparebit. — Conscientia tua fiat tibi speculum subjectionis, et sufficiens est.

Alii quidem secundum tranquillitatem solitariam sunt subjecti Patri spirituali, et a solis dæmonibus impugnantur; alii vero in congregatione exsistentes, pugnant contra dæmones, et contra homines. Et priores quidem per indesinentem Patris sui adspectum diligentius custodiunt ejus mandata; secundi vero sæpius in modico feriunt Patris sui mandata propter ipsius absentiam : verum si aliqui fiant solliciti et portatores dolorum, propter patientiam quam habent in repercussionibus complent super defectum et duplices coronas reportant.

Omni custodia servantes nos ipsos servemus, ne per aliquem sensum aut aliam animæ vim peccemus : nam naves renavigantes ad portum solent faciliter conteri, præsertim quæ perforatæ exsistunt a fervore tanquam a teredine. — Super eo qui præest, extremam taciturnitatem studeamus habere : vir enim tacitus, filius amoris sapientiæ, continue possidet multam scientiam. Vidi subditum rapientem narrationem ex ore præsidentis, et desperavi de subjectione ejus, cernens subditum illum assumpsisse superbiam, et non humilitatem, ex narratione prælati. — Omni vigilia vigilemus et servatione servemus et custodia custodiamus unde, quando et quomodo

ministratio debeat præjudicari et præferri orationi : quia non semper debet fieri hoc omnino.

Attende tibi ipsi et Fratribus tuis; et ne acceleres in aliquo apparere justior eis, exsistens simul cum ipsis : duo enim mala operaris, utpote, illos lædens per tuam apparentiam falso fictam, tibi ipsi vero omnimodo concilians altum sapere. — Esto studiosus secundum animum, nequaquam manifestans hoc corpore, non figura, non habitu, non sermone, non ænigmate, vel exemplo : et istud, si tamen cessasti judicare et contemnere proximum tuum; si vero exsistis pronus in hoc, esto similis Fratribus tuis, et non dissimilis propria reputatione tui ipsius. — Vidi reprobum quemdam discipulum super magistri directionibus gloriari : et reputans acquirere sibi gloriam ex tritico alieno, accumulavit magis ignominiam sibi, universis ad eum dicentibus : Et quomodo arbor bona ramusculum infructiferum protulit?

Non sumus patientes, nec judicamur veraciter sufferentes, quando sustinemus generose ac fortiter subsannationes Patris, sed quando contemnimur et plangimur ab omni homine. Universi enim sustinemus Patrem, reverentes et debentes. — Bibe prompte subsannationem quasi aquam vitæ, ab omni homine quærente te potare purgatorio carnalitatis luxuriæ : tunc enim in anima tua profunda castitas orietur, et lumen Dei non deficiet in corde tuo.

Nemo videns collegium requiescere super se, glorietur in deliberatione mentis : etenim latrones sunt undique. Rememorans memorare dicentis : Quum feceritis Luc. xvii, 10
omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Judicium vero laborum cognoscemus in tempore exitus. — Cœnobium est cœlum terrenum. Propter quod sicut afficiuntur in cœlis angeli Domino ministrantes, ita faciamus affici cor nostrum in cœnobio servientes. Nam plerumque exsistentes in cœlo isto terreno, adjacent in his quæ agunt quasi lapidei, rursusque per compunctionem aliquando consolantur, ut fugiant elationem propriæ reputationis, et in laboribus consolentur per lacrimas. — Parvus ignis fecit liquescere multum favum; et parva ignominia plerumque superveniens, repente liquefecit atque delevit universam cordis feritatem ac cæcitatem, et in dulcedinem convertit. — Vidi aliquando duos residentes, audientes et observantes suspiria et labores agonizantium : et unus, ut æmularetur; alter vero, ut tempore vocante propalaret ea improperative, et a bona operatione retraheret Dei servum. — Ne sis irrationabilis silentium tenens, procurans aliis turbationem et amaritudinem ex tuo silentio indiscreto. Neque sis adulterinus in ore, et exhortans ad tribunal accedere : alioqui pejor exsistis furiosis et conturbantibus alios. Vidi, secundum quod ait Job, hujusmodi animas plerumque apparere et perire adulterina morum segnitie, quandoque vero apparere dolentes idoneitate; et miratus sum qualiter multa varia est.

Qui est in medio, non potest tam lucrari ex psalmodia quam ex oratione : confusio enim psalmi, est commutatio per Spiritum Sanctum in eo facta. — Certa et luctare ad te ipsum congregare mentem et rationem et intentionem, et non cesse revocare easdem recurvatas et distractas. Non enim Deus requirit ab obedientibus

orationem indistractam et irrecurvatam. Ne contristeris furtum mentis passus in oratione ; sed bono animo esto, intellectum semper revocans et ad Christum levans : angeli enim solius est imprædabile.

Persuadens se ipsum latenter confidere, et ut non discedat a certamine stadii usque ad instantem exspirationem, imo usque ad mille mortes corporis et animæ, in nullo talium faciliter corruet : nam dubietas et infidelitas cordis, et inconstantia loci, facere semper solent offensiones contrariosque eventus. Qui autem leves sunt ad locorum mutationes, in omnibus ubique sunt reprobi : nihil enim ita operatur privationem fructificationis, sicut insufferentia. — Si occurristi in locum medicamenti et in medicum tibi incognitum, esto sicut advena, et sume latenter experientiam universorum exsistentium ibi. Quando vero sentis utilitatem in tuis infirmitatibus ex artificibus et ministris, et præsertim ad quæsitam evacuationem tumoris et elationis animæ ; tunc deinceps accede ad illos, et eme auro humilitatis, et charta obedientiæ et litteris ministrationis, et testibus angelis sanctis, dirumpe in his, dirumpe chartam propriæ voluntatis. Constat enim te circumeuntem et propria voluntate pergentem de loco ad locum, evertere emptionem qua te Christus redemit sanguine suo pretioso. — Sit tibi locus monumentum ante monumentum. Nemo enim egredietur a monumento ante communem resurrectionem. Si vero quidam fuerunt egressi de monumento, vide quia denuo mortui sunt.

Quando mandata quæ jubentur a Patribus, sentiuntur gravia esse, tunc pigriores et magis otiosi conantur præanticipare et præeligere orationem ; quando vero leviora jubentur, tunc fugiunt ab oratione sicut ab igne. — Est qui exsequitur assumptum ministrationis obsequium, et requisitus ad requiem fratris, illud relinquit ; et est qui otiositate et negligentia hoc relinquit. Et rursus est qui ex vana gloria hoc dimittit ; et est qui ex promptitudine.

Si præcaptus et præventus es ex pactionibus et sponsionibus professionis, et vides oculum animæ tuæ esse sine profectu, ne devites disjunctionem et separationem. Verum qui improbus est, ubique improbus erit ; sicut econverso, qui probus est, ubique probus erit. — Maledictiones et injuriæ secundum mundum fecerunt multas dissensiones ; comessationes vero in congregationibus et societatibus universas ruinas et casus et reprobationes operantur. — Si dominatus fueris reginæ gulæ, principatum tenens, omnis sessio et statio conciliabit tibi munditiam et impassibilitatem ; illa vero tenente principatum, ubique patieris periculum extra sepulcrum.

Dominus sapientes facit cæcos obedientium oculos in magistri virtutibus ; in defectibus vero illos tenebrescere facit. Oditor autem bonorum agit id quod est contrarium. — Argentum vivum sit nobis figura et typus ejusdem, utpote indiscretæ et perfectæ obedientiæ. Nam subtus omnia circumvolutum, manet ab omni sorde incommixtum. — Qui celeres et solliciti sunt, magis sibi attendant, nequando propter judicium negligentium, illis amplius judicentur. Propterea arbitror Lot justificatum fuisse, quia in medio talium exsistens, nequaquam visus est hos judicasse.

Commune quidem quod est tranquillum et inconturbatum servemus et teneamus,

peramplius vero in decantatione hymnorum : intentio enim est dæmoniis mentem exterminare. Ministrorum est corpore hominibus adsistere, mente vero per orationem in cœlis pulsare.

Contumeliæ et despectiones in anima obedientis amaritudini absinthii comparantur. Laudes vero et honores et bona fama habent quasi similitudinem mellis in his qui delectantur in vitiis : quia pariunt eis delectationem et omnem suavitatem. Videamus ergo quomodo natura horum est altera. Illud quidem purgat universa fæcosa quæ interius sunt ; hoc vero consuevit accrescere fel.

Credendum est absque sollicitudine his qui assumpserunt gerere curam nostri in Domino, etiam si injungant quædam contraria et nostræ saluti adversa secundum apparentiam. Tunc enim fides nostra ad ipsos probatur quasi in fornace humilitatis. Nam fidei notificatio in hoc est, quod contemplantes ea quæ fiunt, exsistere contraria speratis, nihilo minus in his indubitanter obedimus præcipientibus. — Ex obedientia humilitas oritur et augetur, sicut jam prætangentes diximus ; et ex humilitate discretio obtinetur, sicut philosophatum est a magno Joanne Cassiano pulcherrime atque altissime. Ex discretione vero oritur visio, ex visione prævisio. Et quis mecum aget aut quis mihi occurret in isto bono et pulchro cursu obedientiæ, videns talem præparationem bonorum coram ea? De ista utique magna dixit bonus ille Psalmista : Parasti in dulcedine tua pauperi obedienti, Deus, adventum tuum in corde ipsius. — In tota vita tua non obliviscaris illius magni certatoris, qui in totis decem et octo annis non audivit auribus extrinsecus a præceptore, Salveris ; auribus vero intrinsecus quotidie audivit a Domino, non quidem, Salveris, sed, Salvatus es : quod verbum est terminativum et firmum ; illud vero optativum est et incertum.

Quidam obedientium occultant et diminuunt semetipsos, sentientes bene persuasum, consultum ac placitum præsidentis : qui conversi ad proprias voluntates, quærunt et obtinent jussiones ad votum. At vero cognoscant se penitus cecidisse a confessionis corona : obedientia enim est peregrinatio ab hypocrisi et proprio desiderio. — Est qui suscepit præceptum, et sentiens præcipientis intentionem, non libenter afficitur ad hoc exsequendum, sed devitat illud ; et est qui intentionem ejus novit et sentit, et incunctanter obedit. Quærendum est, quis eorum pie fecit.

Non contingentium est, diabolum contrariari atque resistere sui ipsius voluntati ; et persuadeant tibi hoc in negligentia viventes, et in quiete solitaria supportantes, aut in cœnobio sub obedientia degentes. — Quando infestati tentamur discedere de locis in quibus manemus, fiat nobis impugnatus ex locis recessus ostensio beneplacentiæ nostræ coram Deo in locis eisdem : quia et impugnari signum est quod pugnamus.

Non ero absconsor injustus, avarus, inhumanus, reticens verba quæ non est fas silere. Joannes Opanii Osabaites *, vir summæ perfectionis, narravit mihi negotia digna auditu. Quia autem erat vir impassibilis, et mundus ab omni mendacio et sermone et opere maligno, et sursum superexcedens, nosti, o sancte Pater. Hic Joannes mihi narravit, Quod in mansione mea, quæ est in Asia [illegible] * Sabaites

iste Joannes traxerat originem), erat quidam senex omnino negligens et incontinens. Dico enim ista, non judicans senem, sed ut appaream vera dicens. Hic habuit quem-
* Acacium dam discipulum minorem, Innocentium* nomine (et nescio qualiter acquisivit illum), simplicem arbitrio et deliberatione, cogitatione vero et operatione prudentem. Qui tanta sustinuit a sene illo, quanta videbuntur forte incredibilia multis. Cruciabat namque Innocentium illum non solum injuriis et ignominiis, sed et plagis verberibusque, quotidie. Erat vero patientia Innocentii non irrationabilis. Quum ergo viderem eum affectum quotidie summa miseria tanquam servum empticium, obvians ei sæpius dixi ad eum : Quid est, frater Innocenti ? Quomodo fuit hodie tibi ? Et ipse confestim ostendebat mihi quasi et domino, quandoque oculum lividum, quandoque et collum, interdum vero caput plagatum. Cognoscens ergo eum quia operator esset, dicebam ad eum : Bene, bene ; sustine, et salvaberis. Itaque Innocentius vivens sub sene illo immisericordi novem annis, migravit ad Dominum. Sepultoque eo in cœmeterio Patrum, præceptor ejus senex præfatus ivit post quinque dies ad quemdam magnum senem degentem in regione eadem, et dixit ei : Pater, Innocentius mortuus est. Quo audito, senex ille respondit : Crede mihi, senex, quia hoc mihi persuadere non poteris, ut audiam hoc tanquam sit verum. Ipse vero ait : Veni et vide. Surrexit ergo magnus ille senex celeriter, et venit cum præceptore beati pugilis, et clamavit ad viventem in requie vere beata, tanquam adhuc viventem in carne : Frater Innocenti, mortuus es ? At vero Innocentius bene prudens obediens, et post mortem obedientiam ostendens, respondit huic magno seni : Pater, et quomodo possibile est hominem obedientiæ operatorem mori ? Tunc senex qui fuit primo præceptor Innocentii, notatus de sua perversitate, tremens ac pavens cecidit in faciem suam cum lacrimis ; et quærens ab abbate congregationis licentiam faciendi cellam prope Innocentii monumentum, ibidem de cetero vixit caste, dicens Patribus semper, Quia homicidium feci.

O pater Joannes, mihi videtur hunc senem qui locutus est cum mortuo, esse magnum Joannem. Nam et beata anima ipsius narravit mihi et aliud factum, quasi loquens de alio homine ; sed ipse fuerat idem de quo loquebatur, sicut potui discere ultimo diligenter.

Quidam docebatur in eadem Asiæ mansione a quodam monacho miti et quieto ; et videns se ipsum a monacho illo sene quasi honorari, quietari et circumfoveri, optime consideravit id quod multis est nocumentum, et deprecabatur senem ut dimitteret eum a se. Habebat enim senex discipulum alium, nec erat ex toto triste quod fiebat. Egressus est ergo a sene, et per epistolam præceptoris subordinavit se in quodam cœnobio Ponti. Primaque nocte qua cœnobium illud ingressus est, videt in somnis se exactum a quibusdam ad reddendum rationem de vita sua ; et post tributum et post rationem illius exactionis valde terribilis, vidit se ex residuo nondum soluto remanere obligatum, et debere solvere centum libras auri. Evigilans ergo dijudicavit visum, et dixit ad se ipsum : Pauper Antioche (hoc enim erat et nomen ei), vere multa restant de solutione debiti tui. Quum itaque permansissem, inquit,

in cœnobio illo annos tres sub obedientia indiscreta, reputabar vilis et despiciebar ac tribulationes patiebar ab omnibus quasi peregrinus atque extraneus : non enim erat ibi monachus alius quisquam peregrinus. Et ecce rursus in somnis video quemdam dantem mihi chartam remissionis et absolutionis decem librarum debiti mei. Evigilans ergo intellexi visionem, et dixi : Adhuc nuncusque decem, et quando complebo solutionem debiti tanti ? Tunc dixi ad me : O humilis Antioche, superabundantiori labore et ignominia indiges. Ex tunc ergo cœpi simulare amentiam atque stultitiam, non tamen negligere aliquid otiosum in ministrationis officio. Unde immisericordes Patres videntes me in tali ordine et promptitudine, injunxerunt mihi universa opera gravia mansionis. Perseverans ergo per tredecim annos in tali conversatione, rursus vidi in somno venire ad me eos qui primo apparuerunt mihi, et scribere mihi perfectam libertatem a debito. Itaque quando degentes in cœnobio me tribulabant in aliquo, recordabar debiti mei pro quo tunc nondum satisfeci, et patiebar omnia viriliter atque nobiliter.

Ita narravit mihi sapientissimus ille Joannes quasi ex persona alterius : propter quod et se ipsum nominavit Antiochum, mutato vocabulo. Sed ipsemet erat qui ut verax per obedientiam et patientiam dirupit chirographum generose.

Audiamus quomodo sanctus iste Joannes factus fuit discretor et discretus ex summa obedientia sua. Sedente etenim eo in mansione S. Sabbæ, accesserunt ad eum tres juvenes monachi volentes informari ac regulari ab eo. Quos protinus amorose suscepit, et libenter ac benigne post fatigationem itineris recreavit. Dixitque eis post tertium diem : Parcite mihi, Fratres, quoniam homo fornicator sum, et non possum mecum tenere aliquem vestrum. Illi autem non fuerunt ex verbis illis scandalizati : cognoscebant enim senis conversationem. Quum ergo rogassent eum permaxime, nequaquam potuerunt ei persuadere ut permitteret eos secum manere. Tunc projecerunt se ad pedes ipsius, rogantes ut saltem instrueret eos ubi deberent sedere, et qualiter vivere. Exaudiens itaque hanc precem eorum, et sciens quod cum obedientia et humilitate acciperent, dixit uni : Fili, Dominus vult te sedere in obedientia cum Patre spirituali in tranquillo solitudinis loco. Dixit quoque ad alterum : Vade, et vende voluntates tuas et da Deo, et sustine patienter in collegio et cœnobio Fratrum ; et habebis penitus thesaurum in cœlis. Deinde dixit et tertio : Recole indesinenter ex corde eloquium Christi dicentis, Qui perseveraverit usque in finem, salvabitur ; et vadens ne cesses quærere, et si possibile est in hominum natura invenire, duriorem et magis redarguentem exercitatorem tibi in Domino, et perseverans cum eo, bibe quotidie subsannationem et derisum quasi mel et lac. At Frater ille dixit huic magno Joanni : Pater, si talis vivit in negligentia, quid jubes? Qui ait : Etiam si eum videris fornicantem, ne discedas ab eo, sed dic tibimetipsi : Amice, ad quid venisti ? Tunc adspicies tumefactionem exterminatam in te, et calefactionem putrefactam.

Universi Deum timere volentes, ex omni virtute agonizemus, ne [illegible] nobis ipsis in gymnasio virtutum malignitatem et malitiam, crudelitatem, [illegible] et

versutiam, magis quam virtutes. Fit enim : et non est mirum. Nam quamdiu quis est idiota aut nauta aut agricola, hostes regis sui non tantum armantur contra ipsum. Porro quum viderint eum indutum signis militiæ, et assumentem scutum, gladium, arcum ac militaria indumenta ; tunc frendunt dentibus contra eum, et festinant omnino interimere eum. Propter quod non dormitemus. — Vidi pueros simplices et pulcherrimos parvulos venientes ad scholas doctrinæ propter sapientiam et disciplinam et utilitatem discendas et acquirendas, et non didicisse ibi aliquid disciplinæ, sed solum ferocitatis duritiam atque malitiam ex consortio et commorantia aliorum. Qui habet intellectum, intelliget.

Impossibile est addiscentes artem quamcumque ex tota anima, non proficere quotidie in eadem. Quidam profectum suum cognoscunt ; alii vero dispensative ignorant. — Perfectus trapezita computat penitus singulis vesperis lucrum vel damnum diei. Non potest autem ista prudenter cognoscere, nisi omnibus horis notentur in rationis scriptura : etenim singulis horis ponere rationem, declarat et demonstrat quod quotidianum est.

Dum insipiens mordetur, improperium passus et concitatus ad iram, probat contradicere voce. Si tunc confestim dedit pœnitentiam arguenti, non fecit hæc causa humilitatis, sed volens cessare improperia. Quum fueris exprobratus et improperia sustines, tace, et suscipe cauteria animæ, magis autem luminaria castitatis. Medico cessante, tunc facies ei metaniam : nempe pœnitentiam tuam forte non suscipiet in furore. — Nos qui sumus in congregationibus, pugnemus singulis horis contra omnia vitia, sed æqualiter contra duo vitia ista, videlicet contra insaniam ventris ac gulæ, et contra celerem atque acutam turbationem iræ ac furoris. Vitia enim ista possunt faciliter invenire in turba domesticas propriasque materias.

Diabolus immittit viventibus sub obedientia desiderium impossibilium virtutum. Similiter his qui sunt in vita solitaria et quieta suggerit et supponit inconvenientia atque incongrua vocationi eorum. Revolve deliberationem et mentem improbi obedientis, et invenies ibi cogitationem erroneam et intentionem seductam, videlicet concupiscentiam solitariæ quietis, extremi arctissimique jejunii, orationis incurvabilis, carentiæ vanæ gloriæ ad summum, inobliviscibilis memoriæ mortis, indesinentis compunctionis, omnimodæ privationis iræ, profundi silentii, superexcedentisque castitatis. Quorum carentiam habentes in proœmiis secundum dispensationem, frustra et vane transierunt ad ea seducti. Nam adversarius iste fecit eos quærere ista ante tempus, ne sustinentes sortiantur hæc in tempore. — Seductor et illusor diabolus beatificat in mente solitariorum, amorem obedientium, erga hospites et peregrinos obsequium et ministrationem, fraternitatis amorem, conversationem et caritatem ad invicem, curam et servitium eorum circa infirmos, ut et illos efficiat impatientes et insufferentes, secundum quod et priores. Vere namque rarissimorum est solitariam vitam et quietam exsequi cum ratione, et solummodo est illorum qui divinam consolationem possident ad solationem laborum et dolorum suorum, atque ad cooperationem et opem impugnantium et pugnarum.

Contra qualitates et efficientias vitiorum in nobis exsistentium, et subjectiones convenientius discernimus et observantias prompte eligimus. Circa gulosum et luxuriosum ex vitio labenti et repenti, sit tibi exercitator vir solitariæ quietis amator, absque consolatione carnali, austerus, durus, et irremissibilis ad cibum: et non magis miraculorum patrator, et qui paratus sit universis in susceptionem ad mensam. Tibi exsistenti cervicoso, arroganti, elato, sit pastor celer, acutus, irremissibilis, et non mitis et benignus. Non quæramus Patres qui præcognoscant futura et prophetice ea prævideant, sed qui sint præ omnibus humiles et sapere mite habentes, convenientes et aptos vitiis et infirmitatibus quæ sunt in nobis.

Sit tibi secundum præmemoratum fratrem Abbacyrum, iste pulcher et bonus modus ad obedientiam, semper existimare quod probat et tentat te is qui præest; et nunquam decides nec errabis. — Quando redargutus et correptus incessanter a Patre, assumis et concipis ampliorem fidem et caritatem ad ipsum, Spiritus Sanctus visibiliter habitat in anima tua, et virtus Altissimi obumbravit tibi. Verumtamen ne glorieris nec gaudeas sufferens generose contumelias et ignominias; sed magis plora et luge, quia egisti aliquid contumeliis dignum, et conturbasti animam contra te. — Noli admirari et stupere super id quod dicturus sum : habeo enim Moysen hoc mecum pariter prædicantem. Expedit in Deum et non in Patrem peccare. Deo enim ad iracundiam concitato, dux noster potest eum nobis reconciliare; isto autem conturbato a nobis, ulterius non habemus aliquem exorantem pro nobis Deum, qui faciat eum nobis propitium. Ambo autem ista videntur mihi recurrere in unam opinionem.

Intendamus et discernamus et vigilanter pensemus quando a pastore increpati, debemus sustinere increpationem ipsius tranquille et cum gratiarum actione, vel quando debemus pastorem certificare et satisfactionem facere. Mihi videtur tacendum esse super omnibus conciliantibus ignominiam nobis (lucis * enim hora est); super his autem quæ recurrunt in persona alterius, satisfaciendum et excusandum esse, propter vinculum et conjunctionem caritatis et insolubilis pacis.

Quicumque ex obedientia resilierunt, annuntiabunt tibi utilitatem ejusdem : tunc enim cognoverunt in quali cœlo erant. — Qui currit ad impassibilitatem et Deum, arbitratur se multum damnum sustinere omni die in qua non maledicitur. Quemadmodum arbores a ventis motæ mittunt radices subtus profundas, ita degentes in obedientia possident animas fortes et inconcussas. — Quicumque sedens in solitaria quiete, cognovit suam infirmitatem, et transiens ad cœnobium, vendidit se obedientiæ, iste quum esset cæcus, respexit ad Christum Jesum sine labore.

State, state, et iterum dico, state, o fratres, currentes pugiles, certatores, audientes sapientem illum clamantem de vobis : Tanquam aurum in fornace, magis vero in cœnobio, probavit eos Dominus; et quasi holocausti victimam accepit eos in [illegible]bus suis.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS QUARTI.

CUR auctor hoc quarto capitulo tractet A de obedientia, et cur post capitulum de peregrinatione loquatur de ea ponatque eam quartum gradum in scala virtuosæ ascensionis, ipsemet tangit dicendo :

Sermo procedens, id est statim hic subsequens atque progrediens, *occurrit nobis bene formate,* hoc est convenienter ac ordinate, *ad pugiles et certatores Jesu Christi,* puta ad religiosos et monachos, quibus specialissime incumbit assidue dimicare contra invisibiles hostes, imo et contra propriam voluntatem, contra carnem et B sensualitatem, et contra omnem aciem vitiorum. *Etenim omnem fructum præcedit flos,* hoc est, in fructibus arborum communiter ita est ; *et omnem obedientiam præcedit peregrinatio corporis et voluntatis,* id est, derelictio et abnegatio proprii velle, mortificatio quoque propriæ carnis, sine quibus nemo potest perfecte ac sinceriter obedire. Unde quod ait, « omnem obedientiam », intelligi potest, perfectam obedientiam. *Per duas enim virtutes istas,* videlicet peregrinationem et obedien- C tiam, *revertitur anima in cœlum sine negligentia,* saltem mortalis culpæ, *quasi per duas aureas alas. Et quasi de ipsis melodizat quidam Spiritus susceptor,* id est, anima sancti Psalmistæ, qui accepit has
Ps. LIV, 7. virtutes ac alas, canit in Psalmo : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo per actionem seu vitam activam, et requiescam per contemplationem et humilitatem,* quæ est contemplationis tutissimum fundamentum ?

Neque despiciamus, si videtur, manifestare per verba habitum, id est dispositionem seu spiritualem armaturam atque vestitionem, *horum virorum pugnatorum,* D utpote peregrinorum ac obedientium victoriose certantium : *qualiter scilicet teneant fidei scutum ad Deum,* credendo in *Ephes.* VI, 16.
eum firmissime in omni eventu tanquam in regem fidelem, præsentem, omnipotentem, ac omnia intuentem, *et etiam ad fidei exercitatorem,* puta prælatum, qui per increpationes et jussiones et varias exercitationes probat fidem subditorum suorum, an legitime certent, an vincant cuncta adversa per fidem. Potest quoque per « exercitatorem fidei » intelligi Deus, qui tanquam aurum in fornace probat electos, *Sap.* III, 6.
et quasi holocausti hostiam accipit eos. Unde et Jacobus ait apostolus : Probatio *Jacob.* I, 3.
fidei vestræ patientiam operatur. *Repellentes (ut sic loquar) per ipsum* fidei scutum *omnem infidelitatis et prævaricationis cogitationem.* Ideo dicit Joannes : Hæc *I Joann.* V, 4.
est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. *Et indesinenter extendunt gladium* *Ephes.* VI, 17.
spiritus, quod est verbum Dei, *occidentes omnem suam voluntatem ipsis appropinquantem,* id est omnem inordinatam inclinationem ac motionem propriæ voluntatis eos accendentem et impugnantem. *Induti* *Ibid.* 14.
ferream loricam patientiæ ac mititatis, repellunt per illam a se ipsis omnem injuriam et punctionem jaculumque sermonum injuriosorum. Quemadmodum autem scutum fidei est ipsamet fides seu efficax actio ejus, ita lorica ferrea « patientiæ ac mititatis » est ipsamet virtus patientiæ et mansuetudinis, seu actualis et inconcussa perpessio cujuslibet adversitatis. Per quam loricam repellimus « omnem injuriam », non eam abjiciendo, retrudendo aut fugiendo, sed æquanimiter tolerando : per quod repellimus nocumentum seu læsionem quam animabus impatientium infert.

Ephes. vi, 17. *Habent vero galeam salutis*, videlicet *protectionem præsidentis*, qui *per orationem suam* protegit eos.

Etenim stant in via virtutum, et fixi sunt in Dei obsequio; *tamen non stant cum pedibus simul in eodem loco, sed alium pedem extendunt in ministratione obsequii fratrum, alterum vero pedem habent immobilem in oratione.* Per duos hos pedes intelliguntur duo affectus, videlicet : affectus caritatis fraternæ, per quem viri religiosi festinant tempore opportuno fratribus suis consilium auxiliumque impendere ac servire, juxta illud Apostoli : Galat. v, 13. Per caritatem spiritus servite invicem. Alter est affectus divini amoris, per quem Deo intendunt potissime in orando : nam et exterius proximis serviendo, ab oratione non cessant; et si oratio vicissim interrumpitur, mox tamen resumitur.

Consequenter ponuntur variæ descriptiones obedientiæ.

Obedientia est consummata abnegatio propriæ animæ monstrata manifeste per corpus. Per obedientiam quippe, propriam voluntatem abjicimus, nec proprio judicio pertinaciter inhæremus ; imo utrumque Deo et ejus vicario prælato nostro prompte subjicimus, ceterarumque virium animæ actiones, quantum fieri potest, exercemus sive dimittimus juxta superioris præceptum. Et quia non sufficit se interius abnegare, sed oportet abnegationem illam operibus exsequi atque forinsecus exhibere, causa, loco et tempore exigente; ideo additum est, « monstrata manifeste per corpus ». Deinde descriptionem istam obedientiæ quasi convertit, dicendo : *Obedientia est perfecta abnegatio corporis ostensa ferventer ex voluntate per animam.* Certum est quod ad perfectionem obedientiæ non sufficit corpus proprium abnegare, refrenare, movere, agere ac regere secundum præsidentis præceptum : verumtamen corpus sic abnegare ex voluntate fervente, includit abnegationem interiorem et obeditionem completam. Istud tamen est potius notificatio quædam

A quam definitio obedientiæ. Non enim in omni actu obedientiæ videtur esse abnegatio corporis : sicut dum quis per obedientiam acquiescit potius superioris judicio quam suo.

Obedientia est mortificatio membrorum in viva mente ex deliberatione. Membra namque mortificari dicuntur, quando refrenantur ab actibus ad quos homo ex sensuali, corrupta ac propria inclinatione magis afficitur, et ad ea agenda ac patienda moventur quæ Deo sunt placita ac saluti conveniunt, ita ut impleatur illud Apostoli : Non exhibeatis membra vestra arma Rom. vi, 13. iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Hoc autem potissime adimpletur, dum homo in cunctis obedit Deo ac ejus vicariis, ita ut « ex deliberatione » obediat, mente sua per caritatem vivente : imo quo membra hoc modo magis mortificantur, eo plus mens spiritualiter vivificatur, quia quæ fovent et oblectant carnem, perimunt spiritum.

Obedientia est imperscrutatus motus, id est exsecutio jussionis absque perscrutatione et dijudicatione; *spontanea mors*, id est voluntaria mortificatio sui ipsius, juxta sensum prætactum : nam et religionis ingressus dicitur mors civilis, quia per eum moritur homo actibus et conversationibus hujus mundi; *vita sine curiositate*, id est conversatio simplex ac humilis juxta superioris directionem, absque adinventionibus propriis; *periculum absque* [illegible] *ne et sollicitudine* : quia per obedientiam indiscretam, de qua ista dicuntur, homo D sine mora et cura exsequitur ea quæ interdum possunt esse vitæ læsiva, et aliis periculosa videntur. *Non pro* [illegible] *Deo excusatio.* Hoc ideo dicitur, quia per promptam ac indiscretam obedientiam meretur homo excusari a Deo magis quam æstimavit; vel ideo, quoniam ita obediens non præcogitat se excusare de exsecutione cujuscumque mandati, per hoc quod Deus aliter jussisse videtur. *Carentia timoris mortis.* Qui enim tam plene obedit, mortem non habet [illegible], sed dissolutionem

a corpore affectare ; et non indiget formidare rigorem divini judicii, imo secundum Hieronymum, excusatur a ratione de se ipso reddenda. *Absque detrimento navigium :* quia perducit hominem per hoc sæculum nequam, tanquam per inquietissimum pelagus, deductione tutissima, « absque detrimento » peccati, imo cum maximo emolumento salutis ; *dormiens peragratio viæ,* id est perambulatio præsentis exsilii cum quiete, et sub cura et labore alterius, quemadmodum quis in curru aut navi dormiendo procedit sub sollicitudine et conatu aurigæ aut nautæ : obediens quippe non sollicitatur quid agere debeat, sed quod sibi injungitur conscientia jucundante adimplet.

Obedientia est sepulcrum, id est absconsio et mortificatio, *propriæ voluntatis :* quæ sic dicitur propria, quod non est communis, aut consona voluntati Creatoris aut ejus vicarii, seu religioni assumptæ ; *et resurrectio humilitatis,* quia per obedientiam humilitas reparatur, fovetur et invalescit. *Non discernit aut contradicit mortuus in bonis aut apparentibus malis,* hoc est, non dijudicat imperium præsidentis, nec discutit an bona an illicita sint quæ injungit, utpote « mortuus » sibi ipsi et totus pendens in superioris arbitrio. Verumtamen quomodo intelligenda sint ista, et de obedientia indiscreta, in fine capituli hujus tractabitur. *Qui præest, pie mortificat animam ejus,* id est, prælatus caritative frangit, exercet, refrenat et disciplinat animam subditi sibi obedientis, *et reddet rationem* Christo pro subditis, *super omnibus satisfaciens,* id est, de omnibus actibus subditi respondens ac « satisfaciens » Judici. *Obedientia est depositio hæsitationis et discretionis :* quia ex magnitudine fidei et devotionis ac humilitatis, sine dubitationis anxietate et absque proprii judicii immansione verus obediens amplectitur quæ jubentur.

Hebr. XIII, 17.

Initium mortificationis membrorum corporis et voluntatis animæ, est labor et dolor, id est laboriosum atque pœnale : quia in exordio satis difficile est ita mortificare se ipsum in corpore et in anima, nisi quis desuper præveniatur ac impleatur specialissima gratia. *Medium vero* mortificationis istius *quandoque est cum dolore, quandoque sine dolore :* hoc est, in proficientibus difficultas et renitentia ad bene agendum diminuuntur, et consolationes divinæ eis interdum miscentur, ita quod nunc delectabilius, nunc difficilius exsequuntur ea quæ ad mortificationem hanc pertinent, secundum quod magis aut minus proficiunt aut visitantur. *Finis autem est in omni immobilitate de cetero et in insensibilitate doloris,* id est, perfectio mortificationis istius consistit in grandi stabilitate ac quietatione mentis in Deo deinceps, absque perceptione renisionis : sicque mortificatio et obeditio eam sequens sunt in viris perfectis.

Tunc inspicitur dolens et contristatus, vivens et mortuus iste beatus, id est, obediens iste « mortuus » sibi et « vivens » Deo tunc invenitur et est tristis atque afflictus, *quando se ipsum viderit facientem propriam voluntatem, timens pondus proprii judicii,* id est divini judicii rigorem, quod sibi imminere veretur in his et pro his quæ juxta propriam efficit voluntatem. Quemadmodum enim rebellis et durus dolet et contristatur, quando propriam voluntatem facere prohibetur ac impeditur ; sic perfectus, pius, obediens mœret, quando quod ipse vult agit.

Ex præinductis ergo pensemus an vere et perfecte simus obedientes, et quantum a plena distemus obedientia, et defleamus ac emendemus nos ipsos.

Quicumque conamini exspoliari ad currendum stadium intellectualis confessionis, hoc est, omnes qui laboratis exspoliare vos ipsos ab impedimentis spiritualis profectus, et cupitis fieri expediti ad percurrendum iter seu observantiam monasticæ conversationis, in qua est continua confessio laudis divinæ et propriæ culpæ ; *quicumque accingimini ad pugnam spiritualis martyrii :* id est, qui accingitis et

paratis vos ad superandum et mortificandum propria desideria vestræ naturæ, atque ad observandam patientiam plenam in omni adversitate et tribulatione, quod est spirituale martyrium; vel qui a superiore vestro « accingimini » seu disponimini ad hoc; *quicumque vultis tollere super propriam cervicem et collum jugum Jesu Christi,* id est, obedientiam Christi usque ad mortem corde ac corpore sequi; *quicumque festinatis onus vestrum imponere super collum alterius,* id est committere alteri gubernationem vestræ conversationis, ut ipse rationem reddat pro vobis; *quicumque acceleratis spontanee vestras scribere emptiones,* id est, in servos exhibere vos aliis, et per professionis conscriptionem seu expressionem hoc ratificare, *et vultis vobis rescribi libertatem pro illis,* id est, liberi fieri affectatis pro illis resignationibus vestris : liberi, inquam, a servitute peccati, a retiis, curis atque periculis quæ incumbunt prælatis, imo et ab obligatione reddendi rationem pro vobismetipsis (unde secundum Hieronymum in Regula sua, summa libertas consistit in obedientia : nam et prælati sunt subditorum suorum servi, et Deus ipse omnipotens perfecte obedientibus obedire videtur); *quicumque tenemini exaltati, et natantes super manus aliorum,* videlicet superiorum vestrorum, *transfretatis hoc pelagus magnum : cognoscite quia nitimini pertransire quamdam brevem et asperam viam,* quæ est conversatio regularis, et vita obedientialis in omnibus. Quæ via est brevis, quia compendiosa et modicum durans, juxta quod Jacobus ait :
Jacob. iv, 14. Quæ est enim vita vestra ? Vapor est ad modicum parens. Est etiam aspera, præsertim in conversationis exordio, sicut jam
Matth. vii, 14. explanatum est : nam et arcta est via salutis. « Viam », inquam, *continentem in se seductionem unam et singularem,* id est præcipuam deceptionem, *nomine idiorithmiam* *, *quæ est propriæ voluntatis motus, ordo, forma, regula, amor et complacentia :* quæ seductio uno nomine dici

* ἰδιοῤῥυθμίαν

potest improbus amor sui, ex quo oriuntur hæc mala, ita ut homo velit sibi ipsi esse « ordo, forma » et « regula », amans se in se, et complacens sibi inordinate. *Qui enim ex toto abnegat istam seductionem, pervenit antevadere,* id est, devenit ad hoc ut ceteros præeat, et proficiendo præcedat, *in his quæ arbitrantur bona et spiritualia ac Deo placentia. Obedientia enim est, sibi ipsi non credere in universis bonis usque in finem,* hoc est magis stare et acquiescere judicio spiritualis Patris quam sui ipsius.

Jam dicta sunt multa de obedientia, non quod omnia illa sint essentialiter virtus quæ obedientia nuncupatur, sed quia ad eam aliquo modo requiruntur, concurrunt seu pertinent, vel quia sunt causa ipsius aut ejus effectus : et quædam illorum sunt proprie et realiter ipsa obedientia.

Futuri in Domino nostram cervicem inclinare, id est, quando volumus religionem intrare, et sub obedientia vivere, et caput « inclinare » præsidenti, *et alteri credere intentione propriæ salutis et humilitatis, diligenter inquiramus et discernamus, atque (ut sic dicam) examinemus et tentemus gubernatorem,* videlicet spiritualem Patrem cui nos committamus, an sit vere idoneus, *ante introitum ordinis : si tamen est in nobis aliqua malignitas et prudentia.* Per malignitatem designatur versutia, quæ potest homini esse occasio boni, dum astute considerat mores et vitam, famam sapientiamque alterius, antequam subdat se ei : quod tamen per veram prudentiam efficacius fieri potest. *Ut non credamus nos ipsos nautæ indocto tanquam gubernatori,* id est sapienti rectori, *et infirmanti sicut medico,* id est homini ad vitia prono ac imperfecto, tanquam valenti curare animas aliorum, *et vitioso tanquam impassibili,* id est tanquam a passionibus reformato; [illegible], id est, decepti corruentes in regimen imperiti ac vitiosi prælati (quod est plenum periculis), quasi in gubernationem seu

ram idonei præsidentis, *naufragium aggregemus nobis ipsis in portum,* id est, pro portu salutis amplectamur et colligamus nobis viam damnationis, quum scri-

Eccli. x, 2. ptum sit : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Jeremias

Jer. x, 21. quoque testatur : Quia stulte egerunt pastores, ideo omnis grex eorum dissipatus est. Ex quibus ostenditur, quam periculosum atque damnosum sit, pravum et insufficientem habere rectorem.

Sed post eum ingressum qui fit in stadio pietatis et subjectionis, id est post introitum religionis : quæ est stadium « pietatis et subjectionis », quia in ea curritur ad

Philipp. III, 14. bravium supernæ vocationis per actus latriæ, quæ est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens, et per opera obedientiæ et humilitatis; *non amplius judicemus aut discernamus totaliter,* id est in aliqua parte, *bonum nostrum ductorem et positorem agonis,* id est nostrum prælatum, qui est ductor noster in via virtutum, et institutor nostræ spiritualis militiæ, *etiam si videamus in eo quasi in homine adhuc aliqua brevia delicta.* Talia namque tanquam parva et transitoria debemus pie dissimulare et excusare propter communem humanæ conditionis fragilitatem; et quia qui præest, pluribus habet intendere, idcirco non potest singula tam perfecte implere. *Alioqui judicantes* temere eos qui præsunt, *nihil utilitatis consequentur ex subjectione.*

Volentes semper habere fidem, id est fidelitatem, *inconcussam ad præsidentes, necessarie semper oportet servare in cordibus suis indelebiles memorandas horum directiones,* id est considerationes directivas omnium « horum » nunc de hoc dicendorum et jam partim dictorum, *ut quando dæmones moliuntur superseminare in cordibus nostris infidelitatem contra ipsos* præsidentes, ut scilicet male sentiamus de eis, et ingrati simus eisdem, *faciamus ipsos dæmones obmutescere,* reprimendo suggestiones eorum, *ex*

A *rememorationibus directionum exsistentibus in nobis,* id est ex actualibus recordationibus salubrium doctrinarum quas habemus in corde, per quas scimus quid eligere, quid repudiare debeamus.

In quantum enim pullulat, id est crescit, *fides in corde, in tantum accelerat corpus in ministratione,* id est, tanto promptius agit aliisque ministrat. *Quando vero offendit,* id est, quando is qui fidem habet prævaricatur, *cadit in infidelitatem quamdam,* id est, ab eo quod fidei est,

B aliquo modo recedit, et infideliter agit et ruit « in infidelitatem », quæ contrariatur justitiæ. *Quod enim non ex fide, penitus* Rom. XIV, 23.

est peccatum. Hoc est verbum Apostoli ad Romanos, et ibidem expositum est. Non enim est ita accipiendum, quod omnis actio infidelium sit peccatum : ut si paganus honoret parentes quia ratio naturalis hoc dictat, aut pauperibus eleemosynam largiatur quia pauperes sunt et sibi in natura conformes. Sed « quod non » est « ex fide », id est, quod fit intentione aut fine

C contrariante fidei christianæ, « peccatum est » : ut si paganus faciat actus præfatos propter beatitudinem quam in sua perfidia præstolatur.

Quum cogitatio tua suggerit tibi discernere ducem, id est judicare aut discutere vitam prælati tui, *aut dijudicare præpositum; resili a tali suggestione quasi a fornicatione, et penitus locum non præbeas, non introitum, non quietem, non initium huic serpenti,* id est venenatæ dijudicationi. *Dic enim ad draconem prin-*

D *cipantem cogitationi,* videlicet ad suggestorem pestiferum talium judiciorum : *O seductor, ego non suscepi judicium mei Prioris, sed ipse meum; non ego illius, sed ipse meus constitutus est judex.* Hæc est salubris directio, hoc salubre documentum, ista medicina viva et efficax contra periculosa et fatua multorum judicia, qui superiores suos tam faciliter quam insipienter judicare et aspernari præsumunt. Si enim illicitum est judicare proximos pares, quanto magis superiores ?

Faciamus igitur secundum doctrinam hanc sanctam; et si vicissim jubemur aliquid loqui de his in quibus superiores nostri delinquunt, cum timore et reverentia id agamus, sine temeraria dijudicatione, nisi forte criminale aliquid evidenter esset in eis.

Patres determinant psalmodiam esse armaturam spiritualem : quia psalmodia specialiter valet contra inordinatam tristi-
Jacob. v. 13. tiam, juxta illud apostoli Jacobi : Tristatur aliquis vestrum? Oret æquo animo, et psallat. *Orationem vero dicunt murum* contra omnes tentationes, secundum illud in Psal-
Ps. xvii. 4. mo : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. *Donum vero lacrimarum dicunt esse lavacrum immaculatum :* sunt enim lacrimæ quidam baptismus, et valde purificant mentem. *Beatam vero obedientiam decreverunt esse confessionem martyrii*, id est actum consimilem felici martyrio, seu confessioni fidei pro qua quis martyrium sustinet. Obedientes namque assidue vincunt et frangunt se ipsos, mactantes et offerentes Domino propriam voluntatem, ita quod dicere pos-
Ps. xliii. 22. sunt : Quoniam propter te mortificamur tota die. *Sine qua* obedientia *nullus vitiosus videbit Dominum nostrum Jesum Christum.* Vitiosus namque non potest purgari virtuosusque fieri, nisi obediat Deo proprioque prælato ac rectæ rationis judicio. Denique qui in solitudine placuerunt Deo sine obedientia homini facta, obedierunt Deo et conscientiæ suæ.

Qui subditus est, ipse contra se ipsum sententiam profert. Si enim veraciter subditus est, accusat semper se ipsum, et juxta dictamen sui abbatis proclamat se reum, et fatetur se non satisfacere plene voto obedientiæ suæ. *Nempe si propter Deum perfecte obedit,* quantum fragilitati humanæ possibile est, *quamvis non videatur*, id est, quamvis appareat sibi quod non sit perfecte obediens, præsertim secundum quod decet respectu majestatis divinæ, cui nullus potest se satis reverenter subjicere, si infinita ejus dignitas pensetur, *perfecte se exuit suo delicto et judicio,* id est, a culpis suis quotidianis omnino purgatur, et divini judicii rigorem evadit. *Si vero in quibusdam suam perficit voluntatem, quamvis obedire appareat, ipse pondus suum portabit.* Si monacho aliquid injungatur, et faciat illud non quia sibi injunctum est a superiore, sed quia ex se ipso inclinatur ad hoc; quamvis videatur obedire illud agendo, non tamen in hoc vere obedit, et privatur obedientiæ merito, secundum doctrinam Basilii in Regula sua. Porro si faciat aliqua bona et supererogationis opera sponte et ex caritate; meritorium quidem est, dummodo non contra obedientiam fiat, quia nec tunc fieret vere ex caritate : in talibus tamen habet timere divinum judicium propter mala annexa. « Si vero in quibusdam » faciat « voluntatem suam », quæ sic sua est ut non sit conformis voluntati Dei et rectæ rationi ac caritati; peccat, et « pondus » ac tormentum « suum portabit », nisi emendet et castiget se ipsum.

At vero si præsidens non cessavit ipsum arguere, utique bene habebit : quia tum præsidens hoc caritative et discrete efficiens, multum meretur; similiter subditus, si patienter et gratanter sustineat. *Si vero tacuit præsidens,* a correptione subditi sui incaute cessando, *non habeo super hoc dicere quidquam,* id est, non est opus ut aliquid scribam de hoc, quum certum sit quod noceat sibi ipsi ac subdito, sicut de hoc infra plura dicentur. Vel ex humilitate ait, « non habeo super hoc dicere quidquam », ne videatur præsidentes audentius judicare.

Qui [illegible] [illegible], si perseverent : multum enim proficiunt. Ideo Salomon dixit : Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Quod intelligendum est de simplicitate columbina, non asinina. [illegible]

tutiam dæmonum : id est, se ipsos non A moveant nec perturbent per anxietates et perplexitates seu ambiguitates, involvendo se talibus imprudenter, sed contenti sint doctrinis et informationibus superiorum suorum; nec discernant ac judicent ea quæ ipsis jubentur, discutiendo an licita sint, nec cogitationes suas occultent Patribus suis, secundum quod dæmones solent astute suggerere.

Sed ante omnia confiteamur eas bono et soli judici nostro, puta prælato, tam confessione sacramentali si sacerdos est, B quam confessione communiter sumpta, insinuando eas præsidenti ut « judici » aut instructori ac medico, ut ipse decernat quales exsistant, et doceat qualiter sint tractandæ, curetque eas si pravæ exstiterint. *Si vero jubet, et universis,* id est, si præsidens præcipit nobis ut cogitationes et culpas nostras coram tota congregatione aperiamus, debemus hoc facere. *Cicatrices enim propalatæ non proficient in pejus,* id est, culpæ per talem accusationem sui ipsius aliis manifestatæ non augebuntur, nec gra- C vius putrescent ac inveterascent, *sed sanabuntur,* quemadmodum Salomon testatur:
Prov. xxviii, 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Nam et ipsa sui ipsius accusatio tam verecunda et humilis, præsertim quando ex obedientia procedit, est maxime curativa peccati, et meritoria gratiæ Dei.

Insuper hoc auctor probat exemplo. *Nam aliquando exsistens in quodam cœnobio, vidi pavendam sententiam judiciariam bo-* D *ni judicis ac pastoris,* puta abbatis illius cœnobii : de cujus cœnobii solennitate et sanctitate multa scribuntur in isto capitulo. *Quum enim essem ibidem, contigit quemdam ex prædali ordine,* id est de societate et numero prædonum, *accedere ad conversationem monasticam : quem perfectus ille pastor et medicus,* scilicet abbas, *jussit per septem dies frui omni quiete ad contemplationem institutionis ejus quæ erat in loco,* id est ad videndum conversationem et observantiam claustri illius. *Pastor vero post septimam diem vocans prædonem illum seorsum ad se, interrogavit et exploravit an placeret sibi habitare cum ipsis qui in cœnobio erant. Quum vero abbas manifeste conspexisset ipsum velle cum omni integritate propositi morari ibidem, rursus interrogavit quid incongruum aut inhonestum factum fuisset ab eo in mundo. Igitur, ut abbas vidit ipsum prompte confitentem universa peccata sua simul ad verbum,* id est celeriter, quum abbas id exegisset, *iterum tentans, dixit prædoni : Volo te hæc propalare coram universa fraternitate. Ille autem vere odiens sua peccata et omnem confusionem contemnens,* id est parvi pendens, *indubitanter respondit se ita acturum, dicens : Etiam, si vis, propalabo ea in medio civitatis Alexandriæ,* quæ metropolis erat Ægypti.

Deinde pastor congregavit in ecclesia universas oves sui cœnobii, numero ducentas triginta, et fecit illum obnoxium* * trecentas *sine querela,* id est pœnitentia jam purgatum, *induci coram omnibus post evangelii complementum, in die dominica, divina synaxi perfecta,* id est post sacram communionem, seu divini Officii persolutionem, *tractum et temperate percussum ab aliquibus Fratrum, manusque retro vinctum, et cilicino sacco vestitum, habentemque caput pulvere adspersum, ita quod ex solo visu mutavit confestim in planctum et ejulatum universos Fratres stupore repletos : non enim aliquis illorum noverat quod fiebat. Deinde quum prædo venisset prope ad portas ecclesiæ, sanctum illud caput benigni judicis,* utpote pius ille abbas, *clamavit ad eum voce magna : Sta, quia indignus es ingressu in hæc sancta.* Fuit enim indignus intrare ecclesiam et conventum per respectum ad sua peccata, et in quantum nondum perfecte purgatus erat ab eis et absolutus, nec reconciliatus Ecclesiæ. *Stupefactus est ergo super voce pastoris ex sanctuario prolata ad ipsum : existimavit enim se audisse non hominis*

vocem, sed tonitruum, secundum quod A *postea dixit et certificavit nos per sacramenta. Ideo procidit statim in faciem tremefactus et totus timore perterritus, atque in terram prostratus, irrigavit lacrimis pavimentum. Tunc mirabilis ille medicus negotians et procurans in omnibus his salutem prædonis, et exhibens formam salutis manifestæ quoque et efficacis humilitatis ceteris omnibus, fecit eum dicere coram cunctis omnia acta ab ipso,* scilicet universa sua peccata, *specifice et distincte. At ille confitebatur omnia cum* B *pavore, per singula, omni auditui peregrina,* id est audiri insolita et aliena, *non solum corporalia vitia cum hominibus facta secundum naturam et præter naturam, et item cum brutis commissa, verum etiam usque ad veneficia ac homicidia, et alia quæ non est fas narrare, audire aut scribere. Quumque omnia fuisset confessus, jussit abbas illico eum tonderi et Fratribus annumerari.*

Porro ego admirans sapientiam sancti abbatis, interrogavi eum seorsum, cur C *exhibuisset illud spectaculum peregrinum. At ille, qui vere animarum medicus fuit, respondit : Horum duorum causa. Primo, ut illum confessum liberarem confusione præsenti ac futura : quod et factum est. Non enim surrexit a pavimento, o frater Joannes, quousque adeptus est indulgentiam omnium peccatorum. Nec credas hoc difficulter; nam unus Fratrum ibi præsentium, habens in me fiduciam, dixit : Vidi quemdam horribilem, tenentem scriptam chartam et calamum, et calamo* D *cancellabat peccata quæ ille in terram prostratus dicebat. Et congruenter, quum*
Ps. xxxi, 5. *dicat Propheta : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Secunda causa est, quoniam habeo quosdam habentes peccata aliqua non confessa. Illos ergo exhortor ad conf*[illegible] *plo istius : nam* [illegible] *indulgentiam sortietur.* Veruntamen quamvis istud sit laudabiliter factum ex speciali instinctu Spiritus Sancti, dicunt tamen nonnulli doctores, quod non expediat passim sic fieri. Primo, ne simpliciores audiendo talia enormia scelera, de quibus antea nil cogitaverunt, incipiant de eisdem imaginari atque tentari. Secundo, ne proprias culpas parvi pendant respectu talium scelerum enormiorum quæ audiunt, audacioresque fiant ad peccata minora, et de dilatione divini judicii atque de misericordia Dei nimis præsumant. Tertio, propter honestatem communem servandam, et propter alias rationes.

Insuper vidi et alia multa admiratione digna et merito recolenda, apud pastorem illum æternæ memoriæ et gregem ipsius : quorum plurima tentabo vobis manifestare. Mansi enim apud illos non modicum tempus, stupens magnifice super ea quæ vidi, qualiter illi terreni imitabantur cœlestes. Nam insolubile vinculum caritatis fuit inter ipsos connexum : imo, quod mirabilius est, immunes erant ab omni verbositate et confidentia, id est præsumptione. *Ad hoc vero studebant præ omnibus, ut non ferirent in aliquo conscientiam Fratris. Quod si aliquis forte apparuisset in quacumque parte oditor Fratris, hunc dijudicatum abbas exsulabat in monasterio segregato,* puta in carcere. *Nam et quadam vice sanctissimus ille abbas præcepit expelli quemdam ex Fratribus maledicentem proximo coram eo, dicens non debere æque permitti in claustro visibilem et invisibilem dæmonem.*

Vidi ego inter sanctos illos negotia vere utilia clarificationeque digna. Vidi fraternitatem collectam, alligatam et colligatam, possidentem actionem mirandam [illegible] *directionibus,* id est saluberrimis exercitiis ac doctrinis, *quod pene non indi-* [illegible] *nam vigiliam,* id est ad diligentiam sa- [illegible]

ditata et fixa, id est, inter se ordinaverunt quædam salubria instituta, hortamenta et documenta, quæ diligenter servabant, et per quæ commonebant se mutuo. *Si namque aliquando contigisset aliquem eorum incipere maledictionem,* etc. [1]. p. 75 circa finem.

Vidi alios ex illis sanctis perpetue memorandis, post angelicam conversationem et venerandam canitiem perductos ad profundissimam sapientiam, simplicitatem et innocentiam, ad deliberationem quoque spontaneam, non fictam, directissimam Deo, hoc est ad resignationem plenissimam qua se ipsos propria libertate spoliaverunt sponte, non ficte, sed directissime coram Deo et ad ejus honorem : *non secundum senescentes in hoc mundo,* id est non ad instar eorum qui in hoc mundo ex senio puerilizant, *quos delirantes vocare decernunt,* id est, quos ipsi in mundo conversantes judicant esse amentes, et nominant delirantes, *utpote habentes in se aliquid irrationabile aut impudicum, vel adventicium aut segnem sermonem et morem,* id est verba non expedita et mores incultos; *sed erat videre senes illos sanctos exterius totos lenes, mansuetos et hilares : quod non invenitur in multis faciliter. Intus autem in anima, ad Christum et ad præsidentem erant simplices et innocentes, et quasi parvuli respirantes; possidebantque oculum mentis inconfusum, terribilem et robustum,* id est mentem ordinatam, constantem, spiritualiterque armatam, *contra dæmones et peccata.* Hic etenim oculus mentis est intellectus, qui « contra dæmones et peccata » armatur, et illis terribilis fit, per fidem, prudentiam, sapientiam atque consilium, et per scientiam salutarem.

O sanctum caput, et congregatio Deo dilecta, quibus hæc scribo, *tempus vitæ meæ deficiet me narrantem virtutem et vitam beatorum illorum imitantium e cœlo,* id est conformem vitæ cœlestium, et assecutivam conversationis supernæ, cujus caritatem, pacem et sinceritatem illi sequebantur in terra. *Attamen utilius est ornare sermonem nostrum ex laboribus et sudoribus illorum salubriter dolentium,* etc. p. 77.

Vir quidam nomine Isidorus, ex principativa dignitate Alexandrinæ civitatis, abrenuntiavit sæculo ante hos annos in præfato cœnobio : quem reperi ibi. Quem recipiens abbas ille sanctissimus, et videns eum esse omnino versutum, crudelem, durum ac arrogantem, syllogizavit et argumentabatur sapientissimus ipse per humanam inspectionem astutiam dæmonum; dixitque Isidoro : Si vere elegisti tollere jugum Christi, volo te ante omnia obedientiam exercere. Respondit Isidorus: Sicut ferrum traditur fabro, sic ego, o sanctissime, trado me ipsum esse subjectum in omnibus. Tunc magnus ille abbas curatus super tali ænigmate, confestim tradidit eum gymnasio, id est spirituali exercitio, *et ait : O frater, volo te adsistere et manere in porta cœnobii, et facere metaniam**, hoc est genuflexionem, *omni homini ingredienti et egredienti, ac dicere ad unumquemque illorum : Ora pro me, Pater, quia peccavi. Obedivit autem Isidorus sicut obedit angelus Deo. Itaque Isidoro faciente ibi septem annos, et veniente in profundissimam humilitatem atque compunctionem, voluit abbas eum Fratribus annumerare ut superdignum, et ordinatione dignum efficere, post septimanam annorum legalem, et post incomparabilem patientiam,* imo et obedientiam, *ejus,* puta ipsius Isidori. *Ipse vero plurimas supplicationes fecit abbati,* etc. p. 77 post medium. *Oculis autem defixis deorsum integre exorabam introeuntes et exeuntes pro oratione, inferiori prudentia,* hoc est, imprudentiorem me reputans quam antea reputavi.

* μετάνοιαν

Præterea, recumbentibus nobis quodam die in mensa, magnus ille prælatus et do-

[1] Brevitatis causa omittuntur, hic et inferius, plura quæ commentario non illustrantur, et in textu præcedenti reperiri possunt.

ctor, videlicet abbas, *inclinans sanctum* A *os suum ad me, ait : Vis ut ostendam tibi divinam prudentiam in profundissima canitie,* hoc est in antiquissimo sene? *Et me supplicante ut faceret hoc, vocavit quemdam de mensa secunda, Laurentium nomine, habentem in cœnobio annos circiter quadraginta octo, qui fuit secundus sacerdos illius conventus. Veniens ergo ille et genua humiliter flectens coram abbate, benedicebatur ab eo. Sed surgente Laurentio, abbas nil penitus dixit, dimisitque eum ante mensam stare et nihil* B *comedere. Erat autem refectionis initium, ita quod taliter stetit per magnam horam, aut pene per duas, ac per hoc erubescerem deinceps adspicere in faciem operatoris,* pūta Laurentii ita stantis, vel abbatis, ex cujus voluntate sic stetit. *Erat* p. 78 *enim Laurentius totus canus,* etc.

Denique qualis erat ille justus rationalium pecorum salvator et pastor, videlicet abbas, qui instrumentaliter ac dispositive cooperabatur saluti ovium quas regebat Rom. xi, 14 (secundum quod Paulus ait apostolus, Ut C salvos faciam aliquos ex eis), *per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, talem habebat dispensatorem,* etc. p. 78 post medium

Me autem objiciente abbati, et allegante infirmitatem generationis modernæ quæ secundum nos est, et qualiter multi dirumpuntur seu recedunt a grege congregationis propter correctionem quæ fit eis quasi sine causa, quamvis forsan non sine causa, domus sapientiæ, scilicet abbas ille tam sapiens, *iterum dixit ad me : Anima propter Christum oblata et mortifica-* D *ta, atque ligata caritate pastoris et fide ad ipsum, non recedet usque ad mortem et sanguinem, præsertim si a pastore* [illegible] *cipiat beneficia pietatis super cicatrices,* ita ut pastor increpationibus et rigori interdum commisceat oleum suavitatis et benevolentiam suam ostendat correpto : tunc, inquam, anima non recedet [illegible] [illegible]

tura alia separabit nos a caritate Christi et pastoris. Porro si anima non est ita ligata, fixa ac copulata, miror omnino si non inaniter in cœnobio demoretur : ficto enim nuntio comitabitur subjectio, hoc est, negotio ad quod agendum quis venerat, non vere sed simulatorie expleto, sequetur negligentis damnosa dejectio, quia succumbit, et vilipensione condignus est. Talis est autem qui in monasterio non frangit se ipsum, nec modo prætacto ligatus, fixus et copulatus efficitur.

Non enim magnus ille, videlicet abbas prædictus, *sibi ipsi mentitus est,* id est, se ipsum non decepit, *sed ducatum præbuit et perfecit,* hoc est, per viam salutis alios duxit, et quod docuit adimplevit, seu « ducatum » pastoralem perduxit in subditis ad finem beatum.

Audiamus sapientiam Dei, et admiremur eam inventam in vasis fictilibus, puta in Fratribus congregationis præfatæ fragilibus corporibus circumdatis. *Admirabar ego præsens fidem et patientiam atque indomitam sufferentiam noviter advenientium, in increpationibus et injuriis,* id est correctionibus seu pœnalibus exercitationibus, *præsidentis :* quæ dicuntur injuriæ, non quod fuerunt injustæ, sed quod eas non meruerunt; sed pie et rationabiliter ipsis infligebantur, ut in vera patientia et mortificatione, imo in omni virtute, proficerent. Porro sufferentia illorum « noviter advenientium » fertur indomita, quoniam eam habuerunt non ex edomatione et exercitatione ipsis inflicta ab aliis, sed magis ex præventione et gratia pietatis divinæ. *Interdum autem persecutionibus,* id est tribulationibus [illegible] *ribus valde.*

[illegible]

ca linguam. Dixi ergo ad eum : Frater Abbacyre, quare video te quotidie expulsum a mensa, ac sæpius ire dormitum sine refectione? Respondit : Crede mihi, o Pater, quia probant me Patres mei an vere monachus fiam, sed non in veritate hoc faciunt, id est, non tantum sicut promereor et veritas justitiæ exigit. *Hinc ego cognoscens intentionem eorum et magni,* id est abbatis, *sine pondere,* id est gravamine, *universa sustineo. Quindecim habeo annos in congregatione hac, et per totidem annos me probaverunt; et secundum quod ipsi mihi dixerunt in ingressu, quando me receperunt, probant abrenuntiantes per annos triginta,* exercitando eos ad patientiam, humiliationem et plenam mortificationem tot annis. *Et juste, o pater Joannes : aurum enim non perficitur,* id est non purgatur, *absque probatione,* hoc est examinatione per ignem, quemadmodum Salomon ait : In fornace probatur aurum. In libro quoque Sapientiæ legitur : Tanquam aurum in fornace probavit electos Deus. Ac si dicat hic Abbacyrus : Non est mirum quod exercitationes istas sustinui per quindecim annos, quum dixerint mihi in conversionis meæ exordio, quod ita exerceant abrenuntiantes per annos triginta.

Prov. XXVII, 21.

Sap. III, 6.

Sustinens ergo et manens generosus, id est spiritualiter nobilis, *iste Abbacyrus post meum adventum in monasterio duos annos migravit ad Dominum. Et morti propinquans Fratribus dixit : Gratias ago Domino Jesu Christo et vobis, quia pro eo quod salubriter me tentastis, ecce septemdecim annis mansi a dæmonibus non tentatus. Quem justi judicii pastor,* utpote abbas, *præcepit digne collocari ac sepeliri cum sanctis illic quiescentibus.*

Lædo cunctos zelatores Beatorum, id est, cunctis zelum proficiendi Sanctosque imitandi habentibus facio nocumenta, subtrahendo eis ædificationis eloquium, *si sileo sub sepulcro silentii directionem et pugnam Macedonii,* etc.

p. 79 in fine.

Mihi autem humili, id est vili, *Macedonius iste confidenter aperuit cur ad humiliationem illam se tam sponte atque humiliter obtulit. Nunquam, inquiens, vidi in me tantam evacuationem omnis impugnationis tantamque dulcedinem divinæ illuminationis, uti modo. Denique (ut dicunt) angelorum est non cadere, quia nec possunt peccare; hominum vero est cadere, et iterum surgere quoties hoc contingit,* id est, gratia resurgendi conceditur; *dæmonibus vero est proprium, quod semel cadentes, nunquam resurgunt.*

Præterea ille cui commissa erat dispensatio claustri, videlicet œconomus, *fiducialiter renuntiavit mihi : Quum essem juvenis et animalia custodirem, inductus fui in gravissimum animæ lapsum,* videlicet in furtivam et extraordinariam comestionem, aut in simile aliquid, *ut assolet,* id est, prout ex diabolica suggestione vel humana fragilitate contingere solent peccata. *Habebam vero ex consuetudine, nunquam abscondere serpentem,* hoc est peccati venenum, *in nido cordis. Quocirca tenens serpentem istum cum cauda, medico,* puta prælato, *propalavi quod feci. Caudam vero dico finem actionis. At ille facie subridens, ait ad me, percutiens temperate maxillam meam : Vade, fili, habeto ministerium tuum ut prius, nihil omnino timens* timore inordinato. *Ego vero credens fide non hæsitanti, suscepi in paucis diebus certam curationem a vitio illo. Gaudens ergo* de venia mihi concessa, *et tremens* ne iterum caderem, *currebam viam meam,* exsequendo celeriter opus mihi injunctum.

Omnis ordo rerum creatarum (ut dicunt quidam) possidet differentias multas, hoc est, totus seu integer ordo universi includit in se multiplicem rerum distinctionem, tam in essentialibus quam in accidentalibus proprietatibus. Ordo etenim universi consistit in subordinatione specierum, præcipue quæ per proprias differentias ab invicem distinguuntur, ut probant philosophi asseruntque theologi. *Quoniam ergo in congregatione Fratrum*

erat differentia quædam profectuum et deliberationum, id est propositorum seu electionum et conscientiarum, *quando medicus horum,* videlicet abbas, *notabat aliquos ostentatores in peregrinationibus sæcularium ad mansionem,* id est, aliquos Fratrum considerabat esse amatores propriæ laudis, et ostentantes se ipsos ex gloria vana in adventu sæcularium hominum visitantium claustrum ac Fratres, *istos in ultimis contumeliis et vilioribus ministrationibus positos mittebat circumquaque coram sæcularibus illis,* id est, Fratres hujusmodi vanos maxime humiliavit, ponens eos « in ultimis contumeliis », id est extremis dejectionibus, vilioribusque obsequiis, atque in talibus vilificationibus « positos mittebat » undique coram mundanis illis hominibus, ut sic pro suis vanitatibus confunderentur ac erubescerent, nec coram sæcularibus apparere optarent: ideo subditur, *ita ut deinceps celeres discederent quando fiebat ad eos aliqua peregrinatio,* id est visitatio hominum mundanorum. Festinabant enim ab illis recedere, ne coram eis sic humiliarentur. O quanta fuit sapientia, discretio, justitia atque perfectio beatissimi illius abbatis, qui Fratres sibi commissos sine personarum acceptione tam strenue ac saluberrime exercitabat et edocebat ad frangendum et mortificandum se ipsos in omnibus! *Et erat supermirabile factum quid,* id est valde mirabile opus, *videre. Ipsam vanam gloriam admiserunt, jussi sunt viliora quoque peragere coram eis a quibus reputari optabant : sicque vana gloria persequebatur se ipsam,* inducendo ad vilificationem et inhonorationem sui subjecti, *fugiebatque homines sæculares,* ne in illorum præsentia confunderetur.

Christus Jesus Dominus noster volens me privare oratione sancti Patris, id est sermone seu allocutione beati Menæ, de quo protinus sequitur, vel prece ipsius, ita ut in vita præsenti amplius non oraret pro me, [illegible] *mei,* id est recessus a prælato cœnobio

A isto, *assumpsit virum mirabilem, Menam nomine, disponentem omnia secundaria negotia post abbatem,* ita quod fuit primus post eum, saltem in disponendo exteriora negotia; *qui quinquaginta novem annos in cœnobio habens, pervigil adimplevit omnem ministrationem* ad suum officium pertinentem. *Quid igitur* contigit? *Tertia die* post obitum ejus, *perficientibus nobis solitum Canonem dormitionis sancti,* hoc est canonicum seu regulare Officium defunctorum, in quo fuit commemoratio « dormitionis sancti » illius
B viri, *repente totus chorus in quo jacebat defunctus replebatur bono suavissimoque odore. Tunc igitur abbas permisit nos discooperire loculum in quo defunctus erat dispositus,* id est convenienter locatus. *Quo facto, vidimus universi emanare duos fontes quasi unguenti boni odoris ex pretiosissimis plantis ipsius,* etc. p. 81.

Porro discipulus sancti Menæ certificavit nos de actibus sui præceptoris, videlicet Menæ istius, *dicens : Quum curiose ab ipso*
C *inquirerem si forte fuisset somno oppressus in tali genuflexione abbati exhibita, affirmavit se in terra prostratum legisse totum Psalterium.*

Non despicio et sermonis coronam exornare præsenti smaragdo : hoc est, non negligo nec omitto, sed curo, præsentem doctrinam, quæ secundum eam viventium est corona, decorare documento mox subsequenti, quod est spiritualis smaragdus, sicut materialis corona ornatur gemma quæ smaragdus vocatur.

D [illegible] *solitaria,* id est de vita anachoretica, illam commendando, *aliquibus seniorum il-* [illegible] id est vehementissime et valde summe robustis, virtuosis perfectis quærentibus cur non darent se ad vitam illam, [illegible] proveniens; *dixerunt ad me : O pater Joan-* [illegible]

est, conversationem istam humanam et observantiam corporalem potius amplexamur et exercemus, *judicantes et discernentes subire prælium illud quod est secundum mensuram nostræ infirmitatis,* hoc est pugnam tentationum et exercitationum proportionatam viribus nostris, *æstimantes utilius certare cum hominibus aliquando sævientibus et aliquando pœnitentibus, et non cum dæmonibus contra nos semper furentibus et armatis.* Per certamen « cum hominibus » intelligitur pugna laboriosa quam habet religiosus contra se ipsum et proprias passiones in congregatione, quousque discat æquanimiter ferre imperfectiones, defectuositates, exercitationes, increpationes, proclamationes, accusationes, itemque improbitates atque injurias confratrum suorum, juxta illud
Gal. VI, 2. Apostoli : Alter alterius onera portate. Homines autem dicuntur sævire, dum irascuntur, indignantur aut injuriantur. Nec ita intelligenda sunt verba nunc introducta, quasi viventes in congregatione non habeant pugnam contra invisibiles hostes, aut quasi solitarii non impugnentur interdum a propriis motibus; sed quod solitarii specialius, acrius et frequentius impugnantur a dæmonibus quam cœnobitæ, quibus frequentior pugna est ad homines et contra ea quæ ab hominibus secum morantibus fiunt. De hoc multa habentur in secun-
Collat. XX. do volumine Collationum, in collatione de fine cœnobitæ et anachoretæ.

Alter vero illorum seniorum æternaliter memorandorum, habens ad me multam fiduciam et caritatem secundum Deum, rursus ait mihi cum benignitate :

Si inest tibi in sensu animæ tuæ operatio dicentis sapientissime (utpote Pauli
Philipp. IV, 13. apostoli), *Omnia possum in eo qui me con-*
Luc. I, 35. *fortat Christo; si Spiritus Sanctus roris castitatis secundum Virginem supervenit in te,* id est, si Spiritus Sanctus, a quo est ros castimoniæ, venit desuper in te secundum quod venit in Virginem glorio-
Joann. XIII, 4, 5. sam; *si virtus altissimæ patientiæ obumbravit tibi : præcinge lumbos tuos linteo*

A *obedientiæ,* id est, corpus et animam tuam præpara et expone ad obedientiam consummatam, *sicut vir Christus Deus,* id est, quemadmodum Christus fecit, qui secundum naturam humanam fuit et est vir etiam ab incarnationis exordio, propter perfectionem animæ suæ in omni sapientia ac virtute. De quo et Jeremias prædixit : Mulier circumdabit virum. Qui se- Jer. XXXI, 22.
cundum naturam assumptam factus est obediens Patri usque ad mortem. *Et sur-* Philipp. II, 8.
gens a cœna, id est spirituali refectione
B ac suavitate, *solitariæ tuæ quietis, lava pedes Fratrum in spiritu contribulato,* id est, obsequiosus sis eis cum compunctione et contritione interna, spiritualiter quoque purga eorum affectus bono exemplo, et verbis exhortationis, increpationis et informationis; *magis vero provolvere pedibus congregationis in subjecta et dejecta prudentia,* hoc est, universis et singulis te humilia ac prosterne loco et tempore opportuno, non innitendo prudentiæ tuæ, sed proprium judicium subjice aliis, præser-
C tim prælato, et humiliter sentias de te ipso. Hæc est enim subjecta et dejecta prudentia de qua Salomon hortatur : Non Prov. III, 7, 5.
sis sapiens apud temetipsum, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Jacobus quoque apostolus contestatur : Quæ desursum est sapi- Jacob. III, 17
entia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, suasibilis, bonis consentiens.

Statue duros, severos et vigiles ostiarios in porta cordis. Ostiarii isti sunt consideratio divinæ præsentiæ, meditatio futuri judicii, ponderatio novissimorum, timor
D filialis, sollicitus fervor proficiendi, attentio propriæ vocationis, zelus justitiæ. Hi namque custodiunt mentem a negligentiis et peccatis, quum scriptum sit, Qui timet Eccle. VII, 19.
Deum nihil negligit; et rursus, Memorare Eccli. VII, 40.
novissima tua, et in æternum non peccabis; itemque, Servavi mandata tua et te- Ps. CXVIII, 168.
stimonia, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Dicuntur ostiarii quoque isti duri, quia non cedunt peccatis et tentamentis de facili; et item severi contra hostes nostræ salutis, quibus terribiles sunt Cant. VI, 9.

sicut castrorum acies ordinata. Sunt etiam vigiles, quia assidue diligentem ac agilem faciunt mentem. Porro porta cordis hoc loco vocatur capacitas ejus, quæ est quasi spiritualis apertura per quam bona et mala introeunt mentem. Interdum autem per portam cordis intelligitur sensus exterior sive interior.

Invincibiliter contine mentem, difficulter valentem contineri in corpore circumquaque occupato : hoc est, « mentem » tuam ex sua natura vagam atque instabilem, infatigabiliter reprime a profluvio cogitationum inanium et affectionum pravarum, a distractionibus cunctis, potissime in divinis. Quod « difficulter » fieri potest; sed per adjutorium gratiæ Dei assiduumque conatum potest homo quotidie in hoc ipso proficere. Est autem refrenatio ista evagationis mentalis præsertim difficilis « in corpore circumquaque occupato », hoc est etiam in exterioribus occupationibus atque laboribus : in quibus tamen adhuc conari debemus, levando cor ubertim ad Deum, orando, meditando, contemplando et adspirando. Hinc subditur : *In membris motis et concussis intellectualem quietem exercita,* id est, in motibus et agitationibus membrorum tuorum custodi ac posside tranquillitatem internam et unionem cum Deo; *quod est gloriosissimum præ universis exercitiis. Esto inconturbabilis in medio conturbationum et tumultuum,* hoc est fixus et inavertibilis a Deo quantumcumque forinsecus occurrant variæ perturbationes et inquietudines. Hanc imperturbabilitatem acquirit homo per sapientiam et virtutes, imo non nisi per excellentias et perfectiones earum. *Animam pacificam habens,* quatenus quantumcumque desit extra pax temporis, intus tamen regnet pax pectoris.

Collige linguam furentem et vesanam in contradictionibus insilire, id est, linguam tuam refrena, ne prosiliat ad verba contentiosa, injuriosa, illicita, dum contradicitur tibi, et adversum aliquid tibi contingit. Qui enim moderatur labia sua, prudentissimus est; et honor est homini quum separat se a lite. Unde et Paulus hortatur : Noli verbis contendere, etc. Dicitur autem lingua furens atque vesana, quoniam Jacobo teste, lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero, estque inflammata a gehenna, et nemo linguam domare potest plenarie. *Certa contra reginam hanc septuagies septies in die,* id est indesinenter, quotiescumque fuerit opportunum, ut nunquam excedas in verbis. Linguam vero vocat « reginam », id est dominam vitiorum, juxta illud Jacobi : Universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus nostrum. Ponitur quoque hic numerus determinatus pro numero indeterminato, quum dicitur « septuagies septies », sicut in Evangelio : Non dico tibi, Usque septies; sed, Usque septuagies septies.

Prov. xx, 3. II Tim. II, 14. Jacob. III, 8. Ibid. 6. Matth. XVIII, 22.

Dispone, id est, præpara te habere, *mentem conturbatam ut incudem, figens in ligno,* id est in corporis mortificatione, *animæ crucem,* hoc est propriæ voluntatis resignationem. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Et Salvator : Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum. Sicque habeas « mentem conturbatam » instar incudis firmam ac planam, *mutuis fragoribus contusionibusque, percussionibus,* hoc est clamoribus et irrisionibus quos sibi mutuo inferunt homines se invicem exercitantes, *impugnatam, illusam, improperatam, maledictam, subsannatam, læsam; in nullo penitus resolutam* a sua custodia, *nec sustinentem stragem,* id est interiorem læsionem. [illegible] *totam planam,* id est integram, simplicem ac sinceram, sicque valde proficientem ex adversitatibus et exercitationibus sibi inflictis, juxta quod ait beatissimus princeps Apostolorum : Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

Galat. v, 24. Luc. IX, 23.

[illegible] *sionis amictu,* hoc est, propriam abjice voluntatem tanquam inhonestum et cruciabile indumentum quod induit tibi

Habac. III, 7. propriæ voluntatis, qui operti sunt pellibus Madian, id est contradictionis. Unde
Osee X, 6. per Osee loquitur Deus : Confundetur Israel in voluntate sua. *Et denudatus intra in stadium necessitudinis,* id est, cursum obligationis obedientialis assume adstringendo te ipsum ad obediendum, quo facto, felici necessitate sis obligatus ad bona. « Stadium » quoque « necessitudinis » est locus religionis, ac iter monasticæ professionis. *Quod raro et difficulter invenitur,* id est, perfectio ista a paucis acquiritur, non sine difficultate.

I Thess. V, 8. *Indue loricam fidei ad agonis dispensatorem :* id est, solidissime crede quod abbas seu præsidens salubriter te exercens ac moderans tuam pugnam, non quærat nisi tuam salutem, et totum circa te faciat ex virtute, non ex aliqua mala radice aut passione ; sicque habeas hanc loricam seu fidei armaturam *indissolubilem neque penetrabilem ab aliqua infidelitate,* ut scilicet non indigneris neque tenteris adversus prælatum, nec male sentias de eodem quidquid fecerit tibi, imo omnia interpreteris ad optima.

Tene tactum inverecunde prosilientem temperantiæ freno : hoc est, per temperantiam et puritatis virtutem retrahe tactum ab omni lascivo et carnali palpatu, qui tactus « inverecunde » prosilit ad contactum et palpatum objectorum delectabilium sibi. Vitemus ergo contactum omnis rei ex qua potest nobis oriri motus libidinis, stimulus carnis, sensualis affectio. Unde in Regula S. Pacomii continetur : Ne unus Fratrum tangat manum alterius. Cassianus quoque testatur, quod inter ea quæ sancti Patres in Ægypto seriose prohibuerunt, fuit ne Fratres manus sibi invicem insererent : quod si fecissent, acriter puniebantur.

Recordatione mortis coge, id est reprime, *oculum volentem per singulas horas adspicere curiose magnitudinem et pulchritudinem et visionem,* id est apparatum dispositionemque, *corporum,* id est visibilium rerum. Non enim licet curiose adspicere quod non licet appetere; et præsertim reprimendus est viro oculus suus a fixo feminarum adspectu. Si autem quis adspiciat magnitudinem et pulchritudinem ac dispositionem cœlestium aliorumque corporum, ut ex hoc elevetur ad contemplationem, admirationem, amorem ac reverentiam Creatoris ; non est curiosum, sed virtuosum, quum Isaias hortetur : Levate in excelsum oculos vestros, et videte Is. XL, 26.
quis creavit hæc. Tempore vero divini Officii diligentissime reprimendus est visus, ne per eum varias distractiones atque incommoda animæ incurramus.

Obmutescere fac intellectum tuum a murmuratione temerarioque judicio, et ab omni cogitatione illicita, quæ est coram Deo locutio, *curiosum in familiari sollicitudine,* hoc est in cura rei domesticæ, *volentem judicare fratrem in negligentia,* hoc est cum desidia, *operantem* quæ non debemus incompassive, incaute aut certitudinaliter judicare. *Et omnem caritatem et compassionem in summa ad proximum absque errore,* id est cum discretione, *ostende.* Unde si quis culpabilis inveniatur, debemus potius condolere quam aspernari, pensantes illud Apostoli : Tu quid ju- Rom. XIV,
dicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis 10.
fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Judicium ergo confratris committamus Christo et ejus vicario præsidenti. *Tunc vero, amantissime Pater, in* Joann. XIII,
hoc cognoscent omnes quia discipuli su- 35.
mus Jesu Christi, si habemus in congregatione caritatem ad invicem.

Iterum bonus amicus, scilicet vir iste mihi tam carus, *dixit : Veni, veni, concerta et commorare,* id est, cum Fratribus pugna contra hostes animæ tuæ, et habita cum eisdem ; *bibe subsannationes singulis horis sicut aquam vitæ,* hoc est, derisiones et omnem adversitatem jugiter cum omni patientia sustine atque cum gaudio suscipe : secundum quod beatissimus Petrus hortatur, Communicantes Christi pas- I Petr. IV,
sionibus gaudete. *Quoniam David scru-* 13.
tans universa quæ sunt jucunda sub cœlo,

Ps. cxxxii, 1. *post omnia ultimo dixit quærens : Ecce quid bonum et quid jucundum? Nihil nisi habitare fratres in unum. Si ergo nondum facti sumus digni virtute et actu obedientiæ et patientiæ hujus,* id est, si eas necdum adepti sumus, *bonum est saltem ut longe stantes ab agonistico stadio,* hoc est ab exercitatione probativa et pugnativa jam dicta, quam nondum valemus sufferre, *infirmitatem propriam cognoscamus, et singulariter certantes,* utpote solitarios et anachoretas manu ad manum contra dæmonia præliantes, *beatificemus,* B *eisque patientiam imprecemur,* id est, Deum rogemus ut incessabilem patientiam tribuat ipsis.

Victus igitur fui sermonibus boni magistri et virtuosi Patris istius mecum pugnantis evangelice et prophetice, id est, mecum disputantis, et vitam cœnobialem mihi eminenter probantis per evangelica atque prophetica verba, *magis vero amicabiliter id agentis : unde volui indubitanter dare intercessiones et vota beatæ obedientiæ,* hoc est, rogare proposui ut C sub obedientia starem, et decrevi profiteri eamdem.

Memor adhuc unius virtutis utilis atque fructiferæ horum beatorum senum, exiens a paradiso, hoc est de religiosissimo et amœnissimo præfato cœnobio, *iterum vobis proponam spinosa eloquia, non venusta neque proficua,* id est verba mea agrestia, impolita, non rhetorica, et minus utilia. Quasi dicat : Insufficiens sum ista describere. Quod ait ex humilitate profunda. D

Consequenter refert quædam exempla. *Stantibus nobis frequenter in oratione, notavit abbas quosdam mutuo colloquentes : quos statuit per unam hebdomadam ante fores ecclesiæ, jubens (quamvis clerici essent ac seniores) ut genua flecterent coram universis introeuntibus et egredientibus.*

Adspiciens ego quemdam ex Fratribus quasi colloquentem ad aliquos facie sua ac motibus in præloquio hymnorum, hoc

A est in invitatorio, *quæsivi addiscere morem,* id est religiosam observantiam, *hujus beati* Fratris. *Qui nesciens occultare utilia, dixit : Pater Joannes, ex proœmiis,* hoc est a principio matutinalis Officii, *consuevi cogitationes et mentem simul cum anima congregare,* id est vires apprehensivas et affectiones meas recolligere, *et ipsis vocatis coram,* id est adductis in præsentia interiorum oculorum meorum, *clamare : Venite, adoremus et procidamus* Ps. xciv, 6. *Christo regi ac Deo nostro. — Curiosius autem inquirens hunc,* etc. p. 82 post medium.

Quidam ex Fratribus detrahens proximo suo (tanquam verboso et nugaci) apud abbatem, expulsus est ab eodem. Qui extra portam cœnobii mansit per unam hebdomadam, petens veniam et regressum ad claustrum. Quod quum animarum amator abbas percepisset, inquirens sollicite, et audiens Fratrem illum nil penitus comedisse infra sex dies, renuntiavit eidem : Si omnino vis redire, ponam te inter pœnitentes, id est incarceratos. *Quumque Frater hoc acceptasset libenter, fecit eum abbas in carcere poni, ubi lapsi assidue flebant pro sua ruina. — Et quoniam mentionem fecimus de mansione lapsorum, modicum dicamus de ea,* etc. p. 82 in fine.

Hæc est vitæ institutio et conversatio Ps. xxiii, 6. *quærentium faciem Dei Jacob. Etenim bonum est admirari labores et dolores Sanctorum; æmulari vero et sequi eos, est augmentativum salutis. Irrationabile autem et impossibile est velle imitari omnem conversationem Sanctorum sub uno :* id est, in una professione, sive in uno statu, non potest aliquis sequi et exercere omnes actus Sanctorum. Monachus enim non potest hospitalitatem et similia opera misericordiæ exercere, aut prædicationi insistere, sed diversi sunt status et gradus servientium Deo.

M[illegible], id est, quamdiu sentimus punctiones et amaricationes et quasi contractiones et reverentias quando compungimur, [illegible]

torum nostrorum, ut ex consideratione et ponderatione eorum patienter feramus correptiones; *quousque Dominus videns vim nostram,* id est violentiam quam nobis ipsis inferimus pugnando contra impatientiam et reverentiam nostram præfatam, *esse vim non violentorum inferentium,* hoc est, consimilem esse violentiæ eorum qui inferunt sibi ipsis vim salubrem non ex violentatione seu coactione, sed ex spontanea caritate (hoc est, quousque veniamus ad proficientium gradum), *deleat eam,* ut cum tranquillitate et gaudio suscipiamus correptiones tanquam saluberrimas culparum nostrarum medelas, *et dolorem in corde mordentem,* id est, affligentem propter afflictiones illatas, *et luctum* venientem ex tali dolore, qui est luctus impatientiæ magis quam pœnitentiæ, *vertat in gaudium* spirituale, de quo Jacobus ait:
Jacob. I, 2. Omne gaudium existimate, quum in tentationes varias incideritis. *Ait enim Psal-*
Ps. XCIII, 19. *mista : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam in proprio tempore,* utpote tempore opportuno et præordinato a Domino. Hoc impletur in eis quorum dolorem et luctum præfatos Deus in gaudium vertit, ita ut ingenti lætitia agant et patiantur ea quæ ante cum grandi difficultate et mœrore egerunt ac pertulerunt. Nempe quo virtutes fiunt in homine perfectiores, tanto faciunt eum delectabilius promptiusque operari quæ bona sunt et pati adversa.

Non obliviscamur Psalmistæ dicentis
Ps. LXX, 20. *ad Dominum : Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas! Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me post casum :* quod intelligi potest de casu mortalis et item venialis peccati, imo et de mortis occubitu, secundum quod psalmus in quo versus iste habetur, multipliciter exponitur, seu ex diversorum personis.

Beatus qui sibi ipsi vim fecit, frangendo et superando se ipsum viriliter, *propter Deum quotidie maledictus,* id est vitupe-

A ratus, *contemptus et exprobratus,* totumque hoc æquanimiter sustinens. *Iste cum martyribus tripudiabit.* Talia namque assidue æquanimiter ferre æquipollet martyrio, præsertim quando quis sustinet ea absque propria culpa. Nihilo minus, si quis toleret ea propter peccata sua libenter, ut ita purgetur et Deo complaceat, meritorium est. *Et cum angelis fiducialiter aget,* id est, securus erit cum eis in gloria. *Beatus monachus qui singulis horis putat se dignum omni ignominia et despectu.* Et certe
B si quotidianas nostras culpas, tam omissiones quam commissiones culpabiles, rite pensemus, possumus et debemus jugiter ita sentire de nobis, et humiliare nos ipsos humiliatione immensa, quia innumerabilibus miseriis quotidianisque culpis sumus repleti. *Beatus qui mortificat voluntatem suam usque in finem, et curam sui tradidit magistro,* id est prælato, *suo in Domino : statuetur enim ad dexteram Jesu Christi crucifixi,* tanquam vera ovis ipsius et sequens vestigia ejus, qui exinanivit se Philipp. II,
C ipsum, factus obediens usque ad mortem. 7, 8.

Si quis projecit a se redargutionem justam vel injustam, id est, increpationem suam indignanter accepit, sive meruerit eam, sive non, *iste negavit salutem suam,* id est, opere demonstravit quod saluti propriæ adversetur, nec eam sinceriter cupiat. *Si vero suscepit eam cum labore et dolore,* quia nondum perfectus est, et pugnat viriliter contra impatientiam propriam; *aut sine dolore,* quod salubrius est, *sortietur celeriter remissionem peccato-*
D *rum suorum.* Hoc est quod in Proverbiis Salomon contestatur : Qui odit increpatio- Prov. XII, 1;
nes, insipiens est. Egestas et ignominia ei XIII, 18.
qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Si vero religiosus a præsidente corripiatur publice aut seorsum, non debet hoc impatienter accipere, etiam si videatur sibi innoxius quantum ad culpam sibi objectam. Si tamen aliquid grave sibi imponeretur, posset se humiliter excusare, propter scandalum aliorum vitandum.

Ostende Deo intellectualiter ac integre fidem et caritatem quam habes ad Patrem tuum, id est, coram Deo vere ac plene præsenta confidentiam et bonum sentire dilectionemque filialem quas habes ad tuum prælatum ; *et ille hunc incognite certificabit,* hoc est, Deus invisibiliter certum efficiet superiorem tuum, *deinceps tibi jungi et familiarem exsistere,* id est, ut se tibi conjungat et applicet familiarisque fiat, *secundum affectionem tuam ad ipsum,* hoc est, prout mereris per tuam dilectionem ad tuum prælatum. Subditus ergo cupiens a spirituali Patre amari, non ficte, sed sinceriter habeat se ad illum.

Qui semper et in multis propalat serpentem, id est, culpam in corde suo latentem et omnem diabolicam suggestionem quam patitur, assidue aperit, tam in confessione sacramentali, quam seorsum loco et tempore congruenti, atque personæ ad hoc convenienti, *fidem manifestam et efficacem ostendit,* id est, demonstrat se habere fidem formatam ac vivam, quum sit conscientiosus ac timoratus. *Qui vero ipsum abscondit, inviis anfractibus,* id est per itinera perditionis, *errat.*

Si quis vult cognoscere suum amorem ad fraternitatem, et proprie suam caritatem, an scilicet vere et spiritualiter diligat fratres, imo et se ipsum, *certificetur de hoc in isto, quando videt se ipsum lugentem super offensionibus,* id est propter peccata, *fratris, et rursus videt se exsultantem de profectibus et gratiis ejus :* quasi dicat, Tunc certus sit quod spiritualiter diligat fratrem. Verumtamen istud non potest intelligi de certitudine penitus absoluta, sed valde probabili. Non enim potest quis absolute certus exsistere se esse in caritate, absque revelatione divina.

Qui verbum suum quod dicit, quia [illegible] *sit verum, contendit in collocutione statuere,* id est pertinaciter aut contentiose defendere, *cognoscat se infirmum infirmitate diaboli,* id est, diabolica pravitate esse infectum. *Et si operatur,* id est, si facit hoc, *loquens cum coæqualibus, forsitan quandoque sanabitur per increpationem majorum ; si vero sic litigat contra majores aut sapientiores, apud homines hoc insanabile est,* id est, tanta iniquitas curari non potest virtute humana. Unde in Collationibus Patrum habetur, quod dum abbas Moyses disputans cum abbate Macario, aliquid durius aut pertinacius protulisset, protinus a diabolo tam horribiliter est arreptus, quod superfluitates naturæ quæ in secessu projiciuntur, egessit per os. Mox autem, orante pro eo S. Macario, fuit curatus.

Qui non est subditus verbo, manifestum est quia nec opere, nisi forsitan de inobedientia sua verbali pœniteat : quemadmodum in Evangelio de duobus legitur filiis, quod unus dixit ad patrem jubentem ut iret in agrum, Non vadam ; et postea pœnitentia ductus ivit. *Qui enim infidelis est in modico, infidelis atque inglorius erit in multo :* quasi dicat, Qui non obedit verbo, non obediet opere. Hoc et Christus in Evangelio loquitur. *Et talis est in vanum laborans, ex sancta obedientia nihil nisi judicium sibi reportans,* id est, ex professione qua se ad sanctam obedientiam obligavit, non acquirit sibi nisi damnationem majorem, atque inaniter facit exteriores labores.

Matth. XXI. 28, 29.

Luc. XVI. 10.

Si quis erga subjectionem Patris possedit conscientiam suam usque ad summum mundam, id est, si prælato in omnibus fuerit obediens et subjectus, ita quod nullum habet remorsum conscientiæ de opposito ; *iste de cetero non conturbatur, exspectans per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero quasi vitam,* id est tanquam ingressum ad vitam beatam, *cognoscens in solido,* id est firmiter, *quia* [illegible] *separationis,* id est tempore mortis, *sed qui præest* reddet rationem pro eo, si opus fuerit, tempore opportuno.

[illegible] id est aliquo officio [illegible] spirituali, [illegible] id est in Dei [illegible] rem quantum ad Patris intentionem, [illegible]

que violentia, id est libenter et sine renisu A et humili excusatione ac proditione insufficientiæ suæ, *passus est improvisum aliquod offendiculum,* id est, culpam et negligentiam aliquam incurrit, *in ipsa* administratione; *causa instruatur non danti arma, sed suscipienti :* id est, culpa talis seu causa ruinæ docetur non esse imputanda Patri qui dedit subdito « arma », id est instrumenta ad bene agendum, seu opera obsequiosa, quæ sunt animæ arma; sed imputanda est subdito « suscipienti » commissionem ita libenter. *Suscepit enim* B *arma contra pugnam inimici,* id est instrumenta ac media virtuose agendi, ad resistendum per ea tentamentis diaboli; *intulit vero ac infixit ea cordi suo,* id est, per ea læsit se ipsum abutendo eisdem, videlicet auctoritate sibi commissa et ceteris per quæ debuit suum officium exsequi diligenter. *Si vero propter Dominum vim passus fuit,* hoc est, si acquievit commissioni officii sibi injuncti contra propriam inclinationem, propter Deum et ex debito obedientiæ quam promisit, *et suam* C *infirmitatem,* id est insufficientiam, *prædixit danti,* id est superiori officium injungenti; *confidat : quoniam si cecidit, saltem mortuus non est,* hoc est, si peccavit, facilius veniam promeretur. Hoc verbo notantur ambitiosi. Si enim tam periculosum est acquiescere superiori officium injungenti, sine cordiali renisu et humili excusatione; quam periculosissimum est ad officia adspirare, et per adulationes aut alias vias ad eorum adeptionem conari?

Latuit, o amici, me vobis coram pone- D *re,* id est, quasi oblitus fui aut pene omisi vobis manifestare, *et hunc suavem panem virtutis,* id est, hanc spiritualem et dulcem refectionem narrationemque exemplarem, videlicet *quomodo obedientes in præfato cœnobio conterebant se ipsos injuriis in Domino,* id est exercitationibus duris ad Dei honorem, *et afficiebant se ignominiis secundum Deum, ut essent parati ad patientiam in injuriis illatis eis ab extra et ignominiis,* id est, tribulationibus assuefacti non conturbarentur quando infligerentur eis a quibuscumque extraneis. Sic et Socrates interrogatus cur duas uxores tam litigiosas ac pessimas secum teneret, respondit : Ut domi ediscam quid foris exhibeam.

Anima quæ confessionem excogitat et ex industria tenet, id est, quæ præcogitat quod oporteat eam peccata sua confiteri, tam confessione sacramentali quam in capitulo seu alibi, et eamdem confessionem ex deliberatione observat atque exsequitur, *quasi sub ejusdem freno retinetur ut non delinquat,* id est, per talem præmeditationem confessionis tanquam freno retrahitur a peccatis. Et potest per frenum confessionis intelligi pudor seu timor de manifestatione propriæ iniquitatis. *Quæ enim manent non confessa,* id est, vitia nostra quæ non confitemur modis prætactis, *ipsa de cetero agimus quasi in tenebris sine timore,* id est veluti in absconso et in propriæ mentis excæcatione.

Quando præsidente absente imaginamur vultum ipsius, putantes eum quasi adstare nobis, tunc cognoscamus quia vere exsequimur legitimam obedientiam. Segnes pueri arbitrantur absentiam magistri gaudium, id est, negligentes et pigri discipuli gloriantur de absentia sui magistri, ut peccent liberius; *generosi vero et nobiles,* id est prudentes et studiosi pueri atque discipuli, *putant eamdem damnum,* quia tunc minus proficiunt. Conformiter, religiosi perversi gaudent de absentia sui prælati, ut minus tunc compescantur; virtuosi vero subditi de tali tristantur absentia. Hinc communiter dicitur : Probitas discipuli apparet in absentia magistri sui.

Interrogavi aliquando quemdam probatissimum virum, deprecans mihi declarari quomodo obedientia possidet humilitatem, hoc est, qualiter queat agnosci quod obediens sit veraciter humilis. *Qui ait : Nimirum si prudens et vere bene obediens mortuos suscitet, et donum lacrimarum possideat, et liberationem a pugnis,* id est tentationibus, ita quod amplius

non tentatur a carne aut dæmone; *putat omnino quod oratio spiritualis Patris fecit,* id est, orationi ac meritis sui præsidentis omnia illa adscribit cum pia æstimatione, sine temeraria assertione, *atque* per hoc *manet ipse alienus a vana propriæ reputationis elatione. Quomodo enim exaltabitur de illo quod reputat factum adjutorio Patris spiritualis, non propria sollicitudine? Solitarius operationem istam non novit,* id est, humilem reputationem istam de se ipso non habet : non enim residet sub hujusmodi Patre. *Nempe propria reputatio et elatio possidet justa quæ circa ipsum,* id est, opera ejus justa impugnantur ab elatione. Hoc dicitur, non quod solitarii omnes subdantur propriæ reputationi et elationi, sed quoniam sæpe tentantur de vitiis illis in operibus justis quæ agunt. Propter quod subditur : *immittens ei ex propria sollicitudine directiones perficere,* hoc est, « elatio » seu vana sui ipsius « reputatio » suggerit solitario quod ex propria diligentia efficiat opera sua rite directa.

Qui est in subjectione, hoc est sub obedientia, *vivens, vincens duos dolos,* videlicet inobedientiam et elationem, per quas plurimi seducuntur : quas facilius vincit obediens quam solitarius aut prælatus. Vel duo doli hi sunt, vana reputatio sui ipsius in proprio corde, et elatio seu appetitus propriæ excellentiæ inde procedens. *Manet de cetero servus Christi æternus atque obediens.* Talis quippe non separatur a Christo de facili, et obediendo suo prælato obedit Christo.

Agonizat dæmon ut pugil, obedientes aliquando inquinare sordibus, id est, instar pugilis fortiter studet, ut eos qui obediunt interdum trahat ad aliqua vitia, *et* studet quoque eos *efficere duros corde; aliquando vero conturbabiles fieri violenter actos,* id est, ad hoc etiam nititur ut ipsi obedientes « violenter » acti, seu injuriam passi et dure tractati, fiant ex hoc conturbati, turbabilesque reddantur de facili, *movens contra mœrorem,* id est, diabolus incitans ipsos ad peccata prætacta « contra mœrorem » salubrem et compunctionem internam, quæ semper eis inesse debuit. Conatur item hujusmodi obedientes facere *et aridos et sine fructu,* ut sint infructuosi intus et extra, *et gulosos et avidos,* id est cupidos rerum superfluarum, *et circa orationem pigros et somnolentos* etiam in divinis *et tenebrefactos,* id est corde obtenebratos, *ut sint quasi nihil proficientes ex subjectione* obedientiæ. Sed et hoc conatur, *ut evellat eos a certamine* spirituali, *abeuntes retrorsum,* quatenus sine resistentia consentiant sibi. *Non enim sinit intendere,* id est, non cessat considerare qualiter faciat ista; vel « non sinit intendere », id est monachos inflammare ad vitia præinducta; *quoniam dispensativa oblatio apparentium beatorum, fit nobis pluries aggregatio profundissimæ humilitatis.* Hæc « dispensativa oblatio apparentium beatorum », est præsentialis præsentatio sive inspectio eorum qui vel vere vel apparenter perfecti et sancti sunt, ex quorum adspectu frequenter in profundissima humilitate proficimus : qui profectus nunc « aggregatio » appellatur. Ideo Satanas nititur monachos ad vitia trahere, ne ex profectu et sanctitate ædificentur ad invicem. Porro si per dispensativam oblationem apparentium beatorum intelligatur præsentatio Beatorum in cœlis regnantium, et vicissim ex divina dispensatione apparentium nobis, certum est quod illa « fit nobis » accumulatio maximæ « humilitatis ».

Seductor ille diabolus *per patientiam frequenter repulsus ac victus est. Deinde adhuc isto loquente,* id est, dæmone uno adhuc suggerente ut ei consentiamus ad peccata prædicta, [illegible] tenebrarum [illegible] proponendo aliqua excellenter bona, vires nostras excedentia, ut ea aggrediamur incaute. Unde subjungitur : [illegible], id est oratione, ædificatione et sollicita gubernatione spirituali [illegible]

tes, bene contritos, tractabiles, mites, continentes, sollicitos, non impugnatos, et callidos, id est, non tentatos ad tempus, astutos seu considerativos, *ferventes : quibus dæmones instantes, subseminaverunt eis deinceps esse potentes,* id est, cogitationes seminaverunt in cordibus talium quod de cetero essent idonei, *ad solitariam quietem,* id est anachoreticam vitam, *et valentes per illam deinceps pertingere ad perfectum certamen* contra invisibiles hostes, quod ad solitarios potissime spectat, *et quasi ad impassibilitatem,* ita quod a passionibus amplius pulsari non possent. *Ita ergo seducti* suggestione hujusmodi, *et a portu in pelagus secedentes,* hoc est, a secreto obedientiæ statu recedentes ad inquietudinem impugnationum solitariæ vitæ, *deinde non valentes se gubernare, tempestate* talium impugnationum *eos apprehendente* in solitaria vita, *periculum passi sunt miserabiliter ab hujusmodi falso ac sordido tentatore.*

Necesse est mare, id est cor passionatum ac turbulentum, *quassari et conturbari et feraliter elevari,* hoc est, vitiis agitari, deordinari ac intumescere propria ferocitate, *ut materia quam flumina vitiorum deduxerunt in ipsum,* id est consuetudo prava in eo nata ex abundantiis actuum iniquorum, *et fœnum,* id est peccata minora, *et universa corruptio,* puta interior omnis infectio, *per ea iterum rejiciantur in terram,* hoc est, per opera vitiosa iterum foris erumpant. Quemadmodum enim prava consuetudo, interior corruptio, ex malis actibus generantur, sic producunt ex se alios actus damnabiles. Propter quod
Is. LVII, 20. loquitur Isaias : Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Insuper potest hic locus exponi in bonum, ut sit sensus : « Necesse est mare quassari », etc., id est, ad hoc quod cor adhuc turbulentum reformetur, oportet ut Pater spiritualis Fratrem cor tale habentem conquasset, et exercitando frangat, salubriterque conturbet, ne carnali pace lætetur, atque « feraliter » levet, hoc est, rigorose tra-
A ctet ac tribulet eum (juxta illud Isaiæ, Quasi amictum sic levabit te), quatenus *Is.* XXII, 17.
per exercitia ista expellantur mala interiora. Huic sensui magis consonant quæ sequuntur. *Superintendamus,* id est, diligentissime consideremus, *et inveniemus post magnam tempestatem, in mari factam profundam tranquillitatem.* Quasi dicat : Sicut hoc corporaliter est in mari materiali, ita in homine passionato post motiones intensas exercitiorum monasticorum solet oriri ingens tranquillitas re-
B formationis internæ : juxta illud Tobiæ, Post tempestatem tranquillum facis, et *Tob.* III, 22.
post fletum exsultationem infundis.

Quicumque est Patri spirituali interdum obediens, quandoque vero inobediens, similis est homini mittenti in oculos suos aliquando collyrium, aliquando calcem : nam sicut collyrium est oculis valde conveniens et eos clarificans, sic obedientia est saluberrima cordi et illud illuminat; quemadmodum etiam calx nocet oculo corporali, sic inobedientia menti. *Unus*
C *vero qui ædificat, et alius qui destruit, quæ utilitas in utrisque, nisi labor tantum?* Hoc est quod in Ecclesiastico scriptum est : Unus ædificans, et alius de- *Eccli.*
struens, quid prodest illis, nisi labor? Quod XXXIV, 28.
hic introducitur ad probandum quam insipienter agat. Qui enim interdum inobediens exstat, quod obediendo ædificat, inobediendo mox demolitur.

Ne seducaris, o fili obediens Deo, spiritu reputationis propriæ et elationis, et ne delicta tua annunties magistro, id est spi-
D rituali rectori, *quasi sub persona alterius,* quatenus minus verecunderis. Cujus causa annectitur. *Non est absque confusione a confusione liberari :* hoc est, a futura et æternali confusione seu ab ipsis confusibilibus vitiis tuis liberari non vales sine præsenti pudore spontaneæ confessionis. *Denuda, denuda medico spirituali plagam tuam,* id est culpam, quæ plaga est animæ. *Dic, et non confundaris,* hoc est, vituperabili confusione non retraharis quin dicas : *Meum est vulnus, o Pater, mea est*

plaga, proveniens ex negligentia mea, non ex alterius culpa : hoc est, ego ipse peccavi, et mihi ipsi imputo quod deliqui. Non enim unus necessitatur peccare ex alterius culpa, nec inducitur ad peccandum ex alterius vitio, nisi mediante negligentia propria, qua omittit cor suum debite custodire et malo alterius non vinci, nec [tantum] custodire, sed dissentire, reluctari ac prævalere. Hinc subditur : *Nemo ejusdem causa,* id est, nullus alius est directa et immediata causa culpæ meæ; *non homo, non spiritus,* puta diabolus, *non corpus, neque aliquid aliud, sed insolentia et negligentia mea.* Verumtamen homo, dæmon, corpus, seu aliud quodcumque objectum, frequenter est causa dispensativa, suggestiva seu incitativa, et occasionalis atque remota culparum nostrarum : quemadmodum scriptum est,
Osee IV, 12. Spiritus fornicationis decepit eos; et, Cum
Ps. XVII, 27. perverso perverteris; et, Qui communica-
Eccli. XIII, 1. verit superbo, induet superbiam.

More, adspectu et cogitatione esto tanquam convictus judicio, hoc est, morem, apparatum et cogitationem hominis rei assume, cujus culpa probata est, humiliando te corde ac corpore, *super confessione in terram imminens,* id est, in terram humiliter te prosternens cum recognitione tui excessus; *et si possibile est, esto rigans pedes judicis ac medici,* utpote tui prælati, *quasi pedes Christi,* instar bea-
Luc. VII, 38. tissimæ Mariæ Magdalene. — *Mos est sæpe dæmonibus suggerere nobis ut non confiteamur peccata nostra, aut facere hoc quasi ex alterius persona, vel inculpare alios de nostro peccato, tanquam causatores,* ita
Gen. III, 12, 13. quod instar primorum parentum nostrorum imputamus aliis nostras culpas.

Si omnia consuetudine auferuntur et consuetudinem sequuntur : hoc est, quoniam opera bona et habitus virtuosi tolluntur per consuetudinem eis contrariam, et paulatim deficiunt, « omnia » quoque « sequuntur consuetudinem » consentaneam eis, et propriam assuefactionem unusquisque sectatur, donec ad oppositum as-

A suescat; *multo magis penitus bona,* id est, opera virtuosa sequuntur consuetudinem bonam habitumque virtutis, *sicut habentia cooperatorem magnum,* videlicet *Deum* omnipotentem, qui operatur in nobis velle et perficere, qui liberum arbitrium excitat, virtutes infundit, et servos suos juvat in bonis. Philipp. II, 13.

Non laborabis, fili mi, multis annis invenire in te requiem beatam, id est, infra annos et dies paucos requiem felicem reperies, *si ex tota anima te ipsum*
B *tradideris in principio tuæ conversionis ignominiis,* hoc est ad sustinendum patientissime omnem irrisionem, increpationem et injuriam : tunc enim in adversis cito gaudebis, habebisque requiem pectoris in præsenti, et requiem æternitatis paulo post in futuro.

Non dedigneris confessionem facere, id est peccata tua confiteri confessione sacramentali et accusatione tui ipsius spontanea extra illam, *pastori tuo sicut Deo,* hoc est humiliter ac complete tanquam
C Dei vicario et quasi ipsimet Deo : ideo additur, *in subjecto more,* id est ritu seu observantia obedientiali. *Vidi enim obnoxios mollientes duritiam,* id est rigorem, *judicis condemnantis, super nimia confessione et supplicatione,* id est, per hoc quod se ipsos valde permaxime accusabant et veniam implorabant, *et transformantes furorem judicis in bonam viscerositatem :* nam rigorem et iram ejus transtulerunt ad compassionem internam. Et si hoc ita est apud homines judicantes, quanto ma-
D gis potest homo se taliter humiliando rigorem evadere divinæ justitiæ, atque dulcorem impetrare clementiæ ejus ?

Propterea Joannes [illegible] ad suum baptismum : [illegible] id est pro [illegible] per hoc quod induxit eos ad confessionem peccatorum suorum. Verumtamen sacratissimus Christi præcursor non requirebat a baptizandis suo baptismo sacramentalem confessio-

nem, quia tunc nondum fuit sacramentum A Confessionis impositum, sed Christus illud primo instituit; sed requirebat ut in generali faterentur se esse peccatores : et forsan specificabant aliqua sua peccata. *Matth.* III, 6. Unde in Evangelio legitur, quod baptizabantur a Joanne, confitentes peccata sua. Porro quod dictum est, Joannem non indiguisse eadem confessione, si intelligatur quod aliorum confessio non fuit sibi * necessaria ad salutem, non habet difficultatem; si vero intelligatur quod ipse Joannes non indiguit confessione propriarum cul- B parum, adhuc verificatur quantum ad hoc quod non indiguit ea alii homini confiteri, quemadmodum ceteri : verumtamen confitebatur quotidie Deo, se sine venialibus non esse peccatis.

* ipsis

Non stupeamus et post confessionem impugnari, id est, non admiremur si post confessionem tentemur. *Melius est pugnare cum inquinationibus,* id est contra inquinationes et vitia præliari, quam penitus II *Tim.* II, 5. non tentari. Non enim coronatur nisi qui *Eccli.* XXXIV, 9. legitime certaverit. Et, Qui non est tenta- C tus, quid scit ? Attamen pugna ista fieri debet cum sui ipsius humiliatione, et propriæ infirmitatis recognitione. Propterea subditur : *et non elatione et reputatione propria.*

Noli currere, id est hinc inde infructuose vagari, similiter *nec extollaris, in narrationibus Patrum et anachoretarum :* id est, non referas cum superbia inanive gloria ea quæ de Patribus aut anachoretis audisti aut cognovisti. Ut enim sanctus refert Hieronymus ex ore B. Joannis anachore- D tæ, quidam Fratres discurrebant longe ac late ad seniores et anachoretas ad audiendum eorum doctrinam, non ut imitarentur eamdem, sed ut cum gloriatione inani eam aliis recitarent. Quod quidem prorsus damnabile exstat : et tamen adhuc multi sunt tales, promptuli ad docendum, pigri ad operandum. *Etenim in malitia * Protomartyris est * pervadare electus.* Quisnam sit sensus verbi istius, certitudinaliter non cognosco; sed videtur sic posse exponi,

* militia
* es

quod Paulus apostolus « electus est pervadare », hoc est viam impietatis pertransire atque evadere, « in malitia Protomartyris », hoc est eo tempore quo tyrannidem suam exercuit in sancto protomartyre Stephano, qui pro lapidatoribus *Act.* VII, 60. suis orando, promeruit conversionis gratiam Paulo, ut ait Fulgentius in sermone. Unde manifeste ostenditur, quod non sufficit verba Patrum audire, quum Paulus verba sancti protomartyris Stephani audiendo, motus non sit ad imitationem sed ad lapidationem ipsius. *Ibid.* 58.

Neque cadens in aliquam tentationem aut culpam, *discedas de stadio necessitudinis hujus,* hoc est de loco cœnobii, in quo ad bene agendum arctaris teque subjicere obligaris. *Tunc enim maxime indigemus multo amplius medico,* hoc est, quando lapsi fuerimus, multo vehementius indigemus spirituali Patre, seu proximo qui casum animæ nostræ spirituali medicamine curet. *Qui cum auxilio pedem pungit in lapidem,* hoc est, qui fultus gubernatione spiritualis Patris et exhortationibus atque exemplis Fratrum offendit et peccat, obicem non vitans salutis, *eum extra adjutorium,* id est in solitudine, *exsistentem, contigisset non solum offendere, sed et penitus mori,* hoc est in peccatis suis manere ac disperire.

Quando in cœnobio victi aliqua tentatione aut passione, *dejicimur, dæmones instantes,* hoc est ad nos decipiendum intenti, *celerius apprehendunt nos; quasi sub occasione bene rationabili,* hoc est sub colore apparenti, persuadendo nobis quod aliqui in congregatione sint nobis causa tentationum ac ruinarum, *quæ tamen* suggestio *est potius irrationabilis,* quoniam ex propria infirmitate, ignorantia aut malitia victi sumus, *tranquillitatem nobis solitariam suggerentes.* Tunc namque instigant, ut congregatione relicta, ad solitariam vitam nos transferamus, quasi quietem majorem habituri ibidem. *Intentio vero est inimicis nostris, apponere nobis vulnus super lapsum,* hoc est, dæ-

mones intendunt nos ad majorem lapsum pertrahere in solitaria vita, ut priori culpæ addamus et aliam.

Quando medicus allegat impotentiam, dicens se non posse infirmum curare, *tunc necesse est accedere alium* medicum. Conformiter, si Pater congregationis affirmet se non posse Fratrem lapsum sanare, tunc Frater habet rationem pergendi ad alterius Patris cœnobium. *Sine medico enim curati sunt valde pauci.* Certum est quod nemo curatus sit absque ope et gratia summi medici animarum, videlicet Dei : qui licet per se ipsum omnia posset peragere, perpaucos tamen curat omnino sine cooperatione humana, præsertim prælati spiritualisve viri. Unde, ut in Apostolorum Actibus legitur, et Paulum misit ad Ananiam, Cornelium quoque direxit ad Petrum. Omnia etenim efficit ordinate. Quosdam tamen, sicut beatissimam Mariam Ægyptiacam, per se ipsum curavit, sine cooperatione humana. *Quis ergo arbitrabitur contradicere nobis determinantibus,* hoc est, quisnam audebit contradicere nobis qui asserimus, *quod omnis navis habens gubernatorem peritum et expertum, et naufragium incurrens, periclitanda erat exsistens omnino absque gubernatore?* quasi dicat : Stultum est hujus oppositum dicere. Ergo a simili, Frater sub spiritualis Patris regimine cadens ac periens, magis caderet ac periret sine spirituali Patre in solitudine degens.

Act. ix, 6, 12. Ibid. x, 5.

Ex obedientia procedit humilitas, ex humilitate impassibilitas, hoc est ab omni passione immunitas. Qui enim se ipsos plene humiliare non cessant, tantam a Domino gratiarum abundantiam sortiuntur, ut non solum purgentur ab omni elatione, quæ est humilitati directe contraria, verum etiam a ceteris vitiis passionibusque curentur. Ad quod probandum allegat quod habetur in Psalmo : *Quia in humilitate nostra memor fuit* [illegible] *mit nos ab inimicis. Etenim principiavit quidem illam ista,* hoc est, humilitas disponit ad obedientiam et inchoat eam

Ps. cxxxv, 23, 24.

Moyses incepit legem, id est, legem scriptam Deo jubente primitus promulgavit, atque in ea evangelicam legem præfiguravit, et suo modo inclusit, sicut quod Ezechiel vidit rotam in medio rotæ, hoc est Testamentum novum in veteri. *Perficit vero filia matrem,* id est, humilitas ipsa completior ex obedientia nascens, eamdem reddit perfectiorem (tunc quippe obedientia est Deo accepta, quando humilitate ornatur), *sicut Maria* Christifera *perfecit Synagogam,* quia perfectius vixit quam populus veteris Testamenti, et perfectionis exempla ei monstravit supergrediens legem.

Ezech. i, 16.

Omni punitione sunt digni coram Deo, infirmantes, id est infirmi et imperfecti religiosi, *qui post medici experientiam et utilitatem ex ipso acceptam, derelinquunt hunc ante sanitatem perfectam,* hoc est, qui a spirituali suo Patre recedunt antequam plene purgentur, quum tamen jam interdum experti sint se esse adjutos ab illo, *præponentes ei alterum proprio suo judicio et comparatione* qua referunt illum ad istum, sicque temerarie judicant. *Non fugias manus offerentis te Domino :* hoc est, noli recedere a primo prælato sub quo religionem ingressus atque professus es, et qui primo consecravit te Deo ac benedixit. *Non enim in vita tua revereberis alium sicut ipsum :* hoc est, naturale et justum est ut illum spiritualius diligas et honores.

Qui inexpertus est in bellicis rebus, non separabit se ex multitudine militum cum certa securitate ad singulare certamen, hoc est, secure non agit se a commilitonibus separando et solus ad duellum eundo : [illegible] *solitariam quietem sine periculo, ante* [illegible] *animalium et spiritualium vitiorum,* id est, non autem diu expertus et exercitatus [illegible] vincenda sint [illegible] spiritualiaque peccata. *Solet enim ille quidem corporaliter, iste vero secundum animam subire periculum,* hoc est, communiter sic

accidit, ut miles sic faciens vulneretur in A corpore, et monachus ita agens lædatur in anima. *Boni enim (ut sacra ait Scriptura) sunt duo super unum :* nam in Ecclesia-
Eccle. IV, 9. ste Salomon ait, Melius est duos esse simul. Quod ceteris paribus verum est. Hinc subditur : *id est, bonum est filio cum Patre per operationem divini Spiritus agonizare contra assumptiones et consuetudines vitiosas,* hoc est, valde salubre exsistit subdito cum suo prælato pugnare contra conceptiones et consuetudines pravas, operante et adjuvante Spiritu Sancto. B

Qui privat cæcum ductore, et gregem suo pastore, et orbum, hoc est privatum filiis, *manuductore, et parvulum suo patre, infirmantemque medico, et navem gubernatore, periculum utrisque conciliat :* hoc est, periculo grandi exponit cæcum et gregem, orbum et parvulum, infirmum ac navem; imo et aliquo modo lædit ductorem, pastorem, manuductorem, patrem, medicum et gubernatorem. *Qui vero conatur certare contra spiritus,* scilicet invisibiles hostes, *absque adjutorio* hominis C boni, *mortificatur ab eis* frequenter, nisi sit satis perfectus, quum in Ecclesiaste
Ibid. 10. scriptum sit : Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet sublevantem se.

Venientes pro curatione ad medici stationem, id est mansionem, *notent a principiis suos dolores,* id est, ab exordio quo curari incipiunt, pensent magnitudinem suæ pœnæ, quatenus inde advertant quantum ex medici releventur medela : quo enim dolores magis decrescunt, eo in eis medicina plus proficit. *Qui vero in subje-* D *ctione sunt,* id est, sub obedientia vivunt, *humilitatem eis advenientem,* hoc est, quantum in humilitate profecerint, ponderent ex obedientia sua : quo enim promptius parent, eo humiliores censentur. *Nempe alleviatio dolorum est illis,* puta corporaliter vulneratis ac languidis, *signum sanationis absque errore; his autem,* hoc est obedientibus, signum internæ sanationis est *additamentum dijudicationis sui ipsorum :* quo enim semetipsos cordialius accusant atque dijudicant, eo certe humiliores atque perfectiores creduntur. *Neque aliquid aliud signum tale eis apparebit,* hoc est, non invenient aliud tam certum hujus rei indicium.

Conscientia tua fiat tibi speculum subjectionis : hoc est, ex judicio propriæ conscientiæ pensa an vere et digne satis obedias; *et sufficiens* speculum *est* conscientia tua, ut in ea quasi in speculo quodam intuearis an rite sis subditus.

Alii quidem secundum tranquillitatem solitariam sunt subjecti Patri spirituali. Isti sunt qui seorsum morantur in cella, et tamen subjecti sunt Patri spirituali, et habent tranquillitatem similem tranquillitati anachoretarum. *Et a solis dæmonibus impugnantur. Alii vero in congregatione exsistentes, pugnant contra dæmones,* a quibus tentantur, *et contra homines,* a quibus quotidie exercentur. *Et priores quidem per indesinentem Patris sui adspectum diligentius custodiunt ejus mandata.* Per « priores » videtur intelligere immediate nunc prædictos, qui superiorem suum semper intuendo, diligentius ei obtemperant. *Secundi vero,* videlicet qui solitarie habitando obediunt, *sæpius in modico feriunt,* hoc est negligunt, *Patris sui mandata propter ipsius absentiam :* nam raro visitantur ab eo. *Verum si aliqui fiant solliciti et portatores dolorum,* id est æquanimiter sufferentes adversa, *propter patientiam quam habent in repercussionibus,* hoc est afflictionibus quibus iterum atque iterum exercentur, *complent super defectum,* id est, recuperant plus quam aliunde amiserunt, *et duplices coronas reportant,* hoc est, duplicatam gloriam promerentur.

Omni custodia servantes nos ipsos servemus, ne per aliquem sensum aut aliam animæ vim peccemus : nam naves renavigantes ad portum solent faciliter conteri, præsertim quæ perforatæ exsistunt a fervore, hoc est aquarum violento impulsu, *tanquam a teredine,* hoc est vermiculo ligna rodente, seu a quibusdam vermibus aliis. Ita et monachi ad cœlestem patriam

redeuntes et tribulationibus tacti, nisi diligenter observent se, faciliter conteruntur per impatientiam, aut gloriam vanam de ipsa patientia sua.

Super eo qui præest, extremam taciturnitatem studeamus habere, hoc est, de prælato non loquamur aliquid male, detrahendo aut de eo temere judicando. *Vir enim tacitus, filius amoris sapientiæ, continue possidet multam scientiam.* Ideo Pro-
Prov. x, 19. verbiorum decimo ait Scriptura : Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. *Vidi subditum rapientem narrationem ex ore præsidentis,* ita quod verba illius interrupit et prosequi cœpit, vel ea se scire monstravit; *et desperavi de subjectione,* hoc est obedientia, *ejus,* videlicet subditi hujus. Non tamen penitus desperavit, sed parvam inde spem habuit, eo quod subditus talis difficulter et admodum raro corrigitur. Unde et Salomon in Proverbiis
Ibid. xviii, 13. suis ait : Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum. *Cernens subditum illum assumpsisse superbiam, et non humilitatem, ex narratione prælati.*

Omni vigilia vigilemus et servatione servemus et custodia custodiamus unde, hoc est ex qua causa, *quando et quomodo ministratio,* scilicet exterior servitus proximo exhibenda, *debeat præjudicari et præferri orationi : quia non semper debet fieri hoc omnino,* sed tunc potissime quando præsidens vult hoc, et in necessitatis seu indigentiæ magnæ articulo.

Attende tibi ipsi et Fratribus tuis, ne scilicet lædas te ipsum, aut alios scandalizes; *et ne acceleres in aliquo apparere justior eis, exsistens simul cum ipsis : duo enim mala operaris,* si sic justior eis apparere conaris, *utpote, illos lædens per tuam apparentiam falso fictam,* id est per tuam confictionem qua mendaciter optas illis justior ab aliis reputari, *tibi ipsi vero omnimodo concilians altum ipse,* hoc est occasionem et laqueum ingerens tibi ut altum sapias de te ipso.

Esto studiosus secundum animam, hoc est, spiritualiter et secrete stude singulariter incessabiliterque proficere, *nequaquam manifestans hoc corpore, non figura, non habitu, non sermone, non ænigmate,* hoc est quacumque calliditate vel obscuritate, *vel exemplo.* occultanda sunt namque pro posse signa eminentioris devotionis. *Et istud* dico et servabis, *si tamen cessasti judicare et contemnere proximum tuum. Si vero exsistis pronus in hoc,* puta judicando spernendoque proximos, *esto similis Fratribus tuis, et non dissimilis propria reputatione tui ipsius,* ita ut cogites te velle illos in conversando præcedere : tunc enim mox eos contemnere et dijudicare incipies.

Vidi reprobum quemdam discipulum super magistri directionibus gloriari, hoc est, perversum subditum consideravi inaniter exsultare de doctrinis sui prælati, quasi et ipse præ ceteris impleverit aut noverit eas; *et, reputans acquirere sibi gloriam ex tritico alieno,* hoc est ex pabulo doctrinæ sui superioris, *accumulavit magis ignominiam sibi, universis ad eum dicentibus : Et quomodo arbor bona ramusculum infructiferum protulit?* hoc est, qualiter accidit quod bonus prælatus habuit infructuosum discipulum? Quasi dicat : Mirum est hoc, et ex culpa subditi contigit.

Non sumus patientes, nec judicamur veraciter sufferentes, quando sustinemus generose ac fortiter subsannationes Patris, hoc est correptiones, correctiones et exercitationes nostri prælati; *sed quando* [illegible] *mine,* hoc est a quocumque, sive extraneo sive intraneo, sive ab æquali aut inferiore, nec tamen tristamur ex hoc [illegible], hoc est, pati debemus [illegible], hoc est cum reverentia et ex debito. Porro si hoc ita se habet, quam infinite distat ab obedientia vera qui justas correctiones et ... correptiones a suo capite prælato [illegible]

[illegible]

te potare purgatorio carnalitatis luxuriæ, A hoc est, tibi infligente subsannationem, persecutionem, exercitationem sive injuriam, quæ est purgativa ab omni libidinosa carnalitate. « Subsannationem » autem « prompte » potare tanquam « aquam vitæ », hoc est omnem adversitatem libenter et abundanter suscipere tanquam medium pertingendi ad vitam gratiæ in præsenti vitamque gloriæ in futuro. Denique, per hoc quod homo talia patitur assidue et ubertim, meretur relevari a tentatione carnali, imo et eminentem profectum virtu- B tum sortiri, per quem valeat omni tentationi lasciviæ faciliter reluctari. Ideo sequitur : *Tunc enim in anima tua profunda castitas orietur, et lumen Dei non deficiet in corde tuo :* hoc est, gratiam Dei non perdes ex proprii cordis fragilitate, sed Deus conservabit et perficiet eam in te.

Nemo videns collegium requiescere super se, hoc est congregationem inniti et fulciri suo consilio aut suis exemplis, *glorietur in deliberatione mentis,* hoc est, C inani gloria moveatur ex proposito aut in electione seu consideratione animæ suæ, quasi in re eminenti aut sibimet adscribenda. *Etenim latrones sunt undique,* hoc est, invisibiles hostes circumvolant nos, parati perimere hominem taliter de se ipso gloriantem. *Rememorans memorare dicentis,* hoc est, recole verbum Christi qui
Luc. XVII, 10. ait : *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quo rite pensato, facile erit se in omnibus hu- D miliare, neque inaniter gloriari. *Judicium vero laborum cognoscemus in tempore exitus,* id est, in hora mortis nostræ experiemur justum Dei judicium de nostris laboribus, quales exstiterint : non ergo justificemus nosmetipsos ante sententiam infallibilis Judicis.

Cœnobium est cœlum terrenum, quando in cœnobio vere claustraliter vivitur, ita quod caritas, pax, puritas regnant in cœnobitis, ut ait in Regula sua S. Hieronymus. *Propter quod sicut afficiuntur in cœlis angeli Domino ministrantes, ita faciamus affici cor nostrum in cœnobio servientes :* hoc est, quemadmodum angeli Deo ministrant eumque laudant et contemplantur cum reverentia summa et incessabili alacritate, ita et nos faciamus in claustro, quantum fragilitati nostræ exstat (Deo auxiliante) possibile, excitemusque corda nostra ad hæc, quod in nobis est faciendo, quia non semper inest nobis talis alacritas, sicut subjungitur : *Nam plerumque exsistentes in cœlo isto terreno, adjacent,* hoc est, se habent, *in his quæ agunt quasi lapidei, rursusque per compunctionem aliquando consolantur,* quando impletur in eis quod per prophetam Ezechielem loquitur Deus, Auferam cor lapideum Ezech. XXXVI, 26.
de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, *ut fugiant elationem propriæ reputationis,* experiendo in se tantam duritiem et torporem, *et in laboribus consolentur per lacrimas* internæ compunctionis.

Parvus ignis fecit liquescere multum favum ; et parva ignominia plerumque superveniens, repente liquefecit atque delevit universam cordis feritatem ac cæcitatem, hoc est, pia perpessio parvæ confusionis sive injuriæ emollivit sæpe et abstulit omnem ferociam obtenebrationemque mentis, *et in dulcedinem convertit* amaricationem brutalem.

Vidi aliquando duos residentes, audientes et observantes, scilicet occulte, *suspiria et labores agonizantium,* hoc est efficaciter decertantium et militantium Christo. *Et unus* fecit hoc, *ut æmularetur,* hoc est, sequeretur sanctos actus illorum ; *alter vero, ut tempore vocante propalaret ea improperative, et a bona operatione retraheret Dei servum.*

Ne sis irrationabilis silentium tenens, hoc est, cum irrationabili indiscretione non serves silentium, *procurans aliis turbationem et amaritudinem ex tuo silentio indiscreto.* Est enim tempus loquendi, et Eccle. III, 7.
tempus tacendi. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Est tacens, non habens sensum lo- Eccli. XX, 6, 7.

quelæ; et est tacens, sciens tempus aptum: A homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus et imprudens non servabunt tempus. Denique vivens in congregatione ita se habeat, ut non sit aliis onerosus et quasi agrestis, sed omnibus affabilis et benignus, loquens tempore opportuno, moderate et sapienter. *Neque sis adulterinus in ore,* hoc est abusivus, impudicus, scurrilis in verbis, *et exhortans ad tribunal accedere,* id est, non moveas Fratrem aliquid injuriæ passum ut præsidentem accedat ad conquerendum et expetendum B vindictam. *Alioqui pejor exsistis furiosis et conturbantibus alios. Vidi, secundum quod ait Job, hujusmodi animas,* scilicet vitiis istis infestas, *plerumque apparere et perire adulterina morum segnitie,* id est tarditate atque ignavia detestanda, *quandoque vero apparere dolentes idoneitate,* hoc est cum apparatu ficto et apparenter decenti, ita quod quadam maturitate videbantur armati : quod potissime apparet in irrationabiliter taciturnis. *Et miratus sum qualiter malitia varia est :* quoniam vi- C tia interdum se palliant quodam colore virtutum, interdum vero ostendunt se evidenter.

Qui est in medio, hoc est in statu proficientium, *non potest tam lucrari ex psalmodia quam ex oratione.* Verumtamen altius atque divinius est psallere seu Deum laudare, quam Deum orare, et magis convenit cœlestibus civibus : nam in psalmodia est sæpe altior sensus, profundior quoque contemplatio, et major instructio fidei; rursus, in laude Dei elevatur D mens in Deum sincerius et cum minori reflexione ad se. Sed qui adhuc « in medio est », nondum tam aptus est ad psallendum sicut ad orandum. Unde magis fovetur sua devotio et magis accenditur sua affectio in orando quam in psallendo, ut in pluribus : quamvis interdum quoque aliter accidat ex gratia speciali, dispositioneque naturali qua aliqui ad elevationem altamque considerationem dispositi sunt. Nam difficultas intelligendi psalmos est etiam sæpius causa quod aliqui magis lucrantur orando quam psallendo. Ideo subditur : *Confusio enim psalmi, est commutatio per Spiritum Sanctum in eo facta.* Per confusionem psalmi intelligitur varia permixtio sententiarum contentarum in psalmo : quoniam sæpe in eodem psalmo quædam dicuntur in persona Christi, quædam in persona corporis sui mystici, quædam in persona iniqui, quædam vero in persona pœnitentis; rursus, quædam dicuntur ibi historialiter, quædam prophetice, alia deprecative, alia imprecative. Fit quoque in psalmo frequenter mutatio in dirigendo sermonem nunc ad Deum, nunc ad alios; et de numero singulari ad pluralem, ac econverso. Hæc ergo « confusio, est commutatio facta per Spiritum Sanctum » in psalmo. Psalmographus quippe ita permixte locutus est, secundum quod diversimode tangebatur a Spiritu Sancto.

Certa et luctare, id est, cum interiori pugna et omni conatu stude, *ad te ipsum congregare,* id est, intra te recolligere, atque ad Deum erigere et in ipso simplificare, *mentem et rationem,* id est affectum et intellectum, *et intentionem,* meditando Dei præsentiam; *et non cesses revocare easdem recurvatas et distractas,* hoc est, quum fuerint a Deo reflexæ et evagantes. *Non enim Deus requirit ab obedientibus orationem indistractam et irrecurvatam :* talis namque oratio non est possibilis fragili menti humanæ, si fuerit multum prolixa. Verumtamen per obedientes intelligit stantes in congregatione sub obedientia Patris spiritualis, ad quos non spectat de lege communi oratio tantæ elevationis ac puritatis sicut ad anachoretas, quorum est in oratione et psalmodia multoties rapi et absorberi omnino in Deum, nec aliquo sensu uti, prout de hoc in Collationibus Patrum habetur diffusius. Itaque non requirit Deus a nobis ut nulla distractio aut reflexio interdum se misceat orationibus nostris, sed ut contra evagationes et recurvationes hujusmodi summo conamine prælienmur non [illegible] sed

mentem assidue revocando ad Creatorem. Hinc sequitur :

Ne contristeris tristitia immoderata *furtum mentis passus in oratione,* id est distractionem. Et proprie dicitur « furtum mentis », quando suggerente diabolo amittitur seu aufertur concepta attentio : diabolus namque est latro et fur animarum. *Sed bono animo esto,* non turbando te ipsum propter hoc excessive, *intellectum semper revocans et ad Christum levans : angeli enim solius est imprædabile,* hoc est, inevagabilis et inauferibilis stabilitio mentis in Deo, non est nisi angelorum et omnium civium supernorum.

Persuadens se ipsum latenter confidere, id est, qui sibi ipsi persuadet latenter ut speret in Domino, *et ut non discedat a certamine stadii,* id est exercitatione congregationis ac loci, *usque ad instantem exspirationem,* utpote mortem, *imo usque ad mille mortes corporis et animæ,* hoc est pro nulla corporali tribulatione aut morte vitanda (unde quod ait, « mortes corporis et animæ », non est intelligendum de spirituali morte animæ, quæ est culpa mortalis aut æterna damnatio : quia si mortes illæ inevitabiliter imminerent remanenti in congregatione, propter eas vitandas egredi teneretur); *in nullo talium faciliter corruet,* hoc est nec in adulterina morum segnitie, neque in ficta maturitate, sed simplex, sincerus et agilis erit. *Nam dubietas,* hoc est perplexitas seu incertitudo de agendis et magis expedientibus, *et infidelitas cordis, et inconstantia loci, facere semper solent offensiones contrariosque eventus,* id est multo graviores ruinas et majores defectus, ita quod hic qui ex loci mutatione putavit magis proficere, multo plus deficiet ex eadem. Propter quod subditur : *Qui autem leves sunt ad locorum mutationes, in omnibus ubique sunt reprobi,* hoc est aliis graviores ac displicentes. *Nihil enim ita operatur privationem fructificationis, sicut insufferentia,* id est, spiritualem profectum nihil sic impedit, sicut non posse

A in uno consistere loco, nec proximos velle pie sufferre.

Si occurristi in locum medicamenti et in medicum tibi incognitum, hoc est, si venisti in locum religiosum atque ad novum prælatum tibi ignotum, *esto sicut advena,* id est, verecunde et circumspecte te habeas, non audacter aut nimis secure, *et sume latenter experientiam universorum exsistentium ibi,* id est, omnium Fratrum ac Patris mores attende, teque omnibus applica successive, ut scias
B quid in quolibet sequi aut fugere debeas, et cujus familiaritas, amicitia aut societas tibi exstet salubrior. Verumtamen id fieri debet sine curiosa observatione, superflua occupatione temerarioque judicio; nec præcipitanter, sed paulatim et opportune fieri potest.

Quando vero sentis utilitatem in tuis infirmitatibus ex artificibus et ministris, hoc est, quando ex superioribus et conservis tuis sentis in te curari passiones et vitia tua, ita quod superiorum præsidentia
C et Fratrum vita sunt tibi exemplares et fructuosæ, *et præsertim ad quæsitam,* id est intentam et concupitam, *evacuationem tumoris et elationis animæ : tunc deinceps accede ad illos* mentali affectu, *et eme,* hoc est, procura ab eis recipi et manere cum ipsis, *auro humilitatis,* id est pretiosa et aurea humiliatione tui ipsius, *et charta obedientiæ et litteris ministrationis,* id est obedientiam et obsequiositatem promittendo seu exhibendo aut scriptis firmando; *et testibus angelis san-*
D *ctis,* in quorum præsentia fiunt talia bona (vel per angelos testes intelliguntur sacerdotes et sancti Fratres congregationis, sub quorum testimonio fit talis contractus sive acceptio), *dirumpe in his, dirumpe chartam,* id est tenorem et affirmationem, *propriæ voluntatis,* ut sis resignatus, non emansivus. *Constat enim te circumeuntem et propria voluntate pergentem de loco ad locum, evertere emptionem,* id est frangere liberationem a diversis periculis et acceptionem quam procurasti in loco

priori per modum jam tactum, *qua te* A *Christus redemit sanguine suo pretioso.*

Sit tibi locus monumentum ante monumentum, id est, in claustro primo ubi professus es, stabiliter et inegressibiliter permane, sicut manet mortuus in sepulcro. *Nemo enim egredietur a monumento ante communem resurrectionem :* quod verum est de lege communi; aliqui tamen ex causa et gratia speciali interim suscitantur ad fidei confirmationem. *Si vero quidam fuerunt egressi de monumento* per suscitationem a morte, *vide quia de-* B *nuo mortui sunt.* Per quod spiritualiter figuratur, quod egredientes de loco suæ professionis periclitantur in anima. Communiter quoque, qui resuscitati fuerunt, iterum obierunt; sed de his qui resurrexe-
Matth. xxvii, 52. runt cum Christo, aliter opinati sunt quidam. Ecce quam seriose, ferventer ac rationabiliter scripsit hic auctor contra instabilitatem proprii loci. Unde et Salo-
Prov. xxvii, 8. mon ait : Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.
Hebr. x, 25. Apostolus quoque : Non deserentes (in- C quit) collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes. Vitemus ergo tantum periculum.

Quando mandata quæ jubentur a Patribus, sentiuntur gravia esse, tunc pigriores et magis otiosi conantur præanticipare, id est festinanter assumere, *et præeligere orationem,* ut a laboribus gravibus se excusent; *quando vero leviora jubentur, tunc fugiunt ab oratione sicut ab igne.*

Est qui exsequitur assumptum ministrationis obsequium, et requisitus ad re- D *quiem fratris, illud relinquit,* id est, obsequium illud interrumpit ad tempus, ut fratri periclitanti aut indigenti spiritualiter prosit et quiete adsistat : quod commendabile est. *Et est qui otiositate et negligentia hoc relinquit,* id est, injunctum laborem postponit. *Et rursus est qui ex vana gloria hoc dimittit,* simulans se spiritualibus actibus velle vacare ac malle insistere : *et est qui ex promptitudine* caritatis et obedientiæ facit hoc : quod optimum est.

Si præcaptus et præventus es ex pactionibus et sponsionibus professionis, hoc est, si per fœdus aut promissionem professionis tuæ obligasti te inconsulte ad permanendum in aliquo loco aut religione, *et vides oculum animæ tuæ esse sine profectu,* id est, mentem tuam vides ibi non posse proficere, eo quod ibi non sit observantia regularis, vel ex simili causa condigna; *ne devites disjunctionem et separationem,* hoc est, in tali casu potes et debes te transferre ad locum et ordinem in quo proficere valeas et salvari. Quemadmodum enim juramentum non est servandum, si vergat in animæ detrimentum, et nisi tres habeat comites, ita nec promissio. Verumtamen æmulari oportet *I Cor. xii, 31.* charismata meliora. Unde qui in uno ordine est professus, si velit alium ordinem introire, ingredi debet ordinem altiorem. *Verum qui improbus est* in uno loco, *ubique improbus erit.* Hoc communiter ita est in religiosis locum mutantibus, quia se ipsos deferunt secum, et loca mutant, non corda, quamvis per gratiam Dei possit aliter evenire. *Sicut econverso, qui probus est, ubique probus erit.* Manet tamen libertas arbitrii, per quam possit mutatione deterior fieri ; sed communiter ita est.

Maledictiones et injuriæ secundum mundum, id est mundano modo alteri irrogatæ, puta ex ira seu odio sive ex alia prava radice, et modo irreligioso, *fecerunt multas dissensiones,* id est, discordias, aversiones, turbationes : nam alii eas æquanimiter pati non solent, nisi sint satis perfecti. *Comessationes vero in congregationibus et societatibus universas ruinas et casus et reprobationes operantur.* Ex comessationibus namque sequuntur ebrietates, loquacitates, contentiones, pigritia, somnolentia, audacia, præsumptio, animositas, rebellio, et multa hujusmodi, unus et libello et malis talium reprobat alium omnesque pariter reprobantur a Deo.

[illegible]

cipatum tenens, hoc est, si perfecte superaveris gulam, quæ est unum de capitalibus vitiis et tanquam regina tyrannica pluribus dominatur, atque tenueris principatum super eam, servando perseveranter ipsam tibi omnino subjectam, *omnis sessio et statio conciliabit tibi munditiam et impassibilitatem,* hoc est, ubicumque fueris stans, residens aut habitans, mundus eris et a passionibus alienus. Sobrietas namque ad omne bonum disponit, et operationem facit ad actus sapientiæ ac virtutum bene dispositam. Nec potest quis taliter dominari vitio gulæ, nisi sit in magna cordis custodia notabiliterque perfectus. *Illa vero tenente principatum, ubique patieris periculum,* id est, dominante tibi gula, incurres ubique diversa peccata, *extra sepulcrum,* hoc est, quamdiu vixeris super terram ; vel « extra sepulcrum », id est extra claustrum seu cellam præcipue. Claustrum namque seu cella est quasi sepulcrum religiosi, cui magis periculum instat de gula, quando extra vagatur et libertatem habet edendi ac abundantiam cibi, qui in claustro ei datur ad mensuram.

Dominus sapientes facit cæcos obedientium oculos in magistri virtutibus : id est, Deus illuminat corda eorum qui sine discretione obediunt, nec spiritualis Patris virtutes discutiunt ; et frequenter per virtutes Patris spiritualis ita illuminantur. *In defectibus vero illos tenebrescere facit,* id est, ex præsidentis defectuositatibus permittit Deus multoties obscurari oculos sub-
Matth. xv, 14. ditorum interiores : quia si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. *Oditor autem bonorum,* puta diabolus, seu homo perversus et rebellis, *agit id quod*
Sap. I, 16. *est contrarium* obedientiæ ac saluti. Impii enim manibus ac pedibus arcessunt mortem. Et qualis quisque est, talia operatur.

Argentum vivum sit nobis figura et typus ejusdem, utpote indiscretæ et perfectæ obedientiæ : hoc est, ex proprietate argenti vivi sumamus documentum qualiter obedire in omnibus debemus. *Nam subtus*

A *omnia circumvolutum, manet ab omni sorde incommixtum,* id est, quibuscumque circumvolvatur et subter quæcumque circumagatur, non permiscetur nec inquinatur : imo continue motione sua a sordidatione se excutit. Ita et nos quibuscumque hominibus sociemur et convivamus, non inquinemur inobedientia, acedia aut tarditate eorum, sed semper ad actum et motum obedientiæ agiles simus ac præparati.

Qui celeres et solliciti sunt, id est, fer-
B ventes ac prompti in actibus bonis, diligentes quoque ad spiritualem profectum, *magis sibi attendant, nequando propter judicium negligentium, illis amplius judicentur,* hoc est, in humilitate magis conservent se, abstinendo a temerario aliorum judicio, ne incaute judicando aspernandoque negligentes, gravius peccent ac durius condemnentur quam illi. *Propterea arbitror Lot justificatum fuisse, quia in medio talium exsistens,* id est, inter pessimos Sodomitas conversans, *nequaquam*
C *visus est hos judicasse* inordinato judicio. Verumtamen vitiosissima illorum vita sibi displicuit, et apertissima vitia dijudicavit judicio simplici, utpote quod detestabilia Gen. XIX, 7.
essent : quemadmodum sacratissimus ait princeps Apostolorum in secunda sua Canonica, quod habitavit inter eos qui de II Petr. II,
die in diem animam justi iniquis operibus 8.
affligebant. Nam vitia manifesta et quæ bono animo fieri nequeunt, permittimur simplici judicio judicare. Sed Lot non judicavit illos judicio absoluto finali, quasi
D se emendari non possent.

Commune quidem quod est tranquillum et inconturbatum servemus et teneamus, id est, communiter omnes conemur semper habere et conservare mentem imperturbatam, quietam, pacificam ; potissime in divinis : ideo subditur, *peramplius vero in decantatione hymnorum,* id est psalmorum laudumque divinarum. *Intentio enim est dæmoniis mentem exterminare,* id est, extra terminos devotionis et pacis statuere per tumultus distractionum

et conturbationes passionum : quod totum A vitandum est nobis. *Ministrorum est corpore hominibus adsistere, mente vero per orationem in cælis pulsare :* id est, hoc ad veros Christi famulos spectat, ut corporaliter adsistant Fratribus ad psallendum et ad alia bona agenda, superioribus quoque adstent ad obediendum ; sed cor habeant sursum, et orando pulsent januam divinæ pietatis.

Contumeliæ et despectiones in anima obedientis amaritudini absinthii comparantur : cujus ratio paulo post subditur. B *Laudes vero et honores et bona fama habent quasi similitudinem mellis in his qui delectantur in vitiis : quia pariunt eis delectationem et omnem suavitatem. Videamus ergo quomodo natura horum est altera,* id est, qualiter ista ab invicem sint distincta in proprietatibus et actionibus suis. *Illud quidem,* puta absinthium, *purgat universa fæcosa,* id est immunda, *quæ interius sunt; hoc vero consuevit accrescere fel,* hoc est, ex melle superflue sumpto solet fel crescere et augeri : propter C

Prov. xxv, 27. quod scriptum est : Qui mel comedit multum, non est ei bonum. Conformiter, obediens purgatur a suis culpis quotidianis sustinendo contumelias et aspernationes, quæ ex sua natura amaræ sunt instar absinthii; imperfectis quoque interdum pœnale est eas sufferre, sed pugnando contra se ipsos, et eas propter Deum ferendo, purgantur. Porro laudes, honores et reputatio magna instar mellis dulcescunt superbis ac vanis hominibus, qui talia quærunt ; sed pariunt eis fel, quia per ea incurrunt D amaritudinem damnationis æternæ. Verumtamen bonam famam amare, et delectari de ea in Domino in quantum ad aliorum ædificationem ac Dei honorem, licitum est

Ibid. xv, 30. atque salubre. Unde ait Scriptura : Fama bona impinguat ossa.

Credendum est absque sollicitudine his qui assumpserunt gerere curam nostri in Domino, id est, prælatis et superioribus credere et obtemperare debemus absque ambiguitate et cura, *etiam si injungant quædam contraria et nostræ saluti adversa secundum apparentiam,* quæ tamen non sunt contra salutem secundum exsistentiam. *Tunc enim,* videlicet in tali præceptione, *fides nostra ad ipsos probatur quasi in fornace,* id est gravi exercitatione, *humilitatis. Nam fidei notificatio in hoc est,* id est, per hoc manifestatur nostra fides ad præsidentes, *quod contemplantes ea quæ fiunt, exsistere contraria speratis,* hoc est, quod videntes ea quæ nobis jubentur, esse contraria his quæ speravimus nobis esse injungenda, aut quasi impedientia ab adeptione bonorum quæ speramus obtinere in patria, *nihilo minus in his indubitanter obedimus præcipientibus.*

Ex obedientia humilitas oritur et augetur, sicut jam prætangentes diximus; et ex humilitate discretio obtinetur (idcirco oportet in primis indiscrete in omnibus obedire, sicque ad plenam humilitatem ac discretionem pertingere), *sicut philosophatum* (id est sapienter perscrutatum, consideratum atque descriptum) *est a magno Joanne Cassiano,* qui in libris suis frequenter scripsit de hoc, *pulcherrime atque altissime.* Ecce quam magnifice sensit magnus et sanctus vir iste de Joanne Cassiano. Ex quibus verbis etiam constat quod scripsit et fuit post Cassianum, quamvis ignoremus quamdiu. *E*[illegible] *vero oritur visio,* id est contemplatio; *ex visione prævisio,* id est futurorum præcognitio seu providentia : Deus enim contemplatoribus tanquam familiaribus et amicis frequenter revelat futura, et facit eos ventura prospicere. Cf. Collat.

Et qu[illegible], id est, quis mihi resistet, *aut quis mihi occurret,* id est, contradicendo obviabit, [illegible] *pulchro cursu,* id est exsecutione et profectu salubri, *obedientiæ* indiscretæ, *vi*[illegible] [illegible], hoc est, considerans quod in obedientia consistat dispositio ad tot virtutes seu ad profectus et actus virtutum [illegible] ad humilitatem, discretionem, visionem ac prævisionem, ut

tactum est? *De ista utique magna* obedientia *dixit bonus ille Psalmista : Parasti in dulcedine tua pauperi obedienti, Deus,* parasti (inquam) *adventum tuum,* per illuminationem et gratiæ incrementum, *in corde ipsius.*

Ps. LXVII, 11.

In tota vita tua non obliviscaris illius magni certatoris, id est virtuosi et inclyti militis Christi, *qui in totis decem et octo annis non audivit auribus extrinsecus a præceptore, Salveris,* id est, infra tot integros annos non audivit corporali auditu a suo abbate aliquod molle aut blandum verbum, aut specialiter verbum istud salutativum, « salveris » ; *auribus vero intrinsecus,* utpote interiori auditu, *quotidie audivit a Domino, non quidem* verbum istud, *Salveris, sed, Salvatus es* per obedientiam tuam : *quod verbum,* videlicet, « salvatus es », *est terminativum et firmum,* id est definitivum seu assertum et certum ; *illud vero,* puta, « salveris », *optativum est et incertum.* Itaque Deus inspiratione occulta certificavit virum illum de sua salute. Porro quis fuerit ille discipulus ac certator, non exprimit; et aliqui dicunt, quod fuit Joannes, discipulus abbatis Ammonis.

Quidam obedientium occultant et diminuunt semetipsos, hoc est, intentionem suam abscondunt, per quod meritum suum diminuunt, *sentientes bene persuasum, consultum ac placitum præsidentis,* id est, cognoscentes quid superiori suo videatur rationabile, expediens, magisque placens; *qui conversi ad proprias voluntates, quærunt et obtinent jussiones ad votum,* id est, subtiliter practicant et acquirunt quod præsidens præcipit eis illa ad quæ ipsi magis ex se ipsis afficiuntur. *At vero,* id est per hoc pro certo, *cognoscant se penitus cecidisse a confessionis corona,* hoc est privatos esse præmio gloriæ, quod debetur obedientiæ, quam ipsi professi sunt, sed non implent : non enim faciunt id quod eis injungitur, quia injunctum est ipsis, sed quia ex propria voluntate inclinantur ad hoc; magisque quærunt satisfacere voluntati suæ quam præsidentis. De hoc multa scripserunt Basilius et Cassianus. *Obedientia enim est peregrinatio,* id est alienatio et recessus, *ab hypocrisi et proprio desiderio.*

Est qui suscepit præceptum, et sentiens præcipientis intentionem, non libenter afficitur ad hoc exsequendum, sed devitat illud; et est qui intentionem ejus novit et sentit, et incunctanter obedit. Quærendum est, quis eorum pie fecit. Dicendum, quod iste secundus, qui juxta intentionem superioris sui obediens fuit : quia voluntas superioris qualitercumque innotescit, obligat suo modo.

Non contingentium est, diabolum contrariari atque resistere sui ipsius voluntati, id est, quod diabolus repugnet propriæ voluntati, quæ est obstinata et immobilitata in malo, est res nunquam contingens : nam omne quod agit, refert ad suæ perversæ voluntatis impletionem. Hinc ait Salvator : Si Satanas Satanam ejicit, in se ipsum divisus est; quomodo ergo stabit regnum ejus? *Et persuadeant tibi hoc in negligentia viventes, et in quiete solitaria supportantes, aut in cœnobio sub obedientia degentes :* id est, istud verum esse perpende tam ex consideratione negligenter viventium, tam eorum qui solitariam vitam tolerant patienter, et item eorum qui in congregatione vivunt sub obedientia præsidentis. Nam omnium horum damnationem concorditer et communiter quærit diabolus. Et si conetur viventem negligenter aut etiam obedientem in claustro, ad vitam solitariam ducere, non facit hoc nisi intentione fallendi finaliter : nam mala proponit sub specie boni, et sæpe pravissima ac periculosissima sub specie apparentissimi ac optimi boni, ut insanabilius lædat versutiusque seducat.

Matth. XII, 26.

Quando infestati, id est afflicti, *tentamur discedere de locis in quibus manemus, fiat nobis impugnatus ex locis recessus,* hoc est, ipsa impugnatio seu tentatio recedendi a pristino loco seu claustro sit nobis, *ostensio beneplacentiæ nostræ coram Deo*

in locis eisdem, id est signum probabile quod Deo placemus in loco ubi moramur; *quia et impugnari signum est quod pugnamus,* hoc est, id ipsum quod tentamur a loco recedere, signum est quod in loco illo contra vitia dimicamus atque proficimus : alias enim non ita a diabolo tentaremur de tali recessu. Interdum tamen tentatio talis est ex propria perversitate, incorrigibilitate, inconstantia, infirmitate aut odio : et tunc non est signum quod Deo placemus ac vitiis repugnamus in loco quo habitamus. Porro diabolus videns quosdam bene stare et item proficere in pristino loco, suggerit eis ad alium locum quasi aptiorem ad proficiendum transire, ut profectum eorum impediat.

Non ero absconsor injustus, avarus, immanis, reticens vobis quæ non est fas silere. Quasi dicat : Nisi vobis insinuarem sequentia valde salubria, quæ non licet celari, quum sint ædificatoria, tunc essem « absconsor injustus », utpote contra justitiam agens, et « avarus », tanquam mihi soli scientiam horum reservans, et « immanis », id est crudelis et inhumanus. Deinde narrat exempla.

* Sabaites

Joannes Opanii Osabaites, vir summæ perfectionis, narravit mihi negotia digna auditu. Quia autem erat* iste Joannes *vir impassibilis,* id est a passionibus expurgatus, *et mundus ab omni mendacio et sermone et opere maligno,* id est mortalibus vitiis tam verborum quam operum, *et sursum superexcedens,* id est vir altæ contemplationis per mentis excessum seu raptum, *nosti* probabiliter, *o sancte Pater,* cui hæc scribo.

Hic Joannes mihi narravit, Quod in mansione, id est terra seu provincia *mea, quæ est in Asia (inde namque justus iste Joannes traxerat originem), erat quidam senex omnino negligens et incontinens,* id est gulosus et loquax. *Dico enim ista,* [illegible] *judicans senem* istum incaute, *sed* ista narro de sene illo *ut appaream vera dicens. Hic habuit quemdam discipulum minorem, Innocentium* nomine (et nescio qualiter acquisivit illum* discipulum), *simplicem arbitrio et deliberatione,* id est ingenio tardum in judicando seu discernendo et deliberando, *cogitatione vero et operatione prudentem* in his quæ pertinent ad spiritualem profectum atque salutem. *Qui tanta sustinuit a sene illo* tam vitioso, *quanta videbuntur forte incredibilia multis. Cruciabat namque Innocentium illum non solum injuriis et ignominiis, sed et plagis verberibusque, quotidie. Erat vero patientia Innocentii non irrationabilis,* quia non frustra illa sustinuit. *Quum ergo viderem eum affectum quotidie summa miseria tanquam servum empticium, obvians ei sæpius dixi ad eum : Quid est, frater Innocenti? Quomodo fuit hodie tibi? Et ipse confestim ostendebat mihi quasi et domino, quandoque oculum lividum, quandoque et collum, interdum vero caput plagatum. Cognoscens ergo eum quia operator esset,* id est, pro virtutibus obtinendis, conservandis ac perficiendis digne laborans, *dicebam ad eum : Bene, bene; sustine, et salvaberis.*

* Acacium

Itaque Innocentius vivens sub sene illo immisericordi novem annis, migravit ad Dominum. Sepultoque eo in cæmeterio Patrum, præceptor ejus senex præfatus ivit post quinque dies ad quemdam magnum senem degentem in regione eadem, et dixit ei : Pater, Innocentius mortuus est. Quo audito, senex ille respondit : Crede mihi, senex, quia hoc mihi persuadere non poteris, ut audiam hoc tanquam sit verum. Ipse vero ait : Veni et vide. Surrexit ergo magnus ille senex celeriter, et venit cum præceptore beati pugilis, puta cum sene illo qui fuerat præceptor Innocentii, *et clamavit ad viventem in requie* [illegible] *carne : Frater Innocenti, mortuus es? At vero Innocentius bene prudens obediens,* [illegible]

primo præceptor Innocentii, notatus de sua perversitate, tremens ac pavens cecidit in faciem suam cum lacrimis; et quærens ab abbate congregationis licentiam faciendi cellam prope Innocentii monumentum, ibidem de cetero vixit caste, id est pure, *dicens Patribus semper, Quia homicidium feci,* id est, instar homicidæ peccavi gravissime, affligendo sic Fratrem istum.

O pater Joannes, cui hæc scribo, *mihi videtur hunc senem qui locutus est cum mortuo* Innocentio, *esse magnum Joannem,* id est quodammodo similem summo Joanni Baptistæ. *Nam et beata anima ipsius,* id est beatus Joannes Opanii jam præfatus, *narravit mihi et aliud factum, quasi loquens de alio homine; sed ipse fuerat idem de quo loquebatur, sicut potui discere ultimo diligenter,* omnia ejus verba considerando. Itaque dixit :

Quidam docebatur in eadem Asiæ mansione, id est congregatione, *a quodam monacho miti et quieto; et videns se ipsum a monacho illo sene quasi honorari, quietari et circumfoveri, optime consideravit id quod multis est nocumentum,* videlicet, quod sibi non expediret sic tractari a sene, quia honoratio talis a senioribus exhibita junioribus, est eis frequenter occasio elationis, eo quod non discunt mortificare se ipsos, *et deprecabatur senem ut dimitteret eum a se. Habebat enim senex discipulum alium, nec erat ex toto triste quod fiebat,* puta divortium ejus a sene.

Egressus est ergo a sene, et per epistolam præceptoris, hoc est ejusdem senis magistri sui, *subordinavit se,* id est, ad obediendum se tradidit ac subjecit, *in quodam cœnobio Ponti. Primaque nocte qua cœnobium illud ingressus est, videt in somnis se exactum a quibusdam ad reddendum rationem de vita sua; et post tributum,* id est, postquam solvit quod potuit, *et post rationem illius exactionis valde terribilis, vidit se ex residuo nondum soluto remanere obligatum, et debere solvere centum libras auri. Evigilans ergo*

A *dijudicavit visum,* id est, visionem hanc sapienter discrevit ac intellexit, utpote quod nondum plenarie satisfecit pro culpis suis, *et dixit ad se ipsum : Pauper Antioche (hoc enim erat et nomen ei,* hoc est, etiam ita vocavit se ibi, ne agnosceretur ab aliquo adveniente, quum tamen vocaretur Joannes), *vere multa restant de solutione debiti tui.*

Quum itaque permansissem, inquit, in cœnobio illo annos tres sub obedientia indiscreta, reputabar vilis et despiciebar ac
B *tribulationes patiebar ab omnibus quasi peregrinus atque extraneus : non enim erat ibi monachus alius quisquam peregrinus. Et ecce rursus in somnis video quemdam dantem mihi chartam remissionis et absolutionis decem librarum debiti mei. Evigilans ergo intellexi visionem, et dixi : Adhuc nuncusque decem,* hoc est, hucusque non merui nisi remissionem decem librarum; *et quando complebo solutionem debiti tanti* quod restat? *Tunc dixi ad me : O humilis,* id est vilis, *An-*
C *tioche, superabundantiori labore et ignominia indiges. Ex tunc ergo cœpi simulare amentiam atque stultitiam, non tamen negligere aliquid otiosum,* id est vacans seu incompletum, *in ministrationis officio* mihi injuncto. *Unde immisericordes Patres videntes me in tali ordine* amentiæ *et promptitudine* obsequendi, *injunxerunt mihi universa opera gravia mansionis* seu claustri. *Perseverans ergo per tredecim annos in tali conversatione, rursus vidi in somno venire ad me eos qui primo ap-*
D *paruerunt mihi, et scribere mihi perfectam libertatem a debito. Itaque quando degentes in cœnobio me tribulabant in aliquo, recordabar debiti mei pro quo tunc nondum satisfeci, et patiebar omnia viriliter atque nobiliter.*

Ita narravit mihi sapientissimus ille Joannes quasi ex persona alterius : propter quod et se ipsum nominavit Antiochum, mutato vocabulo. Sed ipsemet erat qui ut verax per obedientiam et patientiam dirupit chirographum generose, hoc

est, debitum suum inclyte delevit per modum præfatum.

Circa hæc quæri potest, an talis simulatio amentiæ ac stultitiæ sit commendanda et ad imitationem trahenda. Et videtur quod imo : quia ex maxima compunctione et profundissima humilitate processit, ordinabatur quoque ad optimum finem; iterum quia approbata est a Judice summo. Insuper S. Basilius retulit tale factum de quadam Sorore in magno monialium claustro peractum, et approbavit hoc ipsum. Similiter Climacus istud commendat. — Ad (B) hoc breviter respondetur, quod quamvis ex speciali instinctu Spiritus Sancti quædam personæ utriusque sexus credantur talia virtuose fecisse, verumtamen non est licitum secundum legem communem, neque trahendum est ad imitationem : quia
Matth. v, 16; I *Tim.* iv, 12; *Tit.* ii, 7, 8. secundum Christi doctrinam et apostolica documenta, debet unusquisque alteri exemplaris consistere, nec abusiva et rationi contraria aut aliquid indecens agere; nec debet quis propter suum profectum ponere communitati scandalum aut offendicu- (C) lum : imo omnia honeste ac ordinate fieri
I *Cor.* xiv, 40. debent in nobis.

Audiamus quomodo sanctus iste Joannes factus fuit discretor et discretus ex summa obedientia sua. Sedente etenim eo in mansione S. Sabbæ, accesserunt ad eum tres juvenes monachi volentes informari ac regulari ab eo. Quos protinus amorose suscepit, et libenter ac benigne post fatigationem itineris recreavit. Dixitque eis post tertium diem : Parcite mihi, Fratres, quoniam homo fornicator (D) *sum, et non possum mecum tenere aliquem vestrum. Illi autem non fuerunt ex verbis illis scandalizati : cognoscebant enim senis conversationem. Quum ergo rogassent eum permaxime, nequaquam potuerunt ei persuadere ut permitteret eos secum manere. Tunc projecerunt se ad pedes ipsius, rogantes ut saltem instrueret eos ubi deberent sedere, et qualiter vivere. Exaudiens itaque hanc precem eorum, et sciens quod cum obedientia et* (A) *humilitate acciperent* verba sua, *dixit uni : Fili, Dominus vult te sedere in obedientia cum Patre spirituali in tranquillo solitudinis loco. Dixit quoque ad alterum : Vade, et vende voluntates tuas et da Deo,* hoc est, propriam voluntatem resigna eamque immola Deo, obedientiam profitendo. Vocatur autem resignatio ista venditio, quia fit pro obtinendo regno cœlorum. *Et sustine,* id est, sede ac habita, *patienter in collegio,* id est congregatione, *et cœnobio Fratrum; et habebis penitus* (B) *thesaurum in cœlis.*

Deinde dixit et tertio : Recole indesinenter ex corde eloquium Christi dicentis, Qui perseveraverit usque in finem, *Matth.* x, 22; xxiv, 13.
salvabitur; et vadens ne cesses quærere, et si possibile est in hominum natura invenire, duriorem et magis redarguentem exercitatorem tibi in Domino, et perseverans cum eo, bibe quotidie subsannationem et derisum quasi mel et lac, hoc est, cum omni promptitudine animi accipe et æquanimiter sustine quidquid afflictionis (C) ille intulerit tibi. *At Frater ille dixit huic magno Joanni : Pater, si talis vivit in negligentia, quid jubes* ut faciam? *Qui ait : Etiam si eum videris fornicantem, ne discedas ab eo, sed dic tibimetipsi : Amice, ad quid venisti? Tunc adspicies tumefactionem,* id est elationem, *exterminatam in te, et calefactionem,* id est carnis stimulationem, seu iræ fervorem, *putrefactam,* hoc est repressam in corpore tuo ac anima. Per tantam namque patientiam, obedientiam et sui ipsius victoriam, (D) pervenitur ad hoc. Verumtamen istud non esset omnibus consulendum, quum scriptum sit : Cum perverso perverteris; et, *Ps.* xvii, 27.
Qui jungit se fornicariis, erit nequam. Et *Eccli.* xix, 3.
abbas Pastor disseruit, quod homo non debeat remanere cum eo a quo læditur anima sua. Joanni ergo istud non expediret; sed huic Fratri propter virtutum suarum firmitatem consultum est.

[illegible] *ni virtute agonizemus,* id est, totis viribus contra vitia et pro virtutum perfectione

adipiscenda pugnemus ac laboremus, ad quod etiam peragendum utamur cunctis virtutibus, quatenus unicuique vitio reluctemur per virtutem sibi contrariam, *ne adipiscamur nobis ipsis in gymnasio,* hoc est in schola, *virtutum,* puta in claustro, *malignitatem et malitiam, crudelitatem, astutiam et versutiam, magis quam virtutes.* Nam ut ait Eusebius Emisenus : Qui non studet in claustro voluntates proprias resecare, virtutibus insudare, et juxta suam professionem proficere, fit multo pejor in eo, quam fuit aut esset in sæculo. Cujus B una causa est, quia in claustro magis acriusque impugnatur a Satana. Idcirco subjungitur :

Fit enim, hoc est, interdum contingit quod quidam in claustro magis addiscunt vitia quam virtutes; *et non est mirum. Nam quamdiu quis est idiota aut nauta aut agricola, hostes regis sui non tantum armantur contra ipsum* quemadmodum armarentur si esset strenuus miles. *Porro quum viderint eum indutum signis militiæ, et assumentem scutum, gladium,* C *arcum ac militaria indumenta; tunc frendunt dentibus contra eum, et festinant omnino interimere eum.* Ita et dæmones minus impugnant nos quamdiu vident nos sæculariter conversari. Quum autem viderint nos religionem ingressos et spiritualibus armis præcinctos, ac zelo Dei accensos contra adversarios divini honoris; tunc insaniunt, et armantur intensius contra nos. *Propter quod non dormitemus* sopore acediæ aut negligentiæ somno. Nempe ut ait gloriosissimus apostolici chori prin- D
1 Petr. v, 8. ceps : Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Propter quod secundum eumdem,
Ibidem. sobrii esse et vigilare debemus.

Vidi pueros simplices et pulcherrimos parvulos venientes ad scholas doctrinæ propter sapientiam et disciplinam et utilitatem discendas et acquirendas, et non didicisse ibi aliquid disciplinæ, sed solum ferocitatis duritiam atque malitiam ex consortio et commorantia aliorum. Con- A formiter, sæpe contingit quod aliqui religionem ingrediantur, et « aliorum », utpote tepidorum sive carnalium et ambitiosorum, exemplis deteriorati aut verbis corrupti, deficiant potius quam rite proficiant : qui quum spiritu cœperint, carne Galat. III, 3.
consummantur. Idcirco religiosum, præsertim adhuc recentem et imperfectum, oportet summe cavere ne tepidorum, negligentium et inanium Fratrum verbis aut operibus corrumpatur, frigescat aut vanus reddatur; sed meliorum atque ferventium accendatur exemplis. Ideo addit : *Qui habet intellectum, intelliget.*

Impossibile est addiscentes artem quamcumque ex tota anima, hoc est cum omni diligentia, *non proficere quotidie in eadem.* Sic et religiosus, si ex toto cordis conatu extenderit se ad profectum sapientiæ ac virtutum, indubitanter crescet in eis. Nemo ergo sit pusillanimis, sed cum Apostolo quilibet dicat : Omnia possum in Philipp. IV, 13.
eo qui me confortat. *Quidam profectum suum cognoscunt* probabiliter aut certitudinaliter : qui cum Apostolo dicere possunt, Non spiritum hujus mundi accepi- I Cor. II, 12.
mus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Alii vero dispensative ignorant* suum profectum, Deo hoc taliter disponente, ut magis humiles sollicitique consistant, nec extollantur.

Perfectus trapezita, id est nummularius, *computat penitus singulis vesperis lucrum vel damnum diei. Non potest autem ista prudenter cognoscere, nisi omnibus horis notentur,* id est, consideret ea, *in rationis scriptura,* hoc est in superscriptione numismatis, ex cujus inspectione perpendit quantum lucratus est aut amisit. Sic religiosus spiritualium appetitor et congregator divitiarum debet quotidie, præsertim de sero, discutere qualiter diem expendit, quid boni omisit, quid mali commisit, quantum profecit. Nec potest ista perfecte cognoscere, nisi notet et examinet ea « omnibus horis » opportunis « in scriptura rationis », hoc est, in consistorio

Rom. II, 14, 15. et judicatorio propriæ mentis, in qua habet naturaliter scriptum sive impressum quid sit bonum, quid malum, saltem in generali; et per lumen fidei ac Scripturas est plenius inde instructus. Oportet ergo propriam conscientiam propriamque synderesim consulere et audire. *Etenim singulis horis ponere rationem*, examinando propriam conversationem, *declarat et demonstrat quod quotidianum est,* id est quotidianum profectum sive defectum.

Dum insipiens mordetur, id est, dum homo passionatus per injurias tangitur, corripitur, disciplinatur, *improperium passus et concitatus ad iram, probat contradicere voce,* hoc est, præparat se ad contradicendum ac resistendum. *Si tunc confestim dedit pœnitentiam arguenti,* id est, si in tali casu non reprimat linguam suam a contradictione, attamen mox fateatur se culpabilem et de sua culpa dolentem coram corripiente, *non fecit hæc causa humilitatis, sed volens cessare improperia,* id est, ob hoc ne alter sibi diutius convitietur, aut verba increpatoria dicat.

Quum fueris exprobratus et improperia sustines, tace, et suscipe cauteria animæ, magis autem luminaria castitatis : id est, increpationes atque injurias tolera patienter, quæ sunt « cauteria animæ », quibus vulnera ejus curantur (imo sicut per corporale cauterium educuntur humores, ita per hujusmodi afflictiones eradicantur passiones ac vitia animæ); quæ tamen increpationes et exercitationes magis dicendæ sunt « luminaria castitatis », quia per eas æquanimiter toleratas meretur homo a concupiscentiis emundari et in castitate firmari. Multi quoque adhuc pusilli, talia sustinendo, sic occupantur contra propriam impatientiam, iram et indignationem pugnando, et quodam mœrore ac tædio tabescendo, quod multo minus cogitant de concupiscentiarum et deliciarum objectis. *Medico cessante,* hoc est, dum medicus corporum recesserit a te nondum curato, offensus ex tua improbitate, *tunc facies ei metaniam,* hoc est deprecationem cum genuflexione ut indulgeat tibi et redeat ad te ad sanandum te plene; vix tamen proficies: *nempe pœnitentiam tuam forte non suscipiet in furore* quem contra tuam perversitatem concepit. Sic etiam est cavendum ne spiritualis medicus, puta prælatus, juste contra te indignetur, atque offensus recedat a te.

Nos qui sumus in congregationibus, pugnemus singulis horis contra omnia vitia, sed æqualiter ac principaliter *contra duo vitia ista, videlicet, contra insaniam ventris ac gulæ,* hoc est contra irrationabilem concupiscentiam superfluæ et delicatæ refectionis, *et contra celerem atque acutam turbationem* seu commotionem *iræ ac furoris. Vitia enim ista possunt faciliter invenire in turba domesticas propriasque materias.* Qui enim vivunt in congregatione, nisi ad patientiam ac sobrietatem tota virtute se dederint, frequenter ac cito movebuntur ad iram et quemdam furorem ex factis et moribus aut negligentiis aliorum, et appetent ea quæ habentur in congregatione. Discant ergo se mutuo in omni caritate, pietate, mansuetudine et patientia supportare, et curam carnis non faciant in desideriis sensualitatis, ne corda eorum graventur unquam ex crapula aliqua; sed tanto virilius prælientur contra hæc vitia, quanto major est eis occasio corruendi in ea.

Diabolus immittit viventibus sub obedientia desiderium impossibilium virtutum, id est affectum ad tantam perfectionem et excellentiam actuum virtuosorum, quod nequeunt eam attingere in hac vita : quod facit diabolus ut retrahat eos ab obedientiæ jugo, et vadant ad solitariam vitam [illegible] *rum,* prout mox ostendetur.

[illegible], id est, perscrutare ac discute, [illegible], id est [illegible] ac instabilis. [illegible] *nies ibi cogitationem erroneam et inten-*

tionem seductam, videlicet concupiscentiam solitariæ quietis, extremi arctissimique jejunii, orationis incurvabilis, id est irreflexæ nec alicui distractioni permixtæ, *carentiæ vanæ gloriæ ad summum,* ita ut nec pulsetur unquam aliquo motu vitii hujus, *inobliviscibilis memoriæ mortis, indesinentis compunctionis, omnimodæ privationis iræ, profundi silentii, superexcedentisque castitatis,* in tantum ut nec primos unquam motus sustineat. Quæ omnia quamvis sint bona et optima, tamen obediens improbus ea non appetit ordinate, nec media apta ad illa obtinenda assumit. Deberet enim in omnibus obedire cum omni probitate, et præfatis actibus appropinquare pro posse in congregatione. Hinc subditur :

Quorum carentiam habentes in proœmiis secundum dispensationem, id est, præfati improbi obedientes, in principio suæ conversionis et deinceps carentes prædictis virtuosissimis actibus, « secundum dispensationem » seu moderationem et mensuram qua tunc poterant eos habere, *frustra et vane transierunt ad ea seducti,* hoc est, inaniter aggressi sunt solitariam vitam ad exercendum ibi hos actus, « seducti » suggestione præfata diaboli. *Nam adversarius iste fecit eos quærere ista,* id est, instigavit eos ad aggrediendum actus tam summos, *ante tempus,* videlicet dum nondum dispositi erant ad illos actus, *ne sustinentes,* id est, ne in congregatione satis diu sub obedientia et patientia conversantes, *sortiantur hæc in tempore,* hoc est, obtineant tantam perfectionem in solitaria vita « tempore » opportuno.

Consequenter tangitur solitariorum et anachoretarum tentatio. *Seductor et illusor diabolus beatificat in mente solitariorum, amorem obedientium, erga hospites et peregrinos obsequium et ministrationem* quæ intraneis extraneisque impendunt, *fraternitatis amorem, conversationem et caritatem ad invicem, curam et servitium eorum circa infirmos, ut et illos,* videlicet solitarios, *efficiat impatientes*

A *et insufferentes,* ita ut vitam cœnobitarum incipiant præferre anachoreticæ vitæ, sicque cum tædio et mœrore in solitudine demorentur, *secundum quod et priores,* id est, secundum quod eos qui in obedientia vivunt fecit impatientes et inconstantes. *Vere namque rarissimorum est,* id est, paucissimis datum est, *solitariam vitam et quietam exsequi cum ratione,* id est rationabiliter et prudenter, *et solummodo est illorum qui divinam consolationem possident ad solationem,* id est ad relevamen,
B *laborum et dolorum suorum, atque ad cooperationem et opem impugnantium et pugnarum,* hoc est contra dæmones impugnantes et contra eorum tentationes. Quum etenim homo sit naturaliter animal domesticum, civile ac sociale, constat quod vita omnino solitaria sit maxime supra hominem : ita quod homo solus, dicitur deus aut bestia, id est, divinus aut bestialis. Unde ut sit divinus ac deiformiter in solitudine vivens, indiget singulari ope et consolatione Spiritus Sancti.

C *Contra qualitates et efficientias vitiorum in nobis exsistentium, et subjectiones convenientius discernimus et observantias prompte eligimus :* hoc est, ad exstirpandum « qualitates » et effectus seu opera interiorum « vitiorum » nostrorum, congruentius judicamus ac definimus assumendam nobis esse subjectionem, ut sub obedientia stando et spirituali Patri nos subjiciendo, discamus nos expurgare ; « et observantias prompte eligimus », hoc est, contra eadem mala voluntarie ex electione
D assumimus certas observantias regulares et exercitationes, per quas facilius celeriusque curentur.

Circa gulosum et luxuriosum ex vitio labenti et repenti, id est, ad evellendum ex te vitia gulæ atque luxuriæ, orientia ex concupiscentia lubrica intus se diffundente, seu ex cogitatione incidente prava et vaga, aut ex suggestione pestifera serpentina, *sit tibi exercitator,* id est Pater et rector, *vir solitariæ quietis amator, absque consolatione carnali,* ita ut nec ipse

habeat hanc, nec eam tibi permittat, *austerus, durus,* id est justus et rigorosus, *et irremissibilis ad cibum,* hoc est inflexibilis a parsimonia cibi ac potus; *et non magis miraculorum patrator,* id est, exercitatorem et Patrem non habeas qui miracula faciat, *et qui paratus sit universis in susceptionem ad mensam,* hoc est, qui sit hospitalis et cunctis se visitantibus mensam ponens : ad talem etenim multi concurrunt, et haberes cum eo incitamenta atque materiam gulæ et voluptatis, et ita non curareris apud ipsum consistens.

Tibi existenti cervicoso, arroganti, elato, sit pastor celer, id est velox ad increpationem, *acutus* ad considerandum tuam elationem, *irremissibilis* ad disciplinam, humiliationem et exercitationem tibi infligendam, *et non mitis et benignus,* id est, qui in mansuetudine et benignitate magis abundet. Si igitur aliquis duræ cervicis et animosus habeat durum prælatum et exercitatorem assiduum, non resistat nec indignetur, sed Deo regratietur quod sibi providit de præsidente suis moribus congruente. *Non quæramus Patres qui præcognoscant futura et prophetice ea prævideant, sed qui sint præ omnibus humiles et sapere mite habentes,* utpote mansuetos, *convenientes et aptos* ad medendum *vitiis et infirmitatibus,* id est passionibus, *quæ sunt in nobis,* id est, qui sua bonitate, pietate, discretione, mansuetudine, humilitate vincant et curent nostras malitias, duritias, indiscretiones, iras, superbias. Nam et cervicosi, elati et iracundi quandoque magis curantur a talibus, quam a duris et austeris pastoribus : imo sub talium regimine ad extremum lapsum venirent.

p. 103 D'. *Sit tibi secundum præmemoratum fratrem Abbacyrum, iste pulcher et bonus modus,* id est apta via, *ad obedientiam* addiscendam et conservandam, videlicet *semper existimare quod probat et* [illegible] *te is qui præest :* hoc est, quidquid irrogaverit tibi disciplinæ, increpationis aut exercitationis, semper reputa quod faciat hoc propter melius tuum, probando te per talia ut vere proficias; *et nunquam decides* a profectu monastico, *nec errabis* ab observantia regulari.

Quando redargutus et correptus incessanter a Patre, assumis et concipis ampliorem fidem et caritatem ad ipsum, regratiando ei pro talibus et bene sentiendo de ipso, *Spiritus Sanctus visibiliter habitat in anima tua,* id est, per exteriora signa seu opera patientiæ et caritatis ac fidei tuæ sensibiliter pandit se habitare in anima tua per gratiam suam præcipuam, *et virtus Altissimi obumbravit tibi :* tanta enim patientia est evidens signum exstirpationis privati amoris ac magnæ perfectionis. *Verumtamen ne glorieris nec gaudeas sufferens generose contumelias et ignominias.* In omni actu virtuoso est gloriandum. Christus quoque, Gaudete (inquit) et exsultate in illa hora, quando videlicet injurias sustinetis. Imo omne gaudium existimare debemus, quando in diversas tentationes seu persecutiones incidimus. Quomodo ergo nunc dictum est, « Verumtamen ne glorieris », etc.? Et respondendum, quod non prohibet penitus in adversis gaudere, sed consulit ut de ipsa patientia nostra non gloriemur incaute, quoniam gloriationi de patientia facillime se commiscet gloria vana. Sic et Christus docet non esse jurandum, ne assiduæ jurationi misceatur perjurium. *Sed magis plora et luge, quia egisti aliquid contumeliis dignum, et conturbasti animam contra te,* id est, aliquem offendisti et contra te provocasti.

Noli [illegible] id est de eo, [illegible] ... Quid est hoc? Numquid enim peccare expedit in Deum? Rursus peccata in Deum commissa sunt graviora quam peccata in proximum. Denique, ubi dicit Moyses istud? Imo in nullo librorum ejus hoc invenitur. Et respondendum quod sensus verborum istorum est : « Expedit in Deum », hoc est periculosius est quam

tum ad aliquid peccare in Patrem spiritualem, quam in Deum. Unde quasi expositorie subditur : *Deo enim ad iracundiam concitato,* id est per culpam offenso, *dux* (id est prælatus) *noster potest eum nobis reconciliare,* orando pro nobis; *isto autem,* videlicet spirituali Patre, *conturbato a nobis, ulterius non habemus aliquem exorantem pro nobis Deum, qui faciat eum nobis propitium.* Hoc adeo dicitur, quia Deus non exaudit alios pro nobis, neque indulget nobis, nisi nos ipsi veniam petamus a præsidente. Et istud prædicat Moyses verbis æquivalenter : nam aliqua narrat ex quibus istud elicitur. Quum enim filii Israel peccassent gravissime sæpe in Deum, Deus Moyse exorante ipsis indulsit; sed quum Core, Dathan et Abiron peccassent per rebellionem in Moysen, mox horribiliter sunt plagati.

Exod. XXXII; *Num.* XI, XIV, XXI. *Num.* XVI.

Ambo autem ista videntur mihi recurrere in unam opinionem, id est in unam probabilem rationem, videlicet, quod Deo offenso, habemus prælatum mediatorem, qui possit nobis Deum placare; sed ipso prælato offenso, non ita habemus mediatorem, si tamen prælatum in tantum offendimus quod cessat orare pro nobis. Utriusque etenim hujus una est ratio, quoniam prælatus est Dei vicarius et mediator apud Deum pro nobis : et ita offendimus Deum in prælato quasi in suo vicario, sicque cessante oratione prælati pro nobis, incidimus iram Dei.

Intendamus et discernamus et vigilanter pensemus quando a pastore increpati, debemus sustinere increpationem ipsius tranquille et cum gratiarum actione, id est, silenter et grate, absque responsione, *vel quando debemus pastorem certificare et satisfactionem facere,* hoc est, quando debemus nos ipsos veraciter excusare, certificando prælatum de veritate. Deinde respondet ad istud. *Mihi videtur tacendum esse super omnibus conciliantibus ignominiam nobis,* id est ad omnes accusationes et correptiones quibus nos ipsi accusamur sive corripimur de propria culpa. *Lucis* enim hora est,* id est, tempus manifestandæ veritatis quandoque adveniet, puta in hora judicii particularis ac universalis. Vel, « hora lucis est », id est, tempus accusationis et correptionis de propria culpa est tempus prosperitatis ac gratiæ, quum accusatio atque correptio tales sint valde salubres. *Super his autem quæ recurrunt in persona alterius, satisfaciendum et excusandum esse,* id est, quando accusatio seu correptio nostra redundat in culpam alterius, videtur mihi danda responsio quæ sit excusativa alterius, *propter vinculum et conjunctionem caritatis et insolubilis pacis,* hoc est, quatenus caritatis connexio et pacis concordia perseveret per hoc inter proximum et nos.

* Lucri

Quicumque ex obedientia resilierunt, annuntiabunt tibi utilitatem ejusdem, id est, qui a statu obedientiæ recesserunt, poterunt te ex proprio damno ac lapsu instruere quam salubre sit in obedientia stare. *Tunc enim cognoverunt in quali cœlo erant,* id est, postquam obedientia relicta corruerunt in vitiorum confusionem, recordati sunt in quanta tranquillitate et sinceritate fuerunt quamdiu in obedientia stabant. Nam opposita juxta se posita limpidius cognoscuntur; unum quoque contrariorum agnoscitur per reliquum.

Qui currit ad impassibilitatem et Deum, id est, qui toto fervore festinat Deo uniri et cohærere, atque a passionibus penitus expurgari, *arbitratur se multum damnum sustinere omni die in qua non maledicitur,* id est, adversa et vituperationes non patitur : quia ex hoc videt se minus proficere. Unde rite concluditur, quod impatientia nostra in increpationibus et adversis, sit evidens signum quod « ad Deum et impassibilitatem » non currimus, sed diligimus, miseri, nos in nobis, et semen maledictionis, quod est superbia vitæ, regnat in corde nostro; potestque unicuique talium dici, Nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. *Apoc.* III, 17.

Quemadmodum arbores a ventis motæ

A *mittunt radices subtus profundas,* ne excutiantur impulsu venti; *ita degentes in obedientia possident animas fortes et inconcussas,* dummodo rite obediant : nam ipsa obedientia et spiritualis Patris protectio, propriæ quoque libertatis abjectio, sunt eis fortissima munimenta contra omnes tentationes ac vitia.

Quicumque sedens in solitaria quiete, cognovit suam infirmitatem, et transiens ad cœnobium, vendidit, id est, per resignationem et oblationem sui ipsius tradidit, *se obedientiæ; iste quum esset cæcus,* B id est minus perfecte illuminatus, *respexit ad Christum Jesum sine labore,* hoc est, faciliorem viam illuminationis divinæ arripuit, et qualiter Christus factus sit obediens usque ad mortem, sapienter pensavit. (*Philipp.* II, 8.)

State, state, id est, in obedientia perseverate ac permanete mente et corpore, *et iterum dico, state,* ut tanta repetitio sit seriositatis et confirmationis indicium exhortatioque ferventior, *o fratres, currentes* C (nam cursus iste non opponitur hujusmodi stationi, imo perseverantia stationis est cursus) *pugiles,* id est dimicatores ac milites Christi, qui contra dæmones, Christi adversarios, incessanter confligitis, *certatores* contra concupiscentias carnis omnesque inclinationes perversas, *audientes sapientem illum clamantem de vobis,* puta qui in libro Sapientiæ loquitur : *Tanquam aurum in fornace, magis vero in cœnobio, probavit eos Dominus.* (*Sap.* III, 6.) Philosophus autem loquitur de electis in generali; sed auctor retorquet verba ipsius ad monachos : ideo D interponit aliqua verba. *Et quasi holocausti victimam accepit eos in sinibus suis,* id est in gremio misericordiæ suæ atque in requie sempiterna.

Circa præhabita quæritur, an obedientia non discernens seu indiscreta sit commendanda et observanda.

Et videtur quod non. Primo, quia ut Sancti dicunt, præsertim Bernardus, discretio est auriga virtutum, et directrix in A omni opere bono, sine qua virtutes sunt vitia : ergo indiscrete obedire, est vitiosum ac fatuum. Secundo, quia discretio est actus prudentiæ; sed Scriptura frequenter informat nos ut cuncta prudenter agamus : quod ergo fit sine discretione agentis, fit imprudenter ac vitiose. (*Prov.* II-V, VII, IX, XVI.) Tertio, quia Apostolus ait, Rationabile, id est discretum, sit obsequium vestrum; itemque, Sine præjudicio, id est prævio judicio, nihil facias. (*Rom.* XII, 1. I *Tim.* V, 21.) Quarto, quia beatissimus abbas Antonius dixit, quod nulla virtus tam com- B pendiose perducit monachum ad perfectionem sicut discretio. Abbas etiam Moyses ait, quod discretio est oculus mentis de quo Christus in Evangelio protestatur : Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. (*Matth.* VI, 22.) Quod ergo fit sine discretione, fit sine oculo mentis; et quidquid sic agitur, tenebrosum esse convincitur. Quinto, quoniam S. Thomas super secundum Sententiarum affirmat, quod obedientia indiscreta est vituperabilis, nec meretur obedientia dici. (*Cf.* t. XXII, p. 588 A.) Insuper in secun- C da secundæ ostendit subtiliter, qualiter in duobus casibus non sit obediendum prælato : primo, si præcipiat aliquid quod sit contrarium jussioni prælati ejus superioris; secundo, si jusserit aliquid Deo ac saluti contrarium : siquidem obedire oportet Deo magis quam hominibus. (q. 104, a. 5. *Act.* V, 29.) Ex quibus videtur quod salvari nequeant præinducta Climaci hujus verba, dicentis, Obedientia non discernit aut contradicit in bonis aut malis apparentibus; et rursus, Obedientia est depositio discretionis; itemque, Obe- D dientia est usque ad finem in omnibus bonis sibi ipsi non credere; et denuo, Credendum est (inquit) absque sollicitudine his qui gerunt curam nostri, etiam si injungant quædam saluti nostræ adversa secundum apparentiam. — In contrarium est auctoritas Climaci et Cassiani, imo et sanctorum Patrum eremitarum communiter, quorum multi præceperunt suis discipulis quædam prorsus innaturalia et impossibilia, Deo ac rationi contraria, sicut projicere proprium filium in fornacem ar-

dentem, currere super aquas, ligare draconem, et multa similia. Deus quoque omnipotens, justus et sanctus, per gloriosa miracula ac evidentissima signa talem jussionem talemque obedientiam approbavit. Insuper illuminatissimus religiosorum doctor Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei disseruit : Perfecta obedientia, maxime in incipiente, est indiscreta, hoc est, non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut humiliter et fideliter fiat quod a majore præcipitur. Et iterum : Animalem discretum, novitium prudentem, incipientem sapientem, impossibile est diu in cella consistere aut in congregatione durare. Et ista probat ibidem sanctus pater noster Bernardus. Alibi quoque fatetur, quod obedientia eorum qui discernunt atque dijudicant, non sit plena.

Respondendum, quod finis monasticæ professionis est plena sui ipsius sub Deo subjectio, qua religiosus offert et rependit se ipsum plenarie Creatori, nil sui relinquens sibimetipsi. Denique, ut valeat hoc implere, promittit obedientiam homini tanquam Dei vicario, cujus voluntati ac judicio debet voluntatem suam propriumque judicium subdere. Hinc sancti Patres indiscretam obedientiam docuerunt ac laudaverunt, ut subditi assuescerent se ipsos in omnibus plenissime resignare, mortificare, humiliare, subjicere. Unde et sancti Patres interdum jusserunt discipulis suis quædam valde innaturalia, humanisque viribus impossibilia, imo et prima fronte illicita. Verumtamen obedientiam istam sic penitus indiscretam exigere, non per-

A tinet nisi ad viros heroicos ac perfectos, quos constat esse quasi secretarios consiliarios Dei, ideoque in talibus jussionibus moveri a Spiritu Sancto. Hinc, sicut jam patuit, Climacus dicit, quod antequam tradamus p. 97 C'. nos ad obediendum alicui, debemus diligentissime perscrutari qualis sit ipse. Porro, obedire indiscrete in his quæ sunt indifferentia, nec in regula aut statutis manifeste prohibita, commendabile est in omni religioso, præsertim in incipiente et imperfecto; potestque obedientia talis ex-

B hiberi superioribus nondum heroicis.

Ex his patet ad argumenta responsio. Obedientia namque dicitur indiscreta, non per exclusionem veræ discretionis, sed per exclusionem propriæ dijudicationis, ita quod ipse obediens discretioni sui superioris innititur et ei committit se : et hæc est sua discretio, quia discernit et judicat se debere sic agere ac taliter obedire; atque per hoc obsequium suum fit rationabile et acceptissimum Deo. Ideo ait Bernardus : Stultus fiat, ut sit sapiens; et ista

C sit omnis ejus discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio; hæc sit omnis sapientia ejus, ut in hac parte nulla sit ei sapientia. Juxta quem modum quidam subtiles philosophi ac profundi theologi dicunt, quod licet Deus, quum sit ens prorsus illimitatum, nullam habeat differentiam, tamen non habere differentiam, est ei quasi differentia, quia per hoc differt a ceteris universis.

Hæc breviter tetigisse sufficiat. Verumtamen de hac ipsa materia plenius et ma-

D gis scholastice scripsi in alio quodam tractatu,[1] quæ brevitati studens pertranseo.

[1] De Obedientia superioribus præstanda. *Cf.* tom. XXII, p. 587 et seq. : An religiosi ac ceteri subditi teneantur superioribus suis in omnibus obedire.

GRADUS V

DE PŒNITENTIA.

PŒNITENTIA est revocatio Baptismatis. Pœnitentia est pactio ad Deum secundæ vitæ. Pœnitentia est emptrix humilitatis. Pœnitentia est indesinens desperatio corporalis consolationis. Pœnitentia est non sollicita, per se sollicita et per se dijudicata cogitatio. Pœnitentia est filia spei, negatio desperationis. Pœnitens est condemnatus inconfusus. Pœnitentia est reconciliatio Dei per bonam operationem contrariam offensionibus et delictis. Pœnitentia est conscientiæ emundatio. Pœnitentia est voluntaria patientia omnium tribulationum et affligentium. Pœnitens est propriorum tormentorum et pœnarum conditor. Pœnitentia est fortis tribulatio ventris, et afflictio animæ in sensu vehementi.

Concurrite et venite, venite et audite, et narrabo vobis, o omnes qui Deum concitastis ad iram ; congregamini, et videte quæcumque ad ædificationem ostensa sunt animæ meæ. Præordinemus et præhonoremus narrationem operum honorabilium inhonoratorum. Audiamus et custodiamus et faciamus, quicumque passi sumus aliquem improbum lapsum. Resurgite et sedete, qui jacetis subtus positi per casus et lapsus. Attendite, fratres mei, verbo meo ; inclinate aurem vestram, volentes Deum reconciliare iterum vobis ipsis, et per veram conversionem commutare eum.

Audiens ego infirmus, esse quamdam magnam et peregrinam humilitatem et institutionem degentium in mansione singulari semota, carcere dicta, supposita præmemorato illi luminarium luminari, exoravi justum ut me permitteret ibidem accedere. Etenim auditum præbuit meæ obsecrationi et consolationi magnus ille, qui nunquam penitus voluit animam contristare. Quum igitur accessissem in mansionem pœnitentium, et vere in regionem lugentium, vidi verissime utique, nisi præsumptuosum sit dicere, quæ nec oculus hominis negligentis adspexit, et auris pusillanimis non audivit, et quæ in cor hominis otiosi non ascenderunt, utpote verba et gesta Deum quasi violentare et superare valentia, adinventiones et figuras celeriter incurvantes benignitatem Dei.

Vidi enim quosdam illorum noxiorum innoxiorum, cunctis noctibus vigiles usque mane stantes sub æthere, habentes pedes immobiles, miserabiliterque confractos ex violentia illa naturæ et somni defectu, qui dejicientes se ipsos increpabant se ignominiis, nullam sibi requiem largientes. Vidi alios miserabiliter adspicientes in cœlum, invocantes sibi auxilium inde cum fletibus et lamentis ac vocibus. Alios vidi in oratione stantes, et more damnatorum tenentes manus suas retro ligatas : qui vultum suum obscurum, discoloratum ac tristem declinantes in terram, judicabant se indignos adspicere sursum in cœlum ; et aporiati a cogitationibus [illegible] et

confusione seu pudore conscientiæ suæ, nec habentes quod ad Deum dicerent, nec invenientes unde aut qualiter orationem formarent, exhibebant Deo solam animam sine voce, et mutam mentem sine ratione, ad tempus repletam tenebris et exili desperatione.

Alios vidi in pavimento sedentes in sacco et cinere, qui faciem genibus operientes, percutiebant frontem in terram. Alios vidi pectus suum semper tundentes, et ad memoriam revocantes vitam suam, et animam suam recolligentes : nam aliqui balneabant pavimentum lacrimis suis; aliqui vero lacrimari non valentes, cædebant se disciplinis; quidam autem quasi super mortuos sic ululabant super animas suas, non potentes ferre formidinem atque angustiam tribulationis proprii cordis; nonnulli corde frendebant, non valentes se ulterius continere.

Vidi ibi quosdam excedentes se ipsos more et mœrore, ac meditatione exaggerantes proprias culpas, ex multa mœstitia stupentes et mutos effectos, totos afflictionibus contenebratos, et insensibiles factos ad omnia quæ sunt vitæ præsentis, mentem suam profundantes de cetero in humilitatis abyssum, et exfrigentes igne ignominiæ lacrimas oculorum. Alios tristitia plenos vidi sedentes intuentesque terram, moventesque capita sua indesinenter, et instar leonum emittentes rugitus de medio cordis sui, dentibus quoque frendentes, et angustiantes. Porro quidam eorum bona spe postulabant perfectam remissionem, et obtinuerunt. Alii remissione judicabant se indignos ex indicibili humilitate, clamantes se non posse satisfacere Deo nec reddere rationem. Alii deprecabantur Deum nunc cruciari, et in futuro misericordiam invenire. Alii demum quum essent sub onere conscientiæ prorsus perterriti, sincere dicebant : Domine Pater, si possibile est, nec cruciemur nec regno digni efficiamur, et sufficit nobis.

Vidi ibi animas humiles et contritas et incurvatas exsistentes sub pondere oneris, potentes compungere sensum lapideum per voces suas exclamatas ad Deum. Adspicientes namque in terram, ita dicebant : Scimus ergo, o Domine, scimus quoniam digni sumus omni tormento et pœna, et juste. Neque enim de cetero sumus sufficientes ad satisfactionem et rationem reddendam super multitudine debitorum nostrorum, etiam si convocaverimus universum orbem ad flendum pro nobis et
Ps. xxxvii, 2. flentem nobiscum. Illud autem solummodo petimus, deprecamur et exoramus : Ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos, neque crucies nos justo tuo judicio; sed parce, et sufficit nobis, et libera nos a multis comminationibus tuis, et a tormentis dissimilibus et innominatis atque occultis. Non enim audemus remissionem petere ad perfectum in finem, sicut qui promissionem nostram non custodimus, sed violamus ipsam post priorem benignitatem et remissionem.

Sane, amici, ibi vere, ibi erat manifeste et efficaciter contemplari verba David :
Ps. xxxvii, 7, 6. homines miseros factos et incurvatos usque ad finem vitæ suæ, totaque die contristatos ingredientes, et putrescentes corruptis cicatricibus corporis, et absque omni
Ps. ci, 5, 10, 6, 12. sollicitudine exsistentes; qui obliti erant comedere panem suum, poculum aquæ miscentes cum fletu; qui pulverem et cinerem cum pane et pro pane edebant; qui

ossa habebant adhærentia carni, et ipsi arefacti fuerunt ut fœnum. Nil erat apud eos aut ab eis audire nisi ista et hujusmodi verba : Ah, ah ; væ, væ ; juste, juste. Quidam namque dicebant : Miserere, miserere. Alii miserabilius exclamabant : Indulge, indulge, Domine, si possibile est.

Inter illos erat videre linguas adustas et instar canum ex ore projectas. Aliqui quoque in caumate puniebant se ipsos ; alii vero in frigore. Nonnulli modicum aquæ gustantes requiescebant, et refrigerium capiebant tantum ne morerentur ex siti ; ceteri sumentes valde modicum panis, projecerunt eum longe a se, dicentes se indignos rationalium cibo, eo quod irrationabilia opera perpetrassent.

Ubi in illis risus ? Ubi verbum otiosum, furor aut ira ? Neque sciebant quod ira in hominibus esset, quoniam luctus eorum perfecte exstinxit in eis furorem et iram. Ubi in illis contradictio, dies festus, confidentia præsumptionis, cura corporis, vestigium vanæ gloriæ, spes deliciarum, meditatio vini, degustatio fructuum, consolatio coctionis ? Ubi delectamentum gutturis aut sensualis dulcedo ? Nempe spes et affectio omnium horum fuit exstincta in eis. Ubi in illis sollicitudo alicujus terreni ? Ubi aliquem judicare ? Certe nusquam in ullo eorum.

Ista erant quæ ab illis continuo dicebantur atque ad Dominum clamabantur. Nam quidam pectus suum fortiter tundentes, dixerunt ad Dominum, quasi stantes in porta cœli : Aperi nobis, aperi, judex et ultor ; aperi, quoniam per peccatum clausimus nobis ipsis regnum cœlorum. Et quidem unus eorum dixit : Ostende faciem tuam tantum, et salvabimur. Alius vero : Illumina humiles sedentes in tenebris et umbra mortis. Et alter : Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia perditi facti sumus nimis, quia desperavimus, quia defecimus vehementer. Alii quoque dicebant : An ergo utique illuminabit Deus de cetero vultum suum super nos ? Et alii : Forsan pertransiit anima nostra aquam seu obligationem intolerabilem. Itemque alius : Forsan Dominus deinceps consolabitur utique super nos. Forte audiemus eum dicentem nobis exsistentibus in vinculis insolubilibus : Exite de inferno Is. XLIX, 9
pœnitentiæ, et indulgentiam ac absolutionem accipite. Forsan introiit clamor noster in aures Dei.

Omnes vero sedebant habentes mortem semper præ oculis, et dicebant : Utique quid est quod a debito est absorptum ? Utique quæ satisfactio ? Nempe quis finis noster ? Putas forte est revocatio ? Forte indulgentia est nobis humilibus condemnatis, exsistentibus in tenebris ? Forte obsecratio nostra prævaluit in conspectu Domini introire ? An Dominus juste eam avertit a se, et repulsa est et confusa et humiliata ? Et si introiit, quantum obtinuit ? quantum reconciliavit ? quantum profuit et peregit, quæ ex cordibus et buccis immundis emissa est, nec possidet virtutem et confidentiam multam ? An forte Judicem reconciliavit in finem, an pro parte, an pro medietate culparum et cicatricum nostrarum ? Magnæ namque sunt culpæ nostræ, indigentes multis sudoribus, fatigationibus atque laboribus. Putas appropinquaverunt nobis custodes nostri angeli sancti, an longe a nobis sunt ? Illis enim non appropinquantibus nobis, omnis labor noster est absque profectu et uti-

litate : oratio enim nostra non habet virtutem confidentiæ nec pennam munditiæ ut ingrediatur ad Dominum, nisi angeli præsides nostri nobis propinquent, et sumentes offerant eam Deo.

Denique talia inter se conquirebant dicentes : O fratres, an forte obtinuimus veniam? An forte exauditionis participes facti sumus? Forte denuo suscipiet Deus,
Jonæ III, 9. forte aperiet? Alii vero responderunt ad ista : Quis novit, sicut dixerunt fratres Ninivitæ, si quo modo convertatur Dominus a suo furore, et redimat nos saltem a suo supernimio cruciatu? Nos nihilo minus faciamus quod nostrum est : et si aperuerit nobis, bene quidem ; sin autem, benedictus Dominus Deus juste utique nos excludens. Verumtamen perseveremus usque ad finem vitæ nostræ pulsantes : forsan enim ipse bonus aperiet multæ nostræ importunitati atque instantiæ. Quocirca resuscitabant se ipsos, dicendo : Curramus, fratres, curramus. Cursus enim nobis necessarius est, cursusque nimis magnus, quoniam bonam societatem nostram reliquimus. Curramus, non parcentes carni nostræ bestiali ac sordidæ, sed occidamus eam sicut occidit nos. Quemadmodum et faciebant beati illi obnoxii.

Vidi in illis genua arefacta ex multitudine atque assiduitate genuflexionum, et oculos extra factos seu prominentes, intusque partim concavos ad profundum, privatos capillis, genas quoque exustas et etiam læsas a calidarum lacrimarum fervore. Insuper vidi quoque ibi facies macilentas ac pallidas, nil differentes in comparatione a vultibus mortuorum jamque putrefactorum ; pectora quoque plagis dolentia, sanguinisque livores in pectore aggregatos ex assiduis frequentibusque tunsionibus pectoris. Ubi lectulus, ubi fortitudo aut munditia vestium inter illos? Omnia dirupta ac sordida, et pediculis pulicibusve operta et plena. Quid sufferentia mali a dæmonibus vexatorum, ad comparationem illorum? Quid dolor lugentium deplorantiumque mortuos aut quantumcumque dilectos, respectu doloris ipsorum? Quid dolores in exsilio degentium, aut propter homicidia incarceratorum? Vere nihil dolor, cruciatus et involuntaria pœna horum est comparatione ad cruciatus et voluntariam pœnam illorum.

Sed rogo, o fratres, nolite quæ dicta sunt fabulas reputare. Nam præfati incarcerati ac pœnitentes obsecrabant frequenter pastorem suum, prædictum abbatem, inter homines angelum, circumponi sibi in collo ac manibus ferramenta, et pedes suos compediri in cippo, nec ante mortem inde resolvi : imo nec sepeliri. Non enim abscondam a vobis etiam istam miserandam humilitatem et contritam caritatem ad Deum pœnitentiamque illorum veraciter beatorum. Migraturi namque a corpore et
I Petr. I, 17. protinus præsentandi justissimo Dei tribunali, quod est sine personarum acceptione, illi boni cives regionis pœnitentiæ deprecabantur cum jurejurando abbatem per senem eis præpositum, ne unquam dignaretur eos humano sepulcro, sed instar brutorum projiceret eos in flumen, aut in campum ad bestias. Cui petitioni frequenter consensit discretionis lucerna, jubens eos omni honore ac psalmodia privatos extra cœmeterium sepeliri.

Porro quam miserabile ac pavendum spectaculum erat, videre extremam horam

ipsorum! Quando enim concarcerati sciebant et præsentiebant aliquem ex eis protinus moriturum, circumdabant eum mente ejus adhuc bene valente, sitientes et lugentes, et desiderantes, more nimium miserabili ac tristi sermone interrogabant agonizantem, moventes capita sua ex compassione, et pietate ardentes dicebant ad eum : Quid est, o frater et simul nobiscum damnate? Quomodo et quid dicis? Quid speras, et quid suspicaris? Obtinuisti intentum per tuos labores et conatus, an non obtinuisti? Pervenisti, an non? Accepisti certificationem, an habes incertam spem? Accepisti libertatem, an adhuc frangitur et dubitat cogitatio tua? Sentis aliquam illuminationem in corde, an cor tuum adhuc tenebrosum et offuscatum est, et ignominia quadam confusum? Estne facta in te vox aliqua dicens, Ecce sanus factus es, vel, Dimittuntur tibi peccata tua, vel, Fides tua te salvum fecit? An forte adhuc audis vocem qua dicitur, Convertantur peccatores in infernum, et, Tollatur e medio impius, ne videat gloriam Dei, et, Ligatis manibus ac pedibus, mittite eum in tenebras exteriores? Quid simpliciter dicis, o frater? Deprecamur, dic nobis, quatenus et nos agnoscamus ad qualia veniemus. Tuum namque tempus finitum est, et non invenies aliud ulterius in æternum. Ad hæc alii agonizantium respondebant : Benedictus Dominus qui non amovit orationem nostram et misericordiam suam a nobis; alii vero in hunc modum : Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Quidam autem dolorose captioseque dicebant, Forsitan pertransibit anima nostra aquam intolerabilem spirituum malignorum in aere volitantium : non præsumentes, sed meditantes ac metuentes quid de ipsis fieret in illo positorio rationis. Alii demum respondebant aliquid dolorosius isto, dicentes : Væ tibi, o anima mea, quæ professionem tuam non custodisti immaculatam atque ab omni vitiorum labe puram : in hac sola hora cognosces quid tibi paratum est.

Ego vero, o pater Joannes, ista conspiciens apud illos, paulo minus desperavi me ipsum, videns indifferentiam meam, et comparans eam ad differentiam illorum malorum vere pœnitentium. Nempe qualis erat statio et habitatio loci? Tota fœtens, tenebrosa, sordida et caliginosa : ita quod ipse adspectus loci fuit magister totius luctus et pœnitentiæ universæ. Rationabiliter namque et bene appellatus est carcer. Sed ea quæ aliis sunt gravia, contraria et insusceptibilia, sunt accessibilia atque faciliter susceptibilia his qui ceciderunt ex spiritualibus divitiis ac virtutibus. Anima namque privata priori fiducia, et lapsa a spe impassibilitatis, frangensque et aperiens signaculum castitatis, et passa deprædationem a divitiis charismatum, et alienata a consolatione divina, quæ irritavit compositionem pactumque Domini, exstinguens pulchritudinem boni ignis lacrimarum, et percutitur et plagatur horum memoria, ac dolore quodam interno salubriter vulneratur, non solum præfatos labores et dolores cum omni promptitudine suscipit, sed et pie studet invenire qualiter valeat et se ipsam interimere secundum fidem per virtutum exercitia; si tamen in ea sunt scintillæ aut reliquiæ caritatis timorisve Dei : quales erant vere isti beati.

Habentes enim in mente quæ diximus, et recogitantes altitudinem virtutum a qua corruerunt, dicebant : Recordamur fervoris et sollicitudinis quam habebamus in

Ps LXXXVIII, 50, 51. diebus antiquis. Alii ad Deum clamabant : Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas ostendisti animæ nostræ in veritate tua? Memorare opprobrii atque Job XXIX, 2, 3. angustiæ servorum tuorum. Et alius : Quis (inquit) me ponet juxta menses pristinos, in quibus custodiebat me Deus, quando splendebat lucerna luminis ejus super caput cordis mei? Sicque recordabantur devotionum suarum primarum, et instar parvulorum lugentium hæc dicebant : Ubi orationis munditia? Ubi alacritas spei in Domino? Ubi dulce donum pro amaro lacrimarum? Ubi spes omnimodæ castitatis ac puritatis? Ubi exspectatio beatæ impassibilitatis? Ubi confidentia ad abbatem? Ubi in nobis ipsis efficax operatio ejus orationis? Perierunt omnia ista, et defecerunt quemadmodum aliqua nusquam apparentia, et quasi non exsistentia exterminata sunt, et celeriter abierunt. Nempe aliqui ista dicentes ac clamantes, optabant dæmonem. Aliqui vero orabant Deum incurrere magnam infirmitatem. Quidam optabant oculis monstruose erutis faciem perdere, spectaculumque miserabile fieri ac proponi. Nonnulli rogabant effici paralytici et contracti, et solum non experiri afflictionem pœnarum eis venturam.

Ego vero, o dilecti, oblitus sum mei ipsius immorando in medio illorum degentium in pœnitentiæ regione, et totus pariter mente raptus, me ipsum continere nequivi. Sed redeundum est ad sermonem. Permanens ergo in carcere illo per dies triginta, redii ad cœnobium magnum impatiens. Redii itaque ad abbatem, qui adspiciens me totum quasi alienatum atque stupentem, cognovit sapientissimus causam alienationis, et dixit mihi : Quid est, pater Joannes? Vidisti certamina fatigantium? Ego vero dixi : Vidi, Pater, et admiratus sum ; beatioresque dixi illos lapsos et taliter pœnitentes, his qui lapsi non sunt neque lugent : quia per lapsum resurrexerunt resurrectione non periculosa.

Qui ait : Ita se habet res. Et retulit mihi verax lingua ipsius, Quia ante decem annos habui hic Fratrem operatorem et omnino sollicitum. Quem quum talem viderem et spiritu tam ferventem, tremebam ac formidabam invidiam diaboli contra eum; et inde timui ei ne forte ferventi cursu offenderet ad lapidem : quod evenire velociter currentibus sæpe contingit; sicut et contigit Fratri huic. Deinde redit ad me vespere jam profundo, et plagam seu culpam suam nudam mihi monstrat, quærit emplastrum, petit adustiones, vehementissime turbatur. Deinde videns medicum eo dure uti non volentem, quoniam et compassione exstitit dignus, se ipsum prostravit in pavimentum, pedes meos amplectens et eos sufficienter lacrimis lavans, ac postulans condemnari ad carcerem quem vidisti. Impossibile (inquiens) est me illuc non ire. Et ita vim intulit, ut transferret viscerositatem medici in duritiem : quod rarissimum est superclarissimumque infirmis. Accedit ergo celeriter pœnitentes, fit eis communicator in planctu atque comparticeps promptus ac condolens. Itaque habens cor plagatum per caritatem quasi tristitiæ gladio, octava die migravit ad Dominum, petens non sepeliri. Ego vero illum tanquam condignum huc attuli et cum Patribus sepelivi, eo quod post servilem hebdomadam octava die solutus est et liber factus est. Est autem quidam pro certo cognoscens, quod non ante surrexit

a vilibus ac sordidis pedibus meis, quam Deum reconciliaret. Nec mirum. Nam corde resumens fidem illius fornicatricis, et ipse promeruit talem plenitudinem certificationis de venia : promeruit, inquam, viles pedes meos lacrimis sic rigando. Porro Dominus dixit omnia possibilia esse credenti. Vidi immundas animas circa concupiscentias carnis insanientes et furiose effusas, quæ ex insani et carnalis amoris experientia sumentes occasionem ad melius, transtulerunt sancte eumdem amorem ad Dominum ; et confestim supergredientes omnem timorem, insatiabiliter actæ, in Dei caritatem insertæ sunt. Quocirca Christus non dixit de illa casta fornicatrice quoniam timuit, sed quoniam dilexit multum ; et potuit opportune amore amorem repulsare.

Ego, admirabiles, non ignoro quod certamina illorum beatorum pœnitentium quæ narravi, videantur quibusdam incredibilia. Aliis vero videbuntur quasi desperationem inducentia; vir autem virilis sumet ex eis magis stimulum et sagittam ignis, et zelum portans in corde perget. Qui huic promptitudini subjectus est, et deficit ab ea, hic cognovit propriam infirmitatem, et possidens humilitatem per accusationem propriæ culpæ, priore posterius currit ; ignoro vero si non et pertingens apprehendit. Porro vir negligens non accedat nec audeat jam prædicta, nequando desperans dispergat et dissipet id ipsum modicum quod operatur, et fiet super eum quod fatur eloquium : Ab eo qui non habet, etiam et illud quod videtur habere, auferetur ab eo. 12; xxv, 29.

Lapsi in lacum iniquitatum, non solemus naturaliter inde trahi aut egredi, nisi fuerimus ingressi in abyssum humilitatis pœnitentium. — Sane alia est mœrens humilitas lugentium, et alia est condemnatio conscientiæ adhuc peccantium ; alia quoque est ditans humilitas, perfectis adveniens per operationem Dei. Non festinemus hanc tertiam verbis invenire : taliter enim curremus in vanum. Nam signum secundæ humilitatis, est perfecta patientia improperii et ignominiæ. Tyrannizat et super lugentem sæpius præsumptio : et non est mirum. — De judiciis et lapsibus sermo tenebrosus est, et omni animæ incomprehensibilis : qui quidem sunt per negligentiam, qui vero ex permissione dispensativa, qui vero lapsus sunt nobis evenientes per animadversionem Dei. Quidam autem mihi narravit quod dicam : quoniam celerem conversionem possidemus a lapsibus contingentibus nobis secundum dispositionem * ; non enim permittit nos Deus supra multum detineri. * dispensa-

Qui cecidimus, contra dæmonem tristitiæ per omnibus pugnemus. Ipse enim tempore orationis adsistens, et priorem confidentiam rememorans, vult nos evacuare ante orationem. — Ne stupeas quotidie peccans, neque resilias, sed sta viriliter, et angelus custodiens te reverebitur omnino sufferentiam tuam. — Quamdiu plaga est recens et calida, medicabilis est bene atque faciliter : nam et plagæ neglectæ et temporaneæ neque curatæ, graviter sanabiles et medicabiles sunt, et ad medicinam earum indigent medicantes multo labore, et ferro, et rasorio, et igne. Antiquatæ et multi temporis, insanabiles sunt. Apud Deum vero sunt omnia possibilia. Matth. xix,

Ante ruinam et lapsum, dæmones dicunt Deum esse benignum ; post lapsum vero, dicunt esse durum. — Non obedias dicenti post lapsum super parvis dele-

ctibus et offensionibus, quia hoc aut illud non fecisti. Istud vero nihil est : multoties namque parva dona fecerunt cessare furorem judicis multum. — Qui in veritate vindictas et pœnas exsolvit, reputat se quasi perdidisse omnem diem in qua non luget pro suis culpis, etiam si faciat aliqua alia bona in ea die.

Nemo lamentantium se recipiet plenam certificationem repromissionis in exitu. II *Cor.* III, 17. Ubi Spiritus Domini, ibi vinculum est solutum. Ubi humilitas inæstimabilis et invincibilis, ibi vinculum est solutum similiter. Qui enim sine his duobus sunt et decedunt, non seducantur, quia ligati sunt. Qui in mundo vivunt, alieni sunt a certificationibus his, et maxime a prima. Quidam tamen per misericordias et eleemosynas currunt, cognoscentes lucrum suum in exitu.

Lamentans ac lugens se ipsum, non agnoscet luctum ac lamentum, aut lapsum, aut querelam alterius. — Canis patiens morsum a fera, ampliori furore agitur contra eam, dolore plagæ furens incomparabiliter contra ipsam. Attendamus ne stimulus et remorsus conscientiæ nostræ cessaverit unquam in nobis non ex munditia, sed ex malitia. Signum illius solutionis quæ est in lapsu, est te ipsum semper debitorem existimare.

Nihil est majus vel æquale propitiationibus Dei : qua ex re, qui desperat, occidit se ipsum. — Signum sollicitæ mentis et studiosæ pœnitentiæ, est nos ipsos reputare dignos universis tribulationibus et adversitatibus nobis advenientibus, visibi- *Exod.* III, 2 et seq.; IV, 18 et seq. libus et invisibilibus, et adhuc amplioribus. — Postquam Moyses vidit Deum in rubo, reversus est iterum in Ægyptum (quæ quidem intelligitur seu interpretatur quasi tenebratio) ad operationem laterum quasi intelligibilis Pharaonis. Sed rursus *Ibid.* XIX. regressus est Moyses ad rubum ; nec solum ad rubum, sed et in montem. Qui scit *Job* I; XLII, 10. hoc contemplativum verbum, nunquam desperabit. — Magnus Job pauper efficitur, sed iterum dupliciter ditescit.

Lapsus post vocationem sunt crudeles in his qui pusillanimes et negligentes exsistunt, spem impassibilitatis alapis percutientes, et beatum persuadentes arbitrari, saltem totaliter resurgere de fossa. — Vide, vide quia non revertimur ea via qua erravimus et seducti sumus, sed per aliam viam breviorem. — Vidi duos gradientes uno modo, et victu consimili, et contemporanee : et unus senior erat, præhabens in doloribus; alter vero discipulus, et præcucurrit citius sene, et intravit prior in monumentum humilitatis.

Attendamus universi, peramplius vero nos qui fuimus habentes et cadentes, in corde infirmitatem impii Origenis sine Deo. Inquinata enim mens allegans Dei benignitatem, fit leviter receptibilis amoris concupiscibilium et delectabilium. — In me- *Ps.* XXXVIII, 4. ditatione mea, magis vero in pœnitentia mea, exardescet ignis orationis omnem silvam adurentis.

Præmemorati sancti condemnati, sint tibi determinatio, typus, exemplar et figura ad pœnitentiam, et nequaquam indigebis totaliter libro in tota vita tua, quousque illucescat tibi desursum Christus Jesus, Filius Dei, verus Deus, in resurrectione pœnitentiæ sollicitæ, studiosæ.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS QUINTI.

PŒNITENTIA *est revocatio Baptismatis,* id est causa recuperans gratiam in Baptismo collatam et post Baptismum per mortale peccatum amissam. In Baptismo enim infunditur gratia gratum faciens, quæ per mortale peccatum deletur, sed per pœnitentiam denuo obtinetur. *Pœnitentia est pactio ad Deum secundæ vitæ,* id est reconciliatio cum Deo qua pœnitens proponit et proponendo adstringit se de cetero Deo victurum vita gratiæ, qua primo cœpit vivere in Baptismo, sed peccando amisit eamdem : idcirco per pœnitentiam incipit iterato, hoc est secundo, vivere vita gratiæ. *Pœnitentia est emptrix humilitatis.* Pœnitentia est essentialiter dolor seu contritio de peccatis, et dicitur « emptrix », id est acquisitrix, « humilitatis », quoniam pœnitens accusando se ipsum humilitatem acquirit a Domino. *Pœnitentia est indesinens desperatio corporalis consolationis.* Descriptiones istæ dantur de pœnitentia per causam, vel effectum, sive per quamdam inclusionem : sicque pœnitentia dicitur « indesinens desperatio corporalis consolationis », quoniam pœnitens proponit firmissime corpus suum affligere, et consolationes externas, inordinatas, carnales semper abjicere.

Pœnitentia est non sollicita, per se sollicita et per se dijudicata cogitatio. Pœnitentia quum sit dolor, est in voluntate ; cogitatio autem est in vi cognitiva : quomodo ergo pœnitentia dicitur cogitatio, nisi per causam ? Dolor quippe quum sit quædam affectio, ex quadam cognitione procedit : sic et dolor iste ex consideratione seu cogitatione propriorum oritur peccatorum. Itaque pœnitentia est « cogitatio non sollicita », id est, non curans de terreno aliquo commodo; « per se sollicita » qualiter satisfaciat, reconcilietur ac placeat Deo; « et per se dijudicata », id est, accusans ac reprobans ipsummet pœnitentem, ut dicatur per se dijudicata, id est sui ipsius dijudicativa : quia ut ait Apostolus, Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. I Cor. xi, 31.

Pœnitentia est filia spei, negatio desperationis. Procedit enim ex spe obtinendi remissionem a pietate divina. *Pœnitens est condemnatus inconfusus.* Condemnat namque, id est, accusat reprobatque se ipsum ; nec inde confunditur, sed de suis iniquitatibus erubescit. *Pœnitentia est reconciliatio Dei,* quia pœnitentem reconciliat Deo, *per bonam operationem,* id est satisfactionem, præsertim per internam erubescentiam de fœditate propriorum excessuum, et per firmum propositum non peccandi de cetero : « per bonam », inquam, « operationem » *contrariam offensionibus,* hoc est peccatis commissionis, *et delictis,* id est peccatis omissionis, quatenus per actus humilitatis, patientiæ, sobrietatis et spiritualis amoris deleantur peccata superbiæ, impatientiæ, gulæ ac sensualis affectionis.

Pœnitentia est conscientiæ emundatio. Pœnitentia est voluntaria patientia omnium tribulationum et affligentium, hoc est spontanea perpessio omnium adversitatum et eorum quæ inferunt eas ; non quod pœnitentia sit essentialiter ista perpessio, sed quoniam efficit eam. Pertinet namque ad pœnitentem ut peccata sua in tantum exaggeret, ponderet ac deploret, ut dignum se arbitretur omni contemptu et persecutione, atque omnis creatura contra se insurgat et creatoris sui injuriam

ulciscatur in se, sicque æquanimiter ferat pro suis peccatis quidquid afflictionis advenerit ei.

Pœnitens est propriorum tormentorum et pœnarum conditor, id est institutor et inflictor afflictionum carnis ac animæ suæ. Punit etenim in se ipso suos excessus, et intus ac extra affligit se ipsum, intus dolore et pudore, extra jejunio; et multas exercitationes pœnales sibi indicit, atque in Confessione imponi procurat. Idcirco *pœnitentia est fortis tribulatio ventris :* quia ad abstinendum ac jejunandum inducit; *et afflictio animæ in sensu vehementi,* hoc est in dolore quodam perceptibili. Dolor enim contritionis est maximus.

Consequenter auctor exemplariter declaraturus quid sit pœnitentia vera atque perfecta, et relaturus rem magnam, præmittit exhortationem devotam ac seriosam. *Concurrite et venite, venite et audite, et narrabo vobis, o omnes qui Deum concitastis ad iram,* id est ad justam ultionem seu rigorem justitiæ : non quod invariabilis ac simplicissimus Deus concitetur aut irascatur proprie in se ipso; sed quantum ad similitudinem operis, per modum concitati et irati se habet, qui utique in se ipso æternaliter æque tranquillus est. Un-
Sap. xii, 18. de in libro Sapientiæ fertur : Tu, Domine, cum tranquillitate judicas. Et ipse per Je-
Jer. vii, 19. remiam testatur : Numquid me ad iracundiam provocant? Nonne semetipsos in confusionem vultus sui? *Congregamini, et videte* oculo interiori *quæcumque ad ædificationem ostensa sunt animæ meæ.*

Præordinemus et præhonoremus narrationem operum honorabilium inhonoratorum, id est, ordinate ac venerabiliter recitemus in primis opera pœnitentialia quorumdam incarceratorum et contemptorum, qui propter pœnitentiam suam ceterasque virtutes vere honorabiles sunt effecti. *Audiamus et custodiamus et faciamus* ea quæ dicam, *quicumque passi sumus aliquem improbum lapsum* non placitum Deo. *Resurgite* a vitiis, *et sedete,* id est, in actibus virtuosis quiescite, *qui ja-*

A *cetis subtus positi,* id est viles effecti et terrenis atque carnalibus rebus infixi, *per casus et lapsus,* hoc est per peccata in Deum et proximum, vel per spiritualia et carnalia vitia. *Attendite, fratres mei, verbo meo; inclinate aurem vestram, volentes Deum reconciliare iterum vobis ipsis, et per veram conversionem commutare eum* a rigore justitiæ ad effectum clementiæ.

Audiens ego infirmus, esse quamdam magnam et peregrinam, id est insolitam, *humilitatem et institutionem degentium,*
B hoc est observantiam Fratrum habitantium, *in mansione singulari semota, carcere* Cf. p. 82 in
dicta, supposita præmemorato illi lumi- fine.
narium luminari, id est subjecta præfato abbati, qui fuit luminare præcipuum et lumen multorum perfectorum virorum qui luminaria erant, *exoravi justum,* videlicet dictum abbatem, *ut me permitteret ibidem accedere. Etenim auditum præbuit meæ obsecrationi et consolationi,* quæ consistebat in hoc ut viderem Fratres illos incarceratos, *magnus ille* abbas, *qui nun-*
C *quam penitus voluit animam contristare,* id est inordinato mœrore aut injuste affligere.

Quum igitur accessissem in mansionem pœnitentium, et vere in regionem lugentium, vidi verissime utique, nisi præsumptuosum sit dicere, quæ nec oculus hominis negligentis adspexit, et auris pusillanimis non audivit, et quæ in cor hominis otiosi non ascenderunt, utpote verba et gesta Deum quasi violentare et superare valentia, adinventiones et figuras, id
D est dispositiones seu maneries, *celeriter incurvantes,* hoc est, ad se trahentes ac provocantes, *benignitatem Dei.*

Vidi enim quosdam illorum noxiorum innoxiorum, id est, qui ante culpabiles erant, sed tunc per pœnitentiam a culpis præteritis erant innoxii seu purgati, *cunctis noctibus vigiles usque mane stantes sub æthere, habentes pedes immobiles, miserabiliterque confractos ex violentia illa naturæ et somni defectu, qui dejicientes se ipsos increpabant se ignominiis,* id est

improperiis, *nullam sibi requiem largien-* A *tes. Vidi alios miserabiliter adspicientes in cœlum, invocantes sibi auxilium inde cum fletibus et lamentis ac vocibus.*

Alios vidi in oratione stantes, et more damnatorum tenentes manus suas retro ligatas : qui vultum suum obscurum, discoloratum ac tristem declinantes in terram, judicabant se indignos adspicere sursum in cœlum; et aporiati, id est laborantes vel depauperati, *a cogitationibus suis et confusione seu pudore conscientiæ suæ, nec habentes quod ad Deum dice-* B *rent, nec invenientes unde aut qualiter orationem formarent, exhibebant Deo solam animam sine voce, et mutam mentem sine ratione,* id est sine rationabili consideratione divinæ misericordiæ, *ad tempus repletam tenebris et exili desperatione,* id est grandi mœrore et vitiorum suorum ponderatione mœstissima, ex quibus oriebatur in eis desperatio aliquantula. Considerabant enim nimis morose et acute propriam defectuositatem et culpam, absque permixtione considerationis pietatis C divinæ, et absque admixtione consolationis ac respirationis internæ, quæ concipi solet ex inspectione et confidentia misericordiarum Altissimi. Idcirco aliqualiter desperabant per respectum ad infirmitatem culpamque propriam; non tamen simpliciter desperabant, nec jugiter inhæserunt præfatæ considerationi suæ iniquitatis et mœrori inde provenienti, sed tandem in misericordiis Altissimi respirabant.

Alios vidi in pavimento sedentes in sacco et cinere, qui faciem genibus operien- D *tes, percutiebant frontem in terram. Alios*
p. 138. *vidi pectus suum semper tundentes,* etc.

Alii demum quum essent sub onere conscientiæ prorsus perterriti, sincere dicebant : Domine Pater, si possibile est, nec cruciemur nec regno digni efficiamur, et sufficit nobis. Circa hoc quæritur, qualiter poterant dicere hoc « sincere ». Et respondendum, quod non absolute rogabant hoc, sed sub conditione, utpote si esset « possibile », id est non contrarium præordinationi divinæ. Arbitrabantur quippe sibi instare tantum damnationis periculum, quod quantum in ipsis erat, fuissent contenti de medio illo inter salvationem et condemnationem. Talis autem voluntas erat potius quædam velleitas quam perfecta voluntas; nec fuit culpabilis, sed potius bona ex sua radice. Verumtamen quod dixerunt, Nec salvemur nec condemnemur, posset dupliciter intelligi. Primo, ut optassent non esse, nec remanere post vitam hanc. Secundo, quod optassent esse quasi in statu infantium non baptizatorum, qui nec habent pœnam sensus, nec digni sunt regno cœlesti : quod utique desiderabilius esset quam prorsus non esse.

Vidi ibi animas humiles et contritas et incurvatas exsistentes sub pondere oneris, id est sub gravamine ex vitiorum consideratione, *potentes compungere sensum lapideum per voces suas exclamatas ad Deum. Adspicientes namque in terram, ita dicebant :*

Scimus ergo, o Domine, scimus quoniam digni sumus omni tormento et pœna, et juste. Neque enim de cetero sumus sufficientes ad satisfactionem et rationem reddendam super multitudine debitorum nostrorum, etiam si convocaverimus universum orbem ad flendum pro nobis et flentem nobiscum. Illud autem solummodo petimus, deprecamur et exoramus : Ne Ps. xxxvii, 2.
in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos, neque crucies nos justo tuo judicio; sed parce, et sufficit nobis, et libera nos a multis comminationibus tuis, et a tormentis dissimilibus et innominatis atque occultis, hoc est ab infernalibus pœnis, quæ valde dissimiles sunt pœnis hujus sæculi, nec omnes distincte cognoscuntur a nobis : idcirco eas propriis appellationibus explicare nequimus, sed latent nos pro maxima parte.

V[illegible] id est plene finaliter, ut scilicet dimittas nobis omnino pœnam cum culpa. Hoc dixerunt ex profundissima humilitate et peccatorum suo-

rum acutissima consideratione, non ex in- A
fidelitate aut ignorantia, quasi putaverint
misericordiam Dei non esse infinite ma-
jorem omni malitia hominum. Ideo subdi-
tur : *sicut qui promissionem* (id est pro-
fessionem) *nostram non custodimus, sed
violamus ipsam post priorem benignita-
tem et remissionem,* id est post gratiam
conversionis nostræ qua primo religionem
intravimus et veniam vitiorum in sæculo
contractorum semel accepimus, præsertim
in professione, in qua creditur dari gratia
Cf. t. XXIV, p. 134 B. quæ in Baptismo confertur, ut quidam B
Patrum se vidisse perhibuit, et Thomas
super quartum tangit Sententiarum. Hi au-
tem devotissimi pœnitentes quamcumque
inobedientiam reputabant suæ professio-
nis violationem : nam venialia abhorrebant
ac deplorabant quasi mortalia.

*Sane, amici, ibi vere, ibi erat manife-
ste et efficaciter contemplari verba David,*
Ps. XXXVII, 7, 6. videlicet : *homines miseros factos et in-
curvatos usque ad finem vitæ suæ, totaque
die contristatos ingredientes, et putrescen-
tes corruptis cicatricibus corporis, et abs-* C
que omni sollicitudine exsistentes ; qui
Ps. CI, 5, 10, 6, 12. *obliti erant comedere panem suum, pocu-
lum aquæ miscentes cum fletu ; qui pul-
verem et cinerem cum pane et pro pa-
ne edebant ; qui ossa habebant adhærentia
carni, et ipsi arefacti fuerunt ut fœnum.
Nil erat apud eos aut ab eis audire nisi
ista et hujusmodi verba : Ah, ah ; væ, væ ;
juste, juste. Quidam namque dicebant :
Miserere, miserere. Alii miserabilius ex-
clamabant : Indulge, indulge, Domine, si
possibile est.* Porro quod addiderunt, « si D
possibile est », adjecerunt non quod di-
vinæ omnipotentissimæ pietati putaverint
aliquid impossibile esse, sed ad insinuan-
dum enormitatem sui excessus, quem in-
effabiliter ponderaverunt. *Inter illos erat
videre linguas adustas et instar canum
ex ore projectas. Aliqui quoque in cau-*
p. 139. *mate puniebant se ipsos,* etc.

Ista erant quæ ab illis continuo dice-
ibid. in medio. *bantur atque ad Dominum clamabantur,*
etc. *Itemque alius : Forsan Dominus dein-
ceps consolabitur utique super nos. Forte* II *Mach.* VII, 6.
*audiemus eum dicentem nobis exsistenti-
bus in vinculis insolubilibus,* id est diffi-
culter solvi valentibus, utpote in hac in-
carceratione perenni, aut in peccatis vel
reatibus vitiorum : *Exite de inferno pœ-* *Is.* XLIX, 9.
nitentiæ, hoc est de hac gravi afflictione
pœnitentiali, *et indulgentiam ac absolu-
tionem accipite. Forsan introiit clamor* *Ps.* XVII, 7.
noster in aures Dei.

*Omnes vero sedebant habentes mortem
semper præ oculis, et dicebant : Utique
quid est quod a debito est absorptum ?* id
est, quæ peccata indulta sunt nobis ? *Uti-
que quæ satisfactio ?* id est, quæ vera et
efficax est satisfactio nostra ? *Nempe quis
finis noster ?* hoc est, quis scit qualem fi-
nem habebimus ? *Putas forte est revoca-
tio ?* id est, estne reditus ad pristinam
gratiam, et an poterimus reduci ad illam ?
Forte indulgentia est nobis humilibus, id
est vilibus, *condemnatis,* id est huic car-
ceri adjudicatis, *exsistentibus in tenebris ?
Forte obsecratio nostra prævaluit in con-
spectu Domini introire ? An Dominus ju-
ste eam avertit a se, et repulsa est et
confusa et humiliata,* id est vilificata ac
reprobata ? *Et si introiit, quantum obti-
nuit ?* etc. p. 139 circa finem.

*Denique talia inter se conquirebant di-
centes : O fratres, an forte obtinuimus
veniam ? An forte exauditionis participes
facti sumus ? Forte denuo suscipiet Deus,
forte aperiet ? Alii vero responderunt ad
ista : Quis novit, sicut dixerunt fratres* *Jonæ* III, 9.
*Ninivitæ, si quo modo convertatur Domi-
nus a suo furore, et redimat nos saltem
a suo supernimio cruciatu,* id est æter-
no supplicio ? *Nos nihilo minus faciamus
quod nostrum est : et si aperuerit nobis,
bene quidem ; sin autem, benedictus Do-
minus Deus juste utique nos excludens.
Verumtamen perseveremus usque ad fi-
nem vitæ nostræ pulsantes : forsan enim
ipse bonus aperiet multæ nostræ impor-
tunitati atque instantiæ.*

*Quocirca resuscitabant se ipsos, dicen-
do : Curramus, fratres, curramus. Cursus*

enim nobis necessarius est, cursusque nimis magnus, quoniam bonam societatem nostram reliquimus. Curramus, non parcentes carni nostræ bestiali ac sordidæ, sed occidamus eam sicut occidit nos, id est, quemadmodum traxit nos ad mortem culpæ, sic quoque et nos mortificemus eam assidue per castigationem pœnitentiæ sanctæ. *Quemadmodum et faciebant beati illi obnoxii.* Si hoc accipiatur et intelligatur quasi prolatum et additum ore auctoris, tunc sensus est, quod sicut pœnitentes isti ex culpa præterita obligati et adstricti ad carcerem, sed tamen « beati » in spe et merito per emendationem condignam, sicut (inquam) dixerunt se invicem exhortando, ita egerunt. Si autem verbum hoc accipiatur atque intelligatur quasi prolatum aut productum ore pœnitentium horum, sententia atque sensus est, quod admonebant se invicem exemplo prædecessorum suorum, qui ita satisfecerunt.

p. 140 in medio. *Vidi in illis genua arefacta ex multitudine atque assiduitate genuflexionum,* etc. *Migraturi namque a corpore et protinus præsentandi justissimo Dei tribunali, quod*
I Petr. I, 17. *est sine personarum acceptione, illi boni cives regionis pœnitentiæ,* utpote incarcerati præfati, *deprecabantur cum jurejurando abbatem per senem eis præpositum, ne unquam dignaretur eos humano sepulcro, sed instar brutorum projiceret eos in flumen, aut in campum ad bestias. Cui petitioni frequenter consensit discretionis lucerna,* videlicet abbas, *jubens eos omni honore ac psalmodia privatos extra cæmeterium sepeliri.*

Porro quam miserabile ac pavendum spectaculum erat, videre extremam horam ipsorum! Quando enim concarcerati sciebant et præsentiebant aliquem ex eis protinus moriturum, circumdabant [illegible] mente ejus adhuc bene valente, [illegible] et lugentes, et desiderantes, [illegible] miserabili ac tristi sermone [illegible] agonizantem, moventes capita sua [illegible] passione, et pietate ardentes dicebant ad eum : Quid est, o frater [illegible] cum damnate, id est huic carceri mancipate? *Quomodo et quid dicis?* etc. p. 141.

Ego vero, o pater Joannes, ista conspiciens apud illos, paulo minus desperavi me ipsum, videns indifferentiam (id est communitatem, superficialitatem seu incustodiam) *meam, et comparans eam ad differentiam,* id est singularem compunctionem, satisfactionem atque custodiam, *illorum malorum vere pœnitentium,* qui ante mali fuerunt seu rei.

Nempe qualis erat statio et habitatio loci, hoc est situs ac dispositio carceris? *Tota fœtens, tenebrosa, sordida et caliginosa : ita quod ipse adspectus loci fuit magister totius luctus et pœnitentiæ universæ. Rationabiliter namque et bene appellatus est carcer. Sed ea quæ aliis sunt gravia, contraria et insusceptibilia, sunt accessibilia atque faciliter susceptibilia his qui ceciderunt ex spiritualibus divitiis ac virtutibus,* id est, qui a pristina perfectione virtutum actuumque bonorum prolapsi sunt. *Anima namque privata priori fiducia, et lapsa a spe impassibilitatis,* hoc est expurgationis a passionibus, *frangensque et aperiens signaculum castitatis,* id est votum continentiæ sive propositum puritatis, *et passa deprædationem a divitiis charismatum,* hoc est spoliata priori abundantia divinorum charismatum, *et alienata a consolatione divina, quæ irritavit compositionem pactumque Domini,* id est, obligationem et fœdus suæ professionis cum Deo initæ violavit, [illegible] hoc est, sinceritatem divini fervoris, ex quo lacrimæ saluberrimæ profluunt, in se opprimens et offuscans per negligentiam suam et sensualem amorem seu per quodcumque aliud mortale peccatum [illegible] id est ex recordatione perfectionis fervoris et compunctionis suæ prioris rursus compungitur. [illegible]

valeat et se ipsam interimere secundum fidem per virtutum exercitia, hoc est, quomodo possit se ipsam vitaliter ac fideliter mortificare per exercitationes virtuosas ac disciplinares, quibus jugiter se ipsam castiget, omnes proprias voluntates et sensuales affectiones omnino conculcet; *si tamen in ea sunt scintillæ aut reliquiæ caritatis timorisve Dei,* id est, si modicum quid dispositionis ad pristinam opulentiam spiritualem perseverat in ea. Quemadmodum enim in noviter conversis, post contritionem et abrenuntiationem manent ad tempus reliquiæ vitiorum præteritorum, videlicet pronitas seu inclinatio ad peccandum, et debilitas resistendi; ita in his qui a perfectione et internis divitiis corruunt, manent ad tempus post lapsum reliquiæ præteritorum bonorum. Quæ reliquiæ sunt quædam habilitates et dispositiones ad bona præterita. *Quales erant vere isti beati,* hoc est prædicti incarcerati.

Habentes enim in mente quæ diximus, et recogitantes altitudinem virtutum a qua corruerunt, dicebant : Recordamur fervoris et sollicitudinis quos habuimus in diebus antiquis. Alii ad Deum clamabant : Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas ostendisti animæ nostræ in veritate tua? Memorare opprobrii atque angustiæ servorum tuorum. Et alius : Quis (inquit) me ponet juxta menses pristinos, in quibus custodiebat me Deus, quando splendebat lucerna luminis ejus super caput cordis mei, id est apicem intellectus? *Sicque recordabantur devotionum suarum primarum, et instar parvulorum lugentium hæc dicebant : Ubi orationis munditia? Ubi alacritas spei in Domino? Ubi dulce donum pro amaro lacrimarum?* Hoc est : Ubi jam est pristina consolatio, pax pectoris, sinceritas conscientiæ, pro quibus amissis afficimur modo acerbis his fletibus? *Ubi spes omnimodæ castitatis ac puritatis? Ubi exspectatio beatæ impassibilitatis,* id est plenæ reformationis a passionum excessibus? *Ubi confidentia ad abbatem? Ubi in nobis ipsis*

Ps. CXLII, 5. — Ps. LXXXVIII, 50, 51. — Job XXIX, 2, 3.

A *efficax operatio ejus orationis? Perierunt omnia ista, et defecerunt quemadmodum aliqua nusquam apparentia, et quasi non exsistentia exterminata sunt, et celeriter abierunt. Nempe aliqui ista dicentes ac clamantes, optabant dæmonem,* id est a diabolo possideri, quatenus sustinendo afflictionem ejus in vita hac, eruerentur a pœnis vitæ sequentis. *Aliqui vero orabant Deum incurrere magnam infirmitatem. Quidam optabant oculis monstruose erutis faciem perdere, spectaculumque miserabile fieri ac proponi.* B *Nonnulli rogabant effici paralytici et contracti, et solum non experiri afflictionem pœnarum eis venturam,* ut formidabant, nisi hic satisfacerent plene.

Ego vero, o dilecti, oblitus sum mei ipsius immorando in medio illorum degentium in pœnitentiæ regione, et totus pariter mente raptus, me ipsum continere nequivi ab admiratione, compunctione et lacrimis. *Sed redeundum est ad sermonem.*

Permanens ergo in carcere illo per dies C *triginta, redii ad cœnobium magnum impatiens* quod in carcere diutius permanere non potui, ac contra proprias culpas indignans ac mœstus. *Redii itaque ad abbatem, qui adspiciens me totum quasi alienatum atque stupentem, cognovit sapientissimus causam alienationis, et dixit mihi : Quid est, pater Joannes? Vidisti certamina fatigantium,* id est pœnitentialia exercitia Fratrum incarceratorum se ipsos lassantium per exercitia sua laboriosa, quantum ad corpora sua, qui etiam dæmones fati- D gabant, affligebant ac superabant sua humilitate, pœnitentia, caritate, exercitiisque prætactis? *Ego vero dixi : Vidi, Pater, et admiratus sum; beatioresque dixi illos lapsos et taliter pœnitentes, his qui lapsi non sunt neque lugent : quia per lapsum resurrexerunt resurrectione non periculosa.*

Qui ait : Ita se habet res. Et retulit mihi verax lingua ipsius, Quia ante decem annos habui hic Fratrem operatorem et omnino sollicitum. Quem quum talem

viderem et spiritu tam ferventem, tremebam ac formidabam invidiam diaboli contra eum; et inde timui ei ne forte ferventi cursu offenderet ad lapidem : quod evenire velociter currentibus sæpe contingit; sicut et contigit Fratri huic. Deinde redit ad me vespere jam profundo, et plagam seu culpam suam nudam mihi monstrat, quærit emplastrum, petit adustiones, id est duras correctiones, *vehementissime turbatur. Deinde videns* me *medicum* seu pastorem suum *eo dure uti non volentem, quoniam et compassione exstitit dignus, se ipsum prostravit in pavimentum, pedes meos amplectens et eos sufficienter lacrimis lavans, ac postulans condemnari ad carcerem quem vidisti. Impossibile (inquiens) est me illuc non ire. Et ita vim intulit, ut transferret viscerositatem medici in duritiem,* hoc est caritatem et pietatem mei (qui spiritualis ejus medicus fui) ad disciplinæ rigorem : *quod rarissimum est superclarissimumque infirmis. Accedit ergo celeriter pœnitentes, fit eis communicator in planctu atque comparticeps promptus ac condolens. Itaque habens cor plagatum per caritatem quasi tristitiæ gladio, octava die migravit ad Dominum, petens non sepeliri. Ego vero illum tanquam condignum huc attuli et cum Patribus sepelivi, eo quod post servilem hebdomadam,* id est post septem pœnitentiæ dies in quibus servivit Deo humillime, *octava die solutus est* a corpore et carcere pœnitentiæ, *et liber factus est* a reatu peccati.

Est autem quidam pro certo cognoscens, quod non ante surrexit a vilibus ac sordidis pedibus meis, quam Deum reconciliaret, id est, Deum sibi placaret per tantam suam contritionem et humiliationem. *Nec mirum. Nam cordis* [illegible] *illius fornicatricis,* id est beatissimæ Mariæ Magdalene, quæ ante suam conversionem fuerat fornicatrix ad minus spiritualiter, imo et corporaliter, ut sentire videtur Gregorius, dicens quod mulier illicitis actibus intenta, etc., *et ipse promeruit talem plenitudinem certificationis de venia,* quæ tamen certificatio facta est alteri de ipso: *promeruit, inquam, viles pedes meos lacrimis sic rigando. Porro Dominus dixit omnia possibilia esse credenti. Vidi immundas animas circa concupiscentias carnis insanientes et furiose,* id est cum impetuosa et libidinosa irrationabilitate, *effusas, quæ* animæ *ex insani et carnalis amoris experientia sumentes occasionem ad melius, transtulerunt sancte eumdem amorem ad Dominum,* id est, carnalem et turpem amorem mutaverunt virtuose in divinam dilectionem. Forsan enim sic cogitabant : Si tanto amore afficimur ad carnem mortalem, quanto magis Deum amaremus merito plus intense? *Et confestim supergredientes omnem timorem,* id est, carnalem et sæcularem timorem vincentes, a servili quoque timore ad altiorem caritatis gradum ascendentes, *insatiabiliter actæ,* hoc est inexplebili desiderio proficiendi motæ a Spiritu Sancto, *in Dei caritatem insertæ sunt,* hoc est, divino amore sunt informatæ et Deo ferventer unitæ, in bonam quoque olivam ex oleastro sunt insitæ. *Quocirca Christus non dixit de illa casta fornicatrice,* id est post fornicationem effecta casta, utpote sacratissima Magdalena, *quoniam timuit, sed quoniam dilexit multum; et potuit opportune amore amorem repulsare,* id est, Magdalena illa convenienter potuit a se abjicere amorem carnalem spirituali amore.

Ego, admirabiles Patres ac Fratres, *non ignoro quod certamina illorum beatorum* [illegible] *quibusdam incredibilia. Aliis vero videbuntur quasi desperationem inducentia; vir autem virilis,* utpote vere virtuosus ac discretus [illegible] *et sagittam ignis,* id est, illorum exemplis amplius accenditur [illegible] illis gratiam tantam, possit et sibi aliquid dare [illegible]

est, et deficit ab ea, id est, prætacta alacritate fervet et ei se subjicit, nec potest eamdem opere exsequi, aut ab ea refriguit, *hic cognovit propriam infirmitatem :* nam eam ex sua deficientia et insufficientia experietur; *et possidens humilitatem per accusationem propriæ culpæ,* ex qua accusatione humilitas oritur ac fovetur, *priore posterius currit,* hoc est, post hanc suæ infirmitatis recognitionem adjutus a Spiritu Sancto, « currit » cursu ac fervore « priore », utpote tam prompte ac fervide sicut ante in sua prima devotione. *Ignoro vero si non et pertingens apprehendit :* hoc est, si taliter currens non adipiscitur præmium Beatorum, tunc ignarus et imperitus sum.

Porro vir negligens non accedat nec audeat jam prædicta de incarceratorum illorum pœnitentia, *nequando desperans dispergat et dissipet id ipsum modicum quod operatur,* hoc est, ne parva opera bona ac pœnitentialia quæ peregit, a fructu et mercede evacuet atque postponat, desperando ex consideratione imperfectionis defectuositatisque suæ respectu fervoris et pœnitentiæ incarceratorum illorum; *et fiet super eum quod fatur eloquium,* hoc est, in eo complebitur verbum Christi in Evangelio asserentis : *Ab eo qui non habet, etiam et illud quod videtur habere, auferetur ab eo,* hoc est, qui promptitudinem perfectam non habet, imperfectam suam promptitudinem perdet.

Matth. XIII, 12; XXV, 29.

Lapsi in lacum iniquitatum, hoc est foveam vitiorum, *non solemus naturaliter inde trahi aut egredi, nisi fuerimus ingressi in abyssum humilitatis pœnitentium :* hoc est, non ante relinquimus vitia consueta, nisi adepti fuerimus profundam pœnitentium humilitatem, per quam accusemus et dijudicemus nos ipsos, et confiteamur tantos nostros excessus.

Sane alia est mœrens humilitas lugentium, et alia est condemnatio conscientiæ adhuc peccantium : hoc est, humilitas deplorantium sua peccata atque vitantium ea, multum quidem differt a condemna-

A tione qua conscientia permanentium in suis peccatis eos condemnat seu reprobat. Quæ « condemnatio » seu accusatio propriæ pravitatis vocatur quædam humilitas, seu humiliatio sui ipsius : non quod sit vera virtus aut actus virtutis, quum tales sint in peccato mortali; sed est dispositio ad virtutem, et similitudinem habet cum ea. « Humilitas » autem « lugentium » dicitur « mœrens », quoniam ad salubrem movet tristitiam. *Alia quoque est ditans humilitas, perfectis adveniens*
B *per operationem Dei.* Hæc enim humilitas perfectorum est altior illis duabus. Quæ dicitur « ditans », quia meretur abundantiam divinorum charismatum; advenitque « perfectis per operationem Dei », quia confertur eis per infusionem a Spiritu Sancto, tanquam præcipuum munus ipsius. *Non festinemus hanc tertiam verbis invenire :* hoc est, non æstimemus et properemus ad hoc quod istam perfectorum humilitatem adipisci possimus per sola verba, utpote pulchre loquendo de ea, sic-
C ut nonnulli blandiuntur sibi de humilitate, quum fuerint copiose locuti de ea. *Taliter enim curremus in vanum,* hoc est, hoc putando frustra conamur. *Nam signum secundæ humilitatis, est perfecta patientia improperii et ignominiæ.* Secunda quippe humilitas, est accusatio et condemnatio qua iniqui in vitiis permanentes dijudicant semetipsos; et signum quod ex corde hoc faciant, est si æquanimiter ferant injurias et tribulationes sibi inflictas, recognoscendo se dignos eisdem propter sua
D peccata. Vel potius secunda humilitas, est humilitas ex contritione lugentium.

Tyrannizat et super lugentem sæpius præsumptio : hoc est, ipsi qui salubriter lugent, frequenter tentantur de præsumptione, et ipsa præsumptio tanquam tyrannus eos importune molestat. Suggerit namque eis diabolus ut de meritis et viribus suis præsumant, magna sentiendo de se, eo quod habeant gratiam lacrimarum, quæ solet esse indicium specialis devotionis. *Et non est mirum* quod ita tentantur,

quoniam occasionem habent ad hoc ex speciali hoc munere Dei.

De judiciis et lapsibus sermo tenebrosus est, hoc est, tractare et loqui de occultis Dei judiciis circa homines, et de variis hominum lapsibus seu ruinis, est valde difficile et obscurum, *et omni animæ incomprehensibilis,* hoc est, nulla anima viatrix potest perfecte comprehendere talem sermonem. *Qui quidem sunt per negligentiam,* hoc est, qui lapsus seu culpæ contingunt homini ex negligentia sua, qua omittit implere quod in Proverbiis scri-
Prov. IV, 23. ptum est, Omni custodia custodi cor tu-
Eccli. VII, 40. um; et illud, Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Qui vero ex permissione dispensativa,* id est, qui lapsus accidunt homini, Deo id permittente, moderamine pio, ex ratione occulta : sic
Matth. XXVI, 69-75. enim lapsus est princeps Apostolorum ter Christum negando. *Qui vero lapsus sunt nobis evenientes per animadversionem Dei,* hoc est justo Omnipotentis judicio rigoroso, qui propter præcedentis peccati demeritum per pœnitentiam non deletum, permittit ex divina justitia cadere hominem in aliam culpam etiam quandoque graviorem : sic enim idem peccatum, est peccatum et pœna peccati.

Quidam autem mihi narravit quod dicam : quoniam celerem conversionem possidemus a lapsibus contingentibus nobis secundum dispositionem *, hoc est, velocius pœnitemus de culpis quas incidimus ex dispensatione divina, seu permissione dispensativa. In tali enim casu Deus pronior est ad præveniendum gratiose eum qui corruit : siquidem propter majus bonum permisit cadere illum. *Non enim permittit nos Deus supra multum detineri,* id est, quamvis Deus occulta dispensatione permittat interdum electos suos in aliquas ruere culpas, non tamen permittit eos nimis multum detineri in eis : quemad-
II Reg. XI, XII. Act. IX. modum patet in David et Paulo apostolo, multisque aliis. Interdum tamen permit-
Luc. XXIII, 39-43. tit quosdam electos usque ad diem mortis detineri in vitiis : ut patet in latrone, et in his qui pœnitent circa finem.

* dispensationem

Qui cecidimus, contra dæmonem tristitiæ præ omnibus pugnemus, hoc est, quando peccavimus, specialiter resistamus diabolo, qui conatur ad mortiferam tristitiam, pusillanimitatem aut desperationem pertrahere. *Ipse enim tempore orationis adsistens, et priorem confidentiam rememorans,* id est, diabolus adstans nobis quando oramus, et ad memoriam nostram reducens qualem et quantam habebamus in Deo fiduciam ante lapsum, *vult nos evacuare ante orationem,* hoc est, nititur nobis persuadere ut ab oratione cessemus, et spem exauditionis abjiciamus a cordibus nostris propter excessus nostros, quasi exaudiri non valeamus.

Ne stupeas quotidie peccans, hoc est, de hoc quod quotidie peccas non ita mireris ut cesses resurgere et actibus bonis insistere, quia humanum est peccare. Ideo subditur : *neque resilias* a bono inchoato et a prælio contra peccata, *sed sta viriliter, et angelus custodiens te reverebitur omnino sufferentiam tuam,* hoc est, merito patientiæ tuæ te honorabit, et tibi reverenter succurret.

Quamdiu plaga est recens et calida, medicabilis est bene atque facillime : hoc est, sicut corporale vulnus curatur facilius statim quum fuerit inflictum, ita et culpa nondum inveterata velocius potest curari. *Nam et plagæ neglectæ et temporaneæ neque curatæ,* hoc est, quæ diu absque remedio medicinali dimissæ sunt, *graviter sanabiles et medicabiles sunt, et ad medicinæ opera* [illegible] *labore, et ferro, et rasorio, et igne.* Ita et vitia inveterata difficulter sanantur, imo ad eorum medelam opus est certe haud exiguo (labore), et ferro (id est dura castigatione), et rasorio (hoc est acuta correptione), et igne (correptionis [illegible]). Hinc subditur : [illegible], hoc est plagæ seu culpæ diu continuatæ aut sine contritione et confessione dimissæ, *insanabiles sunt,* hoc est difficulter sanabiles, sicut et vulnera pu-

Matth. XIX, 26. trefacta laboriose curantur. *Apud Deum vero sunt omnia possibilia.* Deus quippe est omnipotens medicus animarum : idcirco de nullo est desperandum.

Ante ruinam et lapsum, dæmones dicunt Deum esse benignum; post lapsum vero, dicunt esse durum : hoc est, antequam peccamus, dæmones loquuntur nobis interius, quod Deus sit pius et pronus ad indulgendum, ut per hoc ingerant nobis audaciam ad peccandum in spe; quumque fuerimus lapsi, suggerunt nobis quam justus et rigorosus sit Deus, quatenus ad desperationem alliciant nos.

Non obedias dicenti post lapsum super parvis defectibus et offensionibus, quia hoc aut illud non fecisti, id est, non acquiescas tentatori persuadenti tibi jam lapso ut excuses te de peccatis tuis « parvis » et quotidianis, dicendo : Non feci hoc aut illud. *Istud vero nihil est,* hoc est, excusatio talis nil valet; *multoties namque parva dona fecerunt cessare furorem judicis multum :* idcirco expediens est ut peccata talia humiliter fateamur, quatenus per hoc misericordiam consequamur. Vel sic : « Istud vero nihil est », hoc est, non acquiescas diabolo tibi suggerenti quod bona quæ agis non sint alicujus momenti ac meriti, propter quod debeant omnino postponi; sæpe enim « parva dona », etc. : sic quoque modica opera bona frequenter mitigant iram Dei, præsertim si ex magna caritate, devotione et humilitate procedant.

Qui in veritate vindictas et pœnas exsolvit, id est, justas correctiones et disciplinas sponte sustinet pro suis peccatis, *reputat se quasi perdidisse omnem diem in qua non luget pro suis culpis, etiam si faciat aliqua alia bona in ea die :* nam principale suum intentum, est culpas suas deplangere.

Nemo lamentantium se propter lapsus suos atque offensas, *recipiet plenam certificationem repromissionis in exitu,* utpote tempore mortis. In talibus namque remorsus conscientiæ urget, eo quod nondum satisfecerint plene : ideo cum formidine divini judicii moriuntur.

Ubi Spiritus Domini, ibi vinculum est solutum. Hoc videtur ita sonare quasi Spiritus Domini non esset in lugentibus suos lapsus, quum tamen sit scriptum : Beati qui lugent. Est itaque sensus : « Ubi Spiritus Domini », id est spiritualis alacritas a Spiritu Sancto infusa, aut testimonium Spiritus Sancti internum de remissione peccati, « ibi vinculum est solutum », culpa dimissa. *Ubi humilitas inæstimabilis et invincibilis,* id est pretiosissima atque fortissima, qualis est humilitas perfectorum, *ibi vinculum est solutum similiter. Qui enim sine his duobus,* videlicet spirituali alacritate et inæstimabili humilitate, *sunt et decedunt, non seducantur, quia ligati sunt,* id est, non putent se penitus liberos et immunes, quoniam etsi dimissa sunt eorum peccata quantum ad culpam, non tamen totaliter quantum ad pœnam. II Cor. III, 17. Matth. V, 5.

Qui in mundo vivunt, alieni sunt a certificationibus his, quæ dantur his in quibus est Spiritus Domini, et perfecte humilibus, *et maxime* alieni sunt *a prima* certificatione, quæ est ubi est Spiritus Domini. Istud communiter ita est. Verumtamen quidam in mundo degentes sunt perfecti et sancti ex gratia speciali, quibus certificationes istæ donantur. Porro certificatio absolute certa et plena de remissione peccati non habetur sine revelatione divina, quia ad illam certificationem consequitur inevitabiliter caritas, quam nemo scit cum absoluta certitudine se habere, absque revelatione. Certificatio autem probabilis potest haberi ex bono testimonio conscientiæ bene discussæ. *Quidam tamen per misericordias et eleemosynas currunt,* hoc est, ad cœleste regnum pertingere properant per corporalia atque [spiritualia] misericordiæ opera, *cognoscentes lucrum* (id est præmium) *suum in exitu :* quia in hora mortis suscipiunt quod promeruerunt, et pro parvis ac temporalibus sortiuntur æterna ac maxima bona. Eccle. IX, 1.

Lamentans ac lugens se ipsum, non

agnoscet luctum ac lamentum, aut lapsum, aut querelam alterius : id est, qui propria mala digne et efficaciter deflet, tantum habet agere cum se ipso, et ita occupatur in propria causa, quod non advertit nec observat, neque inquirit nec superflue pensat culpam aut pœnitentiam aliorum.

Canis patiens morsum a fera, ampliori furore agitur contra eam, dolore plagæ sibi illatæ *furens incomparabiliter contra ipsam.* Ex hoc patet elici duplex doctrina. Prima est, ut et nos tanto vehementius accendamur contra diabolum zelo justitiæ, quanto gravius impugnamur aut læsi sumus ab eo. Secunda est, ut non instar canum irascamur injuriantibus aut affligentibus seu corripientibus nos : et huic sensui magis concordat quod sequitur. *Attendamus ne stimulus et remorsus conscientiæ nostræ cessaverit unquam in nobis non ex munditia,* id est puritate et innocentia vitæ nostræ, *sed ex malitia,* hoc est vitiosa consuetudine et obstinatione, quæ mentem ita excæcant, quod sua vitia non attendit, nec de eis habet remorsum. *Signum illius solutionis quæ est in lapsu,* hoc est judicium satisfactionis pro culpa, *est te ipsum semper debitorem,* id est peccatorem, *existimare :* hoc enim est signum quod humilis sis, et Deo complaceas, et per consequens quod tibi ignovit.

Nihil est majus vel æquale propitiationibus Dei, de quibus canit Psalmista :
Ps. LXXXVIII, 2. Misericordias Domini in æternum cantabo. *Qua ex re, qui desperat, occidit se ipsum.* Desperatio namque est mors animæ, et peccatum gravissimum et divinæ pietati prorsus contrarium. Effectus quoque divinæ pietatis excedunt cetera opera Creatoris, secundum illud quod Psalmista ait :
Ps. CXLIV, 9. Miserationes ejus super omnia opera ejus. *Signum sollicitæ mentis et studiosæ pœnitentiæ, est nos ipsos reputare dignos universis tribulationibus et adversitatibus nobis advenientibus, visibilibus et invisibilibus,* utpote exterioribus et interioribus, *et adhuc amplioribus.*

Postquam Moyses vidit Deum in rubo, [illegible] 2 et seq.
hoc est angelum in persona Dei loquentem de medio ignis rubum operientis, *reversus est iterum in Ægyptum (quæ quidem intelligitur seu interpretatur quasi tenebratio) ad operationem laterum quasi intelligibilis Pharaonis,* hoc est ad filios Israel, qui servierant Pharaoni in operibus duris luti ac lateris : quod Pharao rex Ægypti eis præcepit instigante intelligibili Pharaone, puta diabolo, qui designatur per Pharaonem præfatum, sicut et mundus in maligno positus, per Ægyptum. Moyses quoque post visionem Dei prætactam, rediit ad aliquas culpas saltem veniales in Ægypto, quasi ad opera intelligibilis Pharaonis, cujus opera designantur per opera laterum quæ rex Ægypti imposuit Israeli. *Sed rursus regressus est Moyses ad rubum,* qui fuit juxta montem Sinai; *nec solum ad rubum, sed et in montem,* hoc est, post opera illa Ægypti rediit et pervenit ad altiorem Dei contemplationem in monte Sinai, quam ante in rubo. *Qui scit hoc contemplativum verbum,* hoc est, qui eloquium istud spirituale ac mysticum quod narravi de Moyse, sapienter intelligit, *nunquam desperabit.* Ex illo namque verbo datur intelligi, quod homo contemplativus ac sanctus interdum cadit post sublimes actus virtutum et post contemplationes præclaras, nec tamen mox penitus perit, sed surgens recuperat quod amisit, et altius crescit quam ante.

Ibid. iv, 18 et seq. — Ibid. i, 14. — I Joann. v, 19. — Exod. xix.

[illegible] dupliciter ditescit. Reddidit enim ei Dominus cuncta duplicia. Per quod figuratum est, quod vir virtuosus iterum peccando, perdit suam opulentiam spiritualem, sed pœnitendo, fit cautior perfectiorque quam prius.

[illegible] hoc est, peccata post primam vocationem, conversationem seu professionem contingentia, gravius nocent pusillanimibus ac negligentibus, quia ad desperationem et vitiosum mœrorem sunt proni [illegible]

res, nec alacriter ac ferventer resurgunt ut ceteri quidam qui bonæ sunt spei. *Spem impassibilitatis alapis percutientes,* hoc est, lapsus tales percutiunt, hoc est, ipsos pusillanimes ac negligentes inducunt ad percutiendum « alapis », hoc est ad colaphizandum ac dissipandum, « spem impassibilitatis », hoc est fiduciam quam ante lapsum habuerunt de perveniendo ad plenam reformationem passionum suarum. Quum etenim fuerint lapsi, pusillanimitate et negligentia propria fracti, suggerente adversario nostro diabolo, cessant a bonis exercitiis inchoatis. *Et beatum persuadentes arbitrari, saltem totaliter resurgere de fossa,* id est, lapsus isti crudeles sunt, etiam « persuadentes » negligentibus et pusillo animo exsistentibus, ut arbitrentur « beatum » esse et eis ad salutem sufficere, si « saltem » per pœnitentiam a profundo suæ ruinæ resurgant, et cessent ab hujusmodi casu, nec oportere aggredi opera perfectionis alta ac ardua. Ecce quam periculosa est pusillanimitas ista.

Vide, vide quia non revertimur ea via qua erravimus et seducti sumus. Oportet enim per aliam viam reverti ad patriam illam cœlestem, et contraria curare contrariis, utpote vitia per virtutes : via namque salutis contraria est viæ perditionis. *Sed per aliam viam breviorem,* id est, per
Matth. VII, 14. arctam viam et angustam portam, quæ est via compendiosa, oportet nos ad Deum redire, videlicet per vitam pœnitentialem et salubrem afflictionem. Brevior quoque via est humilitas vera, seu obedientia sancta, vel cordis custodia : quæ omnia includuntur in vita pœnitentiali.

Vidi duos gradientes uno modo, id est in eadem observantia regulari, *et victu consimili, et contemporanee,* hoc est eodem tempore. *Et unus senior erat, præhabens in doloribus,* id est, plura passus ac sustinens graviores labores; *alter vero* fuit *discipulus* senioris illius, *et præcucurrit citius sene, et intravit prior in monumentum humilitatis,* id est, cum minori afflictione et labore magis profecit et citius introivit in abyssum humilitatis quam senior, quoniam ea quæ fecit, cum majori cordis fervore et diligentia ac puritate ampliori peregit. « Monumentum » autem « humilitatis », est ipsa profunda humiliatio qua optamus nesciri, abscondi, atque in cordibus aliorum, tanquam non exsistentes, pro nihilo reputari. Itaque non confidamus in temporis diuturnitate aut laborum afflictione, quasi in illis virtus meritorum consistat, sed totis viribus studeamus puritati internæ, diligentiæ incessanti, caritatis profectui ac fervori, et humilitatis sepulcrum intremus.

Attendamus universi, peramplius vero nos qui fuimus habentes et cadentes, id est, qui aliquid gratiæ ac virtutum habuimus, atque hoc ipsum peccando amisimus, *in corde infirmitatem impii Origenis sine Deo,* hoc est, attendamus ut infirma ac falsa doctrina erronei « Origenis », qui exstitit « sine Deo », infirmetur ac reprobetur a nobis. Et istud auctor intelligit de errore Origenis quo dixit pœnas inferni tandem finiri : qui error, imo quæ perfidia, præstat hominibus pravis peccandi audaciam, sicut subjungitur. *Inquinata enim mens allegans Dei benignitatem,* id est, credens et asserens Deum esse tam pium ut tandem remittat inferni supplicia, *fit leviter receptibilis amoris concupiscibilium et delectabilium,* id est, cito et faciliter admittit et recipit in se carnalem amorem ad sensibilia et voluptuosa objecta. Ecce qualiter sanctus vir iste accensus fidei zelo loquitur contra Origenem : de quo et simili modo loquebatur sanctus et magnus pater Pacomius.

In meditatione mea, magis vero in pœnitentia mea, videlicet in contritione, confessione et satisfactione, quæ sunt tres pœnitentiæ partes, *exardescet ignis,* id est fervor, *orationis omnem silvam adurentis,* hoc est, infructuosorum operum vitia tanquam ligna sterilia consumentis. Ps. XXXVIII, 4.

Præmemorati sancti condemnati, id est prædicti incarcerati perfectissime pœnitentes, *sint tibi determinatio, typus, ex-*

emplar et figura ad pœnitentiam peragendam, quatenus corde, ore, commissione et omissione sequaris eos in pœnitendo; *et nequaquam indigebis totaliter libro in tota vita tua,* ut ex libro formam pœnitendi addiscas (validiora etenim sunt exempla quam verba), *quousque illucescat tibi desursum Christus Jesus, Filius Dei, verus Deus, in resurrectione pœnitentiæ sollicitæ, studiosæ,* hoc est, quousque Christus tibi appareat per illuminationem animæ tuæ ab ipso, dum spiritualiter surgis per pœnitentiam sollicitam et studiosam, id est operosam ac diligentem.

GRADUS VI

DE MORTIS MEMORIA.

OMNE verbum præcedit intentio. Memoria vero mortis et offensionum præcedit planctum et luctum : quapropter secundum proprium ordinem in sermone ponuntur.

Memoria mortis est quotidiana mors ; memoria vero exitus est singulis et continuis horis suspirium. — Pavor mortis est proprietas naturæ, adveniens ex prævaricatione inobedientis ; tremor vero mortis est argumentum pœnitentiæ non actæ de offensionibus. Pavet Christus mortem, non tremit, ut duarum naturarum proprietates manifeste declararet.

Quemadmodum panis est necessarius magis omnibus alimentis, ita intenta meditatio mortis et Dei præ omnibus operationibus. — Memoria mortis, his qui sunt mecum gignit labores, dolores et exercitationes, magis vero delectationem beatæ ignominiæ. Apud eos vero qui sunt solitarii parit depositionem turbationis et tumultus curarum, indesinentem orationem, et mentis custodiam. Istæ vero ejusdem memoriæ mortis et matres et filiæ exstiterunt.

Sicut manifestum est stannum ab argento, quamvis in adspectu similitudinem habeant ; ita apud sapientes manifestus et clare distinctus est pavor naturalis ultimi exitus, et timor ejusdem qui est præter naturam. Istud est enim verum argumentum memorantium Dei et mortis in sensu cordis : spontanea impassibilitas affectionis ad omnem creaturam, et perfecta derelictio propriæ voluntatis. — Probatus quidem est, qui mortem exspectat sibi quotidie ; sanctus vero est, qui ex humilitate desiderat hanc singulis horis. — Non omnis concupiscentia mortis est bona. Sunt enim aliqui qui indesinenter offendunt in habitus naturæ, et mortem optant cum humilitate. Et rursus sunt aliqui pœnitere nolentes, et ex desperatione advocant mortem. Et adhuc sunt aliqui qui habent ex elatione se ipsos impassibiles, et hanc tunc usque non formidant. Et sunt, si tamen et nunc forte sunt, qui per operationem Spiritus Sancti suam ipsorum peregrinationem exquirunt.

Quidam colentium Deum, quærunt et dubitant cur Deus abscondit a nobis præ-

cognitionem horæ mortis, quum tamen mortis memoria agat et præstet nobis tam multa et magna bona : non cognoscentes quod Deus per hoc mirabiliter operetur nostram salutem. Nemo enim mortem suam præcognoscens, cucurrisset diu ante eam ad Baptismum aut ad conversationem monasticam; sed cunctis diebus suis permanens in iniquitatibus, pervenisset ad Baptismum ac pœnitentiam in hora exitus sui, sicque qualificatus et assuefactus malitia, maneret de reliquo usque in finem perfecte indirectus.

Lugens, nunquam suscipias canem illum suggerentem tibi Deum esse benignum ; sed tunc memento benignitatis illius, quum videris te esse detractum in desperationem profundam, aut de desperatione tentari. Intentio enim præfati suggestoris est ut per talem suggestionem repellat a te luctum, et Dei sine timore timorem. — Qui vult conservare in se ipso memoriam mortis judiciique æterni, et Domini nostri Jesu Christi, et tradit se curis et occupationibus materialibus, similis est natanti ac volenti plaudere manibus suis.

Efficax memoria mortis rescindit cibos ; escis vero et cibis superfluis rescissis in humilitate, rescinduntur simul et vitia. Privatio doloris cordis excæcavit mentem ; multitudo vero ciborum exsiccavit fontes. Sitis et vigilia cor affligunt ; corde vero tribulato, emanaverunt aquæ. Ista autem quæ dicta sunt, sunt dura gulosis, et negligentibus incredibilia ; vir autem activus prompte probabit. Qui experientiam adinvenit, subridebit super istis ; inquirens vero tristior erit. — Sicut Patres determinant perfectam caritatem nunquam excidere, ita et ego affirmo et declaro perfectum mortis sensum sine timore esse.

Multæ sunt operationes mentis activæ. Dico autem has esse : intentionem caritatis ad Deum ; memoriam Christi, memoriam regni cœlestis, memoriam zeli et patientiæ sanctorum martyrum, memoriam quoque ipsius Dei præsentis (secundum
Ps. XV, 8. eum qui dixit. Providebam Dominum in conspectu meo semper), memoriam sanctarum intellectualium virtutum ; memoriam exitus, obviationis sententiæ, et cruciatus. — A magnis initiavimus ; in non valentibus cadere finivimus.

Narravit mihi aliquando quidam Ægyptius monachus, Quia post infixionem mortis quæ est in corde secundum sensum, ego volens aliquando consolari ad modicum carnem, superveniente necessitate, prohibitus fui a memoria mortis, quasi a judice sententiante ; et quod magis mirabile est, quia volens eamdem repellere, nequivi. — Alter vero quidam hic habitans, in loco qui dicitur Tholas, sæpe patiebatur mentis excessum ex meditatione mortis intenta, et quasi deficiens mente defectivusque factus, fere absque flatu reportabatur a Fratribus qui eum inveniebant.

Non tacebo tibi historiam solitarii Chorebitici, seu habitantis in Choreb, qui nullam pene curam gerens animæ suæ, in omni negligentia diu degebat. Tandem ergo extreme infirmatus corpore, migravit perfecte a corpore quasi spatio horæ unius ; rediensque ad se, rogavit nos omnes confestim discedere. Obstruens itaque januam cellæ suæ, mansit intus duodecim annis, cum nullo penitus colloquium habens, nec parvum nec magnum, nil quoque gustans nisi panem et aquam. Sicque tantummodo

sedit stupens ex his quæ vidit in ecstasi, ad quæ mœrens sic intendebat, quod nunquam deinceps mutavit proprium morem. Attentus vero intendens et se excedens, fundebat calidas lacrimas sine strepitu semper. Cumque migraturus esset ad Dominum, destruentes portam cellæ, intravimus ; et multum deprecantes ut aliquid diceret nobis, hoc solum ab eo audivimus : Indulgete mihi, nemo habens et noscens mortis memoriam, poterit peccare aliquando. Nos vero stupebamus, videntes hominem prius tam negligentem, repente sic mutatum et transformatum mutatione et transformatione beata. Sepelientes igitur eum sancte in propinquo monasterio castri, et post diem quærentes sanctas ejus reliquias, non invenimus eas : Deo per hoc certificante de pœnitentia ejus sollicite studiosa ac laude digna, universos volentes dirigere semetipsos etiam post negligentiam multam.

Quemadmodum aliqui dicunt abyssum esse infinitam (vocant etenim eam locum absque fundo), ita intenta meditatio mortis possidet castitatem et operationem inexstinguibilem : quod præfatus sanctus solitarius suo confirmat exemplo. Taliter autem de morte meditantes assumunt incessanter timorem super timorem, nec cessant quousque virtus ossium consumatur in eis. Sciamus pro certo et hoc esse donum Dei, cum omnibus bonis suis. Alioqui, quomodo manemus sæpe duri et sine lacrimis etiam accedendo sepulcra, et præter eorum adspectum plerumque compungimur?

Qui mortificatus est ab universis, iste habuit mortis memoriam ; qui vero habet adhuc affectionem et amorem ad aliquid, non vacabit sibi, prodens se sua voluntate insidiose. — Noli omnes certificare per verba de caritate tua ad ipsos, sed pete a Deo ut eam manifestet aliis ineffabiliter et secrete : alioqui tempus non sufficiet ad affectionis detectionem, et compunctionem.

Ne seducaris, operator insipiens, restaurans tempore tempus, et denuo readimplens : nulla enim dies hominibus sufficit ut possint in ea suum debitum solvere Domino sine diminutione et defectu. — Quidam ait : Non potest quis præsentem diem pie transire et exsequi, nisi existimet eam esse ultimam et extremam diem totius vitæ suæ. Et mirum certe quomodo et Græci aliquid tale effati sunt, quoniam et philosophiam dicunt esse meditationem mortis.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO HUJUS GRADUS SEXTI.

OMNE *verbum præcedit intentio*, id est, « verbum » vocale « præcedit » tempore vel ordine naturæ conceptus interior, vel propositum aliquid insinuandi : nam ea quæ sunt in voce, sunt notæ seu A signa conceptionum affectionumque animæ. [illegible] id est culparum, [illegible], non quemlibet, sed illum luctum ac planctum qui procedit ex recordatione

mortis aut culpæ. Sunt autem et aliæ fletuum causæ, ut infra dicetur. *Quapropter secundum proprium ordinem in sermone ponuntur :* hoc est, de memoria mortis et luctu in isto tractatu convenienti ordine tractatur, videlicet, primo de memoria mortis in præsenti capitulo, deinde de luctu in sequenti.

Memoria mortis est quotidiana mors, id est mortificatio sui ipsius salubris. *Memoria vero exitus,* id est separationis animæ a corpore, *est singulis et continuis horis suspirium,* id est omni hora atque assidue seu omni tempore opportuno suspirare ac gemere ex compunctione interna et dolore propriæ culpæ, aut timore divini judicii, seu desiderio regni, vel propter acerbitatem et tentationes atque pericula quæ occurrunt in morte. Interea, quamvis mors et exitus sæpe pro eodem sumantur, tamen hoc loco ex modo loquendi auctoris videntur aliquo modo distingui, ita ut mors sumatur pro ipsa infirmitate mortifera separationem animæ a corpore inducente, exitus vero pro separatione hac ipsa.

Pavor mortis est proprietas naturæ, adveniens ex prævaricatione inobedientis, hoc est, pavor mortis est passio naturalis consecuta ex transgressione seu inobedientia primi parentis : ex qua transgressione seu originali Adæ peccato, consecuta
Rom. v, 12; vi, 23. est et mors, quæ est pœna peccati illius. *Tremor vero mortis est argumentum pœnitentiæ non actæ de offensionibus,* hoc est, immoderata mortis formido, quæ interdum concutit corpus, est signum quod talis non egit pœnitentiam de suis peccatis condignam. Ideo abbas Mutius dixit discipulo suo, quem vidit in agone valde mortem timere : Unde tantus timor mortis in te, nisi quia accusatrix conscientia pergit tecum ?

Pavet Christus mortem, non tremit, ut duarum naturarum proprietates manifeste declararet : id est, Christus mortem naturaliter formidavit, non inordinate aut immoderate eamdem exhorruit, quatenus

A per pavorem mortis demonstraret in se veritatem naturæ humanæ, et per hoc quod illum pavorem tam potestative assumpsit atque abjecit, monstraret in se divinitatis potentiam. Voluntarie quippe et ex prævia ratione, non ex infirmitate naturæ, assumpsit illum pavorem, moxque quum voluit, eumdem deposuit. Propter quod pavor ille fuit in Christo propassio magis quam passio, secundum Hieronymum.

Quemadmodum panis est necessarius
B *magis omnibus alimentis,* id est, præ ceteris cibis magis necessarius est panis ad sustentationem vitæ; *ita intenta meditatio mortis et Dei* necessaria est ad abstinendum a vitiis et ad spiritualem profectum, *præ omnibus operationibus,* id est præ ceteris actibus hominis. Meditatio etenim mortis ac divinæ præsentiæ facit vitare omne peccatum, et provocat ad omnia bona agenda. Posset autem et sic exponi : « ita intenta meditatio mortis » necessaria est « præ omnibus operationibus Dei », id
C est præ ceteris bonis operibus quæ Deus operatur in nobis, juxta illud Isaiæ : Quia *Is.* xxvi, 12. opera nostra operatus es nobis.

Memoria mortis, his qui sunt mecum, id est viventibus in congregatione, *gignit labores, dolores et exercitationes, magis vero delectationem beatæ ignominiæ :* hoc est, inducit et incitat eos ad hoc ut labores et dolores pœnitentiales libenter sustineant, imo et sponte assumant (ad corporales quoque labores eis injunctos atque ad fatigationes et salubres dolores efficit eos
D pronos), et item ad hoc ut se invicem pia intentione exerceant, et in ignominiis ac injuriis seu tribulationibus delectentur, quatenus in hora mortis refrigerium sortiantur. *Apud eos vero qui sunt solitarii,* id est in anachoretis ac solitariis, memoria mortis *parit depositionem turbationis et tumultus curarum, indesinentem orationem, et mentis custodiam.* Provocat namque eos ad hoc ut removeant a se motus turbationum, iram, impatientiam, inquietudinem, orationibus quoque insistant as-

sidue, et mentem suam ab omni præservent peccato. *Istæ vero ejusdem memoriæ mortis et matres et filiæ exstiterunt,* id est, hæc tria, videlicet depositio turbationum atque tumultuum, indesinensque oratio et mentis custodia, sunt « matres » seu origines « memoriæ mortis », quia disponunt ad ipsam, et sunt « filiæ » ejus, in quantum procedunt ex ea. Nempe per hoc quod homo quiescit mente a motibus passionum, fit aptus ad meditandum de morte ; indesinenter quoque orando, habet frequenter mortem præ oculis, imo et promeretur gratiam meditandi intente de morte ; similiter custodia cordis parit meditationem mortis perutilem. Rursus, qui mortem suam assidue et intente habet præ oculis, faciliter spernit, vincit et abjicit passiones, turbationes inquietudinesque præfatas ; et semper orando ac mentem custodiendo, præparat se ad mortem. Sed prædictis objici possit, quia si eadem sunt matres ac filiæ memoriæ mortis, unum et idem erit prius posteriusque se ipso. Et respondendum, quod loquitur de eisdem specie, non numero.

Sicut manifestum (id est manifeste distinctum) *est stannum ab argento, quamvis in adspectu similitudinem habeant ; ita apud sapientes manifestus et clare distinctus est pavor naturalis ultimi exitus, et timor ejusdem qui est præter naturam,* utpote immoderatus, ex remorsu conscientiæ veniens. *Istud est enim verum argumentum memorantium Dei et mortis in sensu cordis,* id est cum gustu interno et perceptibili quodam sapore et cogitatione profunda : *spontanea impassibilitas affectionis ad omnem creaturam,* hoc est voluntaria expurgatio ab omni inordinata et passionata affectione circa quodcumque creatum, *et perfecta derelictio propriæ voluntatis :* istud, inquam, est indicium quod quis recordetur Dei ac mortis « in sensu cordis », non superficialiter tantum ; et qui ex tali meditatione divini judicii imminentisque exitus pavet mortem, moderate metuit eam.

A *Probatus quidem est,* id est bonus ac approbatus, *qui mortem exspectat sibi quotidie,* ita quod habet se quasi moriturus quotidie, omnem diem suum cogitans quasi diem suæ vitæ extremum. *Sanctus vero est, qui ex humilitate desiderat hanc singulis horis,* non præsumendo de propriis meritis, sed de misericordia Creatoris. Talis enim perfectus est, non habens conscientiæ remorsum de aliquo vitio expiando.

Non omnis concupiscentia mortis est B *bona. Sunt enim aliqui qui indesinenter offendunt in habitus naturæ,* id est in naturales qualitates ac dispositiones, hoc est, qui assidue infirmantur vel adversis gravantur, sicque impingunt adversus habitudinem naturæ bene dispositæ ; *et mortem optant cum humilitate,* id est, humiliter cupiunt eripi a præsentis vitæ miseriis, dummodo placeat Deo. Sic enim Moyses, Elias et Tobias gravati adversis et afflictionibus mortem petisse leguntur. *Et rursus sunt aliqui pœnitere nolentes, et ex* C *desperatione advocant mortem,* eam optando aut sibimet inferendo. Quales fuerunt Achitophel et proditor Christi. Si autem hujusmodi homines veraciter pœniterent, tristitiam suam moderarentur spe veniæ, et pro suis excessibus æquanimiter ferrent adversa, nec ex desperatione mortem sibi inferrent aut cuperent. Aliqui quoque optant et inferunt sibi mortem ex tristitia, impatientia, et tædio pessimæ vitæ præsentis. *Et adhuc sunt aliqui qui habent,* id est reputant, [illegible] D *impassibiles,* hoc est plenarie reformatos, *et hanc tunc usque non formidant,* id est, mortem non verentur quamdiu se ipsos tales exsistere arbitrantur. Isti sunt male audaces, sibi inaniter complacentes. *Et* [illegible], *qui* [illegible] Spiritus Sancti [illegible], id est, qui ex occulto instinctu Spiritus Sancti cupiunt a corpore emigrare, juxta illud Apostoli : Audemus et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et

Num. xi, [illegible]; III Reg. [illegible]; Tob. [illegible]

II Reg. x[illegible], 23; Matth. xxvii, 5.

præsentes esse ad Dominum. Et quia perpauci sunt qui ita optant dissolvi, dictum est : « si forte et nunc sunt ».

Quidam colentium Deum, quærunt et dubitant cur Deus abscondit a nobis præcognitionem horæ mortis, quum tamen mortis memoria agat et præstet nobis tam multa et magna bona : non cognoscentes quod Deus per hoc mirabiliter operetur nostram salutem. Nemo enim mortem suam præcognoscens, cucurrisset diu ante eam ad Baptismum aut ad conversationem monasticam; sed cunctis diebus suis permanens in iniquitatibus, pervenisset ad Baptismum ac pœnitentiam in hora exitus sui, sicque qualificatus et assuefactus malitia, maneret de reliquo usque in finem perfecte indirectus, id est non conversus ad Dominum, propter consuetudinem vitiosam contractam ex tempore diuturno. Nam dato quod videretur aliqualiter pœnitere et boni aliquid agere, faceret hoc non ex caritate aut zelo justitiæ, sed ex servili timore.

Lugens, nunquam suscipias canem illum suggerentem tibi Deum esse benignum, id est, si veraciter luges ac pœnites, nunquam acquiescas dæmoni aut hæretico qui tibi persuadet quod Deus exstet misericors : non quod falsum sit Deum esse benignum, vel quod non sit credendum atque aliquando attendendum; sed ne ex tali suggestione et consideratione aliquis agat remissius, et ad peccandum fiat audacior. *Sed tunc memento benignitatis illius, quum videris te esse detractum in desperationem profundam, aut de desperatione tentari. Intentio enim præfati suggestoris est ut per talem suggestionem repellat a te luctum, et Dei sine timore timorem,* quasi videlicet sufficiat tibi in mortis articulo pœnitere.

Qui vult conservare in se ipso memoriam mortis judiciique æterni, et Domini nostri Jesu Christi, et tradit, id est, sponte involvit, *se curis et occupationibus materialibus, similis est natanti ac volenti plaudere manibus suis.* Vult enim duo se

A invicem impedientia. Nam sicut qui natat non potest simul plaudere manibus, ita involvens se curis occupationibusque terrenis, non potest simul habere præfatam memoriam, sed curæ et occupationes illæ excludunt saluberrimam istam mortis memoriam.

Efficax memoria mortis rescindit cibos, id est, gulam facit vitari; *escis vero et cibis superfluis rescissis in humilitate,* videlicet absque vana gloria ac spirituali superbia, *rescinduntur simul et vitia,* id

B est, alia quamplura peccata vitantur. *Privatio doloris cordis,* id est interioris ac pœnitentialis et salubris doloris repulsio seu carentia, *excæcavit mentem,* quum sit causa corruendi in vitia multa; *multitudo vero ciborum,* videlicet crapula, *exsiccavit fontes,* id est, gratiam abstulit lacrimarum. *Sitis et vigilia cor affligunt :* nam corpori et animæ sunt molestæ. Loquitur enim de vigilia diuturna, qua aliquid ultra naturam subtrahitur somno. *Corde vero tribulato, emanaverunt aquæ :* hoc est,

C dum quis voluntarie propter Deum se ipsum afflixerit per sitim atque vigiliam, accipiet gratiam flendi salubriter.

Ista autem quæ dicta sunt, sunt dura gulosis, qui famem et sitim abhorrent, *et negligentibus incredibilia.* Negligentes quippe reputant talem sitim ac vigiliam ad indiscretionem ac vitium pertinere, ac per eas non posse se ad fontem lacrimarum pertingere. *Vir autem activus,* id est fervens ac agilis, *prompte probabit* quod vera sint ista. *Qui experientiam adinve-*

D *nit,* id est, qui horum veritatem expertus est, *subridebit super istis,* hoc est, cum risu modesto ac pio annuet vera hæc esse. Vel, « subridebit super istis », id est, gulosos et negligentes ex zelo justitiæ deridebit. *Inquirens vero tristior erit :* hoc est, qui adhuc conatur et quærit experiri quæ dixi, interim patietur difficultatem, afflictionem et mœrorem ex siti, vigilia, et consimilibus pœnitentiæ exercitationibus, donec vincat se ipsum, et habitum ac consuetudinem bene agendi acquirat.

Sicut Patres determinant perfectam A *caritatem nunquam excidere*, quum dicat
I Cor. xiii, 8. Apostolus, Caritas nunquam excidit; *ita et ego affirmo et declaro perfectum mortis sensum sine timore esse*, id est, eum qui habet perfectam mortis memoriam cum interno affectu, alia non timere, quæ scilicet non sunt secundum rectam rationem timenda. Porro, quod perfecta caritas dicitur nunquam excidere, non est intelligendum quasi viator talem caritatem habens, non possit eam peccando amittere, nisi forte sit confirmatus in gratia, quum
II Reg. xi. et David post magnam caritatis perfectionem adulterium homicidiumque inciderit. Sed ideo dictum est hoc, quoniam caritas viæ manet in patria, et ibi perficitur, et quia perfecti in caritate raro ac difficulter dejiciuntur. Itemque quoniam caritas perfecta, quantum est ex parte ipsius, fortissima est, insuperabilisque consistit, quem-
Cant. viii, 7. admodum scriptum est: Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem. Sed per infirmitatem sui superatur subjecti, quemadmodum fortis bellator dejicitur equo illius læso.

Multæ sunt operationes mentis activæ, id est agilis ac devotæ. *Dico autem has esse* operationes hujusmodi mentis: *intentionem caritatis ad Deum*, quia in cunctis quæ agit, intendit in Dei amore proficere; *memoriam Christi*, videlicet recordationem eorum quæ Christus pro nostra salute egit, assumpsit et pati dignatus est; *memoriam regni cœlestis; memoriam zeli*, id est fervoris, *et patientiæ sanctorum martyrum; memoriam quoque ipsius Dei præsentis*, id est considerationem præsentiæ Dei omnia intuentis, *secundum eum*
Ps. xv, 8. *qui dixit, Providebam Dominum in conspectu meo semper; memoriam sanctarum intellectualium virtutum*, id est contemplationem angelorum sanctorum; *memoriam exitus*, id est mortis, *obviationis sententiæ*, id est divini judicii proferendi contra se aut de se, *et cruciatus* purgatorii aut inferni.

A magnis initiavimus, id est, ab abnegatione propriæ voluntatis, derelictioneque mundi et religionis ingressu, cœpimus Deo servire; *in non valentibus cadere finivimus*, id est, proficiendo devenimus ad caritatem non excidentem, ad cordis constantiam, ad imperturbabilem humilitatem. Hoc ait auctor in persona eorum qui digne in claustro sunt conversati.

Narravit mihi aliquando quidam Ægyptius monachus, Quia post infixionem, id est fortem impressionem, *mortis quæ est in corde secundum sensum*, hoc est me- B moriæ mortis, quam cordi meo impressi cum sensu et gustu interno, *ego volens aliquando consolari ad modicum carnem*, id est proprium corpus a solito rigore abstinentiæ vigiliarumque relevare, *superveniente necessitate*, utpote infirmitate aut simili causa, *prohibitus fui* hoc facere *a memoria mortis, quasi a judice sententiante*, id est, oppositum dictante; *et quod magis mirabile est, quia volens eamdem* memoriam mortis *repellere, nequivi* eam abjicere. Consuetudo enim est quasi altera C natura. Ideo quod in consuetudinem versum est, vix potest relinqui: et ita monachus ille in consuetudinem traxit mortis memoriam.

Alter vero quidam hic habitans, in loco qui dicitur Tholas, sæpe patiebatur mentis excessum ex meditatione mortis intenta, et quasi deficiens mente defectivusque factus, fere absque flatu reportabatur a Fratribus qui eum inveniebant.* * Tholus

Non tacebo tibi historiam solitarii Chorebitici, etc. *Quumque migraturus esset* p. 158 in D *ad Dominum*, [illegible] *intravimus; et multum deprecantes ut aliquid diceret nobis, hoc solum ab eo audivimus* [illegible] Talis enim non potest peccare in quantum habet memoriam mortis. Juxta quem sensum princeps ille Apostolorum beatissimus Petrus, in secunda sua epistola ait, Hæc facientes non peccabitis [illegible] aliquando. Joannes quoque apostolus: Qui [illegible] natus est ex Deo non peccat. [illegible]

stupebamus, videntes hominem prius tam negligentem, repente sic mutatum et transformatum mutatione et transformatione beata. Sepelientes igitur eum sancte in propinquo monasterio castri, et post diem quærentes sanctas ejus reliquias, non invenimus eas : Deo per hoc certificante de pœnitentia ejus sollicite studiosa ac laude digna, universos volentes dirigere semetipsos etiam post negligentiam multam.

Quemadmodum aliqui dicunt abyssum esse infinitam (vocant etenim eam locum absque fundo), ita intenta meditatio mortis possidet castitatem et operationem inexstinguibilem; hoc est, in castitate et bona operatione indesinenter conservat sic meditantem. *Quod præfatus sanctus solitarius suo confirmat exemplo.* Porro abyssus dicitur infinita et absque fundo, non quod sit simpliciter talis, sed quoniam fundus ejus ab homine non potest investigari aut percipi. *Taliter autem de morte meditantes assumunt incessanter timorem super timorem, nec cessant quousque virtus ossium consumatur in eis.* Ex cogitationibus namque et affectionibus talibus formidolosis corpus valde extenuatur, arescit, et ossium robur minuitur :
Prov. xvii, 22. sicut ait Scriptura, Spiritus tristis exsiccat
Ps. ci, 6. ossa; et rursus, A voce gemitus mei adhæsit os meum carni (id est pelli) meæ. *Sciamus pro certo et hoc,* videlicet intentam mortis meditationem, timorem, et compunctionem, *esse donum Dei, cum omnibus bonis suis,* id est cum ceteris beneficiis ejus. *Alioqui, quomodo manemus sæpe duri et sine lacrimis etiam accedendo sepulcra, et præter eorum adspectum plerumque compungimur?*

Qui mortificatus est ab universis, ita quod ad nihil creatum inordinate afficitur, *iste habuit mortis memoriam,* per quam venit ad tantam perfectionem. *Qui vero habet adhuc affectionem et amorem* sensualem *ad aliquid, non vacabit sibi,* id est, propriæ saluti non erit sincere intentus quamdiu manet in tali affectione, *prodens se sua voluntate insidiose,* id est, per

A improbum amorem propriæ voluntatis manifestat se ipsum hostibus suæ salutis, ex eorum insidiis, qui explorant secrete qualis sit unusquisque.

Noli omnes certificare per verba de caritate tua ad ipsos. Nam per verba caritatem suam ostendere aliis, habet sæpe speciem adulationis. Non est tamen malum in se : imo potest esse laudabile, si fiat veraciter et sincere; præsertim si alter sit male informatus aut suspicans quid perversum : tunc enim est caritatis provoca-
B tivum et vitii expulsivum. *Sed pete a Deo ut eam manifestet aliis ineffabiliter et secrete,* id est per inspirationem occultam, quæ ineffabilibus modis fieri potest. *Alioqui tempus non sufficiet ad affectionis detectionem, et compunctionem,* id est, ad hoc ut affectiones tuas caritativas ad alios eis loquendo insinues, compunctionique vaces. Talis enim insinuatio atque locutio parit distractionem et cordis dispersionem.

Ne seducaris, operator insipiens, restau-
C *rans tempore tempus, et denuo readimplens :* hoc est, o piger ac negligens, noli una hora te remisse habere, et negligentiis, loquacitati, vanitati, distractioni aut risui locum dare, cogitando quod velis alia hora recuperare deperdita, emendare delicta, et tempus inaniter consumptum implere et recuperare per opera bona. *Nulla enim dies hominibus sufficit ut possint in ea suum debitum solvere Domino sine diminutione et defectu,* hoc est, ut valeant Deo servitutem debitam exhibere cum tan-
D ta recollectione ac reverentia ut oportet. Imo multæ defectuositates venialesque culpæ se miscent : quantumcumque igitur fructuose expenderimus diem, vix satisfacimus debito ejus; et ultra hoc, incidimus multa mala.

Quidam ait : Non potest quis præsentem diem pie transire et exsequi, hoc est fructuose expendere, *nisi existimet eam esse ultimam et extremam diem totius vitæ suæ :* non quod debeat hoc affirmare, quia ignorat hoc, et sæpius mentiretur;

sed debet quamlibet diem vitæ suæ sic apprehendere, quod forsan erit sibi ultima dies. Hoc multi Sancti dixerunt. *Et mirum certe quomodo et Græci aliquid tale effati sunt.* Non de Christianis, sed de philosophis Græcis dicitur istud. Non enim mirum est quod Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, et similes eis Græci fideles, istud dixerunt. *Quoniam et philosophiam dicunt esse meditationem mortis.* Hoc Plato in Phædone apertissime dicit, et multa scribit ibidem de hoc. Unde S. Ambrosius asserit id dixisse Platonem.

GRADUS VII

DE LUCTU LÆTIFICANTE.

LUCTUS secundum Deum, est affectio animæ contristatæ in cordis dolore : quem sitit sempiterne, quærens eum ferventer et impetuose, et in privatione consecutionis quæsiti persequens dolorose et laboriose, et postmodum lamentabiliter ejulans. Aut ita : Luctus est aureus stimulus animæ, mundativus omnis adhæsionis, affixionis et affectionis, et infixus cordi a sancta tristitia, in visitatione cordis; timor liquefaciens atque humilians. — Compunctio est perpetuus conscientiæ cruciatus, per intellectualem confessionem negotians resuscitatione ignis cordis. — Confessio est oblivio naturæ : si tamen quis ex hoc oblitus est comedere panem suum. — Pœnitentia est continua privatio consolationis corporalis sine tristitia.

Abstinentia et silentium labiorum propria sunt in beato luctu proficientium adhuc; eorum vero qui jam profecerunt, non irasci, et oblivio ultionis atque malitiæ; perfectorum vero proprium est, humilitas, desiderium ignominiarum, voluntaria fames tribulationum non spontanearum, non condemnare ac judicare peccantes, compassio super virtutem. Acceptabiles sunt primi; secundi laude sunt digni; beati vero esurientes ignominiam et tribulationem, quoniam ipsi saturabuntur alimento insatiabili.

Qui tenes luctum, ex omni virtute tene eum : nam ante qualificationem, habet naturam leviter posse auferri, faciliterque resolvitur et liquescit a tumultibus, conturbationibus, corporalibus curis, deliciis, et maxime a multiloquio et scurrilitate, sicut cera resolvitur a facie ignis.

Luctus seu fons lacrimarum constitutus est major baptismus post Baptismum : licet istud quod dicitur, sit quodammodo præsumptuosum ex parte, eo quod ille sit purgativus a peccatis nobis ingenitis et a malis ante patratis, iste vero postea patratorum. Et illum quidem parvuli omnes suscipientes sordidavimus; per hunc vero et illum repurgamus. Qui nisi a Deo datus esset hominibus, rari invenirentur et difficulter qui fuissent salvati. — Et quidem mœstitia et suspiria clamant ad Dominum : lacrimæ vero quæ sunt ex timore, intercedunt; quæ vero sanctissimæ caritatis, declarant nobis supplicationem nostram esse Deo acceptam.

Si nihil ita convenit humilitati ut luctus, nihil ita contrariatur humilitati ut risus. — Detinens detine beatam spem, et gaudentem compunctionis lætitiam, quousque exhibeat te mundum Christo et sublevatum ab his prætereuntibus. — Reforma in te ipso et scrutari ne cesses abyssum ignis æterni, et immanes ministros, impassibilem Judicem et absque indulgentia, infinitum chaos flammæ infernalis, et subterraneum locum terribilem et pavendum, et hiatuum tetros et angustos descensus, et hujusmodi imaginationes talium rerum : quatenus immunditia et luxuria exsistente in anima nostra, concussa et deleta multo tremore, accendatur anima tua incorruptibili castitate, faciente animam quæ recipit suam apparitionem, splendere plus omni igne.

Sta in orationis obsecratione cum timore, sicut condemnatus est condemnanti adsistens, ut exstinguas furorem Judicis justi extrinseca specie et extrinseco timore. Non enim feret adsistentem sibi despicere animam viduam, et oppressam et dolentem, præstantem et inferentem labores ei qui laborare non potest.

Si quis possidet lacrimas spirituales, huic omnis locus aptus et congruus erit ad luctum ; si vero afficitur adhuc solum exterius, et per corporales lacrimas operatur, modos et loca discernere non desistet. Nam sicut thesaurus absconditus imprædabilior est eo qui est in foro, ita intelligamus præfata.

Non sis sicut qui sepeliunt mortuos, et interdum plorant super eos, quandoque vero inebriant se propter ipsos ; sed esto sicut qui sunt in metallis vincti, continuis horis flagellati a vulgaribus publicisque custodibus. Nam qui aliquando luget, et aliquando deliciatur ac ridet, similis est ei qui lapidat canem amoris concupiscentiæ cum pane : qui specie tenus eum persequitur, re autem exhortatur eum asseverare.

Esto mœrens absque amore ostentationis, ad cor tuum inquisitionem agens. Dæmones enim timent mœrorem sicut latrones canes. — O amici, non sumus ad præsens hic convocati ad nuptias. Igitur qui vocavit nos nunc in his, vocavit nos utique ad luctum nostri ipsorum.

Quidam lacrimantes violentant importune se ipsos nihil penitus meditari in tempore illo beato, non intelligentes quod lacrimarum effusio facta sine intentione et meditatione, propria est irrationalis naturæ, non rationalis. Lacrimæ sunt genimen intentionum et meditationum ; rationalis vero intellectus est pater meditationis ac intentionis.

Reclinatio tua in strato tuo fiat tibi figura reclinationis tuæ in sepulcro, et minus dormies. Et convivatio tua in mensa fiat tibi rememoratio dolorosæ partis mensæ vermium illorum, et minus delectaberis. Neque potum aquæ sumens oblivisceris sitis illius quæ est in flammis inferni, et omnino violentabis naturam. In honorabili præsidentis ignominia, redargutione et increpatione, intendamus ac meditemur *Matth.* xxv, 41. pavendam sententiam Judicis summi ; et superseminatam in nobis irrationabilem tristitiam et amaritudinem penitus occidemus mititate et patientia, quasi gladio ex *Job* xiv, 11. utraque parte acuto. In tempore mare dispergitur, sicut dicit Job ; et præfata adveniunt et perficiuntur in nobis et ad modicum et paulisper, et in tempore, et in

patientia. — Memoria ignis æterni singulis vesperis cenet et dormiat tecum, et tecum pariter surgat ; et negligentia nunquam dominabitur tibi in tempore psalmodiæ.

Agat et persuadeat te ad operationem luctus et ipsum tuum vestimentum. Omnes enim qui lugent mortuos, vestiunt se vestibus nigris. Igitur si non luges, propter hoc luge ; si autem luges, propter hoc magis lamentare, quia subinduxisti te ipsum ex ordine qui sine dolore est, ad dolorosum, propter duas offensiones.

Virtus naturæ penitus judicatur a bono et justo Judice nostro in lacrimis, sicut et in aliis universis. Vidi enim parvas guttas cum dolore effusas, et vidi fontes lacrimarum sine dolore emanantes : et ego judicavi laborantes magis secundum dolorem, et non secundum lacrimas ; arbitror autem quod et Deus.

Non convenit theologia lugentibus : nam theologia naturaliter solvit luctum eorum. Nempe theologus comparatur sedenti magistraliter super thronum ; lugens autem comparatur sedenti in sterquilinio et in sacco. Et hoc est, ut arbitror, quod magnus David, licet doctor et sapiens esset, respondit ad interrogantes quum fleret : Ps. cxxxvi,
Quomodo (inquiens) cantabimus canticum Domini in terra aliena, scilicet vitiosa? 4.

Et in creatura et in compunctione est per se motus, et ex altero motus. Quando anima nostra fit lacrimosa, devota et mansueta, nobis non festinantibus vel studentibus nec adinvenientibus quidquam, curramus : Dominus enim non vocatus advenit, tradens nobis spongiam tristitiæ Deo dilectæ, aquam refrigerationis devotarum piarumque lacrimarum, ad deletionem earum quæ sunt in charta offensionum. Custodiamus eam ut pupillam oculi, donec recedat. Multa enim est virtus ac potentia hujus compunctionis super compunctionem provenientem ex nostra sollicitudine, festinantia et meditatione intenta.

Non ille qui luget quando vult, pervenit ad pulchritudinem luctus, sed qui luget in his quæ vult ; et neque qui luget in his quæ vult, sed qui luget quod debet, et quemadmodum Deus vult.

Lugere secundum Deum, fecit plerumque amplexari ingratissimas lacrimas gloriæ vanæ. Istud autem probe et bene pie cognoscemus verum esse, quando viderimus nos ipsos lugentes et malignantes. — Compunctio proprie est dolor animæ non elatus, nullam consolationem præbens sibimetipsi, solamque suam resolutionem imaginans omnibus horis, et exspectans consolationem Dei consolantis humiles monachos, quasi frigidam aquam. — Quicumque possederunt luctum in sensu cordis, habuerunt odio vitam suam, tanquam exsistentem conciliatricem alicujus rei lacrimosæ et lacrimabilis ac lamentabilis ; corpus vero suum averterunt quasi inimicum. — Quando intuemur superbiam in his qui videntur secundum Deum lugere, horum lacrimas reputemus contrarias : nam cordis elatio et propria reputatio est germen illegitimæ compunctionis. Laudabilis vero est humiliatio et consolatio. — Sicut ignis consumptivus est stipulæ, ita et lacrimæ castæ, omnis inquinamenti et sordis intellectualis et apparentis.

A multis Patribus determinatur sermo tenebrosus de lacrimis, et difficulter inve-

nibilis, et maxime in his qui introducuntur. Ex multis namque et differentibus modis ipsas parturiri dicunt : dico vero, ex natura, ex Deo, ex tribulatione contraria, quandoque ex laude et laudatis, ex vana gloria, ex fornicatione, ex ebrietate, ex caritate, ex memoria mortis, atque ex aliis multis causis. Nos vero cum Dei timore exercitantes et discernentes et excolentes modos universorum istorum prædictorum lugentium, adipiscamur mundas lacrimas nostræ resolutionis, sine dolo : nam elatio propriæ reputationis non est in lacrimis istis, aut furtum ; magis vero est in eis purgatio, et profectus caritatis in Deum, et peccati consumptio, et impassibilitas passionum. Plerumque enim qui lugent, incipiunt lacrimari ex bonis initiis, et desinunt in maligna : et non est mirum. At ex contrariis et naturalibus transmutari et inseri in spiritualia, est vere utique laude dignum. Hanc propositionem clare sciunt qui erga vanam gloriam repentes inclinabilius se habent.

Ne tradas fidem fontibus tuis ante perfectam purgationem : non enim fidem habet vinum ex canalibus confestim exhaustum. Nemo etenim contradicit quod multæ lacrimæ exsistentes secundum Deum, sint multum proficuæ ; quæ vero earum utilitas, cognoscemus in tempore mortis.

Quicumque graditur in incessabili luctu secundum Deum, non desistit quotidie agere diem festum ; qui vero non cessat corporaliter agere diem festum, hunc luctus æternus suscipiet in futuro. — In carcere non est gaudium his qui acceperunt damnationis sententiam ; et veris monachis non est super terram festivitas. Quocirca
Ps. CXLI, 8. pulchre dixit suspirans ac lugens : Educ de carcere animam meam, ut deinde exsultet in lumine tuo arcano. — Esto tanquam rex altus sedens in corde tuo in
Matth. VIII, 9. humilitate, jubens risui, Vade, et vadat ; et dulci luctui, Veni, et veniat ; et servo nostro et tyranno corpori, Fac hoc, et faciat. — Si quis induit luctum beatum et gratiosum, quasi diploidem sponsalem ac nuptialem, iste cognovit spiritualem animæ risum.

Quis ergo est talis, qui omne tempus suum consummavit tam pie in conversatione monastica, ut in nulla die neque hora neque momento fuerit perpessus utcumque damnum, sed eamdem tradiderit Domino, existimans quia non contingit hanc ipsam horam et diem iterato videre in vita præsenti ? Beatus vero monachus qui intellectualibus virtutibus potest intendere sursum oculis animæ ; sed cadere vere non potest, qui genas suas indesinenter rigat aquis viventibus ex memoria mortis et offensionum. Non laboro credere quomodo prior transivit per conscensionem secundam.

Vidi pauperes inverecundos ac mendicantes, sub compendio inclinantes corda regum ad compassionem elegantibus verbis. Et vidi pauperes et egenos in virtutibus, clamantes ad supercœlestem Regem, non elegantibus sed magis quibusdam obscuris atque humilibus ac hæsitantibus verbis, ex corde profundo et quasi desperato, inconfuse et perseveranter ; et sua violentia violentaverunt viscerositatem et naturam ejus qui non patitur vim.

Qui de suis lacrimis animaliter inflatur, et non lacrimantes in se ipso dijudicat,

similis est ei qui contra inimicos postulavit armaturam a rege, et se ipsum occidit per eam.

O amici, Deus non eget nec vult hominem lugere ex cordis mœstitia ac dolore, sed multo magis exsultare in risu animæ ex caritate in ipsum. Aufer peccatum, et superfluus erit dolor et mœstitia lacrimarum sensibilibus oculis effusarum : non enim necessaria est rasio, cicatrice non exsistente. Non erat profluvium lacrimarum in Adam ante prævaricationem, quemadmodum nec post resurrectionem erit, peccato destructo, quoniam fugiet dolor et tristitia atque suspirium. Apoc. xxi, 4.

Vidi in quibusdam luctum. Vidi in aliis luctum propter penuriam luctus : qui licet sint habentes, afficiuntur tamen tanquam non detinentes; et per ignorantiam pulchram et bonam, imprædabiles manent. Et hi sunt de quibus dicitur : Dominus [illegible] sapientes facit cæcos. Solet enim donum lacrimarum magis vacuos plerumque extollere. Quamobrem quibusdam non datur, ut affligant se ipsos in suspiriis et mœrore atque tristitia animæ, privatione et inquisitione doni istius, et angustientur profunda contristatione et extenuatione penuria luctus : quæ naturaliter et sine periculo habent locum supplere lacrimarum, quamvis et hoc convenientius reputetur ab eis pro nihilo.

Observantes inveniemus frequenter amarum derisum in nobis a dæmonibus factum. Quum enim saturati fuerimus, compungunt nos devotione et lacrimis; et rursus indurant nos jejunantes ac vigilantes : ut lacrimis adulterinis seducti, tradamus nos matri omnium vitiorum, videlicet deliciis gulæ. Quibus talibus non convenit obedire; magis vero convenit contrarium facere.

Ego vero intelligens et ipsam qualitatem compunctionis, stupeo qualiter luctus et secundum Deum tristitia possident gaudium spirituale et complexam lætitiam, quasi favum mellis. Quid ergo docemur ex hoc? Quia talis compunctio dicitur proprie esse donum Dei; tunc vero est in anima delectatio absque delectatione, Deo latenter consolante contritos corde.

Ad occasionem ergo luctus utique efficacissimi ac salutiferi manifeste utilisque doloris, audiamus narrationem proficuam animæ et miserabilem nimis. Stephanus quidam habitans in isto eodem montis Sinai loco, solitariam et tranquillam salutans vitam et quietem ab aliis remotam, plurimisque temporibus permanens contritus in palæstra, ornatus permaxime jejuniis et lacrimis, et circumseptus aliis pluribus exuberantibus bonis, habuit cellam in sancto hoc monte juxta descensum sancti Eliæ contemplatoris Dei. Iste ergo, iste perpetuus Stephanus, ductus intentione pœnitentiæ efficacioris et dolorosioris, intravit locum anachoretarum nomine Syddin, faciens ibi aliquos annos in angustissima et superardua vita ac pœnitentia : quia et locus absque consolatione fuit, et fere inaccessibilis cunctis hominibus, et a monasterio nomine Castri quasi septuaginta millibus distans. Qui rursus circa finem vitæ suæ venit ad propriam cellam montis [illegible] de Palæstina multum utique religiosos, qui et primo custodierunt cellam ipsius. Vivens itaque paucis diebus in cella hac, [illegible]

unum diem suæ resolutionis factus in ecstasi mentis, apertis oculis intendebat ad dexteram lectuli ac sinistram, et quasi ad reddendam rationem a quibusdam exactus, adstantibus dixit, audientibus cunctis qui aderant. Interdum equidem dixit sic : Utique verum est ; sed confessus sum, et tanto tempore jejunavi pro isto peccato. Aliquando vero dixit : Nequaquam, sed mentimini ; istud enim non feci. Quandoque vero dicebat : Ita vere, istud sic est, sed ploravi ac ministravi. Vicissim vero locutus est : Calumniose me accusatis. Rursus ait ad aliqua : Ita est vere, nec ad hoc aliquid habeo ; sed Deus misericors est. Eratque exsecutorium illud rationis exactæ invisibile et irremissibile, valde horrendum atque terribile. Denique magis terribile exstitit ac pavendum, quoniam accusabant et inquirebant eum in his quæ pavebat nec fecerat.

O eia ! vir quietus ac anachoreta de aliquibus suis culpis dixit, Quia ad hoc non scio nec habeo aliquid dicere : qui jam quasi per quadraginta annos monachus fuerat, et donum habuit lacrimarum. Væ, væ, ubi tunc fuit verbum Ezechielis, ut
Ezech. xviii, 21, 27. diceret illud accusatoribus suis, In quacumque hora fuerit peccator conversus ad
Ibid. vii, 8. pœnitentiam, etc. ; et iterum, In quo te invenero, judicabo te, dicit Dominus ? Vere nihil tale potuit dicere pro satisfactione. Cujus gratia soli cognoscenti gloria. Quidam autem veraces mihi dixerunt, quod Stephanus iste pascebat leopardum venientem ad se in deserto. Et ecce hic tantus, constitutus sub exactione rationis, recessit a corpore non faciens penitus certitudinaliter manifestum quod fuerit ejus judicium, aut quæ sententia de ipso prolata sit, et quis finis rationis exactæ.

Quemadmodum vidua virum suum abjiciens, et unicum filium habens, illum solum habet consolationem post Deum ; ita animæ peccatrici non est similis consolatio in tempore exitus sui, sicut laborasse contra gulam, et lacrimæ. Tales nunquam melodizabunt apud se ipsos, neque jubilabunt in hymnis : nam talia sunt naturaliter exterminativa luctus. Si per hoc adinveneris advocare luctum, longe distat a te operatio et misericordia ejus. Luctus enim est dolor animæ qualificatus ignitæ, factus præcursor beatæ impassibilitatis in multis ; et luctus est prævertens et præscopans et præconsumens silvam.

Narravit mihi quidam probatus operator luctus istius, Quia adveniens quidam narravit mihi exportari plerumque ad gloriam vanam, vel ad iram, aut ventris satietatem. Cogitatio autem luctus intus clamans contestabatur me, dicens : Ne vane glorieris, quia recedam a te. Similiter et in aliis passionibus et vitiis. Ego vero dixi ad eum : Nunquam ero tibi obediens, donec repræsentes me Christo.

Nempe abyssus luctus vidit consolationem ; munditia vero cordis suscepit illuminationem divinam. Illuminatio est arcana operatio incognoscibiliter intellecta, et invisibiliter visa. Consolatio est refrigeratio in dolore animæ, instar parvuli plorantis cum singultibus in se ipso, et clare pariter subridentis. — Opitulatio est recreatio et renovatio animæ deorsum labentis præ tristitia, mirabiliter transformans ac reparans profluvium lacrimarum dolorosum in non dolorosum.

Profluvium lacrimarum parit timorem ; timore vero pariente securitatem, supe-

ravit gaudium ; gaudio vero indesinente finiente, exortus est flos caritatis. — Declina et repelle manu humilitatis, gaudium peregrinans, tanquam indignus, ne exsistens nimis levis ad recipiendum, recipias lupum pro pastore. — Non præcurras contemplationi in tempore non contemplationis, ut insequens pulchritudinem humilitatis tuæ jungat se atque in castissimis nuptiis copuletur tibi in sæculum sæculi.

Parvulus in principiis patrem suum agnoscens, fit totus gaudio plenus. Ipso revera ad tempus dispensative peregrinante, et eo rursus a peregrinatione redeunte, puer repletur gaudio et mœrore : gaudio, quoniam videt patrem desideratum ; mœrore, quia formidat quod pater peregrinabitur iterum, et propter privationem bonæ pulchritudinis tanti temporis. Mater abscondit se ipsam a parvulo suo, et jucundatur videns infantulum se quærentem cum dolore et lamentantem : instruens parvulum ut sibi indesinenter adhæreat, sicque vehementer reinflammans affectionem amoris in parvulo ad se ipsam. Qui habet aures audiendi, audiat, dicit Dominus.

Condemnatus qui sententiam accepit, non curat de dispositione spectaculorum : sic qui lamentatur ac efficaciter luget, non intendet aliquando deliciis, nec gloriæ, nec iræ aut indignationi. — Luctus est fixus et qualificatus mœror animæ pœnitentis, addens quotidie mœrores mœroribus et dolores doloribus, quasi parturiens et dolens pariens.

Justus et sanctus Dominus, compungens exsequentem quietem solitariam ratione, et lætificans quotidie subjectum et subditum ratione. Exsequens vero reliquum horum non absque segnitie, luctu privatur.

Expelle canem in profundissimo luctu advenientem, et supponentem Deum inviscerosum et incompassivum : nam et si observaveris eum, invenies eum tibi prædicantem ante peccatum, Deum esse compassivum, benignum et indulgentem.

Exercitatio generat frequentiam, ipsa vero exercitatio desinit in usum ; in sensu vero qualificatum et actum difficulter aufertur. — Etiamsi exsequimur aliquas conversationes magnas et altas, et non possidemus cor mœrens, reputemus eas quasi adulterinas et vanas. Oportet enim, et (ut ita dicam) vere oportet, inquinatos post lavacrum, abstergere manus suas ab inquinamento picis, irremissibili igne cordis et misericordia Dei.

Vidi apud quosdam terminum luctus superfluum : sensibiliter enim inspexi eos ex ore fundere sanguinem præ mœstitia cordis plagati ; et memoratus sum dicentis, Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum. — Lacrimæ enim quæ sunt ex timore, Ps. ci
habent in se ipsis tremorem, et custodiam possident ; quæ vero sunt caritatis, sunt in quibusdam quasi leviter prædabiles ante caritatem perfectam, nisi forte ignis ille sempiterne memorandus accenderit cor in tempore efficacis operationis. Et est mirabile quomodo quod humilius est, magis certum exsistit in tempore suo.

Sunt materiæ fontes nostros [illegible] et bestias : nam propter primas Lot effectus est prævaricator cum propriis filiabus, Gen. xix
propter secundas diabolus corruit. — Multa est apud [illegible]

modo enim inimici isti efficiunt matres virtutum occasionaliter matres vitiorum, et materias activas humilitatis faciunt actrices superbiæ?

Mansiones et adspectus habitationum nostrarum solent plerumque ex sua natura mentem provocare ad compunctionem : et hoc verum esse persuadeant tibi Jesus Christus et Elias et Joannes Baptista orantes seorsum ad se ipsos, quærentes et colentes remotionem et desertum. [*Matth.* XIV, 23; III *Reg.* XIX, 9 et seq.; *Luc.* I, 80.] — Vidi multoties lacrimas motas in civitatibus atque tumultibus, ut arbitrantes nos nihil lædi ex tumultibus, mundo appropinquemus : ista est enim intentio malignis dæmoniis. — Unus sermo plerumque dissolvit lutum et murum ; non tamen unus sermo hunc iterum congregavit.

Non inculpabimur, o amici, non inculpabimur in exitu animæ nec inquiretur a nobis quare non fecerimus miracula, sed neque quare non theologizaverimus, neque quare non fuerimus contemplati ; sed omnino dabimus rationem Deo quare non egerimus pœnitentiam, et cur non exstiterimus humiles, et quare non luxerimus indesinenter.

ARTICULUS X

EXPOSITIO HUJUS GRADUS SEPTIMI.

LUCTUS secundum Deum, hoc est luctus salubris ac virtuosus, *est affectio animæ contristatæ in cordis dolore.* Ista descriptio datur vel de luctu interiori, per essentiam, vel de luctu exteriori, per causam. Luctus namque interior est realiter talis affectio ; luctus vero exterior procedit ex ea. Itaque, « luctus est affectio animæ contristatæ in dolore cordis », id est dolore interno ac salubri afflictæ, utpote dolentis ex consideratione propriæ culpæ aut aliorum, vel ex dilatione gloriæ, aut ex aliis causis piis, ut infra dicetur. Dicitur quoque luctus iste lætificans, quoniam consolationem habet admixtam, sicut et omnis actus virtuosus, et quoniam consolationem meretur atque ad sempiternam perducit lætitiam, juxta illud : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. [*Matth.* V, 5.] *Quem,* scilicet Deum, anima *sitit sempiterne,* id est indesinenter : nam et in patria Sancti sitiunt in æternum Deum quem possident, et possident æterna securitate quem sitiunt ; *quærens eum ferventer et impetuose,* hoc est cum excessivo cordis affectu, et copioso ac indefesso obsequio, quemadmodum scriptum est in Psalmo : Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum ; [*Ps.* XLI, 3.] *et in privatione consecutionis quæsiti,* id est, ex hoc quod nondum plene consecuta est summum bonum quod quærit, *persequens,* hoc est, perfecte sequens et nitens ad ipsum beatifice possidendum (prout Paulus testatur, Ad destinatum persequor), [*Philipp.* III, 14.] *dolorose et laboriose,* hoc est cum interno dolore præfato et exteriori labore, imo potius etiam cum interiori conatu, quo insistit custodiæ cordis et evagationibus vitiisque resistit, *et postmodum lamentabiliter ejulans,* ut scilicet Deum super omnia desideratissimum adipiscatur, secundum illud Psalmi : Adhæsit anima mea post te. [*Ps.* LXII, 9.]

Aut ita describitur luctus iste : *Luctus est aureus stimulus animæ,* id est nobilissimus ac spiritualis aculeus, animam pungens ac elevans ad appetendum cœlestia et divina. Porro luctus carnalis ac vitiosus ex damnis terrenis vel adversis in-

ordinate proveniens, utpote ex tristitia A
II Cor. vii, 10. sæculari, quæ mortem operatur, dici potest stimulus ferreus. Itaque « luctus » bonus « est aureus stimulus », *mundativus omnis adhæsionis, affixionis et affectionis,* id est, omnem carnalem adhæsionem, immoderatam affixionem, illicitam appetitionem ac passionem purgans atque repellens, *et infixus cordi a sancta tristitia,* quæ concepta est ex commissione peccati, seu felicitatis carentia, aut ex simili causa, *in visitatione cordis,* id est gratiosa visitatione cordis a Spiritu Sancto, qui est B
Is. lvii, 15; lxvi, 1, 2. principalis causa istius luctus, et requiescit super contritum et humilem spiritu; *timor liquefaciens atque humilians :* nam luctus iste animam liquefacit et humiliat per timorem multiplicem, puta, ne peccet, ne Deum amittat, ne condemnetur.

Compunctio est perpetuus conscientiæ cruciatus, id est incessabilis quidam remorsus, *per intellectualem confessionem,* id est interiorem propriæ defectuositatis et culpæ recognitionem, sine qua nil prodest exterior confessio, *negotians,* id est, C gratiam Dei acquirens salutemque operans, *resuscitatione ignis cordis,* hoc est per reductionem mentis ad pristinum caritatis fervorem. Sic enim disponit se homo et excitat ad divina charismata, faciendo quod est in se. Unde Apostolus
II Tim. i, 6. secunda ad Timotheum : Admoneo (inquit) te, ut resuscites gratiam Dei quæ in te est.

Confessio est oblivio naturæ, id est tam cordialis ac vehemens agnitio propriarum culparum ex consideratione atque intuitu D majestatis divinæ, quæ per culpas offensa est, ut homo obliviscatur sui ipsius, nec satisfaciat desideriis suæ naturæ, nec sollicitetur de necessariis vitæ præsentis. Ideo subditur : *si tamen quis ex hoc,* id est ex confessione jam dicta, *oblitus* [illegible] *dere panem suum,* hoc est, naturalem refectionem sibi subtraxit ad tempus ac partim, castigans se ipsum pro suis peccatis.

Pœnitentia est [illegible]

lationis corporalis sine tristitia. Hoc supra expositum est. p. 145 B.

Abstinentia et silentium labiorum propria sunt in beato luctu proficientium adhuc, id est, proprie competunt lugentibus in statu proficientium constitutis, quia per abstinentiam atque silentium præservantur a peccatis multis ne retrocedant, et gratiam adipiscuntur per quam ad perfectionem pertingant; *eorum vero qui jam profecerunt,* hoc est, lugentibus jam quasi perfectis convenit, *non irasci, et oblivio ultionis atque malitiæ; perfectorum vero proprium est, humilitas, desiderium ignominiarum, voluntaria fames tribulationum non spontanearum,* id est violentarum, ex sua natura non appetibilium; *non condemnare ac judicare peccantes* judicio temerario, usurpato, injusto, *compassio super virtutem,* hoc est, ultra vires compati et succurrere velle tentatis, afflictis, lapsis ac miseris. *Acceptabiles sunt primi,* puta proficientes; *secundi,* qui jam profecerunt et quasi perfecti sunt, *laude sunt digni; beati vero esurientes ignominiam et tribulationem,* videlicet tertii, *quoniam ipsi saturabuntur alimento insatiabili,* id est refectione beatifica et æterna, qua nunquam poterunt sic satiari ut vertatur eis in nauseam, vel ut amplius non appetant eam.

Qui tenes luctum, id est, lacrimarum gratiam habes, *ex omni virtute tene eum,* hoc est, diligentissime eam custodi, ne per dissolutionem, negligentiam, ingratitudinem aut vanam gloriam perdas illam. [illegible] *ram leviter posse auferri,* id est, naturale est luctui huic ut possit faciliter amitti, quousque fuerit radicatus atque in habitum seu consuetudinem versus; *faciliter-* [illegible]

[illegible] contritione et caritate procedens. [illegible]

tus est major baptismus, id est præcipua lotio et expurgatio animæ, *post Baptismum,* qui est primum sacramentum ab omni mundans peccato : *licet istud quod dicitur* de hoc luctu, *sit,* id est, esse videatur, *quodammodo præsumptuosum ex parte, eo quod ille,* videlicet sacramentalis Baptismus, *sit purgativus a peccatis nobis ingenitis,* videlicet originalibus vitiis, et partim a quatuor vulneribus per originale peccatum inflictis, *et a malis ante patratis,* id est a propriis et actualibus seu personalibus vitiis ante Baptismum commissis, quæ delet Baptismus in adultis qui baptizantur, *iste vero postea patratorum,* id est, baptismus lacrimarum purgativus est vitiorum quæ commissa vel admissa sunt post primum Baptismum. *Et illum quidem parvuli omnes suscipientes sordidavimus,* hoc est, nos omnes qui in infantia aut pueritia primum Baptismum suscepimus, inquinavimus eum quodammodo per hoc quod postea peccando mortaliter, amisimus gratiam et virtutes in eo nobis infusas; *per hunc vero et illum repurgamus,* hoc est, per baptismum lacrimarum redimus ad puritatem ac innocentiam baptismalem.

Qui lacrimarum baptismus, *nisi a Deo datus esset benigne hominibus, rari invenirentur et difficulter qui fuissent salvati.* Paucissimi namque sunt qui gratiam baptismalem non perdunt. Idcirco necessaria est secunda post naufragium tabula, puta pœnitentia seu confessio : quæ hoc loco in luctu includitur, quia nec luctus purgat a culpa, nisi oriatur ex pœnitentia, et proposito confitendi conjunctus sit.

Et quidem mœstitia, id est dolor interior, *et suspiria* inde nascentia, *clamant ad Dominum* ut misereatur. *Lacrimæ vero quæ sunt ex timore* saltem initiali, *intercedunt* ad Deum, et majoris sunt efficaciæ, in quantum includunt suspiria ac mœrorem. *Quæ vero sanctissimæ caritatis,* id est lacrimæ ex caritate purissima profluentes, *declarant* et protestantur *nobis supplicationem nostram esse Deo acceptam.* A Porro lacrimæ istæ sunt, quando deflemus nostra peccata ideo pure quoniam Deum super omnia dilectum aliquo modo inhonoravimus sive offendimus, non ex timore supplicii, aut propter proprium damnum quod peccando incurrimus, et quando simili modo aliorum peccata deflemus, aut desiderio visionis divinæ ploramus. Quum autem ita lugemus ex caritate sanctissima, ex ipso nostro fletu concipimus spem et certitudinem quamdam quod orationes nostræ cum fletu tali B Deo oblatæ, sint ei acceptæ. Quamvis etiam non sumus absolute ac penitus certi quod simus in caritate, attamen satis probabilem certitudinem inde habent potissime hi qui caritatem sanctissimam habent. Ipse quoque Spiritus Sanctus testimonium super hoc perhibet spiritui nostro. *Rom.* VIII, 16.

Si nihil ita convenit humilitati ut luctus iste pœnitentialis, *nihil ita contrariatur humilitati ut risus.* Hoc hyperbolice dictum videtur, et intelligendum est de risu immoderato ex mentis dissolutione, C petulantia, elatione proveniente : de quo loquitur Christus, Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis; et Salomon, Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, ita et risus fatui. Caveamus igitur cachinnos et risus vituperabiles. *Luc.* VI, 25. *Eccle.* VII, 7.

Detinens detine beatam spem, id est proficiendi fiduciam, *et gaudentem compunctionis lætitiam,* hoc est spiritualem jucunditatem compunctioni annexam : Deus enim contritos vicissim piissime consolatur; *quousque exhibeat te mundum Christo et sublevatum ab his prætereuntibus,* D id est a transitoriis et caducis. Vel sensus est : « Detinens detine beatam spem », hoc est, indesinenter persiste in spe consolationis divinæ, ut vanas consolatiunculas et risum omnino abjicias. Idcirco subjungitur quæ sit spes ista beata, hoc est res sperata : « compunctionis gaudentem lætitiam », ut scilicet in compunctione permaneas, risumque caveas, et spiritualem lætitiam quæ compunctionem concomitatur, exspectes, « quousque » spes seu

lætitia illa « exhibeat te Christo » purum, « et a prætereuntibus sublevatum », id est, tamdiu donec lætitiam experiaris, et ea gustata renuas consolari in rebus vilibus atque carnalibus.

Reforma in te ipso et scrutari ne cesses abyssum ignis æterni, hoc est, in corde tuo figura seu describe jugiterque metire magnitudinem et profunditatem quasi immensam ignis infernalis; *et immanes ministros,* id est atrocissimos dæmones, divinæ justitiæ exsecutores in reproborum punitione, saltem ad diem extremi judicii, post quod, ut aliqui dicunt, dæmones non amplius torquebunt homines condemnatos, sed dæmones simul et homines impii eisdem suppliciis torquebuntur juxta mensuram demeritorum suorum : tunc enim
I Cor. xv, 24. Christus evacuabit omnem principatum et potestatem; *impassibilem Judicem et absque indulgentia :* quia ex tunc Judex ille supremus nunquam flectetur, nec compatietur, neque ignoscet; *infinitum chaos flammæ infernalis,* quæ non lucebit, sed teter, tenebrosus et fœtidus permanet ignis ille sulfureus, spissus ac calidissimus; *et subterraneum locum terribilem et pavendum.* Infernus enim sub terra est, atque (ut dicitur) in medio terræ. Unde sanctus
Job x, 20, 21. Job dixit : Dimitte me antequam vadam ad terram tenebrosam. Isaias quoque propheta
Is. xxx, 33. eximius, Præparata est (inquit) ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata. *Et hiatuum tetros et angustos descensus,* id est infernalium apertionum obscura et stricta itinera deorsum tendentia; *et hujusmodi imaginationes talium rerum : quatenus immunditia et luxuria,* id est spirituali fornicatione aut carnali concupiscentia, *exsistente in anima nostra, concussa et deleta multo tremore,* hoc est ex ingenti pavore ex tali imaginatione infernalium tormentorum concepto atque tremorem corporis inducente, *accendatur anima tua incorruptibili castitate,* hoc est inviolabili mentis et corporis puritate, *faciente animam quæ recipit sanctam apparitionem,* id est veram et realem hujus castitatis præsentiam, *splendere plus omni igne,* hoc est omni corporali luce ac flamma clarius coruscare. Splendor namque virtutum incomparabiliter pulchrior est eminentiusque perornat omni materiali claritate ac luminari.

Sta in orationis obsecratione cum timore, hoc est, omni orationi timorate insiste, *sicut condemnatus est condemnanti adsistens,* id est reus judici in tribunali sedenti, *ut exstinguas furorem Judicis justi extrinseca specie et extrinseco timore,* id est exteriori humiliatione, apparatu ac dispositione : non quod exteriora valeant iram Dei exstinguere, nisi in quantum ex interiori radice sortiantur efficaciam hoc agendi. Reus autem sæpe stat coram judice manibus retro ligatis : ita et nos in secreto, pro excitanda devotione, possumus nos præsentare Judici summo manus retro tenendo, et accusare nos ipsos dicendo : Ecce, o sancte ac juste Deus, omnium judex, ego sum ille pravissimus fur et latro qui honorem et gloriam quæ tibi soli debentur, toties injustissime usurpavi, qui et peccando et alios scandalizando, tam frequenter sceleratissime interfeci animam meam et aliorum.

Non enim feret adsistentem sibi despicere animam viduam, et oppressam et dolentem, hoc est, Deus non permittet se ipsum contemnere animam sibi prætacto modo se præsentantem ac invocantem. Quæ anima dicitur vidua, id est solatio instar viduæ destituta, vel quia peccando fuerat Sponso cœlesti privata. Unde et e converso loquitur Jeremias : Non fuit Israel viduatus a Deo suo. Est quoque oppressa onere propriæ culpæ, seu timore supplicii, aut tentationibus inimici, et dolet de suis peccatis. Itaque non despiciet Deus hujusmodi animam [illegible] *potest,* videlicet omnipotenti et impassibili Creatori cui omnia atque facilia sunt. Cui metaphorice dicitur anima præstare et inferre labores in quantum importune orando et lacrymose insistendo, videtur quasi

extorquere ab eo gratiam concupitam, quam ipse interdum differt atque dissimulat dare. Unde ait per prophetam Isaiam :
Is. I, 14. Laboravi sustinens.

Si quis possidet lacrimas spirituales, hoc est, in promptu habet interiores gemitus et singultus contritionisque motus, *huic omnis locus aptus et congruus erit ad luctum ; si vero afficitur adhuc solum exterius,* id est, nondum interius affectus est, sed per exteriores gestus et modos sive objecta ad compunctionem se excitat, *et per corporales lacrimas operatur,* id est, orat et bona exercet, *modos et loca discernere non desistet,* hoc est, non cessat judicare atque eligere qui modi et quæ loca sint sibi magis expedientia ad obtinendum et exercendum talem compunctionem ad extra corporalemque fletum : sunt enim industriæ quædam ad hoc. Et magis convenit in secreto talia fieri. Ideo subditur : *Nam sicut thesaurus absconditus imprædabilior* (id est difficilius auferibilis) *est* a raptore, *eo* thesauro *qui est in foro,* puta in publico, *ita intelligamus præfata.* Quasi dicat : Sic et spiritualis et secretus luctus difficilius potest a dæmonibus tolli, quam luctus exterior et apertus compunctioque externa. Imo et luctus exterior, si fiat in loco occulto, securius possidetur, nec tam cito per inanem gloriam perditur.

Non sis sicut qui sepeliunt mortuos, et interdum plorant super eos, quandoque vero inebriant se propter ipsos, devorando bona eorum, vel se carnaliter consolando de morte illorum; *sed esto sicut qui sunt in metallis vincti, continuis horis flagellati a vulgaribus publicisque custodibus.* Ita et nos debemus esse in assidua compunctione, custodia et timore ac disciplina, omnemque dissolutionem vanitatemque ac voluptatem carnalem vitare. *Nam qui aliquando luget, et aliquando deliciatur ac ridet, similis est ei qui lapidat canem amoris concupiscentiæ,* id est amori concupiscentiali deditum ac subjectum, *cum pane : qui specie tenus eum persequitur,* hoc est, secundum exteriorem apparentiam vexat et ejicit canem projiciendo panem cum impetu super eum ; *re autem exhortatur eum asseverare,* id est, ipso facto allicit canem ad perseverandum secum. Ita qui aliquando luget, aliquando ridet, est sibi ipsi contrarius, et auget sibi ipsi quod defleat. Verumtamen recreatio modesta non prohibetur.

Esto mœrens absque amore ostentationis, ut scilicet non cupias apparere aut reputari compunctus, *ad cor tuum inquisitionem agens,* id est, te ipsum rite discutiens et conscientiam tuam examinans, ne quid vanitatis admisceat se. *Dæmones enim timent mœrorem* salubrem, *sicut latrones canes.*

O amici, non sumus ad præsens hic convocati ad nuptias carnales et sæculares, in quibus carnalitati et consolationi sensuali vacatur. *Igitur qui vocavit nos nunc in his* exercitiis, ad præsens cœnobium aut certamen, *vocavit nos utique ad luctum nostri ipsorum,* hoc est ad deplorandum nos ipsos.

Quidam lacrimantes violentant seu cogunt *importune se ipsos nihil penitus meditari in tempore illo beato* quo lacrimantur, *non intelligentes quod lacrimarum effusio facta sine intentione et meditatione, propria est irrationalis naturæ, non rationalis,* id est, bestiis congruit magis quam homini. Lacrimari ergo debemus cum intentione veniam implorandi, ac Deo placendi, et cum meditatione devota seu consideratione culparum nostrarum. *Lacrimæ sunt genimen,* hoc est effectus seu proles, *intentionum et meditationum :* quia ex recta intentione et salubri meditatione oritur luctus exterior fructuosus. *Rationalis vero intellectus,* id est discretus ac vera sapientia decoratus, *est pater meditationis ac intentionis :* nam talis intellectus excludit phantasias inutiles, et salutares considerationes parit ac fovet.

Reclinatio tua in stratu tuo fiat tibi figura reclinationis tuæ in sepulcro, hoc

est, dum ponis te ad dormiendum in lectulo, cogita quod cito ita poneris in monumento, *et minus dormies :* meditatio enim talis minuet somnum. *Et convivatio tua in mensa fiat tibi rememoratio dolorosæ partis mensæ vermium illorum*, hoc est, quando manducas, cogita quod corpus tuum paulo post comedetur sub terra a vermibus, *et minus delectaberis* in cibo ac potu. *Neque potum aquæ sumens oblivisceris sitis illius quæ est in flammis inferni, et omnino violentabis naturam*, id est, concupiscentiam potandi refrenabis ac vinces, ac te ipsum domabis. *In honorabili præsidentis ignominia, redargutione et increpatione*, hoc est, quando a præsidente aliquid ignominiæ patimur, aut increpamur (quæ exercitatio seu redargutio honoranda est et reverenter suscipienda), *intendamus ac meditemur pavendam sententiam Judicis summi*, qui dicit iniquis,
Matth. xxv, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum ; *et superseminatam in nobis irrationabilem tristitiam et amaritudinem* ex tali increpatione et exercitatione conceptam, *penitus occidemus mititate et patientia, quasi gladio ex utraque parte acuto*.

Job xiv, 11. *In tempore mare dispergitur*, id est, aqua maris suo tempore fluit ac refluit, *sicut dicit Job; et præfata* exercitia optima *adveniunt et perficiuntur in nobis et ad modicum et paulisper, et in tempore*, hoc est, paulatim et successive, aut cito, Deo id operante, *et in patientia*, hoc est per patientiam, quæ specialiter necessaria est ad exercitia ista.

Memoria ignis æterni singulis vesperis cœnet et dormiat tecum, id est, tibi cœnanti ac dormienti fixe inhæreat, *et tecum pariter surgat*, ita ut memoriam illam resumas statim quando evigilas et consurgis; *et negligentia nunquam dominabitur tibi in tempore psalmodiæ*, imo nec in aliis actibus tuis.

Agat et persuadeat te ad operationem luctus et ipsum tuum vestimentum, hoc est, nigra vestis monastica qua es indutus, moveat et informet te ad lamenta salubria. *Omnes enim qui lugent mortuos, vestiunt se vestibus nigris. Igitur si non luges, propter hoc luge*, quia non luges, et tuam deplange duritiam ; *si autem luges, propter hoc magis lamentare, quia subinduxisti te ipsum ex ordine, qui sine dolore est, ad dolorosum*, id est, ex ordinatione, quæ in se jucunda ac dulcis est, deduxisti ac transtulisti te ad inordinationem, quæ in se exstat pœnalis (unde et animus inordinatus sibi ipsi pœnalis est), *propter duas offensiones*, hoc est per commissionem illiciti et omissionem præcepti sive consulti : his enim duobus modis peccatur. Porro qui peccat, recedit ab eo quod est secundum ordinem, et cadit in inordinationem : unde peccatum dicitur corruptio modi et speciei ac ordinis.

Virtus naturæ penitus judicatur a bono et justo Judice nostro in lacrimis, sicut et in aliis universis, hoc est, Deus demonstrat nobis per lacrimas nostras, quemadmodum et per alia exercitia seu opera nostra, quid ex naturali virtute seu potentia valeamus : nam sine gratia supernaturali gratum faciente, possumus lacrimas copiosas effundere; non autem possumus modice lacrimari ex vera contritione sine hujusmodi gratia. Ideo sequitur : *Vidi enim parvas guttas cum dolore*, id est contritione, *effusas, et vidi fontes lacrimarum sine dolore* tali *emanantes : et ego judicavi laborantes magis secundum dolorem*, [illegible], hoc est, reputavi illum qui modicas lacrimas fudit ex interno dolore salubri, meliorem illo qui planxit copiosissime non ex tali dolore, sed ex causa non meritoria, id est ex radice non virtuosa; *arbitror autem quod et Deus sic judicet*.

[illegible], id est, theologicæ facultati studere et libros theologicos profundos perlegere et in speculativis ac difficilibus quæstionibus occupari, non convenit insistentibus luctui pœnitentiali. [illegible], id est, tollit et impedit, [illegible]

denti magistraliter super thronum, id est in cathedra magistrali : occupatur enim in altis et magnis materiis. *Lugens autem comparatur sedenti in sterquilinio et in sacco :* quia versatur circa defectuositates et culpas suas, seque in cunctis humiliat. Denique intenta occupatio circa unum objectum, impedit aut minuit occupationem circa aliud : idcirco occupari in theologicis, sublimibus et speculativis materiis, impedit aut remittit occupationem circa moralia, et circa vitia propria, et circa practica seu agenda. Quod verum est secundum legem communem : nihilo minus quidam, ex speciali gratia Dei, fuerunt circa theologiam vehementer intenti, et cum hoc perfecte lugentes, quemadmodum divinus Dionysius, S. Hieronymus, Gregorius, Thomas, et alii multi. Nam viri discreti, perfecti et sapientes, singulis horis certa et singula exercitia deputant, et prompte ab uno in aliud se convertunt. Qualis etiam fuit Psalmista, sicut subjungitur :

Et hoc est, ut arbitror, quod magnus David, licet doctor et sapiens esset, utpote propheta et rex atque instructor populi sui, *respondit,* id est, in spiritu prævidit Ps. CXXXVI, 3, 4. respondendum, *ad interrogantes quum fleret : Quomodo (inquiens) cantabimus canticum Domini in terra aliena, scilicet vitiosa?* quasi dicat : Quando intenti sumus considerationi vitiorum nostrorum, cantare et psallere non sic libet aut vacat.

Et in creatura et in compunctione est per se motus, hoc est, sanctus David ex contemplatione creaturarum « et in compunctione » sequente ex tali consideratione, « est motus » per lumen naturale et per gratiam illud lumen perficientem, *et ex altero motus,* id est, ex supernaturali et anagogica illuminatione multo sublimius « motus » est ad contemplationem Creatoris compunctionemque cordis. Si autem « motus » nominaliter accipiatur, sensus est quod « motus » quidam « per se » consistit « in creatura », id est consideratione seu speculatione illius, atque « in compunctione » inde exorta, ad quam pertingit quis per ea quæ sunt in se; consistit quoque « motus ex altero », quoniam ex præveniente gratia interdum movetur homo ad contemplationem et compunctionem sine conatu et præparatione sui ipsius ad eas, sicut subjungitur.

Quando anima nostra fit lacrimosa, devota et mansueta, nobis non festinantibus vel studentibus ad hoc, *nec adinvenientibus quidquam* per quod excitemur aut disponamur ad hujusmodi alterationem aut gratiam; tunc *curramus,* hoc est, frequenter ac fortiter sequamur motum gratiosæ et prævenientis visitationis hujusmodi. *Dominus enim non vocatus advenit,* id est, non rogatus nos visitavit, *tradens nobis spongiam tristitiæ Deo dilectæ,* id est gustum contritionis, et salubrem tristitiam et fletum ex ea provenientem, videlicet *aquam refrigerationis devotarum piarumque lacrimarum, ad deletionem earum quæ sunt in charta offensionum,* id est valentium ad delenda peccata nostra, quæ scripta sunt vel memoriter tenta ab adversario nostræ salutis. *Custodiamus eam ut pupillam oculi, donec recedat,* id est, diligentissime conservemus in nobis hanc gratiam, quousque absque culpa et negligentia nostra dispensative tollatur seu cesset a nobis. *Multa enim est virtus ac potentia hujus compunctionis super compunctionem provenientem ex nostra sollicitudine, festinantia et meditatione intenta,* id est, compunctio desuper infusa ex præventione piissima, est multo efficacior ac virtuosior illa quam propria cura et festinatione ad eam ac prævia meditatione acquirimus.

Non ille qui luget quando vult, pervenit ad pulchritudinem luctus, sed qui luget in his quæ vult, hoc est, ad luctum vere virtuosum et spiritualiter pulchrum perductus est non ille qui ad libitum potest fundere lacrimas, sed qui luget ex causis ex quibus voluntas sua movet eum ad luctum; si tamen et alia concurrant ad hoc, secundum quod subditur : *et neque*

qui luget in his quæ vult, pervenit ad pulchritudinem luctus, *sed qui luget quod debet, et quemadmodum Deus vult*, id est ex rationabilibus causis et cum moderamine absque desperatione. Oportet namque ut ratio dirigat voluntatem, et ratio ipsa agat secundum legem divinam, prout Deus requirit.

Lugere secundum Deum, fecit plerumque amplexari ingratissimas lacrimas gloriæ vanæ, hoc est, promptitudo lugendi salubriter, est sæpe occasio lugendi ex gloria vana, in quantum ex tali luctu salubri occasionaliter oritur vana complacentia sui ipsius, aut præsumptio de propriis viribus : per quod fit homo ingratissimus Deo, et ingratissimas lacrimas fundit, dum ita abutitur dono Dei, et illud partim adscribit meritis aut viribus suis, et complacet sibi in se. *Istud autem probe et bene pie cognoscemus verum esse, quando viderimus nos ipsos lugentes et malignantes :* hoc est, quando experimur quod tempore luctus nostri habemus motus vitiosos iræ, impatientiæ, amaritudinis, indignationis, tunc constat et scire valemus, quod non omnis fletus sit virtuosus, et item quod non omnis plorans dum vult, pervenit ad pulchritudinem luctus. Similiter, lugens ex complacentia sui cum gloria vana, est malignans adversus Deum, aspernaturque alios, et extollit se ipsum, nec pulchre sed turpiter luget.

Compunctio proprie est dolor animæ non elatus, id est superbiæ non admixtus, *nullam consolationem* carnalem, illicitam, *præbens sibimetipsi, solamque suam resolutionem*, id est mortem, *imaginans omnibus horis, et exspectans consolationem Dei consolantis humiles monachos, quasi frigidam aquam*, id est ferventer, quemadmodum calefactus ac sitiens appetit frigidum potum. Vel « quasi frigidam aquam », quoniam ipsa consolatio Dei est spiritualis potatio ac recreatio animæ : de
Is. xxvi, 19. qua loquitur Isaias, Ros tuus, ros dulcis;
Apoc. xxii, 17. et Christus in Apocalypsi, Qui sitit veniat, et bibat aquam vitæ gratis.

Quicumque possederunt luctum in sensu cordis, id est ex cordiali affectu, *habuerunt odio vitam suam, tanquam exsistentem conciliatricem*, id est procuratricem et causam, *alicujus rei lacrimosæ et lacrimabilis ac lamentabilis*. Oderunt tales vitam suam non secundum suam substantiam, sed in quantum est origo et causa diversarum culparum ac miseriarum quæ sunt lacrimose ac lamentabiliter deplangendæ, et in quantum eam castigant quotidie. Juxta quem modum ait Salvator : Qui Joann. xii, 25.
odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Corpus vero suum averterunt*, id est, afflixerunt atque a suis concupiscentiis retraxerunt, *quasi inimicum :* nam et propria caro est unus trium hostium animæ.

Quando intuemur superbiam manifestam ac inexcusabilem ac diu durantem *in his qui videntur secundum Deum lugere, horum lacrimas reputemus contrarias* fletui salutari, quia non oriuntur ex vera humilitate et compunctione sincera. *Nam cordis elatio et propria reputatio est germen*, id est effectus ac filia, *illegitimæ compunctionis*, quæ venit ex inani complacentia sui, aut simili causa culpabili : estque compunctio illa ficta et fallax. *Laudabilis vero est humiliatio* qua quis se ipsum vere et sponte humiliat, *et consolatio* tali humiliationi conjuncta exstat laudabilis, non autem consolatio quæ spirituali superbiæ et vanæ gloriæ admiscetur.

Sicut ignis consumptivus est stipulæ, ita et lacrimæ castæ, id est sinceriter virtuosæ, sunt consumptivæ *omnis inqui-* [illegible] *rentis*, id est, omnis vitii interioris intus latentis, et omnis peccati quod foris apparet.

[illegible] ac da-tur [illegible], id est obscurus [illegible], id est non faciliter intelligibilis aut experibilis, [illegible] hoc est, novitiis qui recenter instituuntur, ser-

mo iste est præsertim obscurus et invenibilis difficulter. *Ex multis namque et differentibus modis ipsas parturiri dicunt,* id est, lacrimas asserunt generari ex variis ac differentibus causis; *dico vero, ex natura, ex Deo, ex tribulatione contraria,* hoc est, lacrimas dico oriri quandoque ex naturali dispositione et causa (sicut quidam ex quadam naturæ mollitie faciliter lacrimantur, potissimum feminæ), interdum vero sunt ex gratia Dei, quandoque ex duritia adversitatum ; *quandoque ex laude et laudatis,* id est, quidam resolvuntur ad fletum ex laude sibi oblata, et quia de virtutibus se audiunt commendari : quod malum est. Porro si quis tam invite se audiat laudari, eo quod humiliter se condemnat, hoc valde laudabile est. Interdum oriuntur *ex vana gloria;* quandoque *ex fornicatione,* quandoque *ex ebrietate.* Si ex fornicatione in quantum offensiva est Dei quis ploret, commendabile est; si autem quia delectat, hoc pessimum est : sicut nonnulli præ lætitia lacrimantur dum male egerunt juxta omne desiderium suum. Quidam vero ad lacrimas proni sunt dum bene biberunt. Quandoque lacrimæ oriuntur *ex caritate,* interdum *ex memoria mortis, atque ex aliis multis causis.*

Nos vero cum Dei timore exercitantes et discernentes et excolentes modos universorum istorum prædictorum lugentium, ita ut vituperabiles modos discernamus ab aliis ac vitemus, separando pretiosum a vili, *adipiscamur mundas lacrimas nostræ resolutionis,* id est ex mortis memoria provenientes, *sine dolo,* id est absque simulatione et hypocrisi. *Nam elatio propriæ reputationis non est in lacrimis istis, aut furtum,* id est desiderium proprii honoris : quod spirituale est furtum, quum omnis honor Domino debeatur pro sua dignitate et pro beneficiis suis; *magis vero est in eis purgatio* a peccatis, *et profectus caritatis in Deum, et peccati consumptio, et impassibilitas,* id est plena reformatio, *passionum.*

A *Plerumque enim qui lugent, incipiunt lacrimari ex bonis initiis,* id est rationabilibus causis, et ex devotione et compunctione, *et desinunt in maligna,* id est, ad vanam gloriam et spiritualem superbiam ruunt occasione lacrimarum suarum : *et non est mirum,* propter nimiam fragilitatem et pronitatem mentis humanæ ad mala. *At ex contrariis et naturalibus transmutari et inseri in spiritualia,* hoc est, ex malis et naturalibus affectionibus converti ad meliora ac virtuosa, et toto affectu B absorberi et affici illis, *est vere utique laude dignum. Hanc propositionem,* id est veritatem hujus dicti, *clare sciunt qui erga vanam gloriam repentes inclinabilius se habent,* id est, qui ex naturali dispositione aut prava consuetudine intensius afficiuntur ad gloriam vanam, temporalem honorem et laudem humanam. Hi certe per experientiam scire valent quam præclarum sit, per indesinentem conatum ex tali inclinatione aut usu transformari ad affectum purum divini honoris, et soli C Deo velle placere atque in eo tantummodo gloriari.

Ne tradas fidem fontibus tuis, id est, non credas te sufficienter plorasse, vel non præsumas nimis assertorie quod vere a Deo sint lacrimæ tuæ, *ante perfectam purgationem* a vitiis. Imperfecti enim facilius possunt falli circa qualitatem atque originem lacrimarum. *Non enim fidem habet vinum ex canalibus confestim exhaustum,* id est, de vino ex vase mox tracto non creditur quod valens sit coloremque D tenens, sed ad tempus reponitur et probatur : sic et de fide lacrimarum est sentiendum, secundum sensum prætactum. *Nemo etenim contradicit quod multæ lacrimæ exsistentes secundum Deum, sint multum proficuæ; quæ vero earum utilitas, cognoscemus* per experientiam certam *in tempore mortis,* hoc est in hora particularis judicii nostri, quod fit tempore obitus.

Quicumque graditur in incessabili luctu secundum Deum, non desistit quotidie

agere diem festum : est enim in devotione A et alacritate assidua, et abstinet a negligentiis ac peccatis. *Qui vero non cessat corporaliter agere diem festum,* hoc est,
Ps. LXXII, 5. qui otiis vacat et in labore hominum non est, *hunc luctus æternus suscipiet in futuro.*

In carcere non est gaudium his qui acceperunt damnationis sententiam; et veris monachis non est super terram festivitas, id est cultus exterior, otiositas et sæcularis celebritas. *Quocirca pulchre dixit* Psal-
Ps. CXLI, 8. mista *suspirans ac lugens : Educ de carce-* B *re animam meam, ut deinde exsultet in lumine tuo arcano,* id est, incomprehensibile lumen increatum beatifice intuendo plenissime delectetur.

Esto tanquam rex altus sedens in corde tuo in humilitate, hoc est, instar regis præside tibi ipsi in consistorio cordis tui
Matth. VIII, 9. cum humilitate, *jubens risui, Vade,* id est, recede a me, *et vadat; et dulci luctui, Veni, et veniat.* Dicitur autem luctus salubris dulcis, ob causas præhabitas. *Et servo nostro et tyranno corpori, Fac hoc,* C *et faciat.* Porro corpus dicitur tyrannus,
Galat. V, 17. quoniam concupiscit adversus spiritum, et irrationabiliter ei resistit.

Si quis induit luctum beatum et gratiosum, quasi diploidem sponsalem ac nuptialem, iste cognovit spiritualem animæ risum, id est consolationem internam, ex-
[illegible] 22. periendo eamdem : quia post fletum Deus exsultationem infundit, et spes veniæ ad mixta est fletui tali, potestque dicere ho-
Ps. XCIII, 19. mo ille, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ D lætificaverunt animam meam.

Quis ergo est talis, id est tam perfectus, *qui omne tempus suum* quo fuit in Ordine, *consummavit tam pie in conversatione monastica, ut* [illegible] *qua hora neque momento fecerit perp*[illegible] *utcumque,* id est qualitercumque, *damnum* spiritualis profectus per commissionem aut omissionem, [illegible] *rit Domino,* id est conversationem suam obtulerit irreprehensibiliter Deo, *existimans quia non contingit hanc ipsam horam et diem iterato videre in vita præsenti?* Nam tempus præteritum revocari non valet. Quasi dicat : Vix est aliquis talis; nam et hoc est super hominem.

Beatus vero monachus qui intellectualibus virtutibus potest intendere sursum oculis animæ, hoc est, qui per donum sapientiæ et intellectus atque scientiæ, per fidem, spem et caritatem, potest prompte ac limpide contemplari divina. Caritas quippe movet et excitat ad contemplationem; spes quoque inducit ad idem. *Sed cadere vere non potest, qui genas suas indesinenter rigat aquis viventibus ex memoria mortis et offensionum,* hoc est culparum suarum, aut etiam desiderio regni cœlestis, aut ex compassione dominicæ passionis, vel ex serenissima ac suavissima complacentia Dei, aut ex compassione fraterna. *Non laboro credere,* id est, firmiter credo ac agnosco, *quomodo prior,* utpote contemplator, *transivit per conscensionem secundam,* hoc est, per fletum præfatum ascendit ad contemplationis sublimitatem.

Vidi pauperes inverecundos ac mendicantes, sub compendio inclinantes corda regum ad compassionem elegantibus verbis, id est per apta et pulchra eloquia, quibus propriam indigentiam et regum excellentiam expresserunt. Ita et nos spiritualiter mendicantes panem supersubstantialem, sacramentalem, intellectualem a Deo, possumus summum Regem ad subveniendum ignoscendumque provocare, exprimendo affectuose propriam defectuositatem, ærumnam et culpam, Dei quoque omnipotentiam, pietatem et munificentiam collaudando [illegible] utpote imperfectos, [illegible] tes (inquam) *inconfuse et perseveranter;* [illegible]

vim, hoc est, precibus suis tam importunis, tam impetuose ferventibus, tam incessanter effusis, Deum quasi superasse et compulisse videntur ad exaudiendum, secundum sensum vicissim inductum. Tales potissime exstiterunt devotissimi illi in-
p. 137 in fine et s. carcerati, de quibus supra dictum est.

Qui de suis lacrimis animaliter, id est insipienter, *inflatur, et non lacrimantes in se ipso dijudicat, similis est ei qui contra inimicos postulavit armaturam a rege, et se ipsum occidit per eam.* Sic enim et talis utitur lacrimis suis ad sui ipsius interitum, dum temere judicat alios, et stulte superbit de dono Dei, non pensans
I Cor. IV, 7. illud Apostoli : Quid habes quod non accepisti?

O amici, Deus non eget nec vult hominem lugere ex cordis mœstitia ac dolore, sed multo magis vult eum *exsultare in risu,* id est gaudio, *animæ ex caritate in ipsum* Deum, ut scilicet beatitudini Dei amorose congratuletur. Deus namque non requirit ab homine luctum pœnitentialem principaliter ac directe, sed secundario et ratione peccati superinducti; principaliter vero et directe vult Deus ut homo ex caritate glorietur in ipso. Ideo subditur : *Aufer peccatum, et superfluus erit dolor* pœnitentialis *et mœstitia lacrimarum sensibilibus oculis effusarum* ex tali dolore. *Non enim necessaria est rasio, cicatrice non exsistente.* Nec opus est medicina, si non est læsio neque infirmitas. *Non erat profluvium lacrimarum in Adam ante prævaricationem, quemadmodum nec post resurrectionem erit, peccato destructo,*
Apoc. XXI, 4. *quoniam fugiet dolor et tristitia atque suspirium* a Beatis.

Vidi in quibusdam luctum, loquendo in generali. *Vidi in aliis luctum propter penuriam luctus,* id est, aliquos vidi se ipsos deflere, quoniam gratiam lacrimarum non habuerunt prompte ad libitum : *qui licet sint habentes* luctum interiorem assidue, luctum quoque exteriorem interdum, *afficiuntur tamen tanquam non detinentes,* hoc est, reputant se quasi non servent luctum in se; *et per ignorantiam pulchram et bonam,* qua ignorant se habere luctum interiorem multo præstantiorem solo luctu exteriori, *imprædabiles manent,* id est, tam fortes et fixi in humilitate quod diabolus non potest eos spoliare luctu interiori ceterisque charismatibus Spiritus Sancti. Interea ignorantia ista dicitur pulchra et bona, non in quantum ignorantia (imo perfectius est habere scientiam ei oppositam, ut sciat homo quæ a Deo donata I Cor. II, 12.
sunt sibi), sed in quantum fit illis nondum perfectis occasio majoris humilitatis et inspoliabilitatis. *Et hi sunt de quibus dicitur : Dominus sapientes facit cæcos,* ita Ps. CXLV, 8.
quod salubriter quædam ignorant.

Solet enim donum lacrimarum magis vacuos, id est imperfectiores, *plerumque extollere. Quamobrem quibusdam non datur, ut affligant se ipsos in suspiriis et mœrore atque tristitia animæ, privatione et inquisitione doni istius,* id est, ob hoc quod privati sunt gratia lacrimarum et eam adhuc exquirere indigent, *et angustientur profunda contristatione et extenuatione penuria luctus. Quæ naturaliter et sine periculo habent locum supplere lacrimarum,* hoc est, suspiria, mœrores afflictionesque istæ venientes ex hoc quod gratia lacrimarum non adest, ex sua natura secure supplent luctus defectum, nec homo ita faciliter ex illis inflatur sicut ex luctu, qui reputatur speciale ac evidens signum internæ devotionis; *quamvis et hoc,* quod scilicet talia habent sine luctu exteriori, *convenientius reputetur ab eis pro nihilo,* in quantum per hoc magis humiliant et contemnunt se ipsos.

Observantes, id est, diligenter considerantes nos ipsos, *inveniemus frequenter amarum derisum in nobis a dæmonibus factum,* id est, graviter nos illusos ab illis reperiemus. *Quum enim saturati fuerimus, compungunt nos devotione et lacrimis,* id est, ad fictam devotionem et fletum nos incitant, proponendo nobis interius imaginationes mortis ac inferni; *et rursus indurant nos jejunantes ac vigilantes : ut*

lacrimis adulterinis seducti, tradamus nos matri omnium vitiorum, videlicet deliciis gulæ, quasi tunc magis apti ad devotionem et planctum. *Quibus talibus,* utpote fallacibus dæmonibus, *non convenit obedire,* gulam admittendo; *magis vero convenit contrarium facere,* sobrietati et abstinentiæ inhærendo. Porro qualiter gula sit mater omnium vitiorum, infra dicetur. Grad. xiv.

Ego vero intelligens et ipsam qualitatem compunctionis, quæ in se amara est, *stupeo qualiter luctus et secundum Deum tristitia possident gaudium spirituale et complexam lætitiam,* hoc est consolationem virtualiter eis inclusam, *quasi favum mellis,* id est tanquam dulcissimum aliquod. Qualiter autem hoc fiat, dictum est sæpe. (Cf. p. 172 B.) *Quid ergo docemur ex hoc?* Ad quod respondet : *Quia talis compunctio dicitur proprie esse donum Dei,* qui animam taliter consolatur. *Tunc vero est in anima delectatio absque delectatione,* id est delectatio spiritualis sine carnali, seu delectatio dolori permixta, *Deo latenter consolante contritos corde,* de spe veniæ, et aliis modis. Porro si textus habeat, *Tunc non est in anima delectatio sine delectatione,* est sensus, quod in tali casu est in anima delectatio vera et digna.

Ad occasionem ergo habendam *luctus utique efficacissimi ac salutiferi manifeste utilisque doloris, audiamus narrationem proficuam animæ et miserabilem nimis. Stephanus quidam habitans in isto eodem montis Sinai loco, solitariam et tranquillam salutans,* id est, beatificans ac diligens, *vitam et quietem ab aliis remotam, plurimisque temporibus permanens contritus in palæstra,* id est exercitio atque certamine conversationis monasticæ, *ornatus permaxime jejuniis et lacrimis, et circumseptus,* id est circumdatus ac repletus, *aliis pluribus exuberantibus bonis, habuit cellam in sancto hoc monte juxta desertum* [illegible] *contemplatoris Dei. Iste ergo, iste perpetuus Stephanus,* id est perpetua memoria dignus et quantum ad animam immortalis, *ductus intentione pœnitentiæ efficacioris et dolorosioris, intravit locum anachoretarum nomine Syddin,* etc. *Cujus gratia soli cognoscenti gloria,* id est, de qua re sit gloria Deo, qui solus ex se ipso cognoscit cur istud sic contigit. (p. 169 in fine.) *Quidam autem veraces mihi dixerunt, quod Stephanus iste pascebat leopardum venientem ad se in deserto. Et ecce hic tantus, constitutus sub exactione rationis, recessit a corpore non faciens penitus certitudinaliter manifestum quod fuerit ejus judicium, aut quæ sententia de ipso prolata sit, et quis finis rationis exactæ.*

Quemadmodum vidua virum suum abjiciens, id est, defunctum sepeliens, seu morientem relinquens, *et unicum filium habens, illum solum habet consolationem post Deum; ita animæ peccatrici non est similis consolatio in tempore exitus sui, sicut laborasse contra gulam, et lacrimæ* pro peccatis.

Tales nunquam melodizabunt apud se ipsos, hoc est, seorsum non cantabunt suaviter, *neque jubilabunt in hymnis,* id est, non discantabunt nec aliquid levitatis aut petulantiæ ostendent in voce in laudibus Dei : *nam talia sunt naturaliter exterminativa luctus. Si per hoc adinveneris advocare luctum, longe distat a te operatio et misericordia ejus,* id est, si scis aut soles te provocare ad fletum per melodiam aut cantum hujusmodi, longe es a luctu salubri atque a fructu et gratia et meritis ejus. Verumtamen multi devoti et sancti fuerunt frequenter moti ad lacrimas ex cantu et melodia Ecclesiæ, sicut et Augustinus de se ipso testatur. Sed ille fuit cantus devotus, et magis movebantur ex sensu verborum et contemplatione sublimium, quam ex sono aut melodia : quæ tamen interdum disponunt ad compunctionem et contemplationem. Propter quod Eliseus fecit psaltem adduci, quo psallente [illegible] factus est super eum Spiritus Domini, et prophetavit. [illegible] *qualificatus ignitæ,* id est compunctionis fervore ornatus, [illegible]

impassibilitatis in multis, hoc est, luctus iste multos disposuit ac perduxit ad plenam reformationem a motibus passionum; *et luctus est prævertens et præscopans et præconsumens silvam,* hoc est, luctus iste præ ceteris pœnitentiæ actibus evertit, abradit ac tollit sterilia opera vitiorum præteritorum, et imminentia vincit, futuraque præcavet.

Narravit mihi quidam probatus operator luctus istius, Quia adveniens quidam narravit mihi exportari, id est, tentator mihi suggessit ut efferrer et prorumperem *plerumque ad gloriam vanam, vel ad iram, aut ventris satietatem. Cogitatio autem luctus intus clamans contestabatur me,* id est, sub protestatione hortabatur me, *dicens : Ne vane glorieris, quia recedam a te,* si egeris hoc. *Similiter et in aliis passionibus et vitiis,* id est, quando de aliis peccatis tentamur, cogitatio luctus suggerit non esse consentiendum, alioqui luctus recedet a nobis. *Ego vero dixi ad eum,* puta ad tentatorem : *Nunquam ero tibi obediens, donec repræsentes me Christo.* Quasi dicat : Quia hoc nunquam facturus es, nunquam consentiam tuæ suggestioni. Aliqui autem textus habent *inobediens;* et tunc iste est sensus : « Ego vero dixi ad eum », puta ad luctum, « nunquam ero inobediens tibi » prohibenti mihi inaniter gloriari, irasci et saturari, « donec repræsentes me Christo », id est usque ad horam mortis, quando præsentabor Judicis tribunali : non quod postea inobediens tibi ero, sed quia postea non erit tempus merendi aut demerendi.

Nempe abyssus luctus vidit consolationem, hoc est, profundus et incessabilis fletus meruit atque obtinuit consolationem supernam; *munditia vero cordis suscepit illuminationem divinam,* imo et Dei inspectionem, quemadmodum scriptum est:
Matth. v, 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Illuminatio est arcana operatio incognoscibiliter intellecta, et invisibiliter visa. Illuminatio activa divina, est Deus il-
A luminans, qui est « incognoscibiliter » intellectus, quia sic intelligitur a nobis in vita hac, quod a nobis comprehendi non potest; sic et « invisibiliter » visus est, quia a mente per fidem et sapientiæ donum, aut etiam per naturalem rationem sapientiamque acquisitam, videtur, et tamen nec corporaliter neque per speciem videri potest in vita præsenti, juxta quod scriptum est, Deum nemo vidit unquam; et, Non *I Joann.* IV, 12.
videbit me homo et vivet. Porro illuminatio passiva divina, est occulta « operatio » *Exod.* XXXIII, 20.
B Dei in anima, utpote supernalis ostensio veritatis. Quæ operatio est « incognoscibiliter intellecta », hoc est, ignote nota, et note ignota : quia et aliquo modo cognoscitur, et plene certitudinaliterque non scitur, quoniam nescit homo an exsistat in *Eccle.* IX, 1.
caritate, sine qua illuminatio de qua jam sermo est, non habetur. Sicque « invisibiliter visa » est visu interiori, quo tamen perfecte non cernitur. Ideo scriptum est : Quasi furtive suscepit auris mea venas su- *Job* IV, 12.
surrii ejus ; itemque : Spiritus ubi vult *Joann.* III, 8.
C spirat, et vocem ejus audis ; et tamen nescis unde veniat, aut quo vadat ; et rursus : Si venerit ad me, non videbo eum, etc. *Job* IX, 11.

Consolatio est refrigeratio in dolore animæ, hoc est, consolatio spiritualis divina, est relevamen interioris doloris, et quædam exhilaratio mentis procedens ex contemplatione aut spe felicitatis futuræ, sive ex alia consideratione salubri aut causa pia : refrigeratio, inquam, habens se *instar parvuli plorantis cum singultibus in se ipso, et clare pariter subridentis.*
D Quemadmodum enim infantulus, matre subtracta ex oculis ejus, graviter plorat, eaque denuo visa, cum ploratu subridet; ita in refrigeratione hac sibi invicem miscentur dolor et gaudium : dolor in exitu proprii mali, gaudium ex intuitu alicujus boni divini.

Opitulatio est recreatio et renovatio animæ deorsum labentis præ tristitia. Opitulari quippe idem est quod auxiliari. Quum itaque Deus piissimus videt animam ex consideratione suorum periculorum et vi-

tiorum, atque infirmitatum ac tentationum, seu onere adversitatum suarum, deficere, cadere, et pusillanimitate mœroreque obrui, subvenit ei, eam confortans ac recreans per gratiam, illuminationem et inflammationem Spiritus Sancti. « Recreatio et renovatio » illa virium animæ, dicitur « opitulatio », *mirabiliter transformans ac reparans profluvium lacrimarum dolorosum in non dolorosum.* Istud enim profluvium lacrimarum est « dolorosum », secundum quod oritur ex compunctione et lugubri ac pœnali contritione; est quoque « non dolorosum », quoniam consolatio ei miscetur ac recompensatur. Hoc profluvium, opitulatio ista, transformat, id est, in melius mutat. Quum enim anima cadit deorsum ac deficit, solet lacrimari ex desolatione et pusillanimitate : quam lacrimationem opitulatio ista convertit in luctum salubrem, sicque fletum fructuosum jam ante peccando deperditum, reparat et instaurat.

Profluvium lacrimarum parit timorem. Qui enim sua deplorat peccata, meretur boni timoris augmentum, et roboratur ac renovatur in timore divini judicii ac futuri supplicii. Frequenter quoque ex timore oritur fletus. *Timore vero pariente securitatem, superavit gaudium,* vel, ut aliqui habent, *superapparuit.* Deus etenim videns animam piam grandi formidine affici et affligi, miseretur et infundit ei fiduciam atque probabilem securitatem, ex qua oritur gaudium spirituale superans, abundans, ac desuper veniens. *Gaudio vero indesinente finiente,* id est, gaudio spirituali cessante ad horam : quod tamen indesinens est, quia non penitus cessat, imo nunc inchoatur et multoties iteratur, atque in futuro perpetuatur : *exortus est flos caritatis,* id est, fervor, decor et viror divini amoris exsurgit ac innovatur : nam is qui sortitur a Deo præfatam securitatem ac magnam lætitiam, inflammatur ac roboratur ex talibus donis Dei in amore ipsius. Aliqui autem habent : *Gaudium vero indesinente finiente.* Et tunc sic intelligi potest, quod anima « indesinente », id est immortali, « finiente gaudium » suum; vel, Deo « indesinente », id est æterno, « finiente » in anima « gaudium », exortus est, etc.

Declina et repelle manu, id est virtute et actu, *humilitatis, gaudium peregrinans,* id est consolationem interiorem peregrinationis præsentis, *tanquam indignus* consolatione divina in hac vita, *ne exsistens nimis levis ad recipiendum* consolationem interiorem, *recipias lupum pro pastore,* hoc est consolationem fallacem et diabolum ejus auctorem, pro consolatione vere divina et pro Christo ejus auctore. Potest namque diabolus quamdam fictam devotionem et deceptoriam consolationem dispositive generare in anima : idcirco non statim credendum est consolationi advenienti, quod vere a Deo sit.

Non præcurras contemplationi in tempore non contemplationis, hoc est, non te des nec ingeras te ad contemplandum eo tempore quo agendum est aliud. Quod intelligendum est de contemplatione tam intensa, ut impediat alios actus bonos tunc faciendos. Actio enim virtuosa exercenda est loco et tempore opportuno. Porro si quis desuper præveniatur, ita quod mens ejus perstringatur repente lumine gratiæ, atque inopinatis excessibus feratur in Deum, sive tam valide præoccupetur contemplationis excessu et anagogico motu, ut resistere nequeat, ille non ingerit se contemplationi, et quandocumque hoc fiat, æquanimiter ferri debet. Sic ergo non ingeras te tempore indebito, *ut* contemplatio *insequens pulchritudinem humilitatis tuæ,* ex qua non vis contemplator coram aliis apparere, *jungat se* tibi perfectius postea [illegible] quæ sunt nuptiæ gloriæ æternalis [illegible]

[illegible]

[illegible] principio suæ cognitionis [illegible]

[illegible] Sic enim et agnus [illegible] tur [illegible] patre [illegible] id est ex certa causa [illegible]

eo rursus a peregrinatione redeunte, puer repletur gaudio et mœrore : gaudio, quoniam videt patrem desideratum ; mœrore, quia formidat quod pater peregrinabitur iterum, et propter privationem bonæ pulchritudinis tanti temporis, hoc est ex timore quod iterum diu privabitur pulchra præsentia sui patris. Sic spiritualiter anima devota ex gratiosa Dei præsentia et suavi ejus experientia gratulatur, eisque subtractis tristatur, quibus denuo reparatis gaudet et mœret : gaudet enim de recuperatione boni optati ; mœret vero ac metuit ne rursus peccando illud amittat.

Mater abscondit se ipsam a parvulo suo, et jucundatur videns infantulum se quærentem cum dolore et lamentantem de sua subtractione : per hoc *instruens parvulum ut sibi indesinenter adhæreat, sicque vehementer reinflammans affectio-*
Luc. XIV, 35. *nem amoris in parvulo ad se ipsam. Qui habet aures audiendi, audiat, dicit Dominus,* id est, spiritualiter ista intelligat. Sic enim æterna et increata Sapientia agit cum mente devota : cui interdum dispensative se subtrahit absque illius culpa, et videns mentem devotam contristari ac plangere eo quod putet se Deum et consolationem ejus amisisse per culpam, delectatur in hoc, et paulo post visitat eam suaviter ; ac per hoc edocet eam ut semper sollicita sit ne gratiosa sua præsentia unquam privetur, et divinum amorem ita accendit valenter in ea.

Condemnatus qui sententiam damnationis *accepit, non curat de dispositione spectaculorum : sic qui lamentatur ac efficaciter luget, non intendet aliquando deliciis, nec gloriæ* temporali, *nec iræ aut indignationi.*

Luctus est fixus et qualificatus, id est stabilis et radicatus, *mœror animæ pœnitentis, addens quotidie mœrores mœroribus et dolores doloribus, quasi parturiens et dolens pariens,* id est, sicut mulier parturiens sustinet doloris augmentum quousque projiciat fetum. Horum autem intellectus patet ex præinductis. Loquitur enim

A de ordinato et pœnitentiali dolore atque mœrore. Hinc ait sanctus pater noster Bernardus : Quosdam lugentes intueor ; sed si de corde venirent lacrimæ illæ, non tam cito moverentur ad risum.

Justus et sanctus Dominus, compungens exsequentem quietem solitariam ratione, id est, Deus est rationabiliter ac sapienter compunctionis gratiam tribuens ei qui solitariam vitam exsequitur rationabiliter et discrete, *et lætificans* deliciarique faciens *quotidie subjectum et subditum ratione,*
B id est, eum qui rationi subjicitur rationabiliterque obedit : ita quod tam solitarios quam in obedientia stantes pie ac dulciter visitat, quando et ipsi se rationabiliter habent juxta Patrum doctrinam, non secundum proprium caput. *Exsequens vero reliquum horum non absque segnitie,* id est, qui solitariam aut cœnobialem vitam exercet cum pigritia et torpore, *luctu privatur.* Talis enim fit levis, carnalis, externus, non carneum sed lapideum cor habens.

C *Expelle canem in profundissimo luctu advenientem, et supponentem Deum inviscerosum et incompassivum :* hoc est, repelle a te diabolum, qui persuadet tibi quando cordialissime luges tua peccata, quod Deus sit durus et implacabilis, ut per hoc ad desperationem te trahat, et ad cessandum a saluberrimo luctu. *Nam et si observaveris eum,* id est, nequitias ac insidias tentatoris istius recte perpenderis, *invenies eum tibi prædicantem ante peccatum,* id est, antequam pecces et ei as-
D sentias, *Deum esse compassivum, benignum et indulgentem,* quatenus per talem suggestionem faciat te ad peccandum audacem, quasi postea pœnitentiam sis acturus, et veniam faciliter adepturus.

Exercitatio, id est actus seu exercitium operis boni, *generat frequentiam,* hoc est usum et insistentiam in eodem ; *ipsa vero exercitatio desinit in usum,* id est, perficitur et completur in gustu interno seu delectatione virtutum ; *in sensu vero qualificatum et actum difficulter aufertur,*

hoc est, exercitium virtuosum quum fuerit in gustum consuetudinemque conversum, non faciliter ex toto amittitur. Propter quod asserit Origenes : Nullus eorum qui in summo atque perfecto gradu exstiterit, subito evacuatur, sed paulatim et per partes potest hoc fieri.

Etiamsi exsequimur aliquas conversationes, id est operationes, *magnas et altas, et non possidemus cor mœrens,* id est compunctum et lugubre tempore opportuno, *reputemus eas quasi adulterinas et vanas. Oportet enim, et (ut ita dicam) vere oportet, inquinatos post lavacrum* Baptismi seu Pœnitentiæ, *abstergere manus suas,* id est potentias operativas seu operationes iniquas, *ab inquinamento picis,* id est ab omni sorde carnalitatis et culpæ, *irremissibili igne cordis et misericordia Dei,* id est incessanti fervore ac miseratione divina.

Vidi apud quosdam terminum luctus superfluum, id est effectum quemdam finalem ex luctu provenientem non necessarium. *Sensibiliter enim inspexi eos ex ore fundere sanguinem præ mæstitia cordis plagati,* id est præ vehementissimo cordis mœrore et contritione cor sauciante. Tanta autem alteratio corporis ipsum ita discrucians ut sanguinem funderet, et ipsa effusio sanguinis ad quam luctus eorum terminabatur, necessariæ non fuerunt, sed magis superfluæ, in quantum efficiunt corpus indispositum et ineptum ad actus et labores virtutum : attamen commendantur ratione radicis, in quantum videlicet oriuntur ex contritione permaxima. Ideo subditur : *et memoratus sum*

[illegible] Prophetæ *dicentis, Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum.*

Lacrimæ enim quæ sunt ex timore divini judicii et inferni aut purgatorii, *habent in se ipsis tremorem,* id est, tantæ sunt efficaciæ quod et corpus tremore concutiunt, sicut ait Hieronymus : Quotiesdiem judicii cogito, toto corpore perhorresco ; *et custodiam possident,* quia inducunt hominem ad sollicitam suæ mentis

A custodiam. *Quæ vero sunt caritatis,* id est lacrimæ ex spirituali amore Dei aut proximorum manantes, *sunt in quibusdam quasi leviter prædabiles ante caritatem perfectam :* hoc est, quidam faciliter amittunt lacrimas tales, quousque fuerint in caritate perfecti, per vanam gloriam, spiritualem superbiam, nimiamque securitatem, dissolutionem aut negligentiam; *nisi forte ignis ille sempiterne memorandus,* videlicet Spiritus Sanctus, aut vehemens fervor amoris, *accenderit cor in tempore efficacis*

B *operationis,* id est eo tempore quo agunt aliquod opus virtutis, cum toto cordis sui conatu : tunc enim caritas augetur in homine. *Et est mirabile quomodo quod humilius est, magis certum exsistit in tempore suo,* hoc est, mirum est quod lacrimæ provenientes ex timore, securius ac certius possidentur et difficilius amittuntur quam lacrimæ venientes ex caritate nondum perfecta, cui facilius miscentur vana gloria et cetera vitia jam præfata, quam timori, qui est caritate humilior, id est inferior.

C *Sunt materiæ fontes nostros exsiccantes,* hoc est, quædam sunt vitia et opera aut substantiæ quæ tollunt a nobis fontes ac gratiam lacrimarum, quemadmodum vitia carnis, vinum, multiplices joci, risus, loquacitates, et consimilia. *Sunt quoque materiæ* aliæ *parientes* in fontibus istis *vermium et bestias.* Istæ materiæ aliæ, sunt spiritualia vitia, puta superbia, ambitio, desiderium propriæ laudis : quorum demeritis incidit homo in carnalia, fœda et irrationabilia opera, quæ vocantur vermium

D et bestiæ, fontesque obstruunt lacrimarum. *Nam propter primas,* videlicet materias, [illegible] *propter* [illegible], hoc est per delicias illas gulæ et coitus Lot peccavit cum illis. *Propter secundas* materias, utpote superbiam, ambitionem, etc., *diabolus corruit.*

[illegible], videlicet dæmones, *malitia :* quoniam pabulum vitæ commutat nobis convertere in pabulum mortis. [illegible]

matres vitiorum? Hoc est, nisi hostes nostri diaboli essent multum malitiosi, non inducerent nos ad hoc quod abuteremur virtutibus principalibus, quæ aliarum sunt « matres », inaniter præsumendo, gloriando, aut nosmetipsos jactando de ipsis : per quod fiunt indirecte seu occasionaliter « matres » atque principia « vitiorum ». *Et materias activas humilitatis,* hoc est opera virtuosa, seu beneficia Dei, ex quibus debemus nos magis humiliare, et quæ ex sua natura sunt productiva humilitatis, *faciunt actrices superbiæ,* hoc est incitamenta elationis? in quantum ex talibus magnificamus atque extollimus nosmetipsos, aut alios aspernamur, aut propriis nostris viribus, industriis aut conatibus ea adscribimus : et ita virtutes earumque actiones sunt « actrices superbiæ », non elicitive (sic enim virtute nemo male utitur), sed indirecte, et abusu voluntatis perversæ.

Mansiones et adspectus habitationum nostrarum solent plerumque ex sua natura mentem provocare ad compunctionem: quod verum est de humilibus et simplicibus cellis, et habitaculis religiosorum seorsum sitis, præsertim in montibus et præruptis ac eremo. *Et hoc verum esse persuadeant tibi Jesus Christus et Elias et Joannes Baptista orantes seorsum ad se ipsos,* hoc est separatim ab aliis, *quærentes et colentes,* hoc est frequentantes, *remotionem* ab aliis *et desertum:* ideo suo exemplo demonstrant quod situs ac dispositio loci provocant ad compunctionis augmentum. Jesus tamen tali adminiculo nequaquam indiguit.

Matth. XIV, 23; III *Reg.* XIX, 9 et seq.; *Luc.* I, 80.

Vidi multoties lacrimas motas in civitatibus atque tumultibus, hoc est, habitantes inter alios in urbibus et tumultibus mundi vidi frequenter lugentes quasi ex compunctione, *ut arbitrantes nos nihil lædi ex tumultibus, mundo appropinquemus.* Non est dubium quin aliqui sæculares cives et conjugati, sint vere devoti, compuncti, salubriterque lugentes. Interdum tamen contingit ut dæmones moveant quosdam sæculares in præsentia religiosorum

A ac eremitarum ad quosdam gestus quasi devotiores et lugubres, ut per hoc religiosi ac eremitæ parvi pendant suam abstractionem ac districtionem, beatificentque mundanos, et mente ac corpore eis propinquent. Ideo subditur : *Ista est enim intentio malignis dæmoniis,* ut commisceant nos mundanis per tales immissiones, ut inquinemur exinde conversationibus operibusque eorum, conformando nos illis, contra illud Apostoli ad Romanos dicentis : Nolite conformari huic sæculo. *Rom.* XII, 2.

B *Unus sermo plerumque dissolvit lutum et murum; non tamen unus sermo hunc iterum congregavit.* Hoc in exterioribus ita est, quod sæpe propter unum verbum offensivum aut præceptum alicujus, destruuntur ædificia quædam ipsius sive alterius, quæ non possunt ita faciliter reparari. Spiritualiter quoque, perdit quis faciliter virtutum structuram et connexionem proferendo detractoria verba, aut alia mortaliter culpabilia; sed non ita faciliter recuperat quod amisit.

C *Non inculpabimur, o amici, non inculpabimur in exitu animæ nec inquiretur a nobis,* id est, coram Christo non accusabimur nec Christus requiret, *quare non fecerimus miracula, sed neque quare non theologizaverimus,* id est, cur non fuerimus intenti studio theologiæ, seu lectioni theologicorum voluminum, aut disputationibus talium, *neque quare non fuerimus contemplati,* id est contemplativi effecti, aut difficilia speculati, vel sublimiter rapti; *sed omnino dabimus,* id est, dare exige-D mur, *rationem Deo quare non egerimus pœnitentiam, et cur non exstiterimus humiles, et quare non luxerimus indesinenter,* hoc est omni tempore opportuno. Ista enim ad monasticos præcipue spectant; et si ista egissent, non dubium quin ad contemplationis gratiam pervenissent secundum aliquem gradum. Idcirco requiretur a nobis cur non profecerimus juxta exigentiam nostræ professionis; sed contemplatio sublimior, ad quam non adstringit nos vocatio nostra, non exigetur a nobis.

GRADUS VIII

DE INIRASCIBILITATE, QUÆ DIFFICULTER ET GRAVITER INVENITUR AC POSSIDETUR.

QUEMADMODUM flamma perfecte exstinguitur aqua modice addita, ita profluvium lacrimarum veracis luctus habet naturam occidere et exstinguere omnem flammam indignationis et furoris ac iræ. Quapropter et ordinavimus ista consequenter.

Inirascibilitas est insatiabile desiderium ignominiæ, sicut et vane gloriosis est infinitum desiderium bonæ famæ. Inirascibilitas est victoria naturæ consistens in insensibilitate injuriarum, adveniens ex agonibus atque sudoribus. Mititas est immobilis constantia animæ habens se similiter in ignominiis et divulgationibus bonæ famæ. — Principium inirascibilitatis est silentium labiorum servatum in cordis conturbatione ; medium vero, silentium cogitationis in exili conturbatione animæ ; finis, fixa tranquillitas servata in suffocatione spirituum immundorum.

Ira est patientia et exspectatio absconditi odii, videlicet memoria ultionis et malitiæ. Ira est concupiscentia afflictionis exacerbantis. Furia est inflammatio cordis sine tempore facta. — Amaritudo est motus sine delectatione in anima residens. Furor est motus leviter vertibilis, inhonestas ac deformitas morum et animæ. Sicut lumine apparente recedunt tenebræ, sic omnis amaritudo et furor exterminantur ex fragrantia et odore humilitatis. — Quidam exsistentes leviter ex furore prostrati et dejecti, negligenter se habent circa sollicitudinem curationis hujus mali, et miserabiles ac miseri, non audiunt dicentem : Momentum furoris ipsius ruina est. Job v. [illegible]

Est acutus molæ motus, in uno momento conterens et exterminans granum animæ et fructum vitæ super alterius motum per diem. Propterea prudenter est attendendum. Est succensio flammæ in brevi accensa a spiritu vehementi, comburens et perdens agrum cordis super flammam diu immorantem.

Neque istud vos latere debet, o amici, [illegible] subtrahunt se, ut negligentes magna vitia sicut parva, ex hoc insanabiliter infirmemur de cetero.

Quemadmodum lapis acutus, angulosus et asper, cum aliis lapidibus repercussus et confricatus deponit omnem suam acuitatem atque duritiam, et restituitur formæ rotundæ ; ita et anima acuta, dura, et inconveniens, congregata et commixta multitudini durorum et furiosorum virorum, ac degens cum eis, sustinet unum ex duobus : nam aut ex patientia proprium vulnus curat ; vel discedens, propriam infirmitatem cognoscit, eadem sua formidolosa et invirili fuga manifestante ei propriam infirmitatem clare, tanquam in speculo quodam. [illegible]

spontaneus ex arreptione non voluntaria diruptus, consternatus et cadens. — Nihil ita incongruum est et tam inexpediens pœnitentiam agenti, sicut furor conturbans. Igitur sicut conversio indiget multa humilitate, sic furor argumentum est omnis elationis. — Si ista est terminatio summæ mititatis, tranquillo corde et amorosa affectione disponi ad irritantem ac injuriantem, ipso præsente ; hæc est penitus determinatio furoris, compugnare verbis et figuris in se ipso et ad se ipsum, feraliter quoque consurgere adversus contristantem. — Si Spiritus Sanctus definitur et est pax animæ, ira vero dicitur et est perturbatio cordis ; ideo nihil ita contrariatur adventui Spiritus Sancti in nobis, nec naturaliter ita impedit participationem gratiæ Spiritus Sancti, ut furor.

Nos cognoscentes furoris germina esse quamplurima atque crudelia, unam et solam sobolem ejus non voluntariam cognovimus esse proficuam, quamvis sit adulterina. Vidi quosdam furore succensos possidentes memoriam malitiæ, et temporaneam et intus in anima residentem evomentes, et per vitium taliter commutatos misericordia de temporanea et diuturna tristitia, et reportantes ex contristato culpam aut certificationem et satisfactionem. Et vidi alios longanimes quantum ad apparentiam, agentes longanimiter irrationabiliter, et ex silentio reponentes intus in corde suo memoriam malitiæ et livorem ; et vocavi eos miserabiliores furentibus, et exterminantes columbam atramento.

Multa sollicitudo et cura necessaria nobis est contra istum serpentem : nam serpens iste naturam habet cooperatricem, sicut videlicet serpens possidet corporum carnes. Vidi irascentes et ex amaritudine cibum renuentes ; et per eamdem irrationabilem abstinentiam assumpserunt venenum cum veneno. Et vidi alios furore apprehensos, tradentes se ipsos propter hoc gulæ, sub hujusmodi occasione quasi rationabili ; vidique eos ex fovea in præcipitium corruentes. Alios vero intuitus sum habere prudentiam, qui tanquam medici contemperantes utraque, ideo consecuti sunt maximos profectus per contemperatam consolationem.

Canticum laudis divinæ cum melodia contemperata, quandoque dissolvit furorem perfecte ac virtuose. Quandoque vero furor recedit cum amore spiritualium delectationum, sicut congreditur cum amore delectationis temporalium, si tamen fuerit immensurata et importuna. Ergo tempora regulantes, ita utamur eisdem cum conversatione discreta.

Extra residens secundum aliquam necessitatem, audivi solitarios viros quasi perdices ad se ipsos garrule compugnantes ex amaritudine et furore, atque minantes insilire in personam contristantis, tanquam præsentialiter adstantis. Quibus præconsului non segregare se aut solitarie degere, ut non ex hominibus dæmones statuerentur. Et iterum vidi corda labentia luxu et cibis, specie tenus mites, atque (ut ita dicam) blandiores fratrum amatores, et apparenter exsistentes dilectores formosos in superficie. Quibus tranquillitatem solitariam exhortatus adire monui, quasi novaculam odientem ciborum ingluviem et lubricum turpis luxus, ut non miserabiliter transportati laberentur ex natura rationali in irrationalem. Sed quoniam quidam

dicebant mihi, se ipsos miserabiliter ruere ac lamentabiliter exportari in ambobus locis, istis ego omnino prohibui nullomodo proficisci post suum proprium arbitrium, nec in aliquo se regere sua propria voluntate. Eorum vero prælatis hoc amicabiliter disposui et subordinavi, permittere ipsis aliquando quidem exsequi hanc temporis partem, aliquando vero illum ordinem, ita ut ipsi per omnia submitterent collum regenti et gubernanti, et perfecte ac firmiter obedirent. Nempe iste qui amator est delectationum, solet se ipsum exterminare, aut certe et alium unum qui ab eo doctus est amare id ipsum; furiosus vero, ut lupus frequentius conturbat universum gregem, et humilians plagavit animas multas.

Crudele est oculum animæ ex furore turbare, juxta dicentem : Turbatus est a furore oculus meus. Crudelius vero est impetum animæ ostendere labiis; at vero manibus, inimicum et extraneum est ubique conversationi monasticæ, angelicæ ac divinæ. *Ps.* vi, 8.

Si vis, magis vero si putas, sanare festucam in altero, non cædes nec feries hanc trabe pro instrumento aut herba melissa. Trabes enim sunt, gravis et irosus sermo, et figuræ atque maneries indecentes; aliud vero est modesta doctrina et longanimis increpatio. Apostolus ait, Argue, obsecra, increpa; non tamen ait, Percute. Si vero et isto opus fuerit, raro hoc fiat, et non per te ipsum. II *Tim.* iv, 2.

Superintendamus, et in multis furiosorum, jejunium, vigiliam solitariamque quietem intuebimur prompte consummari. Intentio enim est dæmoni imponere super eos sub occasione hujusmodi luctus et pœnitentiæ, materias augmentativas passionis.

Si unus lupus dæmonem possidens cooperatorem, potest gregem Fratrum conturbare, sicut præfati sumus; penitus et unus sapientissimus Frater, tanquam uter oleo plenus, valet placare elationes et fluctus, et faciet utique ratem salvari, habens angelum cooperatorem : et secundum magnitudinem judicii prioris iste mercedem ex Deo reportans, factus est universis Fratribus typus utilitatis et profectus.

Principium beatæ abrenuntiationis est ignominias malitiæ et sufferentias mali suscipere cum amaritudine et dolore animæ; medium vero est sine tristitia in ipsis ignominiis persistere; perfectio autem est easdem ignominias reputare quasi laudes bonæ famæ, sicut et sunt. Gaude, o prime; vale, o secunde; beatus es, o tertie, exsultans in Domino.

Supernotavi in irosis mirabile theatrum eveniens eis ex elatione propriæ reputationis. Irascentes enim, rursus irascebantur sibimetipsis propter succumbentiam, quia victi fuerant : et admiratus sum videns ruinam ultricem ruinæ, et inspiciens vindicantes peccatum peccato; et expavescens astutam circumventionem dæmonum stupui. Qui et a sua vita paulominus desperabant.

Si quis adspexerit se ipsum leviter [illegible] indignatione furoris et malignitate atque hypocrisi, et propter hoc disposuit contra se ipsum evaginare ancipitem gladium mititatis, abdicationis malitiæ et sufferentiæ mali; iste egressus accedat, et ingrediatur in dealbatorium salutis, in collegium

Fratrum, et maxime austerorum et durorum (si tamen vult ipsas passiones perfecte exspoliare), ut ibidem concussus intellectualiterque percussus contumeliis, injuriis, insuper et oppressionibus et increpationibus Fratrum, aut quasi alicubi sensibiliter ablutus et calcitratus ac conculcatus, lavet sordes insistentes in habitu animæ ejus. Ipsa vox popularis persuadeat te quod improperia sint lavatorium vitiorum animæ. Quidam enim in mundo, quum operuerunt aliquem improperiis in faciem, dicunt gloriantes ad alios, Quia talem ita lavi. Quod utique verum est.

Alia est inirascibilitas procedens ex luctu in incipientibus et introductis, et alia immobilitas quæ consistit in perfectis : nam illa ligatur lacrimis tanquam quodam freno; ista vero tanquam serpens mortificatur ab impassibilitate quasi sub gladio quodam. — Vidi tres monachos unanimes ignominiis affectos : et hic quidem mordetur et conturbatur, attamen tacet; secundus vero gavisus est pro se ipso, conturbatur vero pro contristante et improperante; tertius vero, reformans proximi læsionem, effudit lacrimas calide. Et erat pulchrum videre operatores timoris, et mercedis, et caritatis.

Quemadmodum febris corporum una est, multas autem possidet causas et non unicam occasionem sui caloris; ita et furor et motus iræ et ebullitio solent habere multas causas et differentes occasiones, sicut et reliqua vitia nostra : quapropter impossibile est ista determinare uno tantum modo. Arbitrium horum magis constituo in studiosa sollicitudine et festinantia uniuscujusque infirmantium; de cetero do semitam medicinæ atque antidotum vigilanter inquirere. Et prima cura erit cognoscere causam suæ plagæ : causa enim inventa, nos infirmantes suscipiemus adjutorium emplastri ex providentia Dei et spiritualium medicorum ad eamdem, quasi sub exemplo et ænigmate. Qui volunt in Domino nobiscum intrare in propositum sententiarum, ingrediantur intellectuale adjutorium, et simul examinando, obscure inquirant de præfatis passionibus et causis.

Ligetur ergo furor tyrannus in vinculis mititatis, et longanimitate percussus, atque a sancta caritate tractus et præsentatus in isto tribunali hujus sermonis, torqueatur, et de his quæ ad rem pertinent dijudicetur, dicaturque ei : O insipiens et inhoneste furor, dic nobis appellationem te gignentis et male te parientis, nomina quoque filiorum et filiarum tuarum inquinatarum; non solum vero, sed etiam declara insignia impugnantium et interimentium te. Qui respondens ad nos, ita dicere visus est : Meæ generationes multæ, et pater meus non unus tantum; porro matres meæ sunt, amor pecuniæ, avaritia, ventris ingluvies, gula, aliquando vero et fornicatio; nempe pater meus appellatur tumor vel elatio; filiæ vero meæ sunt, memoria malitiæ, vindicta, inimicitia, justificatio in propriis verbis; filii mei, amor et odium ; adversarii autem mei a quibus detineor nunc ligatus, sunt contrariæ his mititas, mansuetudo, inirascibilitas; meus quoque insidiator nuncupatur humilitas. Quis vero peperit illam, interrogate eam in proprio loco.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO HUJUS GRADUS OCTAVI.

QUEMADMODUM flamma perfecte exstinguitur aqua modice addita, id est fusa in flammam ignis parvi, sicut est flamma candelæ, quæ magnam aquæ admixtionem ferre non potest sine sua corruptione; *ita profluvium lacrimarum veracis,* id est pœnitentialis virtuosique, *luctus habet naturam occidere et exstinguere,* hoc est efficaciam ad repellendam et exstinguendam, *omnem flammam indignationis et furoris ac iræ. Quapropter et ordinavimus ista consequenter,* id est, decenter et ordinate post præinductum capitulum de luctu, tractamus nunc de inirascibilitate, quæ per luctum acquiritur, quemadmodum de effectu tractatur post tractatum de causa ipsius.

Inirascibilitas est insatiabile desiderium ignominiæ, id est injuriæ aut cujuscumque parvipensionis. Nam sicut ira est appetitus vindictæ propter parvipensionem illatam, sic inirascibilitas dicitur « insatiabile desiderium » hujusmodi parvipensionis, quum tamen tale desiderium sit potius signum atque effectus inirascibilitatis, quam essentialiter inirascibilitas ipsa. *Sicut et vane gloriosis,* id est humanæ laudis et gloriæ cupidis, *est,* id est inhæret, *infinitum desiderium bonæ famæ,* id est propriæ reputationis, ita quod quantumcumque famentur et commendentur, semper cupiunt amplius reputari et collaudari, per vitiosam ad se ipsos reflexionem.

Inirascibilitas est victoria naturæ, id est reformatio ac mortificatio naturalis iracundiæ, *consistens in insensibilitate injuriarum,* ita quod eas non curat, nec moleste aut graviter sustinet, *adveniens ex agonibus atque sudoribus,* id est per labo-

A res atque sudores acquisita, utpote per magnum assiduumque conflictum contra se ipsum, per orationes et lacrimas, per exercitationesque laboriosas.

Mititas est immobilis constantia animæ habens se similiter in ignominiis et divulgationibus bonæ famæ, hoc est in diffamationibus : in quibus omnibus manet mansuetudo ista imperturbata, sicut loquitur Paulus, Per infamiam et bonam fa- II Cor. vi.
mam. Mititas quippe est virtus moralis passionem iræ reprimens, moderans ac re-
B formans. Porro quum duplex sit ira, utpote, ira per zelum, quæ exstat laudabilis, et ira per vitium ; inirascibilitas ista laudabilis, intelligenda est de inirascibilitate per plenam exclusionem iræ per vitium : quæ inirascibilitas non aliud esse censetur quam mititas perfecta.

Principium inirascibilitatis est silentium labiorum servatum in cordis conturbatione. Per hoc enim incipit quis in mititate proficere, quod reprimit se ab iracundiæ verbis, dum sentit se intus tur-
C bari ex illata injuria aut quavis adversitate, sicque exsurgentem iræ motum in se ipso suffocat, et signa interioris commotionis foris monstrare devitat pro posse, ne scandalizet alios. *Medium vero,* id est profectus inirascibilitatis, est *silentium cogitationis in exili conturbatione animæ,* hoc est, cogitationem atque memoriam illatæ injuriæ intus exstinguere, dum anima sentit se adhuc aliqualiter ex injuriis commoveri interius ; *finis,* id est perfectio inirascibilitatis, est [illegible]
D [illegible], hoc est in suggestionibus dæmonum ad memoriam hominum reducentium ex aggerantium mala seu aspera irrogata

Ira est patientia et exspectatio absconditi odii, hoc est mala passio et dispositio ad occultum rancorem, qui dicitur ira inveterata, *videlicet memoria ultionis et malitiæ.* Ira essentialiter est ipsa appetitio ultionis, sed sæpe causatur ex memoria « ultionis » inferendæ, et mali illati : imo et irascentem conservat et fovet in tali recordatione.

Ira est concupiscentia, id est appetitio, *afflictionis exacerbantis* alteri inferendæ. Irascens enim cupit offendentem se aliquo modo affligere et exacerbare. Diciturque ira esse « concupiscentia afflictionis exacerbantis », quia irascens se ipsum affligit atque irritat.

Furia est inflammatio cordis sine tempore, id est subito, *facta* in appetitu sensitivo, qui nunc nomine cordis exprimitur.

Amaritudo est motus sine delectatione in anima residens. Ideo recte ait Scriptu-
Eccli. xxi, 15. ra : Non est sensus ubi abundat amaritudo. Verumtamen amaritudo pœnitentiæ bona est. — *Furor est motus leviter vertibilis,* hoc est cito faciliterque cessabilis : qui motus est *inhonestas ac deformitas morum et animæ.* Est enim contrarius exteriori condecentiæ morum, et intus deordinat animam. Honestas namque morum et animæ decor est, ut homo in cunctis se habeat juxta rectæ rationis judicium, quod per furorem penitus impeditur.

Sicut lumine apparente recedunt tenebræ, sic omnis amaritudo vitiosa *et furor exterminantur ex fragrantia et odore humilitatis,* hoc est ex vilipensione et humiliatione sui ipsius : quæ vilipensio seu humiliatio vere suavis est et dulciter coram Altissimo fragrans, proximis quoque exemplaris et grata. Porro qui se ipsum prorsus vilipendit ac deprimit, non amaricatur nec furit propter adversa.

Quidam exsistentes leviter ex furore prostrati et dejecti, negligenter se habent circa sollicitudinem curationis hujus mali, hoc est, diligentes non sunt neque solliciti qualiter Deo auxiliante possint curare hanc suam pronitatem ad furorem ac iram; *et miserabiles ac miseri, non audiunt* aure cordis *dicentem : Momentum* Job v, 2.
furoris ipsius ruina est. Furens enim proprio furore subvertit et spiritualiter dejicit semetipsum.

Est acutus molæ motus, in uno momento conterens et exterminans granum animæ et fructum vitæ super alterius motum per diem. Iste « acutus molæ motus » est intensissimus et irrationabilissimus iracundiæ motus, rationem prorsus absorbens, sicque repente destruens « granum animæ », id est verbum Dei, seu bonum propositum aut cogitationem salubrem, « exterminans » quoque « fructum vitæ », id est, ab opere bono impediens, et opera bona jam facta mortificans seu merito privans, quum sit mortale peccatum : ideo facit hæc mala « super alterius motum per diem », id est plus quam quorumdam commotio remissior durans per diem totum. *Propterea prudenter est attendendum* ne incidamus in motum talem. Hinc quasi expositorie subditur : *Est succensio flammæ,* hoc est inflammatio iræ, *in brevi accensa a spiritu vehementi,* puta diabolo et calido animo, *comburens et perdens agrum cordis,* id est, mentem spolians fructibus bonis, *super flammam diu immorantem,* id est plus quam quorumdam minor inflammatio diu inhærens. — Denique ira duobus modis est mortale peccatum : primo, quando in se ipsa tam vehementer fervet et rationi prædominatur, ut tactum est; secundo, dum vindicta quæ appetitur aut infertur, valde excedit quantitatem illatæ injuriæ : hoc enim directe contrariatur justitiæ.

Neque istud vos latere debet, o amici, quoniam maligni dæmones ad tempus subtrahunt se, cessando a nostra impugnatione, *ut negligentes,* id est, negligenter admittentes ex torpore seu periculosa securitate, *magna vitia sicut parva, ex hoc insanabiliter infirmemur de cetero,* id est, tam graviter lædamur in anima, ut vix valdeque difficulter valeamus curari.

Quemadmodum lapis acutus, angulosus

et asper, cum aliis lapidibus repercussus A *et confricatus,* hoc est per confricationem contritus, *deponit omnem suam acuitatem atque duritiam,* non quod desinat esse durus, sed duritiam angularem ex partibus hinc inde eminentibus provenientem amittit, *et restituitur formæ rotundæ ; ita et anima acuta, dura, et inconveniens,* hoc est, homo iracundus, impatiens, nec aliis proportionatus ad convivendum, *congregata et commixta multitudini durorum et furiosorum virorum, ac degens cum eis, sustinet unum ex duobus : nam* B *aut ex patientia proprium vulnus curat,* hoc est, aut aliorum motus passionatos æquanimiter ferens, sanat propriarum passionum impetuositatem ; *vel discedens* a tali congregatione, *propriam infirmitatem,* utpote iram et impatientiam suam, *cognoscit* per experientiam, *eadem sua formidolosa et invirili fuga,* hoc est discessione, *manifestante ei propriam infirmitatem clare, tanquam in speculo quodam.* Qui autem ex sua professione reclusus est neque discedere potest, a passionatis ho- C minibus cum quibus versatur multoties læditur, nisi discat semetipsum frangere, et aliorum quosvis defectus in omni caritate, pietate et patientia supportare : quod si impatiens fuerit et ad iram proclivis, agnoscat ac defleat propriam infirmitatem atque ærumnam.

Furiosus, est arrepticius spontaneus, ex arreptione non voluntaria diruptus, consternatus et cadens. In his verbis contradictio esse videtur, sed intelligenda sunt pie, ita ut « furiosus », id est excessive D et impetuose irascens, dicatur « arrepticius spontaneus », quoniam passionem sui furoris aliquo modo sponte admisit ei non debite resistendo, et per eam arrepticio similis est tam irrationabiliter se habendo ; dicitur quoque « diruptus », id est corde divisus et a ratione alienatus, « consternatus », hoc est proprio vitio obrutus, « et cadens » in foveam excæcationis, arreptione non voluntaria, id est inflammatione rationem absorbente et voluntatem

vincente, ita quod ratio voluntarii valde minoratur in tali inflammatione furoris : ideo dictum est, « ex arreptione non voluntaria ».

Nihil ita incongruum est et tam inexpediens pœnitentiam agenti, sicut furor conturbans, qui non permittit hominem humiliare se ipsum et propria ponderare peccata. *Igitur sicut conversio* mentis ad Deum aut religionis ingressum *indiget multa humilitate,* qua homo propria indignitate pensata, Deo cum omni reverentia subdat applicetque se ipsum, *sic furor argumentum est omnis elationis :* nam quanto quis major est in oculis propriis, tanto molestius sustinet sui contemptum, et tanto plus reputat acriusque ulcisci desiderat injuriam sibi factam, quamvis interdum non sit injuria, quemadmodum quando quis caritative et juste corripitur atque corrigitur.

Si (pro Quia) *ista est terminatio,* id est finis et perfectio, *summæ mititatis, tranquillo corde et amorosa affectione disponi,* id est moveri et affici, *ad irritantem ac injuriantem, ipso præsente; hæc est penitus determinatio,* hoc est certum signum et consummatio quædam, *furoris, compugnare verbis et figuris,* id est imaginationibus bellicis, *in se ipso et ad se ipsum, feraliter quoque consurgere adversus contristantem,* id est injuriantem etiam absentem.

Si (pro Quia) *Spiritus Sanctus definitur,* hoc est asseritur, *et est pax animæ,* non formaliter, sed objective, itaque causaliter (est enim causa pacis internæ, et in eo tanquam in summo objecto consistit pax pectoris), *ira vero dicitur et est per-* [illegible]

[illegible] id est opera ex furore procedentia [illegible]

Una et sola hæc proles furoris potest intelligi eruptio seu manifestatio interioris furoris : qua eruptione completa furor mitescit, sicut interior dolor minuitur per luctum exteriorem. Hinc subditur :

Vidi quosdam furore succensos possidentes memoriam malitiæ, id est injuriæ sibi factæ, *et temporaneam,* id est ad tempus durantem, *et intus in anima residentem evomentes* eumdem malitiæ suæ furorem, *et per vitium,* hoc est per hanc furiosam eruptionem seu furoris ostensionem, *taliter commutatos misericordia,* id B est per pietatem et gratiam Dei conversos, *de temporanea et diuturna tristitia,* id est ira seu impatientia et vitioso mœrore ad pœnitentiam, *et reportantes ex contristato,* id est ex molestia eis illata seu ex contristatione inde secuta, *culpam,* quando manserunt in impatientia et iracundia sua, ex quibus reportaverunt et inciderunt rancorem contra injuriantem, *aut certificationem et satisfactionem,* quando injuriam et tribulationem eis factam æquanimiter pertulerunt ac indulserunt. Tunc enim C probabiliter poterant certificari quod Deus eis similiter indulgeret, et item quod præsens tribulatio propter Deum laudabiliter tolerata reputaretur eis a Deo purgatio et satisfactio pro propriis culpis. Nam sicut homo facit proximo suo, ita meretur fieri
Matth. VII, 2. sibi a Deo, quemadmodum ait Salvator : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

Et vidi alios longanimes quantum ad apparentiam, agentes longanimiter irrationabiliter, hoc est, longanimitatem et D patientiam forinsecus ostendentes ficte et callide, *et ex silentio reponentes intus in corde suo memoriam malitiæ,* id est injuriæ sibi factæ, *et livorem,* hoc est invidiam contra injuriantem. Hi sunt qui silent et dissimulant iram suam ad tempus, ut suo tempore se acrius vindicent. Unde
Prov. XII, 16. et Salomon loquitur : Qui dissimulat injuriam, callidus est. *Et vocavi eos miserabiliores,* id est pejores et magis deflendos, *furentibus,* quia difficilius curantur quam A furentes, et peccant ex proposito, deliberatione ac certa malitia : ideo subditur, *et exterminantes columbam,* id est bonitatem, simplicitatem ac gratiam Spiritus Sancti, *atramento,* id est scripto quodam interiori, utpote pertinaci immansione in malo.

Multa sollicitudo et cura necessaria nobis est contra istum serpentem, id est contra hanc venenatam et callidam simulationem artificialemque iram. *Nam serpens iste naturam habet cooperatricem :* id est, naturalis inclinatio naturæ instigat ad vitium istud tam serpentinum, præsertim in his qui ex naturali dispositione, usu aut experientia, sunt versuti, simulatores et duplices animo, ac vindicativi; *sicut videlicet serpens possidet corporum carnes,* quas mordet aut vorat, sicque intra se possidet seu continet eas.

Vidi irascentes et ex amaritudine cibum renuentes; et per eamdem irrationabilem abstinentiam assumpserunt venenum cum veneno, id est, amaritudinem suam auxerunt, et passionem passioni apposuerunt, utpote iram, indignationem, rancorem amaritudini præconceptæ, contra illud Deuteronomii : Non sit inter vos ra- Deut. XXIX, 18.
dix germinans fel et amaritudinem. *Et vidi alios furore apprehensos,* id est vehementer iratos, *tradentes se ipsos propter hoc gulæ, sub hujusmodi occasione quasi rationabili.* Ideo enim tradiderunt se gulæ, ut consolationem et refrigerium sui caloris invenirent in cibo et potu, quam obtinere non poterant exsequendo ultionem optatam. *Vidique eos ex fovea in præcipitium corruentes.* Dum enim voluerunt se extrahere de fovea caloris iracundiæ suæ, præcipitaverunt se ipsos in gulam ac vitia ei annexa.

Alios vero intuitus sum habere prudentiam, qui tanquam medici contemperantes utraque, utpote iram et refectionem, ita quod propter iram non omiserunt moderatam comestionem, et per eamdem exstinxerunt aliqualiter iram suam, *ideo consecuti sunt maximos profectus per con-*

temperatam consolationem, id est, per hoc A quod non immorando phantasiis injuriæ eis factæ, dederunt se ad moderatam refectionem, in qua adepti sunt « consolationem contemperatam », id est convenienter permixtam ex naturali consolatione refectionis atque ex refrigerio suæ iræ, ex quo didicerunt se ipsos de cetero frangere, nec amaritudini aut furori seu iracundiæ immorari.

Canticum laudis divinæ cum melodia contemperata, quandoque dissolvit furorem perfecte ac virtuose in cantante vel B cantum hujusmodi audiente. Ex tali etenim cantico concipitur sæpe devotio, et melodia talis ad piam affectionem disponit; estque delectabile sic psallere et cantare; sensus quoque verborum specialem vim habet ad consolandum et inflammandum in Deo.

Quandoque vero furor recedit cum amore spiritualium delectationum, id est, per hoc quod quis spirituales consolationes experiri desiderat, easque amat aut aliqualiter incipit degustare, *sicut congreditur* C *cum amore delectationis temporalium,* hoc est, sicut pugnat contra amorem delectationis carnalis sive terrenæ, quam furens frequenter contemnit admittere ex vehementia iracundiæ suæ, sicut et cibum, *si tamen fuerit immensurata et importuna,* hoc est, si delectatio illa fuerit improportionata ad relevandum ipsum furorem, et ingeratur loco ac tempore incongruo; si autem esset delectatio proportionata et opportune oblata, non eam abjiceret furens. *Ergo tempora regulantes,* id est, unicui- D que horæ congruam occupationem præfigentes ac dantes, *ita utamur eisdem* temporibus *cum conversatione discreta,* exsequendo unumquodque opus tempore opportuno, nec aliquam temporis partem infructuose pertranseuntes, ita ut tædium aut otiositas seu dissolutio nunquam inveniatur in nobis.

Extra residens [illegible] necessitatem, id est, ex aliqua rationabili causa sedens aut stans extra cellam meam aut aliorum, *audivi solitarios viros quasi perdices ad se ipsos garrule compugnantes,* id est, loquaciter proferentes verba contentiosa instar avium garrularum, *ex amaritudine et furore* quos conceperunt ex injuria eis facta, *atque minantes insilire in personam contristantis, tanquam præsentialiter adstantis,* hoc est in eum qui eis fecit injuriam, quamvis absens esset. *Quibus præconsului non segregare se aut solitarie degere, ut non ex hominibus dæmones statuerentur,* hoc est, rationabiliter eis persuasi ut non separarent se a cœnobio Fratrum nec in solitudine habitarent, propter nimiam suam imperfectionem, ne ex hominibus converterentur in dæmones, id est, ne dæmonibus similes fierent immorando phantasiis protervis, furori amenti irrationabilibusque affectibus, sed discerent se frangere inter Fratres.

Et iterum vidi corda labentia luxu et cibis, id est excedentia per carnalitatem et gulam, *specie tenus mites,* hoc est, homines talia corda habentes vidi apparenter esse mansuetos, *atque (ut ita dicam) blandiores fratrum amatores, et apparenter exsistentes dilectores formosos in superficie.* Tales quippe interdum affabiles sunt et jucundi, scientes se aliis amicabiliter applicare. *Quibus tranquillitatem solitariam exhortatus adire monui,* id est, solitariam vitam eis commendavi, et ut eam aggrederentur consului, *quasi novaculam odientem ciborum ingluviem et lubricum turpis luxus,* hoc est, vitam solitariam eis consului tanquam abrasivam et abominativam gulæ atque lasciviæ, quarum materiæ seu objecta non ita adsunt in solitudine sicut in medio fratrum, *ut non miserabiliter [illegible],* id est ne infeliciter a ratione aversi et extra se positi, [illegible] *rationalem,* utpote ad vitia ignominiosa, brutalia, detestanda. Porro qui in cella aut solitudine diu persistit, vix potest contingere quin redeat ad eos. Propter quod dixit abbas Moyses: Sede in cella tua, et ipsa de omnibus te docebit.

Sed quoniam quidam dicebant mihi, se ipsos miserabiliter ruere ac lamentabiliter exportari in ambobus locis, videlicet tam inter alios quam in solitudine, *istis ego omnino prohibui,* id est, sub pia pariterque salubri prohibitione præcepi atque mandavi, *nullomodo proficisci post suum proprium arbitrium,* id est propriam libertatem nullatenus sequi, *nec in aliquo se regere sua propria voluntate,* sed in omnibus obedire ac regi. *Eorum vero prælatis hoc amicabiliter disposui et subordinavi,* id est, insinuavi et clam seu per alios persuasi, *permittere ipsis aliquando quidem exsequi hanc temporis partem, aliquando vero illum ordinem,* hoc est, ut illis tam imperfectis darent licentiam occupandi se nunc in isto nunc in alio actu, exercitio seu labore ordinato, quoniam nimiam domationem pati non possent, ideoque condescendendum est ad tempus infirmitati eorum : nam et alternis uti delectabile est. *Ita ut ipsi per omnia submitterent collum regenti et gubernanti, et perfecte ac firmiter obedirent :* nam tales interdum melius attrahuntur quadam pietate, quam immoderato rigore.

Nempe iste qui amator est delectationum gulæ et luxus, *solet se ipsum exterminare,* id est se solum perdere, *aut certe et alium unum,* id est aliquem alterum, *qui ab eo doctus est amare id ipsum,* utpote delectationem carnalem; *furiosus vero, ut lupus frequentius conturbat universum gregem,* id est totum conventum, *et humilians,* id est, quadam humiliatione sui procurans se recipi, *plagavit animas multas,* id est, plurimos scandalizavit post suam receptionem; vel fecit hoc, « humilians », id est, alios vilipendens ac opprimens.

Crudele est oculum animæ, id est intellectum seu rationem, *ex furore turbare,* id est se ipsum aut alios concitare ad iram sive furorem, *juxta* Psalmistam *dicentem :*
Ps. vi, 8. *Turbatus est a furore oculus meus.* Furor etenim oculum animæ turbat, id est, ab usu rationis impedit, inquietat, deordinat.

A *Crudelius vero est impetum animæ ostendere labiis,* id est per verba aut signa monstrare : quia hoc gravius scandalizat videntes. *At vero manibus,* hoc est, per manum violentam seu realem vindictam ostendere iram, *inimicum et extraneum est ubique conversationi monasticæ, angelicæ ac divinæ.*

Si vis, magis vero si putas, sanare festucam, utpote parvam culpam, *in altero, non cædes nec feries hanc trabe pro instrumento aut herba melissa,* id est, ad
B excutiendam festucam illam ab alio non debes pro instrumento aut medicinali remedio assumere furorem aut iram, vel ultionem realem, seu turbulentum adspectum, aut invectivam increpationem. *Trabes enim sunt, gravis et irosus sermo, et figuræ atque maneries indecentes,* id est torvus apparatus in vultu turbulentique gestus; *aliud vero* ab istis *est modesta doctrina et longanimis increpatio,* id est reprehensio caritativa, discreta ac patiens, suo loco ac tempore facta. *Apostolus ait,*
C *Argue, obsecra, increpa; non tamen ait,* II Tim. iv, 2.
Percute. Si vero et isto opus fuerit, utpote percussione, *raro hoc fiat, et non per te ipsum,* id est, non propria manu percutias quemquam, sed præsidenti disciplinam ac ultionem injuriæ tibi illatæ committe, quando magnitudo culpæ aut alia rationabilis causa id exigit.

Superintendamus, id est, diligenter consideremus, *et in multis furiosorum, jejunium, vigiliam solitariamque quietem intuebimur prompte consummari,* hoc est,
D plurimos valde iracundos videbimus expedite complere jejunia, vigilias ac solitariam mansionem. *Intentio enim est dæmoni imponere super eos sub occasione hujusmodi luctus et pœnitentiæ, materias augmentativas passionis,* hoc est, inducere eos ad hoc ut sint audaciores ac proniores ad passionem furoris ac iræ, eo quod videantur sibi ipsis esse devoti, lacrimosi, ac solitariam vitam efficaciter prosequentes, non obstante quod habeant motus furoris ac impetus iræ. Tales igitur non confidant

judicio proprio, nec putent se Deo placere aut salubriter pœnitere, nisi iram et furorem satagant superare.

Si unus lupus dæmonem possidens cooperatorem, hoc est, si unus Frater iracundus, turbulentus et ferox, dæmone instigante, *potest gregem Fratrum conturbare, sicut præfati sumus; penitus et unus sapientissimus Frater, tanquam uter oleo plenus,* id est similis vasi repleto ex oleo, *valet placare elationes et fluctus,* id est impetus passionum in aliis, *et faciet utique ratem salvari,* id est navem claustralem periculum evadere, *habens angelum cooperatorem : et secundum magnitudinem judicii prioris iste mercedem ex Deo reportans,* hoc est, Frater iste « oleo » caritatis, pietatis ac pacis repletus, et copiosum a Deo præstolans præmium juxta mensuram gravissimi « judicii » imminentis Fratri communitatem turbanti, *factus est universis Fratribus typus utilitatis et profectus,* id est exemplar spiritualis fructificationis ac virtuosi processus.

Principium beatæ abrenuntiationis est ignominias malitiæ et sufferentias mali suscipere, id est injurias et afflictiones tolerare, *cum amaritudine et dolore animæ,* id est cum difficultate atque renisu p. 193 B'. ac pœna, ut dictum est supra; *medium vero,* id est profectus abrenuntiationis, *est sine tristitia in ipsis ignominiis persistere; perfectio autem* abrenuntiationis *est easdem ignominias reputare quasi laudes bonæ famæ, sicut et sunt,* hoc est, tam gratanter eas amplecti, quasi sint laudes famæ laudabilis : nam et sunt laudes famæ hujusmodi, hoc est causa atque materia talis famæ, quoniam eas patienter ferendo ac taliter reputando, efficimur digni optima fama. *Gaude, o prime,* qui modo præfato incipis abrenuntiare et patientiam discere; *vale, o secunde,* qui taliter proficis; *beatus es, o tertie,* qui ignominias sufferens ac reputas quasi laudes, *exsultans in Domino* in adversis.

Supernotavi, id est, cum eminenti diligentia consideravi, [illegible]*trum,* hoc est mirum spectaculum, ludum seu prælium, *eveniens eis ex elatione propriæ reputationis. Irascentes enim* propter injuriam seu adversitatem eis illatam, et ira illa cessante *rursus irascebantur sibimetipsis propter succumbentiam,* id est dejectionem suam ab ira, *quia victi fuerant* propria ira. *Et admiratus sum videns ruinam ultricem ruinæ,* hoc est posteriorem iram esse punitricem iræ prioris, *et inspiciens vindicantes peccatum peccato,* id est iracundos illos in se ipsis increpantes ac punientes iram culpabilem unam per aliam iram culpabilem; *et expavescens astutam circumventionem dæmonum stupui. Qui et a sua vita paulominus desperabant,* id est, præfati irosi et ita dupliciter irascentes quasi « desperabant » se posse corrigere vitam, videntes se undique sic superari ab ira. Interea advertendum, quod sibi ipsi irasci de propria ira priori, et eam ulcisci per iram ex propriæ reputationis elatione, qua quis tantæ virtuositatis ac perfectionis se arbitratur, ut admiretur et sibimet irascatur quod potuit succumbere iræ, est vitiosum.

Si quis adspexerit se ipsum leviter victum ab elatione propriæ reputationis et indignatione furoris et malignitate atque hypocrisi, et propter hoc disposuit contra se ipsum evaginare ancipitem gladium mititatis, abdicationis malitiæ et sufferentiæ mali, hoc est ipsam virtutem et actum mansuetudinis, quæ est abdicatio « malitiæ », id est expulsio iræ per vitium, et sufferentia « mali » illati, ita quod mititas instar gladii ex utraque parte acuti interimit et abscindit commotiones furoris ac iræ; *iste egressus accedat,* id est, a passionum motibus exiens aggrediatur actus virtutum [illegible] *salutis,* utpote *in collegium Fratrum, et* [illegible], hoc est in consortium monachorum austere viventium et per exercitia rigorosa se invicem exercitantium, ubi animæ vitiis denigratæ [illegible] dealbantur [illegible]

passiones perfecte exspoliare, id est a se omnino abjicere, seu frenare, *ut ibidem concussus intellectualiterque percussus contumeliis, injuriis, insuper et oppressionibus et increpationibus Fratrum, aut quasi alicubi sensibiliter ablutus et calcitratus ac conculcatus, lavet sordes insistentes in habitu animæ ejus,* id est, per talia aspera et adversa abluat et expurget passiones et culpas sibi habitualiter inhærentes, ac si alicubi corporaliter purgaretur per ablutionem, calcitrationem et conculcationem.

Ipsa vox popularis, id est verbum vulgare, *persuadeat te quod improperia sint lavatorium vitiorum animæ. Quidam enim in mundo, quum operuerunt aliquem improperiis in faciem,* id est, alicui dixerunt verba improperiosa aperte, *dicunt gloriantes ad alios, Quia talem ita lavi. Quod utique verum est,* utpote quod improperatio seu quævis injuria sive adversitas « lavatorium animæ » sit « vitiorum », dummodo æquanimiter toleretur.

Alia est inirascibilitas procedens ex luctu in incipientibus et introductis, id est noviter conversis, *et alia immobilitas,* hoc est sublimior immunitas a motibus iræ aliarumque passionum, *quæ consistit in perfectis. Nam illa,* videlicet incipientium inirascibilitas, *ligatur lacrimis tanquam quodam freno,* id est, per orationes, compunctiones, gemitus et ploratus custoditur ac refrenatur, ne in motus iræ aut furoris erumpat. Incipientes namque nondum radicati sunt in mansuetudine et inirascibilitate, et nisi præfatis modis se custodiant ac refrenent, cito labuntur ad iram et impatientiam. *Ista vero,* utpote immobilitas perfectorum, *tanquam serpens mortificatur ab impassibilitate quasi sub gladio quodam,* hoc est, propria impassibilitate mortificat seu præservat se a motibus passionum, quasi sub ense acuto, quia per impassibilitatem suam habitualem, quasi per validissimum gladium, repellit a se et occidit immoderantias passionum.

Vidi tres monachos unanimes ignomi-

A *niis affectos,* id est injuriam passos : *et hic quidem mordetur et conturbatur, attamen tacet,* id est, unus eorum, puta incipiens ac pusillus, sentit in se quemdam renisum et conturbationem ex illata sibi injuria, reprimit tamen motus illos in se, nec per verba illicita illos ostendit; *secundus vero,* puta proficiens, *gavisus est pro se ipso,* id est, de injuria sibi illata lætatus est in quantum per eam promeruit, *conturbatur vero pro contristante et improperante,* hoc est, de injuriantis B peccato ac casu tristatur; *tertius vero, reformans proximi læsionem,* id est, perfectus, sua mititate, patientia, caritate et oratione proximo injurianti sibi veniam impetrans, et ejus malignitatem in bono vincens, *effudit lacrimas calide,* hoc est, ferventer et lacrimose oravit pro illo. *Et erat pulchrum videre operatores timoris, et mercedis, et caritatis :* nam primus horum trium operabatur ex timore supplicii, secundus intuitu præmii, tertius ex caritate sincera. Nihilo minus duo primi ope- C rabantur etiam aliquo modo ex caritate, alioqui non fuissent meritorie operati; sed in primo timor magis apparuit, in secundo intuitus præmii.

Rom. XII, 21.

Quemadmodum febris corporum una est in genere, *multas autem possidet causas et non unicam occasionem sui caloris; ita et furor et motus iræ et ebullitio* sanguinis circa cor *solent habere multas causas et differentes occasiones, sicut et reliqua vitia nostra.* Interdum enim oriuntur ira, furor et ebullitio illa, ex damnis rerum, D interdum ex injuriatione verborum, quandoque ex justa increpatione ac disciplina, vicissim ex paupertate aut infirmitate, ac aliis modis diversis. *Quapropter impossibile est ista determinare,* id est, definire, tractare, elucidare, *uno tantum modo. Arbitrium,* id est judicium, *horum magis constituo in studiosa sollicitudine et festinantia,* id est celeri inquisitione, *uniuscujusque infirmantium,* hoc est passiones has sustinentium; *de cetero do,* id est, trado ac doceo, *semitam medicinæ atque an-*

tidotum, hoc est salubria remedia contra A vitia hæc, *vigilanter inquirere.*

Et prima cura, id est medicina, *erit cognoscere causam suæ plagæ,* id est interioris læsionis et inordinatæ commotionis. *Causa enim inventa, nos infirmantes* vitiis passionum *suscipiemus adjutorium emplastri ex providentia Dei et spiritualium medicorum ad eamdem* plagam curandam, *quasi sub exemplo et ænigmate,* id est sub metaphorica et obscura minusque obvia locutione, sub similitudine quoque corporalium remediorum ac vulnerum. B Hinc ænigmatice subditur : *Qui volunt in Domino nobiscum intrare in propositum sententiarum,* id est ad intelligentiam doctrinarum salubrium proponendarum, *ingrediantur intellectuale adjutorium,* id est internam advertentiam, audiendo auribus cordis, *et simul examinando, obscure inquirant de præfatis passionibus et causis* earum, quales exsistant et qualiter sint sanandæ ac evitandæ.

Ligetur ergo furor tyrannus in vinculis mititatis, hoc est, furor, qui similis est C tyranno, compescatur virtute mansuetudinis; *et longanimitate percussus, atque a sancta caritate tractus* ad istam vinculationem, *et præsentatus in isto tribunali hujus sermonis,* hoc est coram judicio hujus doctrinæ, *torqueatur, et de his quæ ad rem pertinent dijudicetur, dicaturque ei : O insipiens et inhoneste furor, dic nobis appellationem te gignentis et male te parientis,* id est nomen patris tui ac matris quæ vitiose te peperit, *nomina quoque filiorum et filiarum tuarum inquinatarum,* D hoc est vitiorum pullulantium ex te; *non solum vero* hæc dicas, *sed etiam declara insignia impugnantium et interimentium te,* id est præclaras virtutes tibi contrarias, a quibus impugnaris ac vinceris.

Qui furor *respondens ad nos, ita dicere visus est : Meæ generationes multæ,* id est, diversæ et multæ sunt causæ me generantes, sicut prætactum est, *et pater* p. 200 C'. *meus non unus tantum,* quia ex multis principiis prodeo. *Porro matres meæ sunt, amor pecuniæ, avaritia, ventris ingluvies, gula* (gulosi etenim vehementer irascuntur si non fuerunt saturati), *aliquando vero et fornicatio. Nempe pater meus appellatur tumor vel elatio.* Furor enim principalius oritur ex superbia quam ex aliis causis : idcirco superbia dicitur ejus pater, secundum quod in generatione carnali pater est principale principium filii. *Filiæ vero meæ sunt, memoria malitiæ,* id est injuriæ irrogatæ, *vindicta, inimicitia, justificatio in propriis verbis,* id est per propria verba defendere, excusare et justificare se ipsum. *Filii mei,* id est principalia et pessima germina ex me prodeuntia, sunt *amor et odium :* furens enim amat eum qui sibi adsistit ad vindicandum se de injuriante, et injuriantem odit. *Adversarii autem mei a quibus detineor nunc ligatus, sunt* virtutes *contrariæ his* vitiis et inimicæ horum pravorum effectuum, utpote *mititas, mansuetudo, inirascibilitas. Meus* [illegible] *insidiator nuncupatur humilitas,* quæ sollicitat hominem ad vitandum ac destruendum furorem. *Quis vero peperit illam,* puta humilitatem, [illegible] *proprio loco,* videlicet in capitulo infra sequente in quo de humilitate tractatur.

GRADUS IX

DE VINDICTA, SEU MEMORIA MALITIÆ, ID EST ILLATÆ INJURIÆ.

SANCTÆ virtutes comparantur scalæ Jacob; immundæ vero malitiæ comparantur catenæ cadenti a Petro vertice Apostolorum et principe chorifero. Illæ quidem unam uni præmittentes, ferunt eas præeligentes in cœlum; istæ vero habent naturam constringere, et altera alteram simul gignere : propter quod audivimus nunc insensatum furorem appellantem memoriam malitiæ proprium germen suum. Ideo nunc dicemus de ipsa, tempore vocante.

Act. XII, 7.

Grad. VIII in fine.

Memoria malitiæ est furoris consummatio, custos peccatorum, virtutum perditio, sagitta, rubigo venenumque animæ, vermis mentis, orationis confusio, obsecrationis destitutio, caritatis alienatio, clavus infixus animæ, sensus non delectabilis, amatus in delectatione amaritudinis, indesinens peccatum, transgressio et iniquitas non dormiens, quotidiana continuaque malitia. Et hoc vitium triste ac tenebrosum, dico vero malitiæ memoriam, exsistit unum gignentium, et non gignentium, vel etiam genitorum : unde de eo plura dicere nolumus.

Qui cessare facit iram, occidit memoriam malitiæ. Patre vivente, fit procreatio filiorum. — Possidens caritatem expulit ultionem in extranea; qui vero inimicatur, aggregavit sibi ipsi importunos labores. — Mensa caritatis dissolvit odium, et dona munda fecerunt animam mitem. Mensa studiose accurata et incircumspecta, est mater confidentiæ, et per fenestram caritatis insiliet ingluvies ventris.

Vidi odium dirumpere vinculum fornicationis temporaneum et diuturnum; et in hoc vidi memoriam malitiæ ipsum absque vinculis præter opinionem de cetero servare. Miranda visio, videre dæmonem sanantem dæmonem; istud autem plane est opus Dei dispensative, et non dæmonum. — Memoria malitiæ longe est a caritate firma et naturali; fornicatio vero appropinquat leviter ei : et vides corruptionem latenter in columba.

Memor malitiæ, memorare malitiæ dæmonum; et inimicitias servans, inimicare corpori semper. Nam caro est amicus imprudens, irrationabilis, dolosus; et fota, maxime lædit.

Scripturarum narrator, memor injuriæ, allegorizat eloquia Spiritus ad propriam affectionem. Confundat eum oratio Jesu Christi, quam nos malignantes memores malorum dicere cum ipso non possumus.

Quando multum certans non potes perfecte dissolvere stimulum et pravitatem, saltem ore age pœnitentiam inimico, ut multum erubescens super hypocrisi coram ipso ostensa, ipsum finaliter perfecte diligas atque suscipias, punctus et victus a conscientia tua quasi ab igne. — Denique, tunc cognosces te commutatum a putredine

hujus, non quando oras pro contristante, nec quando remuneras ipsum donis, nec quando adducis eum ad mensam; sed quando didiceris ipsum concidisse spiritualis aut corporalis tribulationis eventu, et dolueris atque ploraveris super ipsum sicut super te ipsum, tunc eris vere immemor malitiæ.

Solitarius memor malitiæ, est quasi aspis nidificans circumferens in se ipsa venenum mortiferum. — Memoriæ passionum Jesu Christi sanant animam injuriæ memorem, et fortiter erubescit ex sufferentia mali ejus. — In ligno putrido generantur interius vermes, et in adulterinis mansuetis, tranquillis moribus cohæret ultio. Abjiciens eam inveniet indulgentiam, adhærens vero privatur propitiationibus Dei.

Quidam tradiderunt se ipsos in doloribus et sudoribus propter indulgentiam vitiorum suorum a Domino obtinendam. Sed vir malitiæ immemor præanticipavit illos : si tamen verum est istud, Dimittite celeriter, et dimittetur vobis ditissime. — [illegible]
Oblivio malitiæ est argumentum pœnitentiæ nobilis ac probatæ; qui vero inimicitiam detinet, et pœnitere apparet, similis est ei qui se in somnis currere putat. — Vidi quosdam injuriæ suæ memores, admonere alios de oblivione injuriæ : qui ex propriis sermonibus erubescentes, cessaverunt a vitio illo.

Nemo suspicetur passionem hanc obtenebrantem esse exilem : naturam enim habet superextendi plerumque usque ad viros spirituales.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS NONI.

SANCTÆ *virtutes comparantur scalæ Jacob*, quando ipsæ virtutes accipiuntur ut connitæ invicem gradu et ordine condecenti, prout de eis tractatur in præsenti volumine; *immundæ vero malitiæ*, id est peccata, *comparantur catenæ cadenti a Petro vertice Apostolorum et principe chorifero,* hoc est de manibus gloriosissimi ac beatissimi Petri, qui fuit summus Apostolorum et princeps apostolici chori, ferens, ducens ac præcedens ipsum hunc chorum, utpote verus aliorum Apostolorum prælatus. Ecce quam catholice et aperte fatetur hic auctor primatum et excellentiam Petri. *Illæ quidem* virtutes *[illegible] uni præmittentes*, id est, se sibi mutuo præponentes ordinateque disponentes, di-

Act. xii, 7.

A gnioribus dando locum eminentiorem [illegible] *runt* homines *eas pr[illegible]* [illegible] : idcirco sunt similes scalæ, in qua est talis dispositio et ascensus. *Istæ vero* malitiæ *habent naturam constringere*, id est constringendi seu ligandi suum subjectum sub potestate et servitute diaboli, ne ascendat ad Deum, *et altera alteram simul gignere,* hoc est, naturam habent gignendi unam culpam ex alia. Ex capitalibus etenim vitiis alia maxima generantur; imo secundum diversam causalitatem
B et considerationem vitia ex se invicem oriuntur.

[illegible], videlicet in fine præcedentis capituli, [illegible]

proprium germen suum. Ibi equidem dictum est quemadmodum furor dixit memoriam malitiæ seu injuriæ esse unam filiarum suarum. *Ideo nunc dicemus de ipsa* memoria malitiæ, *tempore vocante,* id est, ordine hujus doctrinæ id exigente, ut scilicet post matrem iniquam tractemus de filia ejus. Porro tempus dicitur facere ea quæ fiunt in tempore, et denominationem capit a talibus : ideo dicitur tempus ad istud vocare, quoniam ordo hujus determinationis factus in tempore, vocavit ad istud. p. 201 B'.

Memoria malitiæ est furoris consummatio, id est completio. Nunc enim per memoriam malitiæ intelligitur recordatio illatæ injuriæ ex proposito tenaciter conservata, eo quod ipsa injuria nequaquam ex corde remittitur. Contra quod Moyses jussit : Non eris memor injuriæ civium tuorum. Christus quoque : Si non remiseritis (inquit) unusquisque fratri suo ex cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. (*Lev.* xix, 18. *Matth.* xviii, 35; vi, 15.)

Insuper « memoria » ista « malitiæ est » *custos peccatorum :* nam iram, furorem, indignationem et alia vitia inde nascentia conservat in suo vigore. *Virtutum perditio :* quum enim sit mortale peccatum, perdit et aufert virtutes infusas. *Sagitta, rubigo venenumque animæ :* nam pungit, penetrat, inveterat et inficit eam. *Vermis mentis :* nam instar vermis mentem corrodit atque affligit. *Orationis confusio :* quoniam facit orantem a Deo confundi, ipsamque orationem efficit inefficacem, distractam et erubescibilem. *Obsecrationis destitutio :* nam facit eam repelli a Deo, et reddit hominem inhabilem et indignum ad obsecrandum, saltem in propria persona, quamvis in persona Ecclesiæ possit interdum efficaciter obsecrare. Ideo loquitur Christus : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem. (*Marc.* xi, 25.) *Caritatis alienatio :* quoniam caritati contrariatur, et eam tollit ac destruit. *Clavus infixus animæ,* id est gravis ac intensa vulneratio ejus, *sensus non delectabilis,* A *amatus in delectatione amaritudinis,* hoc est, apprehensio seu cogitatio amara, attamen amata ab his quibus miserabiliter delectabile seu placitum est conceptam passionis amaritudinem intra se retinere et confovere : qui sponte affligunt se ipsos, et esse sub sentibus delicias computant. (*Job* xxx, 7.) Quales sunt omnes qui iram, rancorem, invidiam, impatientiam, et furorem memoriamque injuriæ, et consimilia vitia in se ipsis pœnalia et amara, nolunt a suis cordibus removere. *Indesinens peccatum :* B non enim faciliter cessat. *Transgressio et iniquitas non dormiens, quotidiana continuaque malitia :* quia multum protrahitur, et frequenter reiteratur.

Et hoc vitium triste ac tenebrosum, dico vero malitiæ memoriam : quæ dicitur « vitium triste », quia in se ipso est pœnale, pariensque tristitiam de illata injuria, et quia optata ultio nondum expleta est. Hoc, inquam, vitium *exsistit unum gignentium, et non gignentium, vel etiam genitorum,* hoc est, inter vitia quæ ex se C generant alia, et inter vitia quæ non gignunt alia, item inter vitia genita, est unum atque præcipuum. Gignitur enim ex illata injuria, furore et elatione; paritque odium, ultionem, lites, et alia varia mala; interdum vero exstinguitur et placatur, itaque alias culpas non parit. *Unde de eo plura dicere nolumus.* Jam enim satis vituperatum est vitium istud. Religiosi quoque qui injurias sive molestias sibi factas facili occasione recolunt et resumunt, objiciunt atque improperant, etiam quamvis D jam ante remiserunt eas, timeant vehementer : periculose etenim stant, vel potius jacent.

Qui cessare facit iram, occidit memoriam malitiæ, quæ procedit ex ira. *Patre vivente, fit procreatio filiorum ;* sic ira durante, procreatur recordatio illatæ injuriæ.

Possidens caritatem expulit ultionem in extranea, id est, a se eam rejecit. Caritas enim non irritatur, non cogitat malum. (I *Cor.* xiii, 5.) *Qui vero inimicatur, aggregavit sibi*

ipsi importunos labores : id est, varias excogitat practicas quibus valeat inimico suo nocere, seu eum quem odit, gravare; importune quoque laborat ad hoc exsequendum, non opportune secundum processum ac ordinem juris.

Mensa caritatis dissolvit odium, id est, refectio caritative exhibita alteri, exstinguit in eo rancorem; *et dona munda,* id est pura intentione et gratis aliis præstita, *fecerunt animam mitem,* id est, mentem iratam reduxerunt ad mansuetudinem. Hoc et in Proverbiis asseritur : Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Quod tamen communiter ita contingit : verumtamen quidam sunt ita pertinaces, malitiosi, indurati atque ingrati, quod nec his modis possunt ab odio suo ac ira curari.

Prov. XXI, 14.

Mensa studiose accurata et incircumspecta, hoc est laute et exquisite parata, non tamen prudenter quantum ad interiorem salutem ; vel, ut aliqui habent, *incircumscripta,* id est non debite limitata, sed nimis abundans ; *est mater confidentiæ,* hoc est præsumptionis sive audaciæ, quæ ex refectione mensæ hujusmodi oritur; vel est mater fiduciæ, quia qui tali mensa reficitur ab alio, fiduciam concipit de caritate illius ad se. *Et per fenestram caritatis,* id est per hujuscemodi apparatum, adspectum ac aditum talis mensæ quasi ex caritate exhibitæ, *insiliet ingluvies ventris :* objecto enim tam copiose proposito, faciliter peccatur in eo.

Vidi odium dirumpere vinculum fornicationis temporaneum et diuturnum, ita quod odium istud dissipavit carnalem viri ac feminæ amicitiam et fornicationem ex ea nascentem; *et in hoc vidi memoriam malitiæ ipsum absque vinculis præter opinionem de cetero servare,* hoc est, vidi in hoc casu quod memoria injuriæ conservavit de cetero odium illud in esse absque vinculis aliis inopinate, ita quod nullus putasset hoc ita futurum. *Miranda visio, videre dæmonem sanantem dæmonem,* id est conspicere quod unum vitium expellit aliud. *Istud autem plane est opus Dei dispensative, et non dæmonum :* non quod Deus sit directe causa peccati quantum ad ejus formale; sed pio ac provido moderamine causa est actus mali quantum ad ejus materiale, et in quantum est expulsivus periculosioris peccati.

Memoria malitiæ longe est a caritate firma et naturali; fornicatio vero appropinquat leviter ei. Qui enim se invicem diligunt naturali amore, intenso ac forti, cito obliviscuntur offensæ ex prædominante amore. Sed talis affectio faciliter efficitur sensualis : sicque fornicatio eam concomitatur. *Et vides corruptionem latenter in columba,* hoc est, conspicis qualiter quis per amorem illum in se naturalem ac simplicem, occulte inducatur ad carnalem affectum et opus immundum. Ideo et in claustris necessaria est cautela, ne quis incaute afficiatur ad aliquem naturaliter forte magis amabilem, ne ex tali sensuali affectu habeat se indecenter ad illum per tactum aut osculum sub specie boni, et pariat ac injiciat sibi laqueum mortis, stimulum carnis, aut mala similia.

Memor malitiæ, id est, tu qui « memor » es injuriæ tibi ab homine factæ, *memorare malitiæ dæmonum,* id est, attende et recole quantum tibi adversentur diaboli, ad quanta vitia te traxerunt, ad quanta peccata atque tormenta te perducere moliuntur. *Et inimicitias servans, inimicare corpori semper,* hoc est, servans in corde tuo rancorem ad proximum, esto inimicus jugiter proprio corpori quantum ad ea in quibus te impedit a salute. *Nam caro est amicus imprudens, irrationabilis, dolosus :* quoniam blande et imprudenter allicit ad ea quæ adversantur saluti animæ, imo et sui ipsius; *et fota,* hoc est delicate ac gulose nutrita, [illegible] trahendo ad somnolentiam, pigritiam, ac varia vitia alia.

[illegible] id est verba Spiritus Sancti interpretatur et trahit ad suum al-

fectum. *Confundat eum,* id est talem expositorem, seu *eam,* hoc est ejus corruptam affectionem, *oratio Jesu Christi,* utpote
Matth. vi, 9 13. Oratio dominica, quam Christus edocuit; vel oratio quam Christus in cruce pro cru-
Luc. xxiii, 34 cifixoribus suis fudit : Pater, inquiens, ignosce illis, etc. *Quam nos malignantes memores malorum,* id est injuriarum nostrarum, *dicere cum ipso non possumus,* præsertim in propria persona, videlicet
Matth. vi, 12. istud : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Quando multum certans non potes perfecte dissolvere stimulum et pravitatem, hoc est, quando contra propriam tuam perversitatem, iram et impatientiam multum laborans orando et Christi mansuetudinem patientiamque pensando, non vales in te ipso plene exstinguere punctionem et pravam affectionem ad proximum, *saltem ore age pœnitentiam inimico,* id est, fac quod in te est, et protinus veniam pete seu amicabiliter loquere ei quem reputas adversarium tuum, *ut multum erubescens super hypocrisi coram ipso ostensa,* id est de propria simulatione quam proximo tali exhibuisti, *ipsum finaliter perfecte diligas atque suscipias* in visceribus caritatis, *punctus et victus a conscientia tua,* id est pudore, remorsu et judicio conscientiæ propriæ, *quasi ab igne.*

Denique tunc cognosces te commutatum a putredine hujus, id est emundatum a corruptione memoriæ injuriarum, seu iræ, seu invidiæ, *non quando oras pro contristante,* id est pro injuriatore seu adversario tuo, *nec quando remuneras ipsum donis, nec quando adducis eum ad mensam* tuam; *sed quando didiceris ipsum concidisse spiritualis aut corporalis tribulationis eventu, et dolueris atque ploraveris super ipsum,* id est de adversitate et dejectione ipsius, *sicut super te ipsum,* secundum quod exigit fraterna dilectio, *tunc,* quando sic agis, *eris vere immemor malitiæ* quam tibi inflixit.

Solitarius memor malitiæ, est quasi aspis nidificans circumferens in se ipsa venenum mortiferum. Talis quippe solitarius aculeo hujus memoriæ et stimulo propriæ iræ pungit, affligit inficitque se ipsum, et tanto plus, quanto minus occupatus est circa diversa : et ita facit sibi infernum in præsenti, quem et præparat sibimet in futuro. Ideo solitario specialissime necessaria est et jugiter amplectenda tranquillitas cordis, mansuetudo, caritas quoque sincera ad omnes.

Memoriæ passionum Jesu Christi sanant animam injuriæ memorem. Homo enim ad memoriam reducendo quæ et quanta Christus pro nobis sustinuit, vincit iram, et memoriam irrogatæ sibi injuriæ omnino repellit. *Et fortiter erubescit* de propria ira, impatientia memoriaque injuriæ suæ, *ex sufferentia mali ejus,* hoc est ex consideratione patientiæ qua Christus tot et tanta mala tam patientissime pertulit.

In ligno putrido generantur interius vermes, et in adulterinis mansuetis, tranquillis moribus cohæret ultio, id est, in his qui foris ficte ostendunt mansuetos tranquillosque mores, frequenter est occulte desiderium ultionis, et memoria injuriæ eis illatæ, et sæpe tanto plus, quanto minus putatur ab aliis. Tales namque inaniter complacent sibi, et cupidi sunt honoris, non vere mortificati ac humiles : ideo pati nequeunt aspernationes sive injurias, imo nec caritativam increpationem justamque disciplinam. *Abjiciens eam,* videlicet ultionem suæ injuriæ, *inveniet indulgentiam ; adhærens vero* ultioni *privatur propitiationibus Dei :* quemadmodum in Ecclesiastico legitur, Qui vindicari vult, Eccli.
a Deo inveniet vindictam, et servans pec- xxviii, 1.
cata illius servabit.

Quidam tradiderunt se ipsos in doloribus et sudoribus, id est, exercitia pœnitentialia, laboriosa et gravia assumpserunt et exercuerunt, *propter indulgentiam vitiorum suorum a Domino obtinendam. Sed vir malitiæ immemor,* utpote aliis pure ignoscens, *præanticipavit illos,* id est, celerius consecutus est veniam ; *si*

Luc. vi, 37, 38. *tamen verum est istud, Dimittite celeriter, et dimittetur vobis ditissime,* id est, copiosissime. Efficacior ergo est ad impetrandum veniam, imo et gratiam Dei, remissio cordialis injuriæ propriæ, quam exteriora pœnitentiæ opera. Ideo quidam religiosi duri et vindicativi minus proficiunt, imo et gravius peccant, quam sæculares.

Oblivio malitiæ est argumentum, id est signum, *pœnitentiæ nobilis ac probatæ. Qui vero inimicitiam detinet, et pœnitere apparet, similis est ei qui se in somnis* B *currere putat,* quum tamen quiescit : interdum enim quidam in somno surgunt, A currunt seu ambulant. — *Vidi quosdam injuriæ suæ memores, admonere alios de oblivione injuriæ : qui ex propriis sermonibus erubescentes, cessaverunt a vitio illo.*

Nemo suspicetur passionem hanc obtenebrantem, id est injuriæ memoriam sive iram, quæ mentem excæcat atque obtenebrat, *esse exilem,* id est parvum peccatum. *Naturam enim habet superextendi,* id est pertingere, *plerumque usque ad viros spirituales.* Caveant ergo viri religiosi a vitio isto : imo nunquam appetant se ulcisci, sed omni correptione, aspernatione et tribulatione dignos se arbitrentur.

GRADUS X

DE DETRACTIONE.

NEMO bene prudentium contradicit, ut arbitror, detractionem generari ex odio et memoria injuriæ. Propterea post suos progenitores quasi in connexione ordinatur.

Detractio est soboles odii, exilis infirmitas, crassa vero, abscondita et latens sanguisuga caritatis, consumens et exterminans sanguinem animæ, hypocrisis caritatis, conciliatrix sordis cordis et oris, et exterminatio castitatis. — Quemadmodum sunt adolescentulæ quædam quæ absque rubore perpetrant mala, et sunt aliæ quæ latenter ac verecundius perficiunt pejora prioribus; ita et in passionibus ignominiæ est. Tales adolescentulæ sunt, hypocrisis, malignitas, tristitia, memoria injuriæ, detractio cordis : alia quidem in apparentia supponentes, alia vero prospicientes.

Audivi detrahentes, et reprehendi eos. Qui mali operarii excusantes se, responderunt quod facerent istud ex caritate et pro cura illius cui detrahebant. Quibus dixi : Cessate, fratres, a tali caritate, ut non faciatis mendacem dicentem : Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. — Si dicis te diligere eum, ora latenter pro eo, et ne improperes nec maledicas ei : iste enim modus caritatis acceptus est apud Deum. — Neque hoc te lateat, et vigilabis penitus ut non judices offendentem : Judas erat in choro discipulorum, latro autem in numero homicidarum; et mirum quomodo in uno momento facta est transmutatio. Ps.

Si quis vult vincere spiritum detractionis, non adscribat neque judicet querelam super offendentem, et dæmoni qui detractionem ei suggessit, adscribat eamdem.

Nemo enim vult in Deum peccare, quamvis sine violentia universi peccemus. — Vidi aliquem manifeste peccantem, et occulte pœnitentem; et quem judicavi fornicatorem, inveni castum reputatum apud Deum.

Non verearis detrahentem apud te proximo, magis vero dic ad eum : Quiesce, frater; ego quotidie in pejoribus offendo, quomodo illum valeo judicare? Nam in uno emplastro lucraris hæc duo, quia et te ipsum sanas, et proximum. Nempe et ista una est brevium viarum deducentium ad remissionem culparum; dico vero non
Luc. VI, 37. judicare proximum : si tamen verum est istud, Nolite judicare, et non judicabimini. — Sicut alienus seu differens est ignis ab aqua, sic judicare alium debet esse alienum a volente pœnitentiam agere.

Etiam si videris aliquem peccantem in hora mortis suæ, nec tunc judices eum : incertum est enim hominibus judicium Dei. — Manifeste aliqui offenderunt in magnis peccatis, et in occulto operati sunt bona majora. Idcirco seducti sunt, qui facta aliorum libenter explorant, retinentes fumum pro sole.

Audite me, audite, o omnes mali positores rationis aliorum. Quippe si verum
Ibidem. est, quemadmodum utique verum est, quod ait Salvator, Nolite judicare, et non judicabimini; in quibus vituperamus proximum, sive in spiritualibus sive in corporalibus, in ea penitus incidemus : et non est aliter.

Qui sunt acuti, celeres et districti positores et exactores rationis delictorum proximi, patiuntur hoc vitium quoniam nondum assumpserunt irreflexam curam de propriis culpis : ideo obligati succumbunt sub aliorum peccatis. Si enim quis propria vitia velo amoris arrogantiæ operta disvelans, diligenter inspexerit, nullius alterius curam geret de cetero in hac vita, existimans tempus suum sibi non sufficere ad proprium luctum, etiam si centum vixerit annis, atque Jordanem fluvium viderit totum per lacrimas procedentem ex oculis propriis. — Notavi super luctum, et non inveni in eo vestigium detractionis vel condemnationis. — Dæmones autem exhortantur et suggerunt nobis ut peccemus, aut ut judicemus peccantes ac delinquentes, ut per secundum moliantur et primum, sicque homicidæ nos maculent.

Cognosce hoc esse argumentum et notionem memorantium et fascinantium mala, quia libenter atque faciliter vituperant doctrinas, negotia, res et directiones proximi, et miserande submersi trahuntur spiritu odii. — Vidi quosdam perpetrantes latenter et non publice omnia dira periculosaque crimina, et autumatores suæ munditiæ, instantes adversus eos qui offendebant in quibusdam minimis et publicis, ut nimis justi.

Judicare, est irreverens rapina dignitatis Dei; condemnare vero proximum, est interitus propriæ animæ. — Quemadmodum elatio propriæ reputationis potest hominem eam habentem perdere sine alia passione ei adjuncta, ita judicare exsi-
Ibid. XVIII, 10-14. stens in nobis, valet per se ipsum solum perdere nos perfecte : si tamen Pharisæus ille condemnatur ex hoc.

Bonus racemorum collector manducans racemos maturos, non colliget uvas acerbas super eis : et bene prudens, habens mentem prudentem et intendentem,

notabit sollicitus festine quascumque virtutes in aliis viderit; insipiens vero et imprudens scrutabitur querelas et defectus : de quo et dicitur, Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinia. — Neque tuis oculis videns dijudices : plerumque enim et ipsi oculi seducuntur et errant. *Ps. LXIII, 7.*

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS DECIMI.

NEMO *bene prudentium contradicit, ut arbitror, detractionem generari ex odio et memoria injuriæ. Propterea post suos progenitores quasi in connexione ordinatur :* id est, idcirco jam in isto capitulo de ea tractandum est, postquam in præcedenti capitulo dictum est de odio aliquid, et multum de memoria malitiæ, ex quibus procedit.

Detractio est soboles, id est filia, *odii, exilis infirmitas,* quia detrahenti videtur quod detractio sua sit parvum peccatum, quum tamen sit peccatum grande atque B mortale, et gravius furto ex genere suo : ideo subditur, *crassa vero, abscondita et latens sanguisuga* est *caritatis :* nam instar sanguisugæ extrahit caritatem de corde, detractoris ore. Imo audientem, si consentit, spoliat caritate; is quoque cui detractum est, percipiens qualiter quis detraxerit sibi, interdum accenditur odio contra illum, et caritate privatur : sicque maledictus detractor plures interimit animas. Est itaque detractio « sanguisuga caritatis crassa », id est pravitate abundans; C «abscondita et latens», quoniam detrahens non advertit enormitatem vitiositatemque suæ detractionis, et latet eum cui obloquitur; *consumens et exterminans sanguinem animæ,* id est calorem vivificum ac spiritualem humorem sapientiæ salutaris; *hypocrisis caritatis,* quia detractor frequenter se fingit quasi ex caritate loqui mala de alio; *conciliatrix sordis cordis et oris,* id est inquinatrix horum amborum. [illegible]

A *terminatio castitatis,* id est interioris munditiæ.

Quemadmodum sunt adolescentulæ quædam quæ absque rubore perpetrant mala, quibus facta est frons mulieris meretricis, *Jer. III, 3.* *et sunt aliæ quæ latenter ac verecundius perficiunt pejora prioribus,* ut sunt feminæ incestuosæ, sacrilegæ, et vitia contra naturam agentes; *ita et in passionibus ignominiæ est,* id est in vitiosis ac turpibus passionibus animæ : sic quod quædam passiones instar priorum adolescentularum prorumpunt aperte in vitia quædam, ut appetitus gulæ ac venereorum; aliæ vero passiones procedunt occulte in vitia graviora. *Tales adolescentulæ sunt, hypocrisis, malignitas,* id est habituata malitia, *tristitia* sæculi, *memoria injuriæ, detractio cordis,* id est desiderium detrahendi, seu detractio ex corde proveniens. *Alia quidem in apparentia supponentes,* hoc est, passiones seu adolescentulæ istæ alia prætendunt sive ostendunt secundum apparentiam, quia colore virtutum se palliant ne agnoscantur; *alia vero prospicientes,* quia revera intendunt et quærunt atque respiciunt mala, ut apertissime patet de hypocrisi et detractione; memoria autem injuriæ interdum prætendit se quærere injuriantis correctionem, quum tamen quærat ipsius confusionem ac nocumentum.

Audivi detrahentes, et reprehendi eos. [illegible] ad hoc. [illegible]

caritate et pro cura illius cui detrahebant. Quibus dixi : Cessate, fratres, a tali caritate, ut non faciatis quantum in vobis
Ps. c, 5. est *mendacem* Prophetam *dicentem : Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. — Si dicis te diligere eum* cui obloqueris, *ora latenter pro eo, et ne improperes nec maledicas ei : iste enim modus caritatis acceptus est apud Deum* et Dominum Jesum.

Neque hoc te lateat, et evigilabis penitus ut non judices temerarie et incaute *offendentem,* id est eum qui peccat : *Judas erat in choro discipulorum,* utpote unus Apostolorum, *latro autem in numero homicidarum ; et mirum quomodo in uno momento,* id est in brevi tempore, *facta est transmutatio :* ita quod Judas factus est homicida, imo (ut sic loquar) deicida, Christum Jesum tradendo in mortem; latro autem pœnitendo computatus est in numero discipulorum.

Si quis vult vincere spiritum detractionis, non adscribat neque judicet querelam super offendentem, id est, peccantem quantum potest habeat excusatum, *et dæmoni qui detractionem ei suggessit, adscribat eamdem. Nemo enim vult in Deum peccare,* id est, vix aliquis ita perversus est ut peccando intendat formaliter ac directe Deum offendere, licet intendat istud quod offensivum est Dei, *quamvis sine violentia universi peccemus,* id est sine necessitate et absoluta coactione : peccatum enim est voluntarium aliquo modo. In aliquibus tamen peccatis est quædam admixtio involuntarii, seu necessitatis aut violentiæ : sicut in his qui mentiuntur ex vehementia pœnæ aut mortis timore.

Vidi aliquem manifeste peccantem, et occulte pœnitentem; et quem judicavi fornicatorem, una hora *inveni castum reputatum apud Deum,* id est alium fieri in momento. Idcirco judicare et obloqui stultum est et incautum.

Non reverearis detrahentem apud te proximo, magis vero dic ad eum : Quiesce, frater, a detractione seu tali locutione; *ego quotidie in pejoribus offendo,* id est, gravius pecco actu vel potentia quam ille, *quomodo illum valeo judicare,* qui in iisdem aut majoribus vitiis reus sum? *Nam in uno emplastro,* id est per unum tale responsum medicinale ac sapientiale, *lucraris hæc duo, quia et te ipsum sanas,* id est, a consensu detractionis præservas, *et proximum,* quem a detractione facis cessare ac pœnitere. *Nempe et ista* exhortatio sive correptio detrahentis, vel potius temerarii judicii evitatio, de qua nunc mentio est, *una est brevium viarum deducentium ad remissionem culparum; dico vero non judicare proximum : si tamen verum est istud, Nolite judicare, et non* Luc. VI, 37.
judicabimini.

Sicut alienus seu differens est ignis ab aqua, sic judicare alium inordinate *debet esse alienum a volente pœnitentiam agere.*

Etiam si videris aliquem peccantem in hora mortis suæ, nec tunc judices eum : potest enim in momento pœnitere, nemine istud sciente. Ideo sequitur : *incertum est enim hominibus judicium Dei,* de homine tali. *Manifeste aliqui offenderunt* Deum *in magnis peccatis, et in occulto operati sunt bona majora. Idcirco seducti sunt, qui facta aliorum libenter explorant, retinentes fumum pro sole,* id est incertam suspicionem pro clara veritatis notitia. Hinc ait et Salomon : Qui observator est malorum, Prov. XI, 27.
opprimetur ab eis.

Audite me, audite, o omnes mali positores rationis aliorum, hoc est, temerarii exactores ac judices cur proximi vestri talia aut talia commiserint sive omiserint. *Quippe si verum est, quemadmodum utique verum est, quod ait Salvator, Nolite* Luc. VI, 37.
judicare, et non judicabimini; in quibus vituperamus proximum, sive in spiritualibus sive in corporalibus, in ea penitus incidemus : et non est aliter. Non apparet quod vituperans aut detrahens cadat semper in eadem omnia vitia de quibus vituperat alium; sed corruit in reatum consimilem. Vituperans enim potest mox pœnitere de sua inordinata vituperatione.

Qui sunt acuti, celeres et districti positores et exactores rationis delictorum proximi, patiuntur hoc vitium quoniam nondum assumpserunt irreflexam curam de propriis culpis, qualiter eas plene ad memoriam revocent, sincere ac contrite confiteantur, satisfaciantque pro eisdem, et de cetero vitent eas. *Ideo obligati succumbunt sub aliorum peccatis,* quæ curiose scrutando et graviter ponderando, maculant, deprimunt, atque a salutari propriarum culparum perscrutatione, ponderatione, dijudicatione, deploratione et emendatione impediunt semetipsos. *Si enim quis propria vitia velo amoris arrogantiæ operta,* id est a proprii cordis intuitu abscondita ex elatione quam amat, *disvelans,* hoc est, elatione remota denudans, *diligenter inspexerit,* considerando quam multa et magna sint, *nullius alterius curam geret de cetero in hac vita,* id est, de aliorum observatione et dijudicatione non erit sollicitus, *existimans tempus suum sibi non sufficere ad proprium luctum, etiam si centum vixerit annis, atque Jordanem fluvium viderit totum per lacrimas procedentem ex oculis propriis.* O quam profundum, salubre et illuminatum verbum est hoc ! Ex quo perpendere possumus quam vehementer distemus a condigna et clara vitiorum nostrorum agnitione ac deploratione.

Notavi super luctum, id est, luctus pœnitentialis naturam et actum diligenter perpendi, *et non inveni in eo vestigium detractionis, vel condemnationis* proximorum, sed sui ipsius.

Dæmones autem exhortantur et suggerunt nobis ut peccemus, aut ut judicemus peccantes ac delinquentes, ut per secundum moliantur et primum, hoc est, quatenus inducendo nos ad judicandum alios, pertrahant nos ad eadem quæ judicamus in aliis, vel majora. *Sicque homicidæ nos maculent,* hoc est, homicidas judicando incaute, inquinemur proprio judicio stolido; vel, « sicque homicidæ », id est dæmones, qui spiritualiter interimunt homines, « maculent nos » : diabolus etenim homicida est ab initio. Joann. viii, 44.

Cognosce hoc esse argumentum et notionem, id est evidens signum, *memorantium et fascinantium mala,* id est, recolentium injurias sibi illatas et suspicantium mala de aliis, *quia libenter atque faciliter vituperant doctrinas, negotia, res et directiones,* id est actiones ac regulationes, *proximi, et miserande submersi* fluctibus vitiorum suorum, *trahuntur spiritu odii.*

Vidi quosdam perpetrantes latenter et non publice omnia dira periculosaque crimina, et autumatores suæ munditiæ, id est, reputantes se quasi mundos : hos, inquam, vidi *instantes adversus eos qui offendebant in quibusdam minimis et publicis,* hoc est in venialibus et apertis levissimis culpis, *ut nimis justi,* id est, quasi ipsi latenter pessima perpetrantes exsisterent valde perfecti. Istud frequenter contingit, quod quidam simulatores et callidi in secreto gravissime excedentes, et tamen se quasi mundos autumantes, reprehendunt ac persequuntur quosdam se meliores, qui in aliquibus venialibus aperte culpabiles sunt, quasi ipsi essent virtuosiores quam isti. Tales quoque fuerunt Scribæ et Pharisæi intus vitiosissimi, qui Christi discipulos arguebant de hoc quod manibus non lotis edebant. Marc. vii, 2. Illi pessimi hypocritæ videntes festucam in alio, trabem autem non conspicientes in se ipsis, non timent judicium Dei. Luc. vi, 41.

Judicare, est irreverens rapina dignitatis Dei, id est irreverentialis usurpatio judiciariæ auctoritatis quæ Deo debetur; *condemnare vero proximum, est interitus propriæ animæ,* hoc est mortale peccatum et condemnatio sui ipsius : quæ omnia intelligenda sunt de judicio et condemnatione usurpatis, temerariis, illegitimis, falsis.

[illegible] *perdere,* id est damnationi æternæ addicere. [illegible] id est illectus

actus judicandi, *valet per se ipsum solum perdere nos perfecte,* quum sit culpa mortalis; *si tamen Pharisæus ille* (de quo in Evangelio dicitur, Lucæ octavodecimo, ubi

Luc. XVIII, 10-14. habetur : Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, etc.) *condemnatur ex hoc* quod vitiose judicavit Publicanum. Porro « elatio propriæ reputationis » dicitur qua homo extollit se, reputando se plus quam est, vel id quod habet meritis suis adscribit, aut singulariter id se habere præsumit : quod totum est fatuum.

Bonus racemorum collector manducans racemos maturos, non colliget uvas acerbas super eis, id est de eis vel ultra eos. *Et bene prudens, habens mentem prudentem et intendentem,* hoc est salubriter considerantem, *notabit sollicitus festine,* id est, cum spirituali cura ac festinantia diligenti cordi suo memoriter imprimet ac sequetur, *quascumque virtutes in aliis viderit :* quemadmodum beatissimus pater omnium nostrum Antonius, instar prudentissimæ apis consideravit diversas diversorum Patrum ac Fratrum virtutes, quas in corde suo recondidit exercereque studuit. *Insipiens vero* per defectum contemplationis divinorum, *et imprudens* per veræ discretionis carentiam, *scrutabitur querelas et*

A *defectus,* hoc est, ea potius observabit atque memoriæ imprimet, quæ reprehensibilia et defectuosa exstant in proximis. Ex quibus efficit sibi turpissimum nidum in proprio corde, in quo nido per considerationem quiescit : quemadmodum quædam immundæ aves constituunt sibi nidum ex stercoribus bestiarum. *De quo et dicitur : Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scru-* *Ps.* LXIII, 7. *tantes scrutinia.*

Neque tuis oculis videns dijudices, id est, etiam si videris quemquam peccare,

B non præsumas eum dijudicare, quasi finaliter periturus sit aut emendari non possit. *Plerumque enim et ipsi oculi seducuntur et errant* circa suum objectum, vel circa quædam concernentia ipsum.

De hac autem materia, scilicet, de detractione, quid sit, et quot modis contingat, et de gravitate ipsius, de inordinatis quoque judiciis, et qualiter liceat judicare ac condemnare, et qualiter non, plurima dici hic possent : de quibus brevitati studens pertranseo, quum et in aliis locis

C quampluribus diffuse inde conscripserim. Sed præinducta vigilantissime consideremus, et detractiones temeraria quoque judicia tanquam diabolica vitia infernaliaque venena, cum summa circumspectione indesinenter vitemus.

GRADUS XI

DE MULTILOQUIO.

DIXIMUS compendiose in prætactis, quomodo judicare est valde periculosum et dubium et dirum, atque subintrans eos qui religiosi videntur. Magis vero judicare, est judicari. Judicare quoque magis, est tormentari ac cruciari a linguis. Nunc vero consequens est ordinare et dicere paucis causam et portam per quam ingreditur.

Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra, per quam naturam habet manifestare atque pompatice propalare se ipsam. Multiloquium est insipientiæ argumentum,

detractionis porta, manuductor scurrilitatis, minister mendacii, resolutio compunctionis, dispersor acuitatis intelligentiæ, acediæ vocator et conditor, præcursor somni, dissipatio mœroris, exterminatio custodiæ cordis, frigefactio fervoris atque caloris, obscuratio orationis.

Silentium in scientia est mater orationis, revocatio a captivitate, custodia ignis, episcopus cogitationum, intentio pugnatorum, colligatio luctus, amicitia lacrimarum, operator memoriæ mortis, pictor æternæ pœnæ, diligens inquisitor æterni judicii, minister mœstitiæ, inimica propriæ confidentiæ, conjugalis convictus tranquillitatis, repugnator amoris docendi, additamentum scientiæ, conditor verborum Dei, profectus non apparens, latens ascensus.

Cognoscens delicta tenuit linguam; qui vero multiloquus est, nondum cognovit se ipsum sicut oportet. — Amicus silentii Deo appropinquat, et latenter colloquens
illuminatur a Deo. — Silentium Jesu Christi avertit et inflexit Pilatum; et tranquil- [Matth. xxvii, 14.]
litas vocis evacuat vanam gloriam viri. — Verbum dicens Petrus flevit amare, non [Matth. xxvi, 75.]
memorans dicentis : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; [Psal. xxxviii, 2.]
et alterius qui ait, Melius est cadere in terram ab altitudine, quam a lingua. [Eccli. xx, 20, juxta LXX.]

Ego vero nolo de his scribere multa, quamvis vitiorum astutiæ me exhortentur hoc facere. Verum audivi a quodam quem aliquando diligenter et amicabiliter interrogavi de oris custodia et quiete. Qui dixit, multiloquium penitus generari ex uno horum : aut ex educatione et conversatione, et ex consuetudine maligna non valenti contineri (dixit enim : Quum lingua sit corporis membrum, quemadmodum fuerit disciplinata, requiret illud ex consuetudine bona); aut iterum in agonizantibus, ex certamine; aut maxime oritur ex vana gloria. Interdum quoque procedit ex gula seu ventris ingluvie. Quocirca multi plerumque frenantes ventrem a gula, vi ac vehementia quadam et cum debilitate corporis, concludunt et linguam et multiloquium quod est ex ea.

Sollicitus de exitu, circumcidit sermones; et qui luctum animæ possidet, avertit a se multiloquium quasi ignem. — Qui quietem solitudinis diligit, os suum recludit; gaudens vero in processibus et actibus hominum, expellitur de cella, persecutus a passione vitii. — Qui novit odorem ignis altissimi, fugit homines quemadmodum apis fumum : illam quidem fumus persequitur et expellit, hunc vero adunatio hominum multiloquorum. Qui vero multiloquus est, quærit consortium similium sibi.

Valde paucorum est aquam fluentem non obstrusam prohibere; paucorum vero est domare os incontinens.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS UNDECIMI.

D*IXIMUS compendiose in prætactis, quomodo judicare est valde periculosum et dubium,* id est incertum ac discriminosum, *et dirum, atque subintrans eos qui religiosi videntur,* qui sæpe sunt valde suspiciosi, et ad incauta ac temeraria judicia proni, nisi sint notabiliter timorati ac sapientes. *Magis vero judicare, est judicari,* hoc est, plus « judicare » de aliquo quam licet, meretur « judicari » ac reprobari a Deo. *Judicare quoque magis, est tormentari ac cruciari a linguis,* id est affligi ex pravo eloquio seu falsa sententia judicantis inordinate. Vel, « judicare magis, est tormentari a linguis », hoc est, torqueri meretur post vitam hanc et condemnari, propter illicita judicii verba linguis prolata. Dicitur autem judicare sic, « tormentari », quia est causa meritoria pœnæ quæ propter ipsum infligitur. *Nunc vero consequens est ordinare,* id est ordine decenti inserere, *et dicere paucis* verbis *causam et portam per quam ingreditur :* hoc est, restat nunc loqui de multiloquio, per quod quis faciliter incidit incauta judicia.

Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra : nam gloriatio vana in multiloquio quasi in solio residet; *per quam* cathedram vana gloria *naturam habet,* id est, naturaliter solet, *manifestare atque pompatice propalare se ipsam,* hoc est excellentiam sui subjecti. Homo enim in se inaniter gloriosus manifestat et jactat se ipsum per multiloquium suum, quo talia loqui conatur per quæ reputetur et glorificetur ab aliis.

Multiloquium est insipientiæ argumentum : (*Eccle.* x, 14.) ideo ait Scriptura, Stultus verba multiplicat; *detractionis porta :* detractio namque per multiloquium intrat, et ei se miscet; *manuductor scurrilitatis,* quam protrahit; *minister mendacii,* quod multiloquus incidit variis modis de facili; *resolutio compunctionis :* quia resolvit et tollit eam, mentem infrigidando et vagam atque instabilem faciendo, ita quod incipit abhorrere spiritualia opera; *dispersor acuitatis intelligentiæ :* quoniam intellectum facit obtusiorem, distractum et variis rebus intentum; *acediæ vocator et conditor :* inducit enim acediam; *præcursor somni,* qui ex acedia oritur etiam in divinis; *dissipatio mœroris* pœnitentialis : inducit namque ad risus et vana solatia; *exterminatio custodiæ cordis,* quæ per multiloquium tollitur; *frigefactio fervoris atque caloris :* quoniam ab ardore divini ac fraterni amoris frigeficat; *obscuratio orationis,* quam efficit indevotam et vagam. Ideo scriptum est in Ecclesiastico : Qui multis (*Eccli.* xx, 8.) utitur verbis, lædit animam suam; itemque in Proverbiis : Qui inconsideratus est (*Prov.* xiii, 3.) ad loquendum, sentiet mala; et, Qui cu- (*Ibid.* xxi, 23.) stodit os suum, custodit ab angustiis animam suam.

Silentium in scientia, id est discretum silentium, *est mater orationis :* quanto enim silens minus cum hominibus loquitur, tanto fit aptior ad loquendum cum Deo, orando atque psallendo; *revocatio a captivitate,* id est reductio mentis a distractione, vitiorumque nexu ac jugo; *custodia ignis* sanctæ dilectionis, de quo ait Salvator : Ignem veni mittere in terram, (*Luc.* xii, 49.) etc.; *episcopus,* id est superintentor, *cogitationum,* quæ in silentio melius considerantur ac discutiuntur; *intentio pugnatorum,* id est, res quam præliantes contra peccata multum intendunt et quærunt; *colligatio luctus,* quia continuat fletum;

amicitia lacrimarum, quas facit amari; A *operator memoriæ mortis; pictor æternæ pœnæ :* nam facit hominem imaginari et corde suo inscribere pœnas inferni; *diligens inquisitor æterni judicii :* disponit namque hominem ad hoc ut vigilanter perpendat rigorem divini judicii, quod vocatur æternum, quia ejus effectus, videlicet condemnatio et salvatio, sunt æterni; *minister mœstitiæ* quæ secundum Deum est; *inimica propriæ confidentiæ :* silentium enim facit hominem propriam infirmitatem et defectuositatem cognoscere, ita B quod detestatur ac odit confidere in se ipso; *conjugalis convictus tranquillitatis,* hoc est familiaris consocia internæ quietis ac pacis; *repugnator amoris docendi* per verba, nisi caritas sive necessitas aliud postulet; *additamentum scientiæ :* anima enim quiescendo, silendo ac meditando, crescit in scientia; *conditor verborum Dei,* hoc est, reponens ea in corde memoriterque reservans; vel, « conditor verborum Dei », id est, disponens ad hoc ut quando loquendum est, non fiat verbum nisi de C Deo et pertinentibus ad salutem; *profectus non apparens :* quia ad interiorem profectum non mediocriter confert; *latens ascensus :* quia ad ascensum mentis in Deum specialiter prodest, quemadmodum scri-
Thren. III, 28. ptum est : Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Itemque Isaias
Is. XXX, 15. ait : In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Cognoscens delicta, id est, peccata sua condigne intuens ac deplorans, *tenuit linguam,* hoc est, a verborum excessu eam repressit; *qui vero multiloquus est, non-* D *dum cognovit se ipsum sicut oportet,* id est, peccata et pericula sua efficaciter non advertit.

Amicus silentii Deo appropinquat, et latenter colloquens, id est, secrete orans, psallens ac meditans, *illuminatur a Deo.*

Silentium Jesu Christi [illegible]
Matth. XXVII, 14. Joann. XIX, 10. *Pilatum,* id est, ab austeritate induxit eum ad quamdam compassionem. Mirabatur enim Pilatus vehementer quod Christus non respondebat : Mihi (inquiens) non lo-queris? *Et tranquillitas vocis evacuat vanam gloriam viri* ita loquentis. Quemadmodum enim vox sonora et clamorosa incitat quandoque loquentem ad gloriam vanam et elationem, ita locutio bassa, modesta, tranquilla, evacuat vitia illa, et humilitatis amica est.

Verbum dicens Petrus Christum negando, *flevit amare, non memorans dicentis :* Matth. XXVI, 69-75.
Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; et alterius qui ait, Ps. XXXVIII, 2.
Melius est cadere in terram ab altitudine, quam a lingua, hoc est, minus malum est Eccli. XX, 20, juxta LXX
corporaliter cadere a loco aliquo sublimi, et lædere corpus, quam in verbis excedere, et lædere animam : quoniam malum culpæ incomparabiliter pejus ac fugibilius est malo pœnæ.

Ego vero nolo de his scribere multa, quamvis vitiorum astutiæ me exhortentur hoc facere, hoc est, quamvis vana gloria et spiritualis elatio « exhortentur » et pulsent « me » ut de his plura conscribam, quatenus ex hoc doctior ac sanctior reputer. Nam et vir perfectus potest interdum pulsari hujuscemodi motu, sed faciliter vincit eumdem. Vel sensus est, quod versutiæ istæ movebant eum ad istud ut non scriberet multa de his, quatenus ex hoc videretur humilior, et vanæ gloriæ laudisque fugacior.

Verum audivi a quodam [illegible] *do diligenter et amicabiliter interrogari de oris custodia et quiete. Qui dixit, multiloquium penitus generari ex uno horum,* hoc est ex aliquo eorum quæ subsequuntur, videlicet : *aut ex educatione,* hoc est superflua et delicata nimis refectione, *et conversatione,* hoc est ex convictu et societate loquacium, *et ex consuetudine* [illegible], hoc est, quæ non potest faciliter refrenari ac cohiberi. *Dixit enim : Quum lingua sit corpo-* [illegible], hoc est per disciplinam atque prudentiam firmiter coercita et probe ac laudabiliter gubernata, [illegible] hoc est, silentium diliget et servabit, *ex con-*

suetudine bona : ita, supple, quum fuerit A indisciplinata, multipliciter excedet in verbis. *Aut iterum in agonizantibus,* hoc est laborantibus ac præliantibus, multiloquium oritur *ex certamine* quod habent contra adversarios suos : de qua re quam libentissime loquuntur, et interdum se jactant; quandoque vero de modo pugnandi ac resistendi abundanter ac copiose interrogant. *Aut maxime oritur ex vana gloria. Interdum quoque procedit ex gula seu ventris ingluvie. Quocirca multi plerumque frenantes ventrem a gula, vi ac* B *vehementia quadam :* quod competit imperfectis, quibus adhuc laboriosum est abstinere; *et cum debilitate corporis,* quam incurrunt ex ventris refrenatione, secun-
Ps. CVIII, 24. dum illud Psalmistæ eloquium, Genua mea infirmata sunt a jejunio; *concludunt et linguam et multiloquium quod est ex ea,* reprimendo utrumque.

Sollicitus de exitu, circumcidit sermones, hoc est, anxius de hora mortis, curamque gerens qualiter felicem habeat exitum, verba sua ab immoderantia et ex- C cessu præscindit, ac amputat omne quod verbosum est a suo eloquio; *et qui luctum animæ possidet, avertit a se multiloquium quasi ignem. — Qui quietem solitudinis diligit, os suum recludit; gaudens vero in processibus et actibus hominum,* hoc est, qui delectatur inter homines obambulare ac occupari, seu hominum actus ac processus conspicere, *expellitur de cella, persecutus a passione vitii,* hoc est a propria concupiscentia mundana passioneque vitiosa impugnatus ac victus, juxta illud D quod S. Jacobus apostolus in sua scribit
Jacob. I, 14. Canonica : Unusquisque tentatur a concupiscentia sua, abstractus et illectus.

Qui novit odorem ignis altissimi, hoc est, qui expertus est fervorem illum ardentissimum atque dulcedinem Spiritus Sancti, qui est ignis summus et consumens, *fugit homines,* quantum rationabiliter potest, *quemadmodum apis fumum,* ne scilicet ex conversatione et collocutione humana incurrat sui fervoris et internæ dulcedinis detrimentum. *Illam quidem,* videlicet apem, *fumus persequitur et expellit,* a domo scilicet; *hunc vero,* qui novit suavem illum odorem ignis altissimi, molestat et pellit *adunatio,* hoc est congregatio seu multitudo, *hominum multiloquorum,* quos fugit, nisi ex caritate aut debito justitiæ eos accedat pro conversione eorum aut alia pia causa. *Qui vero multiloquus est, quærit consortia similium sibi :* quum enim ipsa loquacitate lætetur, potest cum illis abundantius delectari in fabulando ac fabulas audiendo.

Valde paucorum est aquam fluentem non obstrusam, id est aggere, ripa seu littore non conclusam, *prohibere* a suo fluxu; *pauciorum vero est domare os incontinens,* id est propriam seu alterius linguam loquacem cohibere a verborum excessu. Unde et Jacobus apostolus in sua Canonica ait : Linguam nullus domare potest; *Jacob.* III, 8.
et, Si quis non offendit in verbo, hic per- *Ibid.* 2.
fectus est vir.

Ecce sanctus vir iste quam vehementer detestatur ac vituperat multiloquium. Idcirco qui istud non vitat, ostendit se nomine et habitu religiosi indignum, præsertim quum scriptum sit : Si quis putat se *Ibid.* I, 26.
religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio. Qui ergo veraciter cupit proficere, quieti et silentio cum omni diligentia vacet.

GRADUS XII

DE MENDACIO.

GENIMEN lapidis et ferri est ignis ; mendacium autem est genimen multiloquii et scurrilitatis.

Mendacium est caritatis exterminium ; perjurium vero est negatio Dei. — Nemo bene prudentium suspicetur mendacium esse peccatum aliquod minimum. Nam supersanctissimus Spiritus Sanctus contra talem suspicationem usus est sententia super omnia pavenda, dicendo per David : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quid ergo patientur qui cum perjurio fingunt ac parant mendacium ? Ps.

Vidi quosdam sibi ipsis blandientes super mendaciis, atque per scurrilitatem et otiosum eloquium contexentes quosdam incongruos risus, et miserabiliter exterminantes ea quæ erant opportuna luctui audientium. — Quum dæmones viderint quod probamus experiri recedere ab auditu urbanorum quasi a pestilentiali infirmitate, cum evacuatione atque destructione narratoris crudelis, tunc conantur nos illudere duabus cogitationibus : aut enim immittunt nobis non contristare narrantem, aut non propalare nos ipsos exsistere Dei amatores magis adstantibus. Resili, ne tardes : alioqui in oratione tua reformabis intentiones meditationesque risuum. Non solum fugias tales fabulatores, sed et malignum consistorium pie dissolvas, cor ponens in medio mortis et commonitione æterni judicii. Melius etenim et utilius est tibi, ex hoc respergi aliquantulum modice vana gloriatione, et reperiri conciliatorem profectus et utilitatis multis hominibus.

Hypocrisis est mater mendacii, et multoties hypocrisis est suppositio et occasio ejus. Quidam enim determinant, hypocrisim nil aliud esse quam meditationem et perpetrationem mendacii, habentem juramentum sibi cohærens et connexum.

Qui timorem Domini possidet, condemnationem mendacii suscipit hospitio, et consiliatores mendacii expellit a se tanquam extraneos, habens propriam conscientiam tanquam implacabilem judicem. — Quemadmodum in omnibus passionibus novimus esse differentiam læsionis, ita et in mendacio. Aliud quidem crimen et judicium est illius qui mentitur timore pœnæ, et aliud illius qui mentitur non imminente neque proposito sibi periculo nisi mentiatur. Nempe alius mentitur propter delicias, alius vero propter delectationis amorem ; alius ut procuret adstantibus risum, alter vero ut paret fratri insidias, et hunc lædendo affligat. — Ex cruciatibus principum deletur mendacium, et ex multitudine lacrimarum mendacium dispergitur perfecte usque in finem.

Conqueritur et causatur dispensationes, mendacii suppositor et conciliator ejusdem, et justitias putat frequentius esse animæ perditiones. — Vir fictor mendacii

argumentatur se esse imitatorem Achab, et per propriam perditionem dicit se mercari aliorum salutem. — Ait quidam : Quando mendacia purgavimus plene ex toto, tunc cum multo timore subimus ipsum, tempore vocante.

Non novit parvulus mendacia, nec anima malignitate privata. — Vino lætificatus loquitur vera in omnibus non spontanee, et inebriatus compunctione mentiri non poterit.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS DUODECIMI.

A GENIMEN, id est effectus, *lapidis et ferri est ignis,* qui generatur ex concussione illorum ; *mendacium autem est genimen multiloquii et scurrilitatis.*

Mendacium est caritatis exterminium, id est expulsio. Jam enim est sermo de mendacio pernicioso : quod quum sit culpa mortalis, cum caritate stare non valet. *Perjurium vero est negatio Dei* æquivalenter, quia perjurans accipit Deum in suæ falsitatis attestatorem.

Nemo bene prudentium suspicetur mendacium esse peccatum aliquod minimum. B *Nam supersanctissimus Spiritus Sanctus,* qui est essentialiter et incircumscriptibiliter sanctus, *contra talem suspicationem usus est sententia super omnia pavenda,*
Ps. v, 7 *dicendo per David : Perdes omnes qui loquuntur mendacium,* nisi pœniteant. *Quid ergo patientur qui cum perjurio fingunt ac parant mendacium ?*

Vidi quosdam sibi ipsis blandientes, id est complacentes, *super mendaciis* quæ dixerunt, *atque per scurrilitatem et otiosum eloquium contexentes,* id est, provo- C cantes et continuantes, præsertim in aliis, *quosdam incongruos risus, et miserabiliter exterminantes,* hoc est eradicantes, *ea quæ erant opportuna luctui audientium :* de quorum cordibus expellebant compunctionem, et divinorum verborum memoriam ex quibus poterant excitari ad luctum salubrem.

Quum dæmones viderint quod probamus experiri, id est, realiter attentamus, *recedere ab auditu urbanorum,* id est curiosorum sæculariumque verborum, *quasi a pestilentiali infirmitate,* quæ inficit alios, sicut et verba hujusmodi inficiunt audientes. Corrumpunt enim (ut ad Corinthios I Cor. xv,
Apostolus scribit) bonos mores colloquia 33.
prava. Itaque dum ita « probamus recedere » *cum evacuatione atque destructione narratoris crudelis,* hoc est, ipsum talium verborum prolatorem se ipsum aliosque lædentem dimittendo in sua vanitate et corruptione ; *tunc* dæmones *conantur nos illudere duabus cogitationibus : aut enim immittunt nobis non contristare narrantem,* hoc est, suggerunt nobis ne avertamus nos ab auditu verborum inanium, ne contristemus et offendamus eum qui profert hujusmodi verba, *aut non propalare nos ipsos exsistere Dei amatores magis adstantibus,* hoc est, suggerunt nobis non recedere a verborum illorum auditu, ne recedendo ostendamus nos esse meliores et in Dei amore ferventiores aliis qui adsistunt et audiunt, nec recedunt. Porro hæ persuasiones sunt frivolæ. Non enim debemus aliquem inducere ad inordinatam et sæcularem tristitiam, sed ad tristitiam pœnitentialem, ut ait Apostolus :
Gaudeo non quia contristati estis, sed quia II Cor. vii,
contristati estis ad pœnitentiam. Insuper 9.
non debemus nos ostendere aliis melio-

res, faciendo in aliorum præsentia opera singularis devotionis ad quæ non tenemur, quæ in secreto potius sunt agenda ; sed si alii agunt illicita, non debemus nos eis conformare in talibus, neque omittere ad quæ tenemur.

Resili, id est, cito recede a talibus verbis, *ne tardes : alioqui in oratione tua reformabis intentiones meditationesque risuum,* id est, tempore orationis ac divini Officii occurrent memoriæ tuæ verba audita et res significatæ per ea, ex quibus rursus ad risum moveberis, vel ex quibus ante risisti.

Non solum fugias tales fabulatores, sed et malignum consistorium pie dissolvas, hoc est, consortium et collectionem eorum ab invicem bona intentione disjungas, *cor ponens in medio mortis et commonitione æterni judicii,* id est, mentem tuam defigens in profunda meditatione de morte, et admonens eam de metuendo Dei judicio : imo et ista propones loquacibus illis, ut cessent a verbis inanibus. *Melius etenim et utilius est tibi, ex hoc,* hoc est ex practicatione talis divisionis, *respergi,* hoc est pulsari, *aliquantulum modice vana gloriatione,* tamen absque consensu, *et reperiri conciliatorem,* hoc est procuratorem, *profectus et utilitatis multis hominibus,* quos sic retrahis a peccatis, quam cessare a tali divisione et procuratione profectus proximorum. Verumtamen homo non debet committere peccatum minus, ut præservet alium a graviori peccato : imo nec veniale, ut præservet alium a mortali, ut asserit S. Thomas.

Hypocrisis est mater mendacii, et multoties hypocrisis est suppositio et occasio ejus. Hypocrita namque factis et verbis prætendit se esse quod non est, in verbis quoque et factis suis præsupponit multoties falsa, et sua hypocrisis est sibi occasio falsitatum multarum, ita quod directe et indirecte inducit ad falsitates. *Quidam enim determinant, hypocrisim [illegible] esse quam meditationem et perpetrationem mendacii,* id est excogitatam simula-

A tionem aut prolationem mendosam seu deceptivam, *habentem juramentum sibi cohærens et connexum :* non quod in omni hypocrisi sit juramentum actualiter atque formaliter, sed quia hypocrita potius vult suam simulationem et falsitatem juramento firmare, quam nudam veritatem fateri aut demonstrare.

Qui timorem Domini possidet, condemnationem mendacii suscipit hospitio, id est, in thalamo cordis sui ex pleno affectu detestatur ac vitat mendacium, *et consilia-*

B *tores,* id est persuasores seu affirmatores, *mendacii expellit a se tanquam extraneos* a Deo et a se, *habens propriam conscientiam tanquam implacabilem judicem,* id est, omne mendacium inflexibiliter reprobantem sine personarum acceptione.

Quemadmodum in omnibus passionibus novimus esse differentiam læsionis, id est diversos gradus culparum, secundum quod passiones sunt magis et minus intensæ, continuatæ, et ad opus perductæ, et prout eis magis aut minus ratio præbet consen-

C sum, *ita et in mendacio* est differentia læsionis, ita quod unum mendacium est deterius alio. *Aliud quidem crimen et judicium est illius qui mentitur timore pœnæ,* id est, minus vitiosum est tale mendacium, et minus supplicium imminet ei, *et aliud,* id est gravius, est *illius* mendacium *qui mentitur non imminente neque proposito sibi periculo nisi mentiatur :* nam timor pœnæ minuit rationem voluntarii, et per consequens rationem peccati. *Nempe alius mentitur propter de[illegible]*

D gustus aut tactus acquirendas aut conservandas, ut faciunt gulosi ac lubrici : [illegible] *vero* mentitur *propter delectationis amorem :* quam delectationem habet in mentiendo. Quemadmodum enim garruli delectantur in fabulando, sic quidam mendaces ita corrupti sunt mente, ut delectentur in ipso mendacio. [illegible] quoque mentitur [illegible] [illegible] *fligat.*

[illegible]

dacium, hoc est, timore pœnarum quas principes inferunt quibusdam mendosis, præsertim perjuris, aliqui vitant mendacium ; *et ex multitudine lacrimarum* pœnitentialium *mendacium dispergitur perfecte usque in finem,* hoc est, qui peccata sua copiose deplangit, vitat mendacium plene usque ad mortem.

Conqueritur et causatur dispensationes, mendacii suppositor et conciliator ejusdem, hoc est, is qui præsupponit mendacium, et procurat seu fingit illud, frequenter cum querimonia reprehendit ea quæ etiam juste fiunt veraciterque dicuntur : nam talia odit et impedire conatur. *Et justitias putat frequentius esse animæ perditiones,* hoc est injustitias seu peccata. De quibus loquitur Spiritus Sanctus per prophetam Isaiam (*Is.* v, 20.) : Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum, etc. ; et per Amos prophetam (*Amos* vi 13.), Væ qui convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium.

Vir fictor mendacii argumentatur se esse imitatorem Achab regis Israel : qui quamvis idololatra pessimus fuerit, tamen videtur aliquando pie mentitus, pro communi bono populi sui falsa quædam insinuando regi Syriæ (III *Reg.* xx, 4.) ; atque in hoc is qui fingit mendacia, perhibet se imitari regem nunc præfatum. Hinc subditur : *et per propriam perditionem,* utpote per mendacium quo perdit semetipsum, *dicit se mercari aliorum salutem,* hoc est procurare ea quæ aliis ad salutem exstant utilia. Quod injustum et fatuum est, et vana est palliatio ista mendacii. Quid enim prodest homini (inquit Christus) (*Matth* xvi, 26 ; *Luc.* ix, 25.) si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat et detrimentum sui faciat ? Omne quoque mendacium in se ipso culpabile est, quum sit quidam recessus a summa veritate.

Ait quidam : Quando mendacia purgavimus plene ex toto, id est, nosmetipsos ab omni mendacio perfecte mundavimus, *tunc cum multo timore subimus ipsum, tempore vocante,* hoc est, causa rationabili id exigente pro loco et tempore, dicimus aut facimus aliqua quæ falsa sunt secundum apparentiam exteriorem et prout accipiuntur seu intelliguntur ab aliis, cum magno Dei timore. Quamvis enim sciamus quod illa secundum aliquem pium intellectum aut designationem sint vera, sicut quum Abraham et Isaac dixerunt suas conjuges esse suas sorores (*Gen.* xii, 13 ; xx, 2 ; xxvi, 7.), formidamus tamen ne forte in talibus excedendo aliquantulum, Deum inhonoremus.

Non novit pàrvulus mendacia, id est, mentiri nescit, quum nondum habeat usum rationis, *nec anima malignitate privata,* hoc est, homo ab omni pravitate purgatus, cujus cor in veritatis et æquitatis affectum exstat conversum, mentiri ignorat.

Vino lætificatus loquitur vera in omnibus non spontanee, hoc est, non pure voluntarie, sed partim ex naturali operatione quam vinum facit in eo ; *et inebriatus,* id est repletus, *compunctione* salubri *mentiri non poterit :* non quod nullatenus possit hoc, quum non sit confirmatus in gratia, sed quia vix potest hoc, præsertim durante compunctione in eo.

Ecce vir iste illuminatus quam terribiliter scribit contra mendacium atque perjurium. Hæc ergo tanquam venena æternæ mortis inflictiva purissime devitemus, et culpas nostras publice ac privatim sincerissime fateamur, nec ex aliquo metu, rubore, aut alia causa, eas negemus, palliemus aut defendamus.

GRADUS XIII

DE ACEDIA.

ISTE est unus ramorum multiloquii, et plerumque primogenitus, sicut prætangentes id diximus : dico vero de acedia. Propterea distribuimus ei ordinem congruentem in catena maligna. Grad. x p. 21

Acedia est remissio animæ et resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei, quasi inviscerosi exsistentis et sine benignitate; attonita in psalmodia, infirmans in oratione, ferrea in operatione, in opere manuum non pigra, in obedientia improba.

Vir subditus et obediens, est ignarus acediæ, per sensus intelligibilia dirigens. Cœnobium est luctator contrarius acediæ; at vero solitario conjugalis perpetua, ante mortem ejus non recedet ab ipso, et ante obitum ejus certabit quotidie. Cellam anachoretæ videns acedia subrisit, tetenditque tabernaculum juxta ipsum.

Medicus mane visitat infirmantes, et acedia circa meridiem exercitatores. — Hospitalitas est suggestio et immissio acediæ, et propter eam deprecatur operari eleemosynas ex operibus manuum. Suggerit quoque et hortatur, prompte visitare infirmos, ad memoriam reducens dicentem : Infirmus fui, et venistis ad me. Matth. xxv. Exhortatur item acedia accedere ad mœstos et pusillanimes, submittens memoriæ verbum illud : Consolamini pusillanimes. — Stantibus in oratione acedia reducit ad memoriam necessaria negotia exteriora, et omnem machinationem atque industriam denuo movet ipsa irrationalis, ut ab eadem oratione nos subtrahat quasi quodam capistro rationabiliter. — Dæmon acediæ fecit discrasiam, capitisque dolorem, febrem, rigorem, torsionem ventris, ac protensiones, horrorem trium horarum. Nona apprehendente, innuit modicum; porro mensa posita, exsilit de stratu. Oratione superveniente post refectionem, gravatur iterum corpus; stantem in oratione submersit rursus somno, et importunis apertionibus oris rapuit versum Psalmi ab ore.

Reliqua quidem vitia secundum unumquodque destruuntur per singula virtute aliqua una; acedia autem monacho cohabituata est mors. — Fortitudo animæ mentem morientem resuscitavit; acedia vero et otiositas dispergunt et auferunt universas virtutum divitias.

Uno isto acediæ vitio exsistente graviore octo præfectis malitiæ, faciamus et ipsorum illorum sequentiam. Sed et illud apponam : Non præsente psalmodia, acedia non apparet; et finito canone, aperti sunt oculi. — In tempore acediæ apparent violenti : nihil enim ita aliud conciliat monacho coronas, sicut acedia. — Considera, et invenies acediam impugnantem monachum in statione pedum, et suggerentem monacho ut sedeat in cathedra; et sedentem reclinare te parieti probat; et stantem

exhortatur rursus incurvari muro cellæ, ut faciat fragores ac strepitus pedum. — Qui luget se ipsum non novit acediam.

Ligetur et iste tyrannus recordatione propriarum culparum ac delictorum, percutiatur opere manuum, pertrahatur intentione et attenta meditatione futurorum bonorum. Coram stans et præsentatus interrogetur de pertinentibus ad rem : Dic, tu remisse et dissolute, quis est male te pariens? Quales sunt primogeniti tui? At ille violentiam passus, visus est respondere : Ego non habeo ubi caput reclinem apud eos qui sunt vere obedientes; in his vero in quibus habeo, secundum requiem solitariæ remotionis, simul dego cum eis. Genitrices meæ sunt multæ ac differentes : interdum namque me gignit animæ insensibilitas; quandoque vero me gignit oblivio supernorum; aliquando quoque gignit me nimius fatigationum excessus. Primogeniti mei sunt transmutationes locorum. Mecum geniti, sunt inobedientia Patris, oblivio divini judicii; est etiam quandoque derelictio promissionis. Adversarii mei a quibus nunc teneor vinculis ligatus, sunt psalmodia cum opere manuum. Impugnatrix mea est intenta meditatio mortis. Porro causa me perfecte mortificans, est oratio cum firma spe futurorum bonorum. Quis vero sit generans ac pariens orationem, ipsam interrogate.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO HUJUS GRADUS TERTIIDECIMI.

A ISTE *est unus ramorum multiloquii,* utpote acedia, *et plerumque primogenitus,* hoc est primus multiloquii ramus, videlicet peccatum primo procedens ex
p. 214 A'. illo, *sicut prætangentes id diximus : dico vero de acedia. Propterea distribuimus ei ordinem congruentem in catena maligna,* hoc est in vitiorum istorum connexione, loquendo de ea in præsenti capitulo.

Acedia est remissio, id est tepefactio, *animæ, et resolutio mentis* ab interiori custodia, *pusillanimitas exercitationis,* hoc est formido seu parvitas animi ad aggrediendum exercitia virtuosa, utpote torpor et tædium talium; *odium professionis :* quoniam acedia tandem causatur detestatio seu odium monasticæ professionis assumptæ aut assumendæ; *mundanorum beatificatrix :* quia perducit hominem ad hoc ut in corde suo beatificet carnales divitias, delicias ac honores, mundanosque homines qui abundant in talibus, juxta illud Psalmistæ, Beatum dixerunt populum Ps. cxliii, 15.
cui hæc sunt; *detractrix Dei, quasi inviscerosi exsistentis et sine benignitate.* Acedia quippe interdum sic crescit, invalescit dominaturque homini, quod Dei aut religionis præcepta et instituta videntur ei tam dura et ardua, ut quodammodo sentiat, aut forsan aliqualiter dicere audeat, Deum non esse viscerosum seu pium, sed nimis austerum, et quasi impossibilia ab
B hominibus exigentem.

Est quoque acedia *attonita in psalmodia,* id est, psallentem hebetante stupore percutiens, ac stolida admiratione dejiciens, ut stet quasi emortuus, et a semetipso quodammodo alienatus, non instar heroicorum virorum ex vigore et altitudine contemplationis, sed ex prædominantia

passionis rationem a vigore suæ agilitatis A impedientis, *infirmans in oratione,* id est, orantem reddens indevotum ac debilem, tardum ac negligentem ad resistendum suo torpori atque distractioni, *ferrea in operatione* virtutum, quas facit cum cordis duritia, sine gustu interno, *in opere manuum non pigra,* id est fervida, sed importune, videlicet loco ac tempore indebito : tunc enim est ad opera manuum prompta, quando interesse deberet qui eam habet, divino obsequio; *in obedientia improba :* quia ad ea quæ injunguntur est B tarda, ad ea vero quæ sunt propriæ voluntatis, parata.

Vir subditus et obediens, est ignarus acediæ, hoc est, eam non approbat nec admittit, *per sensus intelligibilia dirigens,* hoc est, per exteriora et sensibilia ad interiora ac spiritualia se sustollens et ad divina se elevans. *Cœnobium est luctator contrarius acediæ,* id est, conventus religiosus mutuo se exercens, exhortans, increpans et inflammans, impugnat ac vincit acediam; *at vero solitario conjugalis per-* C *petua,* hoc est, ipsa acedia non cessat solitario adhærere eum tentando. Ideo subditur : *ante mortem ejus non recedet ab ipso, et ante obitum ejus certabit,* id est, impugnabit eum, *quotidie.* Unde ut in
Coll. XXVII. p. 99 A. Collationibus Patrum habetur : Acedia acrius solitarios tentat, quoniam non excitantur nec increpantur, neque notari verentur ab homine, et majoris sunt libertatis quam in congregatione viventes. Hinc metaphorice sequitur : *Cellam anachoretæ videns acedia subrisit,* quasi præsumens de vi- D ctoria contra illum, *tetenditque tabernaculum juxta ipsum,* hoc est, ei cohærere atque insistere sine cessatione decrevit. Hinc quoque Cartusienses et ceteri soli degentes, acediam jugiter abhorrere et prorsus abjicere debent, omneque tempus fructuose expendere, et in divinæ majestatis præsentia se reverentius habere.

Medicus mane visitat infirmantes, et acedia circa meridiem specialiter visitat et impugnat *exercitatores,* hoc est virtutum operatores, videlicet refectione instante, seu peracta, quia tunc minus delectat spiritualibus actibus et exercitiis immorari.

Hospitalitas est suggestio et immissio acediæ. Hospitalitas in se quidem bona est, sed ideo dicitur « suggestio et immissio acediæ », quia sub colore et occasione hospitalitatis frequenter admittitur et miscetur ac intrat acedia. *Et propter eam deprecatur operari eleemosynas ex operibus manuum,* hoc est, acedia sub specie boni hortatur hominem spiritualem a spiritualibus actibus se abstrahere atque labori insistere manuali, ut procuret necessaria ad exhibendam hospitalitatem atque ad dandum eleemosynas indigentibus.

Suggerit quoque et hortatur, prompte visitare infirmos, ad memoriam reducens dicentem : Infirmus fui, et venistis ad Matth. XXV. 36. *me. Exhortatur item acedia accedere ad mæstos et pusillanimes, submittens memoriæ verbum illud* Apostoli ad Thessalonicenses dicentis : *Consolamini pusillanimes.* I Thess. V. 14. Hæc omnia suggerit, ut a quiete cellæ et spirituali occupatione ac profectu assiduo religiosum expellat, prædictaque faciat importune aut ex prava radice, quæ utique fieri possunt loco et tempore apto, ex vera caritate et pietate.

Stantibus in oratione acedia reducit ad memoriam necessaria negotia exteriora, et omnem machinationem atque industriam denuo movet ipsa irrationalis acedia, agens hæc *ut ab eadem oratione eos sub-trahat quasi quodam capistro rationabiliter,* hoc est, sub specie virtuosæ occupationis ac rationabilis causæ.

Dæmon acediæ fecit discrasiam, capitisque dolorem, febrem, rigorem, hoc est corporis constrictionem, *torsionem ventris, et* [illegible], id est operum protractiones : hæc, inquam, fecit *horrorem trium horarum,* hoc est, per ista convertit nobis tres horas diei in horrorem ac tædium, illas videlicet horas in quibus hæc magis accidere solent, utpote primam, tertiam et sextam, juxta nonnullos. A[illegible]

apprehendente, innuit modicum, hoc est, A nona hora instante, aliqualiter pandit se; *porro mensa posita, exsiluit de stratu,* hoc est a loco in quo præ tepore quasi infirma decubuit, sed ad corporalia commoda et fomenta vivax invenitur ac valida. *Oratione superveniente post refectionem, gravatur iterum corpus; stantem in oratione submersit* acedia *rursus somno, et importunis apertionibus oris,* id est oscitationibus, *rapuit versum Psalmi ab ore.*

Reliqua quidem vitia secundum unum- B *quodque destruuntur per singula virtute aliqua una,* hoc est, quodlibet aliud vitium superatur et expellitur virtute una sibi directe contraria, sicut elatio humilitate; *acedia autem monacho cohabituata est mors,* id est, firmiter radicata in religioso est mors animæ ejus, omne spirituale bonum impediens.

Fortitudo animæ mentem morientem, id est peccato quasi consentientem aut succumbentem et victam, *resuscitavit,* hoc est, surgere fecit ac agilem reddidit : quod C intelligi potest de fortitudine prout est virtus cardinalis et cooperatur ad hoc, et
Is. xi, 2. item de fortitudine quæ est unum septem donorum Spiritus Sancti, de fortitudine quoque prout est virtus communis, hoc est de vigore seu constantia mentis. *Acedia vero et otiositas dispergunt et auferunt universas virtutum divitias.*

Uno isto acediæ vitio exsistente graviore octo præfectis malitiæ, id est octo principalibus et capitalibus vitiis : inter quæ tamen acediæ vitium unum est; id- D circo quod dicitur gravior illis octo, intelligendum est inter octo illa, utpote ceteris omnibus præter se. Juxta quem modum
I *Cor.* xiii, 13. ait Apostolus : Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas. Sed circa hoc quæritur, qualiter acedia sit gravior ceteris illis, præsertim quum superbia dicatur regina et caput vitiorum ; nec acedia est gravior culpa quam odium. Et respondendum, quod secundum diversas considerationes et proprietates, diversis peccatis attribuitur esse gravissimum inter cetera peccata : sicque acedia dicitur esse gravior ceteris, in quantum contrariatur universarum virtutum idoneæ exsecutioni atque profectui, et pravissimos gignit effectus, ut paulo superius tactum est. *Faciamus et ipsorum illorum sequentiam,* hoc est, proportionabiliter ita tractemus de acediæ vitio, sicut de ceteris aliis sumus locuti.

Sed et illud apponam quod nunc subditur. *Non præsente psalmodia, acedia non apparet,* hoc est, extra horam divini Officii acedia non tam evidenter ac manifeste semetipsam monstrat; *et finito canone,* hoc est canonico ac legitimo psalmorum orationumque numero, *aperti sunt oculi,* qui tempore orationis ac psalmodiæ somno deprimebantur.

In tempore acediæ apparent violenti, hoc est, acedia homines impugnante, monstrantur qui efficaciter et condigne pugnant contra se ipsos et propriam vincunt naturam, expugnando acediam et ejus effectus. De quibus violentis ait Salvator : Violenti *Matth.* xi,
rapiunt regnum cœlorum. *Nihil enim ita* 12.
aliud conciliat monacho coronas, sicut acedia, hoc est, per nullam rem meretur monachus tam gloriose coronari a Deo, quemadmodum per expugnationem acediæ, quam exstirpando crescit in omni virtute, et aptus efficitur ad proficiendum in caritate, sapientia ac omni perfectione.

Considera, et invenies acediam impugnantem monachum in statione pedum, ita quod inducet eum ad sedendum in choro pedibus cancellatis seu supra se invicem positis, *et suggerentem monacho ut sedeat in cathedra,* id est in suo sedili, quando potius standum est coram Deo; *et sedentem reclinare te parieti probat,* id est, dum sedes conatur te inducere ad reclinandum dorsum tuum ad parietem. *Et stantem exhortatur rursus incurvari,* id est se ipsum applicare et reclinare, *muro,* id est parieti, *cellæ; ut faciat fragores,* id est sonos, *ac strepitus pedum,* qui sequuntur ex reclinatione hujusmodi, propter

quos faciendos concomitanter reclinat se, A non directe.

Qui luget se ipsum, id est incolatum præsentis exsilii et propria peccata atque pericula, *non novit acediam.*

Ligetur et iste tyrannus, id est, tyrannica ista acedia refrenetur, *recordatione propriarum culparum ac delictorum :* ex qua recordatione condigna oritur timor Dei et diligentia et pœnitentia salutaris; *percutiatur opere manuum, pertrahatur intentione et attenta meditatione futurorum bonorum,* id est, intuitu ac desiderio B felicitatis futuræ ejiciatur : consideratio etenim præmii provocat ad conandum, et minuit vim laboris. *Coram stans et præsentatus,* id est judicio rationis propositus, *interrogetur* iste tyrannus *de pertinentibus ad rem : Dic, tu remisse et dissolute,* id est tu piger ac torpens tyranne, *quis est male te pariens?* id est, quis vitiose producit te? *Quales sunt primogeniti tui,* id est excessus tui præcipui et primo emanantes ex te?

At ille violentiam passus, id est coa- C ctus, *visus est respondere : Ego non habeo ubi caput reclinem apud eos qui sunt vere obedientes; in his vero in quibus habeo* ubi caput meum reclinem, *secundum requiem solitariæ remotionis,* id est, prout moris est me reclinari in solitariis remotis ab aliis, *simul dego cum eis,* id est, in solitariis negligentibus caput meum repauso et perseveranter permaneo. *Genitrices* (id est matres) *meæ,* utpote culpæ ex quibus nascor, *sunt multæ ac differentes. Interdum namque me gignit animæ insensibilitas,* id est duritia seu insipiditas, seu carentia consolationis internæ : nam sicut delectatio conservat operantem in opere, sic delectationis privatio parit tædium operandi retrahitque ab opere. *Quandoque vero me gignit oblivio supernorum :* nam sicut memoria seu consideratio cœlestium præmiorum incitat et inflammat ad bene agendum, ita oblivio seu inconsideratio bonorum illorum parit acediam. *Aliquando quoque gignit me nimius fatigationum excessus,* id est vehementia tentationum, tribulationum, aut laborum lassantium.

Primogeniti mei sunt transmutationes locorum. Mecum geniti, id est peccata quæ simul mecum oriuntur ex vitiosa radice, *sunt inobedientia Patris,* hoc est non obedire Patri spirituali, *oblivio divini judicii ; est etiam quandoque derelictio promissionis,* hoc est, violatio sive omnimoda desertio professionis interdum oritur simul mecum aut ex me. *Adversarii mei a quibus nunc teneor vinculis ligatus, sunt psalmodia cum opere manuum,* id est, nunc insistere psalmodiæ, nunc operi manuali, nec in opere tali a psalmodia cessare. *Impugnatrix mea est intenta meditatio mortis. Porro causa me perfecte mortificans, est oratio cum firma spe futurorum bonorum :* talis namque oratio sapientiam impetrat ac fervorem. *Quis vero sit generans ac pariens orationem,* id est pater ac mater orationis, *ipsam interrogate,* hoc est, infra hoc considerate, Grad. xxviii. videlicet capitulo de oratione.

GRADUS XIV

DE GULA.

DICTURI de gula et ventre, proponimus quasi in omnibus philosophari contra nos ipsos : miror enim si quis est factus liber ab ea, priusquam habitet sepulcrum.

Gula est hypocrisis ventris : nam venter saturatus exsistens, indigentiam reboat ; refectus et semiplenus, tamen reclamat. — Gula est conditrix [illegible]

tionis delectationem delectantium, fons delectationum libidinis. Evacuasti venam, aliunde refluxit; et obstruxisti eamdem, aperuit alteram. Exstinxisti flammam, et aliunde revixit; et istam destruens, altera es devictus. — Gula est seductio oculorum, compassionem, temperantiam et humiliationem, accepta simul omnia sub uno suggerens devorare. — Gula est ciborum satietas, pater fornicationis; tribulatio autem ventris est conciliator castitatis.

Plerumque aliquis mansuefecit leonem blanditiis; qui vero corpus curans foverit, facit ipsum ex hoc magis silvestre.

Gaudet Judæus sabbato, et diem festum facit; et gulosus monachus, sabbato et die dominica. — Pascha computat servus ventris, in quibus cibis faciat dies festos; servus vero Dei attendit in quibus gratiis dives fiat. Peregrino hospite veniente in caritate, totus movetur ex gula, et suam resolutionem æstimat fratris consolationem. In adventu aliquorum ad ipsum, morem frangens, præmeditatus est admittere vinum; et opinatus virtutem abscondere, factus est servus passionis.

Gula inimicatur plerumque gloriæ vanæ, et simul pugnant in misero monacho, quasi super servo empticio : illa quidem interrumpere et resolvere violentat; ista vero virtutem suam triumphare submergit. Sapiens monachus ambas effugiet, in proprio tempore alteram altera repellens ac removens. — Increscente igne carnis, puniamus eamdem, atque in omni loco et tempore abstinentiam observemus; eodem vero igne carnis sedato et quiescente (quod non credo perfecte fieri ante sepulcrum et mortem), abscondamus nostram operationem. — Vidi presbyteros a dæmoniis illusos, et absolventes cum benedictione juvenes eis non subditos, in potationibus vini et reliquorum. Nempe si ipsi in Domino testimonium habent, temperate solvamus; si vero sunt negligentes, nihil curemus de benedictione eorum, et magis si sumus in pugna ignis.

Probavit a Deo missus Evagrius, sapientium sapientior, promptitudine et sensibus fieri; sed fraudem passus, mentitus est miser sibi, apparens magis insipiens insipientium in aliis multis, sed et in isto. Ait enim : Quum anima concupiscit varios cibos, angustietur pane et aqua. Simile vero aliquid dixit puero, qui dixit se velle ascendere scalam in uno passu. Igitur et nos evertentes definitionem illius, dicimus : Quum anima concupiscit differentes cibos, concupiscit et quærit aliquid proprium naturæ. Quocirca utamur industria adversus machinatricem multimode ingeniosam : alioqui statuet contra nos gravissimum prælium, aut ruinarum obli-
* impinguantia gationes parabit. Recidamus nunc primo impugnantia *, deinde ardentia, adhuc similiter delectantia. Si possibile est, da ventri cibum replentem, levem, vilem atque exiguum, ut per repletionem satiemus insatiabilem ejus deliberationem. Per exiguum vero, levem ac vilem cibum, habeamus celerem respirationem, et redimamur a calore et inflammatione, quasi a flagello. Superintendamus, et inveniemus plurimos rerum spirantium cibos, moventes et incitantes calores in nobis.

Deride dæmonem qui suggerit tibi tardare refectionem usque ad horam cœnæ : nova enim deinceps apprehendente, præanticipantis concordiam abnegavit.

Alia abstinentia congrua exsistit et consonans innocuis, et alia nocivis. Illi quidem motum possident in signum ; isti vero usque ad finem vitæ et mortem perseverant et adjacent inconsolabiliter et implacabiliter abstinentes. Primi enim volunt et debent sempiterne custodire contemperantiam et complexionem mentis spontaneæ ; isti vero placant Deum per spiritualem tristitiam et mortificationem propriæ sensualitatis ac improbæ voluntatis. — Nimirum tempus consolationis et lætitiæ, et privatio sollicitudinis in universis, viro perfecto ; agonizanti vero est tempus certaminis ; vitioso vero, festivitas festivitatum et frequentia frequentiarum. — In cordibus gulosorum sunt somnia ciborum et escarum ; somnia vero pœnarum et judiciorum sunt in cordibus lugentium.

Tene et vince ventrem antequam vincat et teneat te, et tunc futurus es abstinere cum inconfusione. Sciunt quod dictum est qui ceciderunt in foveam non dicendam ; viri eunuchi non noverunt experientiam rei istius. — Gulam quippe circumcidit intenta meditatio ignis æterni. Huic quoque quidam præbentes auditum, exsciderunt sua ipsorum membra, et interierunt duplici morte.

Quæramus, et penitus inveniemus hanc gulam per se solam operantem naufragia apud nos. — Mens jejunantis orat vigilanter et sobrie ; mens autem non abstinentis repletur immundis idolis. — Ventris satietas exsiccavit fontem ; ipso vero siccato, satietas genuit aquas. — Qui suum ventrem nutrit et fovet, et conatur spiritum fornicationis vincere, similis est volenti cum oleo ignem exstinguere. — Tribulato ventre, humiliatur cor ; ventre autem consolato, superbit cogitatio. Te ipsum palpa circa primam horam diei, et circa mediam, et circa extremam horam ante cibum ; et ex hoc ex te ipso disces utilitatem jejunii. Mane exsultat cogitatio carnis ; apprehendente Sexta, deorsum modice inclinatur ; ac circa solis occasum humiliatur in finem. — Affige ventrem, et omnino claudes os tuum : a multitudine namque ciborum lingua enervatur.

Contristans pugna contra ventrem, et vigilans vigila propter eum. Si enim dolueris modicum fatigatus, Dominus confestim cooperabitur tibi. — Mollificati utres supercapiunt ad mensuram ; contempti vero et sine cura relicti, non capiunt tantum. Cogens necessitate ventrem, ampliavit interiora ; agonizans vero contra ipsum, constrinxit eadem : quibus angustiatis seu constrictis, non opus est multis cibis, atque ex tunc efficimur de cetero naturaliter jejunantes. — Sitis sitim plerumque cessare facit ; famem vero circumcidere fame, est impossibile et crudele. Quum te vicerit, in laboribus doma eam ; si autem et hoc tibi impossibile est propter infirmitatem, iterum pugna contra eam vigiliis. Oculis aggravatis, opus manuum apprehende ; somno autem non instante, orationis tempore non attingas ipsum : non enim Matth.
est possibile servire Deo et mammonæ, hoc est, non expedit mentem exhibere et repræsentare operi manuum quum Deo adsistis.

Cognosce quia plerumque dæmon super stomachum sedet, et præparat ac disponit hominem satiari non posse, etiam si comederet universam Ægyptum, et biberet Nilum. — Immundus hic dæmon recedit post cibum, et fornicationis spiritum mittit

nobis, annuntians ei quod factum est; et ait : Apprehende, apprehende atque conturba ipsum; ventre enim repleto et gravato, non multo labore mactabis. Qui quum venisset, subrisit; et ligans manus nostras ac pedes somno, omnia de cetero quæcumque voluit fecit in nobis, et corpus ac animam fœdavit et sordidavit phantasiis et inquinationibus et colluvionibus. — Mirum est mentem incorpoream a corpore sordidatam et tenebratam videre, et iterum repurgatam ac subtiliatam per luctum immaterialem.

Si spopondisti Christo ambulare per viam angustam et arctam, reprime ventrem: isto enim curato et ampliato irritasti compositiones et fœdera. Excogita et intende
Matth. VII, 13, 14. et audi dicentem : Ampla et spatiosa est via ventris, quæ ducit ad fornicationis perditionem, et multi vadunt per eam ; angusta est porta et arcta abstinentiæ via, quæ ducit in castimoniæ vitam, et pauci ingrediuntur per eam.

Lucifer qui ruit, est princeps dæmoniorum; et princeps vitiorum est gula et ingluvies ventris.

Recumbens ad refectionem in mensa alimentorum, affer in medium memoriam mortis atque judicii, et etiam sic vix impedies modicum vitium. Poculum bibens, non cesses memorari fellis et aceti Christi Regis ac Domini, et penitus abstinebis a potu, aut suspirabis, aut sapere magis humile facies. — Ne seducaris. Non enim utique liberaberis a Pharaone, nec supernum Pascha videbis, nisi semper comedas
Exod. XII, 8. lactucas agrestes et azyma. Lactucæ agrestes sunt, violentia jejunii, labor, dolor et sufferentia malorum ; azyma vero, est sapere non elatum aut inflatum. — Tuæ inspi-
Ps. XXXIV, 13. rationi cohæreat verbum dicentis : Ego autem quum mihi molesti essent, induebar cilicio, et humiliavi in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

Jejunium est violentia naturæ, decisio delectationis gutturis, recisio caloris concupiscentiæ, succisio cogitationum et intentionum malarum, libertas somniorum, munditia orationis, animæ luminare, mentis custodia, solutio cæcitatis, porta compunctionis, suspirium humile, contritio hilaris, restrictio multiloquii, occasio tranquillitatis, obedientiæ custos, evacuatio et alleviatio somni, sanitas corporis, conciliatio atque adductio impassibilitatis, remissio peccatorum, porta et deliciæ paradisi.

Hunc quippe tyrannum, qui est præceptor malorum nostrorum impugnatorum,
Gen. III, 6-24; XXV, 29-34; *Num.* XI, 4, 33; *Gen.* IX, 21; XVIII, 20; XIX, 33-35; I *Reg.* II, 12 et seq.; IV, 11. porta vitiorum, lapsus Adæ, perditio Esau, interitus Israelitarum, Noe inhonestas, proditor Gomorrhæorum, Lot querela, exterminium filiorum Heli sacerdotis, manuductor inquinationum et cogitationum malarum, ante omnia magis investigemus unde gignatur, et qui et quales sint geniti ex eadem gula, quisve sit conterens eam, et quis sit perdens eam in finem. Dic nobis, o tyranne omnium mortalium, qui omnes emisti auro insatiabilitatis : Unde possedisti in nobis ingressum? Et quid naturaliter habes parere post ingressum? Et quis est egressus tuus ex nobis et liberatio?

Ipsa vero super injuriis dolens, tyrannice furiosa ac feralis, respondit ad nos :

Quid me dejicitis improperiis, exsistentes mihi obnoxii debito? Et quomodo festinatis separari a me? Ego quoque naturæ sum colligata. Porta mea est natura ciborum; consuetudo vero est causa meæ insatiabilitatis; occasio autem passionis est esus præanticipatus, et carentia doloris, atque oblivio mortis. Quoniam vero quæritis discere quæ sint nomina filiorum meorum, dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Attamen audite qui ita appellantur dilecti et primogeniti mei. Primogenitus filius meus est fornicationis minister; cui secundus est duritia cordis; tertius est somnus. Ex me procedunt mare cogitationum, fluctus et undæ inquinationum, profundum quoque ignotarum et indicibilium immunditiarum. Filiæ meæ sunt, otiositas, multiloquium, confidentia, risus patratio, scurrilitas, contradictio, cervicosa durities, inaudientia, insensibilitas, captivatio, magnificentia, gloriatio, audacia, amor mundi : quem consequitur oratio sordida, et incurvationes cogitationum, plerumque vero eventus non exspectati et insperati, quos rursus sequitur desperatio crudelior. Porro memoria offensionum et criminum impugnat me, non tamen vincit; intenta autem meditatio mortis et ultimi exitus inimicatur mihi ex toto; nihil vero est me evacuans et perfecte in omnibus destruens. Qui possidet Paracletum, interpellat contra me, et ille exoratus non sinit me vitiose operari : qui enim sunt sine gustu illius, quærunt penitus delectari per meam dulcedinem.

Ps. [illegible] 18.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS QUARTIDECIMI.

A DICTURI *de gula et ventre, proponimus quasi in omnibus philosophari contra nos ipsos,* hoc est perscrutari ac disputare de vitio a quo nos ipsi non sumus pure immunes. *Miror enim si quis est factus liber ab ea, nisi habitans sepulcrum,* hoc est, puto quod nemo in hac vita exsistat qui non interdum aliqualiter excedat per gulam, sed qui mortuus est, factus est liber ab ea.

Gula est hypocrisis ventris, hoc est superfluus appetitus cibi ac potus sub colore et simulatione fallaci indigentiæ ventris admissus. Ideo subditur : *nam venter saturatus exsistens,* id est satis refectus, *indigentiam reboat,* id est, plus indigere se vociferatur : *[illegible] mem reclamat,* quasi nil accepisset.

Gula est conditrix, hoc est excogitatrix et instigatrix, *præparationis delectationem delectantium,* hoc est delectabilium et lautorum alimentorum : quia ad talia præparanda ac obtinenda instigat : *[illegible]* quia ad voluptates et inquinamenta luxuriæ disponit ac introducit.

[illegible] per jejunium et abstinentiam, *aliunde refluxit,* puta ex gula; *et obstruxisti eamdem,* te macerando et B concupiscentiam edomando, *aperuit alteram :* hoc est, una appetitione carnali illicita jam repressa quæ circa hoc aut illud objectum versatur, repressio illa facta est occasio alterius sensualis appetitionis illicitæ circa aliud objectum versantis. *[illegible]stinxisti flammam,* hoc est fervorem hu-

A jus desiderii pravi, *et aliunde revixit :* quia ex alia causa rursus accensa est talis flamma; *et istam destruens, altera es devictus,* hoc est, unam vitiosam affectionem carnalem superans, ab alia permisisti te superari. Contingit quippe multoties quod is qui temperavit et refrenavit suum affectum circa illam aut illam escam sive personam, protinus impugnetur inordinato affectu alterius alimenti sive suppositi : sicque corruptio unius desiderii sensualis, fuit generatio alterius. Exteriora quippe objecta, et præsertim diabolus, frequenter B renovant et accendunt desideria gulæ concupiscentiasque carnales. Ideo dicit S. Augustinus : Hoc est bene vicisse, omnes aditus vitiorum vicisse.

Gula est seductio oculorum, compassionem, temperantiam et humiliationem, accepta simul omnia sub uno suggerens devorare : hoc est, vorax appetitio cibi ac potus est causa seductionis oculorum, id est interioris judicii de cibis ac potibus visis, ita quod gulosus putat se omnia visa posse vorare, vel ea non sufficere sibi. Sic- C que seductio ista suggerit ut « omnia » alimenta proposita « simul » sub una hora aut una refectione devoret. Quod faciendo devorat « compassionem, temperantiam et humiliationem » : quia facit contra hos actus bonos, et destruit eos in se ipso ; et illa gulose consumit ex quibus debuit potius indigentibus subvenire; nec consideravit sua peccata, ex quorum consideratione debuit se humiliare et sobrie manducare.

Gula est ciborum satietas. Interdum enim accipitur gula pro ipsa repletione D superflua, interdum pro immoderato affectu ad illam. Est etiam gula *pater fornicationis,* cui præbet materiam et fomentum ; *tribulatio autem ventris,* videlicet abstinentia, *est conciliator,* id est procurator et custos, *castitatis.*

Plerumque aliquis mansuefecit leonem blanditiis ; qui vero corpus curans foverit, id est, exquisite nutriverit illud, *facit ipsum ex hoc magis silvestre,* hoc est magis indomitum ac rebelle.

Gaudet Judæus sabbato, et diem festum facit, sabbatum celebrando ; *et gulosus monachus, sabbato et die dominica,* quia tunc melius habet ad comedendum : sicque instar Judæorum gaudet non ex vera devotione, sed ex sensuali amore.

Pascha computat servus ventris, in quibus cibis faciat dies festos, hoc est, gulosus suo ventri deserviens, considerat quando veniet paschalis festivitas, quam solennizet vacando gulæ magis quam puritati internæ ; *servus vero Dei attendit in quibus gratiis dives fiat,* hoc est, qualiter copiosius compendiosiusque proficere possit.

Peregrino hospite veniente in caritate, id est, caritative visitante Fratrem gulosum, ipse gulosus *totus movetur ex gula,* Fratrem illum libenter videndo ac recipiendo, ut hac occasione valeat aliquid lautius præparare et abundantius sumere, *et suam resolutionem,* id est gulosam relaxationem, *æstimat fratris* devoti *consolationem.*

In adventu aliquorum ad ipsum, morem, hoc est consuetam abstinentiam suam, *frangens, præmeditatus est admittere vinum,* id est, vinum potare decrevit; *et opinatus virtutem abscondere, factus est servus passionis,* hoc est, ipse gulosus, qui cogitavit abstinentiam suam occultare, victus est a concupiscentia gulæ : nam vinum admittit non ex spirituali visitantium dilectione, sed ex propria carnalitate.

Gula inimicatur plerumque gloriæ vanæ, quia instigat ad manducandum laute atque superflue : per quod quis privatur humana laude et gloria; *et simul pugnant in misero monacho, quasi super servo empticio,* hoc est, gula et vana gloria præliantur contra se invicem in misero religioso, quæ earum subjiciat sibi illum, sicut pugnatur pro obtinendo servo empticio quem plures emere cupiunt. *Illa quidem interrumpere et resolvere violentat,* hoc est, gula impetuose instigat ut abstinentia intermittatur jejuniumque frangatur; *ista vero virtutem suam triumphare submergit,* hoc est, vana gloria cum sui ipsius

submersione seu perditione persuadet su- A am vim prævalere, ut scilicet abstineatur ac jejunetur desiderio laudis humanæ. *Sapiens monachus ambas effugiet, in proprio tempore alteram altera repellens ac removens,* hoc est, religiosus discretus vincet gulam et gloriam vanam, cum una earum alteram repellendo tempore opportuno. Non quod unquam debeat admittere aliquod vitiorum istorum : sed quando tentatur de gula, potest eam abjicere ex consideratione suæ inhonestatis, et quia scandalizativa est aliorum ; et ita quodam- B modo fugit eam ex consideratione simili considerationi illi ex qua vitat eam vanæ gloriæ servus, qui fugit eam quia inhonesta est coram aliis, et minorativa propriæ laudis atque humani honoris. Conformiter quando tentatur de vana gloria, ut intuitu ejus abstineat, potius comedit, attamen moderate et ex rationabili causa, ut gloriam vanam et inanem confundat.

Increscente igne, hoc est fervore et concupiscentia, *carnis, puniamus eamdem* per abstinentias, disciplinas, vigilias et labo- C res, *atque in omni loco et tempore* opportuno *abstinentiam observemus. Eodem vero igne carnis sedato et quiescente (quod non credo perfecte fieri ante sepulcrum et mortem), abscondamus nostram operationem,* hoc est exercitationem et profectum, quantum ad id quod supererogationis et specialis devotionis in ea est, et quoad intentionem, quia soli Deo finaliter complacere omnes optamus. Vel sensus est, quod « igne » illo « sedato », servemus solitam abstinentiam in secreto ; sed pro- D pter aliorum adventum possumus aliqualiter relaxare eamdem.

Vidi presbyteros, id est sacerdotes seu seniores, *a dæmoniis illusos, et absolventes cum benedictione* [illegible] *ditos, in potationibus vini et reliquorum,* hoc est, vidi quod illi presbyteri hortabantur juniores quibus non præbuerunt ad potandum vinum et ad accipiendum cibaria reliqua, ita quod absolverunt juniores illos cum benedictione a culpa exsistente in talibus. *Nempe si ipsi in Domino testimonium habent,* hoc est, si presbyteri illi sunt veraciter bonæ famæ, *temperate solvamus,* hoc est, propter eorum præsentiam atque instantiam cum moderatione relaxemus rigorem abstinentiæ nostræ. *Si vero sunt negligentes* aperte, *nihil curemus de benedictione eorum,* ita ut propter eam non acquiescamus indiscretæ ac minus discussæ exhortationi ipsorum ; *et magis si sumus in pugna ignis,* hoc est, si concupiscentiis carnalibus infestemur, tunc rigorem nostrum diligentius majorique cum sollicitudine conservemus.

Probavit a Deo missus Evagrius, sapientium sapientior, hoc est, abbas Evagrius, vir divinus atque doctissimus, approbavit, sive expertus est, *promptitudine et sensibus fieri,* hoc est omnia bona esse agenda animo prompto ac discreto secundum spiritualem scientiam ; *sed fraudem passus,* hoc est deceptus, *mentitus est miser sibi, apparens magis insipiens insipientium in aliis multis, sed et in isto* quod nunc subditur. *Ait enim : Quum anima concupiscit varios cibos, angustietur,* hoc est, parce sustentetur, *pane et aqua. Simile vero aliquid dixit puero, qui dixit se velle ascendere scalam in uno passu,* hoc est repente velle perfectum fieri, aut subito viam perfectionis apprehendere sive accedere.

Iste videtur fuisse abbas Evagrius, cujus præconia in secundo Vitaspatrum volumine describuntur. Denique, sicut ex his quæ continentur ibidem probatur, ipse B. Evagrius erat vir mirabili sapientia, eloquentia, abstinentia sanctitateque vitæ sublimiter decoratus. Unde et reprobatio tanti viri hoc loco introducta, immoderatior esse censetur, nec tanta laudatio laude vitæ superationi consona reputatur : præsertim quia et error qui ei ab auctore imponitur non est adeo gravis aut periculosus ut tantam talemque reprobationem meruerit, neque in aliis tantum errat, sed erat vir valde catholicus, hæreticis quoque vehementissime restitit adhuc in sæculo con-

stitutus. Quid autem locutus sit puero de quo facta est mentio, non est hoc loco expressum. Insuper, salva per omnia reverentia hujus auctoris, rationabilior videtur esse doctrina ista sancti abbatis Evagrii de abstinentia observanda, quam quod auctor hic edocet contra illum, subdendo :

Igitur et nos evertentes definitionem illius, hoc est doctrinam Evagrii, *dicimus : Quum anima concupiscit differentes,* hoc est distinctos ac varios, *cibos, concupiscit et quærit aliquid proprium naturæ,* hoc est quoddam conveniens naturæ humanæ aut appetitui naturali. *Quocirca utamur industria,* utpote bona cautela aut arte, *adversus machinatricem multimode ingeniosam,* hoc est contra gulam varias et acutas practicas suggerentem ad prosequendum quod appetit. *Alioqui statuet contra nos gravissimum prælium,* hoc est, fortissime nos tentabit, *aut ruinarum obligationes parabit,* hoc est, conabitur nos tam artificiose ac valide impugnare, ut non aut vix possimus evadere. *Recidamus nunc primo impugnantia *, deinde ardentia, adhuc similiter delectantia.* Per « primo impugnantia », possunt intelligi tentationes et pravæ affectiones quæ ingeruntur ab extra exterioribusve objectis, quæ primo sunt abscindendæ ac repellendæ. Porro per « ardentia », intelligi possunt ignita desideria mala ab interiori causa exorta, videlicet a propria sensualitate, voluntate, aut corporis dispositione, quæ « deinde » sunt expugnanda. « Adhuc » quoque « similiter » sunt expugnanda « delectantia », hoc est, quæcumque inordinate complacent aut delectant, quantum ad id quod faciunt hoc, puta in quantum scandalizant, sicut ait Salvator : Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. *Si possibile est, da ventri cibum replentem, levem, vilem atque exiguum, ut per repletionem satiemus insatiabilem ejus deliberationem,* hoc est voracitatem intentam, cui videtur quod saturari non valeat. *Per exiguum vero, levem ac vilem cibum, habeamus celerem respirationem,* hoc est,

* impinguantia

Matth. XVIII, 9.

A velociter alleviemur a satietate præfata, *et redimamur a calore* naturæ *et inflammatione* concupiscentiæ, *quasi a flagello :* nam calor hujusmodi et inflammatio talis valde molesta sunt ac displicent homini bono. *Superintendamus,* id est, diligentissime consideremus, *et inveniemus plurimos rerum spirantium cibos,* videlicet carnes, *moventes et incitantes calores in nobis,* hoc est sanguinis fervorem, et concupiscentiam quæ inde causatur.

Nunc breviter consideremus quæ doctri-
B na sit aptior, istane, an prætacta doctrina abbatis Evagrii. Quocirca, quantum intelligere queo, melior est doctrina Evagrii, præsertim pro loco et tempore et personis unde loquebatur, quando videlicet consuetum fuit monachis in eremo demorari, atque ibidem pane et aqua permodicis contentari. Itaque dum anima cibos varios concupiscit, si tunc pane angustietur et aqua, plenior exstat victoria. Refrenatio quoque concupiscentiæ acrior est, si angustietur pane et aqua, quam si ei aliquan-
C tulum consentiatur, præbendo ei gustum eorum quæ concupiscit : ex quorum etiam experientia et sapore posset concupiscentia magis augeri et gravius impugnare, quam si penitus refrenaretur a talibus ; siquidem abstrahere se a voluptate experta, difficilius perhibetur. Præterea, dare « ventri cibum replentem », quamvis « levem, vilem » et « exiguum », non videtur perfecto jejunio seu abstinentiæ consonare, sed corpus ad tempus aliqualiter onerare, atque ad spiritualia opera indis-
D positum reddere. Iterum, « per repletionem » satiare « insatiabilem » ventris « deliberationem », non videtur sonare in bonum, nec esse perfectionis, nec dispositivum ad eam. Hæc vero pro captu meo brevissime tango, non præjudicans melius sentienti aut profundius penetranti.

Deride dæmonem qui suggerit tibi tardare refectionem usque ad horam cœnæ : quia refectio tam diu dilata, efficit hominem ad devotionem ineptum in matutinali Officio, prout de hoc in Collationibus Pa-

Cf. LXXVII, p. 162 B'.

trum plenius scribitur. *Nova enim deinceps apprehendente, prævanticipantis concordiam abnegavit,* hoc est, dæmon hoc suggerens aufert concordiam ei qui ita non differt refectionem, ita quod ille fit discors a differente eamdem, refectione « nova », id est insolita hora facta, « deinceps apprehendente », id est, invalescente ac permanente in uno. Eadem ergo hora reficiantur Fratres qui pariter commorantur, nisi rationabilis causa aliud exigat aut permittat.

Alia abstinentia congrua exsistit et consonans innocuis, id est perfectis, innocentibus seu reformatis hominibus, *et alia nocivis,* hoc est passionatis adhuc et imperfectis. *Illi quidem,* puta innocui, *motum possident in signum,* id est, concupiscentiæ stimulum, saltem naturalem, patiuntur interdum « in signum » quod vere sint homines fragili carne circumdati. *Isti vero,* videlicet nocivi, *usque ad finem vitæ et mortem perseverant et adjacent inconsolabiliter et implacabiliter abstinentes,* hoc est, incessabiliter indigent corpus suum domare cum duritia et rigore, nec consolationem contra hoc debent requirere, sed adjacere seu inhærere actibus pœnitentiæ salutaris quamdiu sunt tales. *Primi enim,* puta innocui, *volunt et debent sempiterne,* seu jugiter, *custodire contemperantiam et complexionem mentis spontaneæ,* hoc est bonam habitudinem, sinceritatem et tranquillitatem cordis sui in bonis actibus prompti ac fervidi, ut sint quasi religio cœlestium corporum, ad quam meteorologicæ impressiones quæ fiunt in aere, non pertingunt. *Isti vero,* videlicet nocivi, *placant Deum per spiritualem tristitiam* quam habent de suis defectuositatibus et peccatis, *et mortificationem propriæ sensualitatis ac improbæ voluntatis.*

Nimirum tempus [illegible]tiæ spiritualis, *et [illegible] in universis,* id est immunitas ab omni sæculari inordinataque cura, conveniunt et sunt *viro perfecto.* Talia enim ei debentur ac desuper conceduntur, qui est quasi emeritus miles, et quem non contristat quidquid ei acciderit. *Agonizanti vero,* id est, laboranti contra passiones, tentationes et vitia, *est tempus certaminis* contra diabolum, mundum, et contra se ipsum; *vitioso vero, festivitas festivitatum et frequentia frequentiarum,* hoc est, homo impœnitens, obstinatus et libidini subditus, delectatur quotidie in voluptatibus, vanitatibus, jocis et risibus suis, inter alios se commiscens, et illos sibi alliciens : sicque in bonis fallacibus ducens dies suos, descendit in puncto ad inferos.

Prov. xii, 21.

Job xxi, 13.

In cordibus gulosorum sunt somnia ciborum et escarum. Quod enim in vigilia optant, tractant et cogitant, et imaginantur in somno. *Somnia vero pœnarum et judiciorum sunt in cordibus lugentium,* hoc est, pœnitentes ac lugubres etiam in somno habent imagines et cogitationes de pœnis inferni et de judiciis Dei.

Tene et vince ventrem, id est, gulam refrena ac supera, *antequam vincat et teneat te; et tunc futurus es abstinere cum inconfusione,* id est, inconfusibiliter abstinebis si non a ventre fueris victus, si tamen veraciter pœnitere volueris, utpote cum condigno pudore, de turpitudine intemperantiæ tuæ. *Sciunt quod dictum est qui ceciderunt in foveam non dicendam,* hoc est, qui lapsi sunt in ignominiosam carnalitatem, agnoscunt quod victi a ventre pœnitent cum confusione; *viri eunuchi,* videlicet penitus casti et concupiscentiarum conculcatores, [illegible] *experientiam rei istius,* qualiter scilicet indigent abstinere qui lapsi sunt modo prædicto : possunt tamen hoc scire speculative.

[illegible] ditatio ignis æterni. Huic quoque quidam [illegible], hoc est, aliqui diligenter considerantes inferni supplicia ex illorum timore absciderunt propria membra ne peccarent per ea, [illegible], id est corporali ac spirituali, vel

morte culpæ in præsenti, et morte damna- A tionis perpetuæ in futuro.

Quæramus, et penitus inveniemus hanc gulam per se solam operantem naufragia apud nos : quoniam gula inducit nos ad diversa pericula et peccata.

Mens jejunantis orat vigilanter et so-
Is. LVIII, 3. *brie,* dummodo in diebus jejunii sui non inveniatur voluntas sua in eo; *mens autem non abstinentis repletur immundis idolis,* id est turpibus phantasiis.

Ventris satietas exsiccavit fontem, id est, gratiam abstulit lacrimarum : quoni- B am vera compunctio non invenitur in guloso. *Ipso vero* fonte lacrimarum *siccato, satietas genuit aquas* concupiscentiæ, atque carnalium desideriorum profluvia.

Qui suum ventrem nutrit et fovet gulose, *et conatur spiritum fornicationis vincere, similis est volenti cum oleo ignem exstinguere :* nam sicut ignem exstinguere volens cum oleo, præbet igni materiam et augmentum ; sic delicate aut immoderate se nutriens, fornicationi ministrat materiam ac incitamentum. Quod si ab actu C refrenetur obsceno, imaginationibus tamen, affectionibus stimulisque fœdatur.

Tribulato ventre per famem et abstinentiam, *humiliatur cor :* quum ratio quippe humilitatis merito hujusmodi tribulationis confertur a Deo, tribulatio quoque corporis ad sui ipsius humilem recognitionem disponit. *Ventre autem* per saturationem *consolato, superbit cogitatio.*

Te ipsum palpa, id est, per considerationem prudentem tange ac discute, *circa primam horam diei, et circa mediam, et* D *circa extremam horam ante cibum ; et ex hoc ex te ipso disces utilitatem jejunii* per modum qui subditur. *Mane exsultat cogitatio carnis,* hoc est, carnalis cogitatio, ex qua stimulatio oritur, hora Primæ plus viget, ventre nondum evacuato ; *apprehendente Sexta, deorsum modice inclinatur,* hoc est, hora Sextæ instante, cogitatio talis aliqualiter deficit ; *ac circa solis occasum humiliatur in finem,* id est, omnino dejicitur ab usque tunc jejunante.

Afflige ventrem, et omnino claudes os tuum, id est, facilius servabis silentium. *A multitudine namque ciborum lingua enervatur,* id est, ex gula loquacitas generatur.

Contristans, id est, te ipsum affligens, *pugna contra ventrem, et vigilans vigila propter eum,* id est, ut te ipsum refrenes adhibe diligentiam omnem. *Si enim dolueris modicum fatigatus,* id est, aliquid pœnæ pertuleris ex abstinentia, *Dominus confestim cooperabitur tibi,* confortando et consolando te per gratiam suam.

Mollificati utres supercapiunt ad mensuram, id est, plus capiunt quam siccati ; *contempti vero et sine cura relicti,* hoc est ex negligentia duri effecti, *non capiunt tantum. Cogens necessitate ventrem,* utpote non ex virtute sed ex parcitate aut inopia abstinens, *ampliavit interiora :* quia ex desiderio alimentorum invalescente et crescente, quasi hiant et dilatantur ad horam. *Agonizans vero contra ipsum,* id est, ex virtute et gratia laborans ventrem restringere ab immoderata appetitione ac sumptione escarum ac potuum, *constrinxit eadem* interiora. *Quibus angustiatis seu constrictis, non opus est multis cibis ; atque ex tunc efficimur de cetero naturaliter jejunantes,* hoc est faciliter et ex usu, qui est quasi altera natura.

Sitis sitim plerumque cessare facit. Hoc experientia verum esse testatur : siquidem multi patienter sustinendo sitim post prandium aut alia hora, paulatim liberantur a siti in talibus horis. Vel sensus est, quod « sitis » spiritualium aufert aut minuit « sitim » corporalem. *Famem vero circumcidere,* hoc est auferre, *fame, est impossibile et crudele. Quum te vicerit* fames, trahendo te ad reprehensibilem appetitionem sumptionemve cibi aut potus, *in laboribus doma eam,* hoc est, per labores famem castiga, atque a tali pravo affectu refrena ; *si autem et hoc tibi impossibile est propter infirmitatem* corporis tui, *iterum pugna contra eam vigiliis,* insistendo orationibus diuturnis pro virtute et gratia

refrenandi hanc famem modo prætacto. A Qui autem cum tanta puritate, voluptate ac fervore internis insistit spiritualibus actibus, ut desiderium cibi reprimatur seu exstinguatur in eo, salubriter vicit famem.

Oculis aggravatis somnolentia, *opus manuum apprehende. Somno autem non instante, orationis tempore non attingas ipsum* manuum opus : quia orationis tempore vitandum est hoc opus, loquendo de orationibus quæ ex debito persolvuntur. Matth. VI, 24. Ideo subditur : *non enim est possibile servire Deo et mammonæ, hoc est, non expedit mentem exhibere et repræsentare,* hoc est corde intendere, *operi manuum, quum Deo adsistis* in divino Officio, seu persolvendo orationes aut horas canonicas.

Cognosce quia plerumque dæmon super stomachum sedet, et præparat ac disponit, hoc est, suggerit et suadet, *hominem satiari non posse, etiam si comederet universam Ægyptum, et biberet Nilum,* qui est flumen Ægypti : tanta enim voracitate seu gula inflammat aliquando hominem. C

Immundus hic dæmon recedit post cibum a nobis superflue sumptum, *et fornicationis spiritum mittit nobis, annuntians ei quod factum est,* qualiter scilicet crapulose comedimus; *et ait* spiritui fornicationis : *Apprehende, apprehende atque conturba ipsum,* hoc est, tenta, impugna ac dejice istum gulose repletum ; *ventre enim repleto et gravato, non multo labore mactabis,* hoc est, faciliter eum ad alia vitia pertrahes spiritualiterque occides. *Qui quum venisset, subrisit,* hoc est, D spiritus fornicationis adveniens, gulosum derisit, quasi certus quod eum de facili vincet ; *et ligans manus nostras ac pedes somno,* hoc est, a bonis operibus nos per somnum impediens, *omnia de cetero quæcumque voluit fecit in nobis, et corpus ac animam fœdavit et sordidavit phantasiis et inquinationibus et colluvionibus.*

Mirum est mentem incorpoream a corpore sordidatam et tenebratam, hoc est concupiscentiis et operibus carnis fœda-

tam et obtenebratam, *videre, et iterum repurgatam ac subtiliatam,* hoc est ad divina erectam, *per luctum immaterialem,* hoc est compunctionem et contritionem internam.

Si spopondisti Christo ambulare per viam angustam et arctam, reprime ventrem : isto enim curato et ampliato, hoc est concupiscentia et edacitate ventris non refrenata sed aucta, *irritasti compositiones et fœdera,* hoc est, initum fœdus cum Deo et promissionem de rigorose vivendo violasti. Hinc S. Benedictus ait in Regula : Ante omnia removeatur crapula, ut nunquam subrepat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano ut crapula, sicut ait Dominus noster : Videte ne graventur corda vestra Luc. XXI, 34. crapula vel ebrietate. *Excogita et intende et audi dicentem : Ampla et spatiosa est* Matth. VII, 13, 14. *via ventris,* id est immoderantia gulæ, *quæ ducit ad fornicationis perditionem, et multi vadunt per eam ; angusta est porta,* hoc est observatio jejunii, *et arcta abstinentiæ via, quæ ducit in castimoniæ vitam, et pauci ingrediuntur per eam.*

Lucifer qui ruit, est princeps dæmoniorum ; et princeps vitiorum est gula et ingluvies ventris. — *Recumbens,* id est sedens, *ad refectionem in mensa alimentorum, affer in medium memoriam mortis atque judicii, et etiam sic vix impedies modicum vitium,* id est, ita agendo vix evades venialem culpam, quæ refectioni communiter admiscetur. *Poculum* corporeum *bibens, non cesses memorari fellis et aceti Christi Regis ac Domini,* hoc est suæ felleæ et acetosæ potationis pro nobis in cruce ; *et potatus [illegible]*, saltem superfluo, *aut suspirabis* ex compassione passionis dominicæ et de propria calamitate, *aut sapere magis humile facies,* id est, profundius te ipsum humiliabis, tuamque abstinentiam et pœnitentiam pro nihilo reputabis.

Ne [illegible] periculosa securitate. *N[illegible]*, id est jugo peccati et servitute diaboli [illegible]

supernum Pascha, videlicet Christum, qui A immolatus est pascha nostrum, seu transitum tuum ad regnum cœlorum, *videbis* clare per speciem, *nisi semper comedas* interim, scilicet omni tempore opportuno, *lactucas agrestes et azyma. Lactucæ agrestes sunt, violentia* (id est magnus rigor) *jejunii, labor* exterior, *dolor* contritionis interior, *et sufferentia malorum,* id est adversitatum, tentationum et tribulationum; *azyma vero, est sapere non elatum aut inflatum,* id est humiliter sentire de se ipso.

I Cor. v, 7.

Exod. xii, 8.

Tuæ inspirationi, id est interiori suggestioni et cogitationi, *cohæreat verbum* Psalmistæ *dicentis : Ego autem quum mihi molesti essent,* videlicet dæmones, *induebar cilicio, et humiliavi in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.*

Ps. xxxiv, 13.

Jejunium est violentia, id est afflictio dura et conculcatio quædam, *naturæ,* cui per jejunium subtrahitur quod naturaliter affectatur; *decisio delectationis gutturis :* quum enim abscidat cibum, abscidit et C delectationem quæ in cibi sumptione consistit; *recisio caloris concupiscentiæ :* quem calorem diminuit, sicut et sanguinem, qui generatur ex alimento; *succisio cogitationum et intentionum malarum,* quas succidit tripliciter : primo, quoniam subtrahit ventri repletionem, ex qua frequenter gignuntur cogitationes intentionesque malæ; secundo, quia meretur gratiam resistendi eisdem; tertio, quoniam rationem efficit aptam et expeditam ad cogitationes sinceras ac rectas intentio- D nes; *libertas somniorum :* quia præservat ac liberat a somniis fœdis ac gravibus, quæ oriuntur ex gula; *munditia orationis,* ad quam disponit ac confert; *animæ luminare :* eam namque illuminat, et illuminationem meretur supernam; *mentis custodia; solutio cæcitatis :* quia ab interiori excæcatione dissolvit; *porta compunctionis,* quæ per jejunium impetratur et intrat; *suspirium humile :* nam parit humilem gemitum et non fictum ad Dominum; *contritio hilaris :* quia per jejunium corpus conteritur, cor quoque compungitur pœnitentiali dolore, et utrique contritioni admiscetur consolatio spiritualis; *restrictio multiloquii :* quemadmodum enim ex gula generatur loquacitas, ita ex jejunio taciturnitas moderata; *occasio tranquillitatis :* disponit namque ad pectoris pacem; *obedientiæ custos; evacuatio et alleviatio somni,* qui per sobrietatem minuitur ac levior redditur; *sanitas corporis; conciliatio atque adductio impassibilitatis :* B quia ad reformationem passionum plenariam non mediocriter cooperatur; *remissio peccatorum :* est enim magna pars satisfactionis; *porta et deliciæ paradisi :* quoniam ad cœlestis paradisi delicias introducit, sicut et gula a terrestri paradiso ejecit.

Hunc quippe tyrannum, videlicet ventris ingluviem seu gulam, *qui* tyrannus *est præceptor malorum nostrorum impugnatorum,* hoc est vitiorum, quæ sunt nostri impugnatores, *porta vitiorum,* quæ ingrediuntur per gulam, *lapsus Adæ,* qui manducando de fructu prohibito cecidit, *perditio Esau,* qui propter unam escam vendidit primogenita sua, *interitus Israelitarum,* qui desiderando esum carnium divinitus sunt plagati, *Noe inhonestas,* qui ex vino inebriatus, nudatus est in tabernaculo suo, *proditor Gomorrhæorum,* qui ex satietate corruerunt ad ignominiosa facinora, *Lot querela,* id est culpa ipsius Lot, qui ex vini inebriatione devolutus est ad incestum, *exterminium filiorum Heli sacerdotis,* qui interfecti fuerunt, quoniam carnes Deo oblatas, contra Dei præceptum usurpaverunt in usum suum, ut legitur primo Regum, *manuductor inquinationum et cogitationum malarum,* quas continuando prosequitur : hunc, inquam, tyrannum *ante omnia magis investigemus unde gignatur, et qui et quales* excessus *sint geniti ex eadem gula, quisve sit conterens,* id est destruens, *eam, et quis sit perdens eam in finem,* eradicando eam totaliter.

Gen. iii, 6-24.

Ibid. xxv, 29-34.

Num. xi, 4, 33.

Gen. ix, 21.

Ibid. xviii, 20.

Ibid. xix, 33-35.

I Reg. ii, 12 et seq.; iv, 11.

Dic nobis, o tyranne omnium mortalium, id est tu gula, quæ irrationabiliter

impugnas ac lædis homines universos, *qui omnes emisti auro insatiabilitatis,* id est, tuæ culpæ jugo et tuæ servitutis obsequio subjugasti cunctos tuæ insaturabilitatis demerito : *Unde,* id est ex qua causa, sive per quem modum, *possedisti in nobis ingressum? Et quid naturaliter habes parere post ingressum?* id est, quæ vitia generas in nobis quum introieris nos? *Et quis est egressus tuus ex nobis et liberatio?* id est, qualiter valeamus expellere te et liberari a te?

Ipsa vero super injuriis dolens, id est, gula de inquisitione hac increpatoria, quæ ei videbatur admodum injuriosa, indignans, *tyrannice furiosa ac feralis, respondit ad nos : Quid me dejicitis improperiis,* hoc est, cur adeo vituperose contemnitis me vos, *exsistentes mihi obnoxii debito,* hoc est, qui per propriam culpam servi mei estis effecti et sponte subjecistis vos meo
II Petr. II, 19. dominio? A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. *Et quomodo festinatis separari a me* quæ radicaliter vobis inclusa sum? Ideo subditur : *Ego quoque naturæ sum colligata,* hoc est, inseparabiliter adhæreo naturæ per originale peccatum corruptæ quantum ad originem radicalem seu fomitem. Naturalis quippe est alimentorum appetitus, et idem ex originali per fomitem est corruptus. *Porta mea est natura ciborum,* id est, appetibilitas seu delectabilitas alimentorum me introducit ac provocat, et ipsa alimenta sunt materia per quam intro. *Consuetudo vero est causa meæ insatiabilitatis.* Certum est quod gulosus ad horam satiatur, saturatusque manet ad tempus; sed consuetudo ac repetitio comedendi, insatiabilitatem inducit. *Occasio autem passionis,* hoc est concupiscentiæ et immoderantiæ meæ, *est esus præanticipatus,* id est manducatio ante congruum tempus præsumpta, *et [illegible]rentia doloris,* id est salubris compunctionis contritionisque animæ, *[illegible] mortis,* cujus memoria actualis reprimit gulam.

Quoniam vero quæritis discere quæ [illegible] *nomina filiorum meorum, dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur,* hoc est, plene dinumerari nequibunt. Ps. CXXXVIII, 18. *Attamen audite qui ita appellantur dilecti et primogeniti mei. Primogenitus filius meus est fornicationis minister,* id est venereorum cupido; *cui secundus est duritia cordis; tertius est somnus* extraordinarius atque superfluus. *Ex me procedunt mare,* id est copiosissima multitudo, *cogitationum* carnalium, ac turpium imaginationum, *fluctus et undæ inquinationum,* hoc est abundantia culpabilium fœditatum in osculis, amplexibus, contactibus et commixtionibus lubricis, naturalibus tamen, *profundum quoque ignotarum et indicibilium immunditiarum,* hoc est vorago ac scelus vitiorum contra naturam.

Filiæ meæ sunt, otiositas, multiloquium, confidentia de propriis viribus, *risus patratio,* id est provocatio aliorum ad risum, ac proprius risus ex levitate et vanitate procedens, *scurrilitas, contradictio, cervicosa durities,* hoc est contumax obduratio cordis, *inaudientia, insensibilitas,* qua animalis et gulosus homo non sapit I Cor. II, 14. ea quæ Dei sunt, *captivatio,* id est distractio mentis, seu ejus redactio in servitutem vitiorum ac dæmonis, *magnificentia* sui ipsius, seu apparatus magnificus in cibis ac poculis, *gloriatio* vana, *audacia,* quæ in ebriis sæpe regnat, quoniam sua pericula, ratione jam obscurata, non pensant, *amor mundi : quem consequitur oratio sordida,* id est distractionibus plena et cogitationibus affectionibusque mundanis coinquinata, *et incurvationes cogitationum,* hoc est reflexiones earum ad propria oblectamenta ac commoda, *plerumque vero eventus non exspectati et insperati,* videlicet læsiones, ruinæ, damna rerum, offensio amicorum et cognatorum, difformia quoque diversa ac improvisa. Propter quod Salomon loquitur Proverbiorum vicesimo tertio : Cui væ? cujus patri væ? [illegible] cui rixæ? cui sine causa vulnera? cui suf- 29, 30. fusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino? etc. Q[illegible]

desperatio crudelior omnibus jam præfatis. A

Porro memoria offensionum et criminum, id est vitiorum quæ quis incurrit per omissionem vel commissionem, *impugnat me, non tamen vincit.* Recordatio etenim propriarum culparum gulam impugnat ac minuit, sed non penitus superat eam. *Intenta autem meditatio mortis et ultimi exitus inimicatur mihi ex toto,* id est, valde me dejicit, similiter intenta meditatio divini judicii ac futuri supplicii. *Nihil vero est me evacuans et perfecte in omnibus destruens:* B quamvis enim ad tempus actualiter superetur, tamen radicaliter manet.

Qui possidet Paracletum, id est, Spiritum Sanctum habet, *interpellat contra me,* deprecans sibi dari virtutem adversum me, *et ille,* videlicet Spiritus Sanctus, *exoratus* devote a viro virtuoso, *non sinit me vitiose operari,* sed per gratiam suam me tenet ligatam, ita quod hominem talem superare non valeo, saltem ad mortale peccatum trahendo, quamvis interdum venialiter excedat in cibo ac potu. *Qui enim sunt sine gustu illius,* hoc est, qui spirituali consolatione et gustu interno divinæ dulcedinis carent, *quærunt penitus delectari per meam dulcedinem,* id est, consolationem quærunt carnalem in cibo et potu. Homo quippe naturaliter appetit delectari : ideo qui in spiritualibus non lætatur, in carnalibus oblectari conatur.

GRADUS XV

DE INCORRUPTIBILI CASTITATE ET TEMPERANTIA EX SUDORIBUS ATQUE LABORIBUS ACQUISITA.

AUDIVIMUS insaniam nunc dicentem ejus esse genitum, ad corpora pugnam. Et mirum non est : docet enim hoc et antiquus ille noster progenitor Adam. Nisi enim victus fuisset a ventre, nec conjugem quid erat cognovisset. Igitur primum mandatum servantes secunda transgressione non corruunt, sed manent filii Adam, non cognoscentes quid erat Adam, sed paulo minus ab angelis sunt minorati : et istud, ut malum in posteris non maneret nec esset immortale, ut ait theologiæ nomine nuncupatus.

Castitas est naturæ incorporeæ appropriatio. Castitas est domus amabilis Jesu Christi. Castitas quoque est scutum cordis superterrestre. Castitas est abnegatio naturæ humanæ supernaturalis et supergloriosa, et vere supermirabilis cohortatio corporis corruptibilis ac mortalis ad incorporeos spiritus.

Castus est qui repercutiens exstinguit amorem et concupiscentiam amore et concupiscentia, et ignem igne immateriali. — Continentia est universalis virtutum omnium cognominatio. Continens et castus est qui in ipsis somnis nullum sentit motum aut commutationem præexsistentis consistentiæ in se ipso. Continens et temperatus est qui possidet semper perfectam insensibilitatem super differentia corporum. — Iste est canon perfectæ atque castissimæ castitatis, æque similiter adjacere ad animata et inanimata, rationabilia atque irrationabilia corpora.

Nemo obtinentium castitatem, sibi ipsi imputet ejus possessionem. Nimirum quia quod quis vincat suam naturam, non est utique ex contingentibus, aut suscipientium virtus. Ubi facta est naturæ victoria, ibi cognoscitur adventus ejus qui supernaturalis est : nam absque omni contradictione, quod minus est, a majore *Hebr. vii, 7.*
benedicitur.

Principium castitatis, non consentiens cogitatio, et præter idolum ex temporibus respersio; medium castitatis, motus exsistentes ex multitudine alimentorum absque speciebus rerum, qui sunt liberi a respersione colluvionis; finis vero, mortificatio corporis, præmortuis cogitationibus. Beatus vere est qui possidet insensibilitatem perfectam in specie omnis substantiæ, colore, pulchritudine, et temporum vicissitudine.

Non qui lutum absque sorde custodit castus est, sed qui membra corporis perfecte supponit ac subjicit animæ. — Magnus quippe est qui in tactu impassibilis permanet; major vero est qui manet impercussus in adspectu, et invictus vincit adspectu ignis atque intenta meditatione pulchritudinis supernorum.

Qui oratione canem expellit, comparatur certanti cum leone; qui vero hunc contradictionibus retrovertit, persequenti adversarium suum ; qui autem ex toto spernit hujus insultum, quamvis in carne degat, attamen ex loculo resurrexit.

Si istud est veræ castitatis argumentum, immobilem esse in phantasmatibus somniorum; ista est penitus terminatio luxuriæ, vigilantem sustinere fluxum in cogitationibus.

Qui cum sudoribus et laboribus pugnat cum adversario isto, comparatur effuganti inimicum suum cum brulla*; qui vero cum abstinentia et vigiliis, comparatur* ei qui aggreditur inimicum cum clava ; qui vero per humilitatem et inirascibilitatem et sitim, comparatur interficienti adversarium pugnatorem, et occultanti eumdem in sabulo. Sabulum humilitatem intellige : non enim est pascua vitiorum, sed est terra et cinis.

Alius est qui tyrannum tenet ligatum ex agonibus, alius qui ex humilitate, alius qui ex revelatione divina : et primus comparatur lucifero, secundus magnæ lunæ, tertius autem soli fulgenti. Utrique autem conversationem habent in cœlis. Nempe ex splendore auroræ lux, ex luce vero ortus est sol : ita et super præfatis est intelligere ac invenire.

Simulat vulpes somnum, dæmon vero et corpus simulant castitatem ; sed illa ut aves seducat, isti vero ut animam perdant. — Ne credas luto carnis in omni vita tua, et non confidas in ea donec obviaveris Christo Jesu. Noli confidere ex abstinentia tua cadere te non posse : nihil enim quis edens, e cœlo projectus est.

Quidam scientes, bene definientes abrenuntiationem, dicunt eam esse inimicitiam ad corpus, et pugnam ad ventrem. Et quidem in introducendis, qui sunt corporis lapsus, ut plurimum ex deliciis naturaliter fieri habent ; in mediis vero, ex alte sapere seu elatione, sed et hoc similiter in introducendis. In his autem qui propinquaverunt perfectioni contingunt hujusmodi lapsus ex eo tantum quod proximum judicent.

Quidam beatificaverunt naturaliter eunuchos natos, tanquam redemptos a tyrannide corporis. At ego beatificavi quotidianos eunuchos : qui tales habent cogitatione tanquam gladio recidere sibi ipsis extremam naturam.

Vidi quosdam non voluntarie cadentes ; et vidi quosdam volentes cadere voluntarie, sed nequeuntes : quos dixi miserabiliores cadentibus quotidie, tanquam qui a dissuavitate fœtoris non poterant compesci.

Miserabilis est qui cadit ; sed miserabilior est qui hoc alteri conciliat, quoniam sustinet pondus lapsuum et criminum duorum, et delectationis et concupiscentiæ alterius.

Ne velis verborum justificationibus et contradictionibus repercutere et retrovertere dæmonem fornicationis, eo quod ille rationabilia possideat sicut naturaliter nos impugnans. — Qui suam carnem vult expugnare et vincere ex se ipso, currit in
Ps. CXXVI, 1. vanum : nisi enim Dominus dissolverit et destruxerit domum carnis, et ædificaverit domum animæ, in vanum vigilat et jejunat qui vult dissolvere. Repræsenta et pone coram Deo infirmitatem naturæ et carnis tuæ, recognoscendo totaliter impotentiam propriam et donum castitatis insensibiliter esse a Deo.

Est in libidinosis sensus cujusdam concupiscentiæ corporum (quemadmodum mihi narravit quidam ipsorum in experientia factus, post evigilantiam sobriam), et spiritus non erubescens, irreverens, crudelis et inhumanus, insidens sensui cordis irreverenter, qui præparat illum qui impugnatur etiam sentire dolorem corporei cordis in similitudinem fornacis ignis. Nempe Deum non timet, memoriam pœnæ æternæ quasi nihil contemnit, orationem abominatur, ossa mortuorum quasi lapides inanimatos intuetur etiam in ipsa actione fere consummata. Facit amentem hunc patientem et excedentem, esse inebriatum indesinenti concupiscentia rationalis et
Matth. XXIV, 22. irrationalis substantiæ. Cujus dies nisi fuissent breviati, non fieret salva omnis caro luto isto complexionata ex sanguine et sordido limo. Nec mirum, quoniam omne quod factum est, insatiabiliter concupiscit suam cognationem, sanguis sanguinem, vermis vermem, limus limum ; ergo et caro carnem : licet nos qui sumus violentatores naturæ et concupitores regni cœlestis, experiamur seductorem seducere aliquos quibusdam circumventionibus et astutiis.

Non experti pugnam præfatam beati sunt. Nos quoque oremus redimi plene a tali experientia ejus. Qui enim lubricaverunt ruentes in foveam præfatam, longe remoti sunt et prolapsi ab ascendentibus et descendentibus in scala virtutum. Porro ad resurgendum de fovea illa, indigent sudoribus, doloribus, afflictionibus, fame, et penuria supersumma.

Intendamus qualiter in inimicis nostris intellectualibus unusquisque eorum ordiatur exsequi contra nos aliquam propriam commissionem, quemadmodum fit in sensibili prælio, in ipsa acie et bello.

Quod mirum est, supersignans notavi in tentatis et vidi casus casibus crudeliores. Qui habet mentem audiendi, audiat. Dæmon solitus est commovere et exercere omnem impetum suum, festinantiam, industriam, versutiam, circumvenientiam et

conspirationem, maxime et agonizantibus et monasticam vitam exsequentibus; magis vero sollicitus est commovere in eis plures motus in his quæ sunt præter naturam, et non in his quæ sunt secundum naturam, et parat ipsos hinc amplius impugnare. Unde et quidam plerumque degentes cum femina, ex hoc non impugnantur concupiscentia, nec inducuntur in cogitationum tentationem : qua ex re ipsi miserabiles beatificaverunt se ipsos, ignorantes quia ubi major interitus, ibi non opus minori custodia. Puto quod istis duabus de causis homicidæ et facinorosi consueverunt impugnare et debellare nos miserandos, in his quæ sunt contra naturam : sicut invenire valentes ubique materiam talis lapsus, et sicut qui suscepturi sumus et possessuri inde majorem punitionem ac pœnam.

Novit quod dictum est, primo quidem adducens onagros et convertens, tandem vero ab onagris spiritualibus miserande eversus et illusus; et cœlesti pane nutritus, ultimo est privatus hoc bono. Hoc quoque mirabilius est, quia magister noster Antonius amare dolens dixit post pœnitentiam ejus : Magna columna Ecclesiæ cecidit. Abscondit vero maneriem sapiens : noverat namque fornicationem esse corporaliter, et præter corpus alterius.

Est quædam in nobis mors et perditio lapsus, nobiscum et in nobis semper simul circumlata, et maxime in juventute : quam ego scripto tradere non præsumpsi. Continuit enim manum meam qui dixit : Quæ enim in occulto fiunt a qui- *Ephes.* v,
busdam, turpe est dicere et audire. Meam quidem carnem istam et non meam, et 12.
inimicitiam carnis amatricem, Paulus vocavit mortem, dicendo : Quis me liberabit *Rom.* v[illegible]
de corpore mortis hujus? Alter vero theologus hanc carnem appellavit libidinosam et servam et nocturnam. Cujus vero gratia usi sunt talibus appellationibus ad ipsam carnem, discere sitiebam. Si caro est mors, quemadmodum dictum est, qui vincit eamdem, penitus non morietur. Et quis utique est homo qui vivet, et non videbit *Ps.* lxxx[illegible]
mortem inquinationis carnis suæ?

Quærendum est, obsecro, quis est major, moriens et resurgens, vel omnino non moriens. Et aliquis quidem secundum beatificans, est fraudatus (Christus enim moriens resurrexit); hic vero primum, apud morientes, magis vero apud cadentes, nullam desperationem voluit esse. — Immanis inimicus, fornicationis præfectus, Deum dicit benignum et conferentem indulgentiam multam huic passioni sicut et naturali. Dolos dæmonum observemus, et post peccatum jam consummatum inveniemus eos dicentes, Deum esse incompassivum et judicem justum. Ibi quidem hoc supponebant, ut exhortarentur nos ad peccandum : nunc autem e contra, ut ad desperationem nos inducant et submergant. Nempe tristitia et desperatione contra nos insurgente, non possumus nos ipsos miseros dicere aut vituperare, aut super lapsu sumere ultionem de nobis; eadem vero exstincta, tyrannus benignitatis ei succedens iterum recipit nos.

In quantum Deus est incorruptibilis et incorporeus, in tantum exsultat et epulatur de castitate et incorruptibilitate corporis nostri. Quidam dixerunt, dæmones in nullo alio ita gaudere sicut in tali fœtore et prava gravitate luxuriæ : [illegible]

in alio vitio ita lætantur sicut in corporis inquinamento. — Castitas est proprietas et similitudo Dei secundum quod hominibus possibile est.

Mater dulcedinis est terra et ros; mater vero castitatis est quies solitaria cum obedientia. — Impassibilitas quæ ex solitaria quiete directa est, mundo propinquans, plerumque non mansit inconcussa; castitas autem quæ ex obedientia venit, ubique probata atque immobilis est.

I *Cor.* II, 16. Vidi superbiam humilitatis conciliatricem, et memoratus sum dicentis : Quis cognovit sensum Domini? — Lapsus tumoris est latus et paratus; lapsus vero fit sæpe humilitatis occasio in volentibus.

Qui cum gula et satietate vult fornicationis spiritum vincere, similis est volenti exstinguere incendium cum oleo. Qui probat facere cessare prælium istud cum abstinentia sola, similis est ei qui cum una manu natat, et a pelago liberari contendit. Conjunge abstinentiæ humilitatem : præter secundam enim et prior inutilis invenitur.

Qui viderit se ipsum ab aliquo vitio circumventum, ante omnia muniat se contra illud; et maxime contra domesticum inimicum : isto namque non destructo et
Exod. II, 12; III, 2. everso, nihil proficiemus ex victoria reliquorum hostium. Et nos ergo percutientes Ægyptium istum, omnino videbimus Dominum in rubo humilitatis. Ego quoque tentatus sensi hunc lupum, qui seductorie faciebat animæ irrationabile gaudium et consolationem et lacrimas, et pueriliter videbatur mihi retinere fructum, et non corruptionem.

I *Cor.* VI, 18. Si omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat (quod propterea dicitur, quoniam naturale est nobis inquinare ipsam carnis substantiam fluxu, quod in alio peccato fieri impossibile exstat); quæro ego qualiter homines in omni peccato consuevimus appellare ac dicere peccantes et offendentes, quando vero audimus aliquem fuisse fornicantem, dolentes de ejus peccato et lamentantes dicimus, Cecidit talis.

Piscis velox fugit hamum, et anima amatrix concupiscentiarum ac delectationum aversatur solitariam quietem ac vitam. — Quando diabolus vult aliquos simul ligare vinculo turpi, probat alterutras partes, et inde initiat ignem. — Lubricantes circa concupiscentiarum amorem, naturam habent esse compassivi, misericordes, contriti atque devoti; qui vero gerunt curam ac studium castitatis, non sic possident talia.

Vir cognitione plenus interrogavit me de propositione terribili, dicens : Quale peccatum est gravius vitiis universis, negatione Dei homicidioque exclusis? Et me dicente quod hoc sit in hæresim cadere, ille dixit : Quomodo Ecclesia catholica hæreticos suscipiens ad veniam quando pœnitent, post integram et sinceram anathematizationem propriæ hæresis dignatur eos assumptione mysteriorum, eum vero qui fornicatur, confessum et a peccato cessantem, suscipiens ad veniam, segregat eum ad tempus ab immaculatis mysteriis, quemadmodum apostolicis sancitum est regulis? Me quoque hæsitatione stupente super quæstione, quæsitum mansit insolutum ac dubium.

Scrutemur, mensuremus et observemus, quæ et qualis est delectatio et concupiscentia quæ in nobis efficitur in psalmodia ex dæmone fornicationis, quæ adveniens ex cogitationibus Spiritus, et ex gratia ac virtute exsistente in eis. — O tu qui juvenis es, non lateat te quod dico. Vidi enim quosdam orantes pro suis familiaribus ac dilectis, ex spiritu et anima, qui moti ex fornicatione, putabant se per talem memoriam implere atque perficere decretum ac legem caritatis.

Est per tactum corporaliter inquinari : nihil enim eodem gravius sensu. Memento complectentis et theristrum manui involventis, et habe manum consopitam super naturalibus et non naturalibus, et super proprio corpore ac alieno. — Arbitror neminem dici sanctum vere nomine illativo, nisi prius transformaverit terram hanc in sanctificationem, si tamen inest transformari.

In stratu jacentes, tunc vigilemus, eo quod mens certat tunc cum dæmonibus sine opere, et si invenitur amatrix concupiscentiæ, fit libenter proditrix sui ipsius. — Memoria mortis dormiat penitus tecum, et tecum resurgat, et soliloqua Jesu oratio : nulla enim invenies adjutoria ut ista.

Quidam docent ex escis tantum fieri pugnas et fluxus ; ego vero vidi infirmantes usque ad extremum et ad summum jejunantes, fortiter inquinatos in somno. Interrogavi de his nocturnis illusionibus aliquando monachum quemdam ex probatissimis Patribus discretiorem, et docuit me ille beatus valde maxime prudenter. Ait enim hic perpetuus : Est in somnis fluxus ex multitudine escarum et quietis ; alter ex superbia, quando ex influxibilitate nostra longa ac diuturna inflamur ; et rursus eo quod proximum temerarie judicamus. Quarum colluvionum duæ primæ possunt accidere et supervenire infirmis, æque vero et tres. Si vero aliquis viderit et contrectaverit se expurgatum ab omnibus causis colluvionum prædictis, beatus est hic operator talis impassibilitatis, patiens solum ex invidia dæmonum id quod evenit ei in somno, permittente Deo fieri hoc in ipso ad tempus, ut possideat humilitatem altissimam per eventum fluxus qui est sine peccato.

Nemo per diem ad se ipsum reversus post somnum, recogitet phantasmata somniorum : intentio enim est dæmonum ut inquinent nos vigilantes ex somniis. — Audiamus et aliam inimicorum nostrorum astutiam. Quemadmodum alimenta corpus lædentia consuetudinem habent facere in nobis infirmitatem corporalem post tempus aut diem, ita plerumque fit in causis inquinantibus animam.

Vidi quoque comedentes et commorantes cum mulieribus, non habentes ad præsens aliquam meditationem aut intentionem malignam ; et hinc ipsi seducti confidentes, et exsistentes absque cura ac vigilantia sui ipsorum, passi sunt repentine exterminium atque interitum, quando putabant pacem esse et in cellis suis quietem et securitatem habere. Porro, quod exterminium et quis interitus spiritualis sit ingenitus et contingens corporaliter ac spiritualiter nobis degentibus solis, singulariter ac solitario modo, expertus novit, inexpertus nosse non indiget. In tempore illo bonum auxilium sunt, saccus et cinis, statio totius noctis in vigiliis, desiderium panis, lingua ardens et adusta, et temperate irrorata, habitatio loculorum, et præ

omnibus humilitas cordis; et si possibile est, Pater aut Frater sollicitus, senex prudentia, in adjutorium. Miror enim si aliquis solus salvare potuerit navem ex pelago. — Iste lapsus ab altero actus, judicium centuplum possidet ex modo quo fit, ex loco, ex profectu, et ex aliis multis.

Super opinionem et super summam castitatis definitionem aliquis mihi narravit : Pulchritudinem quis (ait) intuitus, ex illa magnifice glorificavit factorem ; et motus solo adspectu, fontem lacrimarum effluebat, et in caritatem Dei sursum actus ferebatur : stuporque erat, videre alterius foveam factam alteri occasionem coronæ super naturam. Si iste talis possidet talem operationem et sensum ubique et semper atque in omnibus, ante communem resurrectionem resurrexit, in corruptibili incorruptus. — Eodem canone utemur in melodiis et hymnis ac canticis : nimirum quia amatores Dei habent naturam moveri in hilaritatem et caritatem et excessum, et ad divinum ineffabile gaudium ac lacrimas, ex his quæ extra sunt, et ex laudibus Dei et canticis et verbis spiritualibus ; amatores vero concupiscentiarum et delectationum carnalium patiuntur contrarium.

Cf. p. 240 in fine. Secundum quod prætangentes diximus, quidam in locis solitariis et quietis multo amplius impugnati sunt. Et non est mirum : dæmones enim diligunt inibi habitare, exsulati in desertis et in abyssis a Jesu Christo salutem nostram zelante. Ipsi magistri malignitatis et dæmones fornicationis impugnant crudelius viros in solitudine quiescentes, ut reducant illos ex solitudine ad mundum, quasi ex deserto nihil proficientes. Recedunt a nobis in mundo morantibus, ut quasi non impugnati ibi, demoremur libentius cum mundanis hominibus. Ubi enim impugnamur a dæmonibus, ibi penitus impugnamus dure et crudeliter inimicum ; et ipse non impugnatus a nobis, invenitur amicus noster. — Degentes in mundo secundum aliquam necessitatem, protegimur manu Dei, æque vero ex oratione Patris spiritualis ut plurimum, ne et Dominus noster blasphemetur propter nos. Quandoque vero non sentimus pugnas tentationum ex privatione doloris, et ex eo quod sumus in multa satietate et experientia eorum quæ dicuntur, aguntur et inspiciuntur, vel etiam quia dæmones voluntarie recedunt a nobis, ut relinquant in nobis locum elationis complentem vitia universa.

Alteram audite machinationem et astutiam seductoris istius, et custodite, omnes qui præelegistis exercitare et colere castitatem. Enarravit mihi quidam in experientia doli factus, quoniam dæmon corporum plerumque subtrahit se perfecte in finem, et submittit ac ingerit monacho supersummam religiositatem, reverentiam et honestatem, imo et fontem lacrimarum ad tempus ; tum vero suggerit ei familiariter loqui ac residere cum mulieribus, easque admonere et exhortari de castitatis honestate et continentia, de memoria mortis et æterni judicii, ut propter sermonem et fictam religiositatem miserabiles præoccurrant lupo ut pastori, sicque de cetero consuetudine ac familiaritate contracta, et securitate et confidentia facta, tunc ipse miserrimus lapsum sustineat ac ruinam. Fugientes fugiamus, ut non videamus nec audiamus fructum de quo nunquam gustare ordinati et constituti

sumus. Miror enim si reputamus nos ipsos fortiores David propheta : quod vere impossibile est.

Gloriosa laudatio castitatis est tam alta et magna, quod quidam Patrum ausi sunt ipsam castitatem vocare impassibilitatem. Quidam vero dixerunt impossibile esse aliquem de cetero nominari veraciter castum post gustum peccati. Ego autem hos avertens ac respuens, determino possibile, rectum et leve esse volenti oleastrum in bonam olivam inserere. Si enim claves supernorum sunt creditæ ac traditæ virgini corpore, prædicti docuerunt forsitan justa ; si vero non, confundat eos socrum possidens, et castus factus et ferens claves castitatis et regni.

Multiformis est corporum serpens : intus seminans inexpertis, in experientia tantum fieri et cessare ; expertos vero provocans, rursus ad experientiam ejus ex memoria incitat infelix. Multi priorum non sunt impugnati, ex ignorantia mali ; secundi vero, facti in experientia odii hujus, exinde molestias ac prælia sustinent : verum et contrarium sæpius est.

Quando ex somnis surgimus boni, suaves et pacifici, hoc occulte accipimus ab angelis sanctis, et consolamur ab eis maxime quando post multam orationem vigiliamque dormivimus. Quandoque autem contingit quod a somno surgimus suaves et boni, et patimur hoc a somniis visionibusque malignis. — Vidi impium superexaltatum et elevatum et conturbatum et furentem in me sicut cedros Libani ; et transivi per abstinentiam, humilians cogitationem meam, et non est inventus locus aut vestigium ejus in me.

Quicumque corpus vicit, iste naturam vicit ; naturam vero vincens, factus est super naturam, paulo minus ab angelis minoratus, pene, ut non dicam nihil. Non est mirum, cum immateriali immateriale certare ; vere autem mirabile est, materiale certans cum inimicitia ista et insidiante materia, immateriales inimicos debellare. — Dominus multum bonus, gerens et habens de nobis curam ac providentiam, obstruxit atque repressit feminam erubescentiæ freno : si enim audens illa ad masculum præcurreret, non fuisset salva omnis caro.

Hi qui sunt inter Patres discretiores determinant quod aliud sit insultus aliudque immorantia, aliud quoque consensus et aliud captivatio, et aliud certamen ac aliud quod in anima dicitur passio. Insultum quippe beati Patres illi dicunt esse tenue verbum vel imaginem cujuscumque evenientis in corde importati, noviter apparentis. Immorantiam vero dicunt, cum apparente pariter loqui secundum passionem vel impassibiliter. Porro consensum dicunt nutum et concupiscibilem animæ inclinationem ad factum apparens. Captivationem dicunt vehementem et involuntariam animæ eversionem, aut perseverantem conjunctionem ad contingens, et virtuosæ nostræ constitutionis atque constantiæ exterminativam. Certamen esse determinant virtutem æque fortem ad pugnandum, voluntate autem vincentem aut [illegible] debellationem. Passionem proprie dicunt quod longo tempore in anima nidificat et fructificat, passibiliter et vitiose ducens eam consuetudine quasi habitu ad se ipsum, tanquam spontanee familiariterque currentem ad illud. Horum omnium pr

mum est sine peccato ; secundum vero non omnino ; tertium vero, secundum agonizantis constantiam et consistentiam ; certamen vero causativum est coronarum sive pœnarum ; captivatio autem aliter judicatur in tempore orationis, et aliter in non tempore, et aliter in mediis aliterque in malignis cogitationibus ; passio in omnibus absque dubitatione aut purgatur pœnitentia contra eam æque librata, aut pœnæ supponitur. Igitur qui primum impassibilitatem meditatur, omnia extrema sub uno recidit.

Apud sublimissimos Patrum disciplinatorum est et altera quædam inventa meditatio subtilior his quæ prædixi, quam aliqui dicunt nominari præreptionem, quæ habet naturam significare aliquid patienti passionem, sine tempore, acutius verbo et imagine. Nihil enim invenitur in spiritibus acutius, aut celerius, aut magis inapparens, hac memoratione subtili, quæ est sine mora et tempore, atque impræventa et ignota, manifestans adventum suum in anima. Si quis ergo talem ipsius subtilitatem per luctum comprehendere potuit, iste nos valet docere quomodo est animam vitiose fornicari solo oculo exilique visione, et tactu manus ac melodiæ auditu, absque omni meditatione et intentione.

Quidam dixerunt ex cogitationibus cordis corpus pervenire in passionem fornicationis ; quidam vero dixerunt rursus contrarium, malignas cogitationes gigni ex sensibus corporis. Et priores dixerunt quod nisi mens præcurrat, non utique corpus sequetur. Secundi vero malam operationem corporalis passionis ferunt in propriam allegationem, dicentes quod cogitationes sumunt ingressum in cor plerumque ex speciosa facie, vel tactu manus, aut ex fragrantia suavis odoris, seu auditu delectabilis vocis. De his qui potest, in Domino doceat. Ista enim sunt multum necessaria et utilia ad sciendum exsequentibus vitam activam, et adjuvantia. Exsistentibus
I *Cor.* VIII, 7. namque in simplicitate et rectitudine cordis, de his sermo nullus : non enim omnium est scientia ; neque omnium est beata simplicitas, quæ lorica est contra dolos malignorum. Quædam namque passionum, ex his quæ intus sunt ad corpus proveniunt ; aliquæ vero passiones faciunt ingressum ad animam ex his quæ sunt extra : et apud eos qui sunt in mundo, secundum ; apud eos vero qui vitam monasticam exsequuntur, primum, propter penuriam atque abstinentiam materiarum. Ego autem de hoc illud dico : Quæres prudentiam et intellectum apud malignos, et non invenies.

Quum multa agonizantes contra conjugalem dæmonem luti, cruciantes et resolventes eum ex corde nostro per lapidem jejunii et gladium humilitatis, extra fuerimus persecuti ; tunc jam in corpore quemadmodum vermis quidam insidens, ipse miserabiliter gargarizans, molitur nos inquinare in quosdam motus irrationabiles, importunos atque ineptos. Hoc autem maxime pati solent præbentes auditum dæmoni superbiæ, qui ex eo quod nequaquam meditentur frequenter ulterius in corde fornicarias cogitationes, appropinquaverunt frequenter illi passioni ac vanitati. Et quia dictum hoc sine mendacio est, quando isti suscipiunt aliquam quietem, judicent et scrutentur prudenter se ipsos, et penitus invenient in profundo cordis sui quasi serpentem in stercore absconditum, quamdam cogitationem particulariter supponen-

tem eos direxisse directionem cordialis castitatis ex propria festinantia, promptitudine et sollicitudine : non intelligentes, miseri, verbum quod ait, Quid habes quod I Cor. 4.
non acceperis gratis aut ex Deo, aut ex cooperatione et oratione alterius? Intendant ergo in omni festinantia, et expellant prædictum serpentem de corde suo per nimiam humilitatem, mortificantes carnalem sensualitatem, ut et isti alienati ab ipso, possint æque particulariter exspoliare pelliceas tunicas, et triumphalem castitatis hymnum Domino decantare super victoria, sicut aliquando parvuli casti fecerunt; si tamen spoliati non inveniantur nudi.

Observat et ipse iste dæmon multo amplius aliis temporum vices, et tunc iste immundus spiritus conatur nos maxime impugnare, quando non possumus corporaliter contra eum orare. Annisus qui est in corporali oratione, dico vero extensio manuum, tunsio pectoris, jugis intuitus sursum in cœlum, conturbatio suspiriorum, frequentes genuum flexiones, convenit maxime his qui necdum possident veram cordis orationem. Quæ adminicula non valentibus nobis facere plerumque propter præsentes, tunc dæmones permaxime nos impugnant; et nos non valentes adhuc inimicis istis resistere fortitudine mentis, infusione divina, et invisibili virtute orationis, quasi ex necessitate cedimus eis. Resili quam citius, si est possibile; incognite abscondere modicum. Si hoc potes, sursum adspice oculo spirituali; si vero non potes, saltem exteriori oculo. Crucifige immobiliter manus, ut per crucis figuram confundas et vincas Amalec. Clama ad eum qui salvare te potest, non in humanæ sapientiæ verbis, sed in omnibus prooemians in humilibus elocutionibus : Miserere Psal. 6.
mei, Deus, quoniam infirmus sum. Tunc accenderis virtute Altissimi, et per invisibile adjutorium invisibiliter persequeris invisibiles hostes. Iste qui assuetus est ita pugnare, poterit cito et sola anima persequi inimicos : donum enim secundum largitum est operatoribus a Deo pro primo; et juste fit.

Inventus alicubi in Fratrum collegio, notavi Fratrem sollicitum et festinum a malignis cogitationibus molestatum, qui non invento loco congruo ad orandum, simulavit se ire ad requisita naturæ, quasi victus necessitate ventris; et oraturus intravit latrinas, et concertavit ibidem per vehementem orationem contra impugnatorem suum diabolum. Me vero appetente hunc Fratrem querelis de inconvenientia et ineptitudine loci, ait : In loco immundo oravi a sorde mundari, pro persecutione immundarum cogitationum.

Universi quidem dæmones agonizant obtenebrare nostram mentem intellectualem, ita deinde ipsis amica submittunt : nisi enim mens cæca claudatur, non poterit thesaurus auferri. Fornicationis vero dæmon plus omnibus obtenebrat mentem. Iste obtenebrans plerumque intellectum ducativum, hortatur et præparat hominem facere illa etiam coram hominibus, quæ soli insanientes tantummodo operantur. Unde mente post tempus evigilante et resipiscente, erubescimus non solum videntes, sed et nos ipsos, atque confundimur super impudicis actibus, collocutionibus et moribus nostris, et formidamus, nostram primam cæcitatem expavescendo : nam plerumque quidam ex tali discretione cessaverunt a malo.

Averte expugnatorem impedientem te post actionem peccati orare, aut Deum colere, aut vigilare, memorans dicentis : Quoniam anima mea infert mihi labores et est mihi molesta, a præsumptionibus tyrannizata, vindicabo eam de omnibus inimicis suis.

Quis est qui proprium corpus vicit? Quicumque cor suum contrivit. Quis cor contrivit? Qui se ipsum perfecte negavit. Quomodo enim non est contritus, qui est voluntati propriæ mortuus?

Unus vitiosus est vitiosior alio, et confessionem inquinationum suarum facit in concupiscentia cum vitiosa delectatione.

Turpes et immundæ cogitationes quæ oriuntur in corde, naturam habent fieri ex seductore cordis dæmone fornicationis : quas humilis abstinentia medetur et sanat, facitque eas penitus reputari pro nihilo.

Ego exquirens quali more et modo ligans hunc meum amicum, condemnem eum secundum convenientiam cum reliquis, nescio hoc : nam solvitur antequam ligem eum ; et antequam eum condemnem, reconcilior ei ; et antequam puniam eum, subrecurvor. Quomodo vinciam hunc amicum, quem (ut constat) natura diligit? Quomodo liberabor ab eo, cui colligatus sum in æternum? Quomodo destruam eum, qui mecum mihi resistit? Quomodo ostendam incorruptibile, quod corruptibilem accepit naturam ? Quid rationabile dicam possidenti irrationabilia per naturam? Si hunc amicum per abstinentiam ligavero, iterum illi trador proximum judicando ; et si proximum judicare cessans, vicero hunc, elatus corde, subactus per hanc pompam deorsum ducor. Et cooperator mihi in isto est et impugnator, et adjutor et adversarius, et susceptor et insidiator. Amicus iste curatus et fotus, pugnat ; et domitus et afflictus, fit tabescens et attonitus ; quietatus insolescit, et oppressus et fatigatus non sustinet. Si contristavero, periclitor ; si plagavero, non habeo per quem virtutes possideam. Eumdem averto et amplector.

Quid est hoc? Quid mysterii est circa me? Quæ est ratio meæ complexionis? Quomodo mihi ipsi amicus et inimicus sum constitutus? Dic mihi, tu dic mihi, o meus collega, o mea natura : non enim indigeo ab alio discere de te. Quomodo ex te sine vulnere maneam? Quomodo valeam naturale periculum fugere, quoniam ex hoc Christo taxavi et spopondi non inimicari adversus te? Quomodo vincam tuam tyrannidem, quoniam præelegi esse tuus violentator?

Ipsa vero caro ad animam suam respondens, sic dicere visa est : Non habeo quid tibi dicam quod tu ipsa non noscas, sed quod ambæ simul tenemus cognitione atque scientia. Ego in me ipsa habeo amorem patrem exterioris inflammationis ; habeo quoque generalem genitricem nutricis meæ, ipsam in deliciis requiem et quietem. Occasiones intrinsecæ flammæ et motionis cogitationum oriuntur et pariuntur ex
* concipiens præcapta quiete et actionis exsecutione. Ego concepta* in utero, iniquas pario ruinas ac lapsus ; illi vero geniti, per desperationem generant mortem. Nempe si cognoveris meam et tuam profundam infirmitatem, manus meas ligasti ; si cruciaveris gulam, ligasti pedes meos ut non vadant ad corpus ; si jungaris obedientiæ, disjuncta es a me ; si possideas humilitatem, caput meum abscidisti.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS QUINTIDECIMI.

AUDIVIMUS insaniam, id est insanam et irrationabilem gulam, *nunc,* in capitulo præcedenti, *dicentem ejus esse genitum, ad corpora pugnam,* hoc est, quod impugnatio ad corporalem commixtionem seu fornicatio sit filius ejus. *Et mirum non est : docet enim hoc et antiquus ille noster progenitor Adam. Nisi enim victus fuisset a ventre,* hoc est a gula, *nec conjugem quid erat cognovisset,* hoc est, non habuisset appetitum libidinosum ac carnis pruritum ad Evam, nec cognovisset
Gen. II, 25. per talem effectum, quod ipsa exstitit nu- B da : per originalem enim justitiam præservabatur a tali excessu ante transgressionem divini præcepti.

Igitur primum mandatum servantes, quod est de gula vitanda et sobrietate servanda, *secunda transgressione non corruunt,* hoc est, fornicationem ex gula nascentem non incidunt, *sed manent filii Adam,* id est, eum sequuntur quantum ad integritatem virtutum quam habuit ante transgressionem, *non cognoscentes* per experientiam propriæ culpæ seu concupi- C scentiæ vitiosæ *quid erat Adam,* id est, qualis factus est per peccatum : quamvis hoc sciant per nudam notitiam, qua etiam Adam et Eva ante peccatum suum sciverunt se esse nudos; *sed paulo minus ab angelis sunt minorati :* quia per gratiam magnam et castitatis sinceritatem habent conformitatem grandem cum angelis, ita
Philipp. III, 20. quod dicere possunt, Nostra conversatio in cœlis est. *Et istud* sic factum est, *ut malum* culpæ *in posteros* [illegible] *esset immortale,* sed potius deleretur va- D cando virtutibus quibus Adam fuit ante ruinam suam ornatus, *ut ait* [illegible] *opatus,* id est Gregorius Nazianzenus, qui vocatus est Theologus Gregorius, fuitque tantæ auctoritatis, secundum Hieronymum, quod nullus fuit ausus eum unquam negare.

Castitas est naturæ incorporeæ appropriatio, hoc est proprietas angelorum, quibus competit ex natura. *Castitas est domus amabilis Jesu Christi.* Sicut enim in pace, Ps. LXXV, 3.
ita in castitate factus est locus ejus. In castitate equidem habitat Dominus : omnis Eccli. XXVI, 20.
namque ponderatio non est digna continentis animæ. *Castitas quoque est scutum cordis superterrestre,* id est scutum cœleste, per quod anima avertit et repellit a se tela libidinis, concupiscentias carnis, imo et innumeris resistit peccatis, quibus homo non armatus hoc scuto læditur ac succumbit.

Castitas est abnegatio naturæ humanæ, cui naturale est sibi simile generare, *supernaturalis et supergloriosa.* Dicitur itaque castitas « abnegatio », id est superatio, « naturæ », seu virtus qua negatur naturæ quod ei connaturale est valde. Quæ abnegatio est « supernaturalis », quoniam fit supernaturali adjutorio gratiæ Dei, et castitas ista est virtus infusa; est quoque « supergloriosa », hoc est valde præclara atque supernaturalis beatitudinis meritoria. *Et vere est supermirabilis cohorta-* [illegible] *incorporeos spiritus :* hoc est, castitas est virtus qua corpus nostrum supernaturaliter [illegible] angelicæ puritati quantum possibile est conformemur [illegible] beatitudinis [illegible], in qua non nubent neque nubentur.

[illegible]

cupiscentia, et ignem igne immateriali. « Amorem » namque carnalem « et concupiscentiam » sensualem repercutit et exstinguit « amore » divino « et concupiscentia » spirituali, de qua fertur, Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; itemque, Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Sed « et ignem » libidinis exstinguit « igne » sanctæ dilectionis, aut etiam consideratione ignis gehennæ.

Ps. LXXXIII. 3.
Sap. VI. 21.

Continentia est universalis virtutum omnium cognominatio, id est commune nomen omnis virtutis : omnis etenim virtus est continentia quædam qua vitia ei opposita refrenantur, et virtuosus sub Dei voluntate ac lege se continet seu conservat.

Continens et castus est qui in ipsis somnis nullum sentit motum aut commutationem, id est alterationem, *præexsistentis consistentiæ in se ipso,* hoc est in aliquo actu, cogitatu, affectu aut verbo quæ tempore vigiliæ ante fuerunt in ipso. Hinc in Collationibus Patrum asseritur, quod stimulari aut inquinari in somno, est signum concupiscentiæ nondum ad plenum edomitæ et exstinctæ, castitatisque imperfectæ. *Continens et temperatus est qui possidet semper perfectam insensibilitatem super differentia corporum,* hoc est, qui ad nullum corpus qualitercumque dispositum ab aliisve distinctum, inordinate afficitur sensualiterque movetur.

Cf. t. XXVII. p. 286 B et s.

Iste est canon, id est regula, *perfectæ atque castissimæ castitatis, æque similiter adjacere,* id est se habere et affici, *ad animata et inanimata, rationabilia atque irrationabilia corpora,* quantum ad hoc quod nullum eorum ametur inordinate, sed secundum Deum dumtaxat. Verumtamen corpora humana aliter sunt amanda quam inanimata et irrationabilia corpora, quia ex caritate sunt diligenda, in quantum sunt aliquo modo beatitudinis susceptiva, sicut in libro de Doctrina christiana edocet Augustinus.

Nemo obtinentium castitatem, sibi ipsi A *imputet ejus possessionem,* hoc est, nullus veraciter castus castitatem suam adscribat viribus suis, aut principaliter propriis meritis. *Nimirum quia quod quis vincat suam naturam, non est utique ex contingentibus,* id est, non est de numero fortuitorum effectuum, aut ex naturali potentia evenientium, *aut suscipientium virtus,* id est, non est industria aut potestas eorum qui castitatem hanc sortiuntur. *Ubi facta est naturæ victoria,* hoc est, ubi passiones et concupiscentiæ voluntasque propria virtutibus sunt subjectæ, *ibi cognoscitur adventus ejus qui supernaturalis est,* id est, gratiosa visitatio Spiritus Sancti, qui omnem naturam excedit, agnoscitur advenisse in homine taliter reformato. *Nam absque omni contradictione, quod minus est, a majore benedicitur,* secundum Apostolum ad Hebræos : sic enim et homo, qui est inferior Deo, benedicitur, reformatur et sanctificatur ab eo.

Hebr. VII. 7.

Principium castitatis, non consentiens cogitatio, hoc est, primus castitatis gradus est non consentire suggestioni aut tentationi carnali, *et præter idolum ex temporibus respersio,* id est pollutio nocturna in somno facta per temporum intervalla absque imagine concupiscibilium rerum; *medium,* id est secundus gradus, *castitatis* sunt *motus exsistentes ex multitudine alimentorum absque speciebus rerum,* videlicet sine prævia inspectione, imaginatione aut cogitatione objectorum, *qui* motus *sunt liberi a respersione colluvionis,* hoc est immunes a seminis effusione quacumque; *finis vero,* id est perfectio et tertius gradus castitatis, est *mortificatio corporis* a carnalibus motibus, *præmortuis cogitationibus,* hoc est cogitationibus primo mortificatis ab illicitis affectibus ac ceteris culpis quæ cogitationibus solent misceri.

Beatus vere est qui possidet insensibilitatem perfectam, id est plenam a carnali affectu ac motu immunitatem ac puritatem, *in specie omnis substantiæ, colore, pulchritudine, et temporum vicissitudine,* id est, quidquid adspexerit, cujuscumque

coloris sive decoris sit, et quocumque tempore istud contigerit.

Non qui lutum absque sorde custodit castus est, id est, is qui corpus suum ab inquinamento exteriori præservat dumtaxat, castus non reputatur, *sed qui membra corporis perfecte supponit ac subjicit animæ,* id est rectæ rationis judicio, juxta
Rom. VI, 19. illud Apostoli : Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Talis namque inordinatos concupiscentiæ motus exstirpat.

Magnus quippe est qui in tactu impassibilis permanet, hoc est, ex contactu seu palpatione carnis non stimulatur nec prave afficitur. *Major vero est qui manet impercussus in adspectu,* id est, ex inspectione carnalis objecti non læditur, *et invictus vincit* motus inordinatos *adspectu ignis,* id est consideratione infernalis incendii, *atque intenta meditatione pulchritudinis supernorum,* hoc est diligenti contemplatione et amore speciositatis regni cœlestis ac civium ejus, præsertim supergloriosissimi et superpulcherrimi Dei, juxta quod
Ps. XXV, 8. scriptum est : Domine, dilexi decorem do-
Ps. XLI, 2. mus tuæ ; et, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Qui oratione canem expellit, id est, carnalia desideria abjicit orando, *comparatur certanti cum leone* : quemadmodum enim prælians contra leonem vehementer laborat, ita qui virtute assiduæ orationis carnem restringit, grandem habet interiorem conatum. *Qui vero hunc contradictionibus retrovertit,* hoc est, qui est tantæ castimoniæ ac virtutis, ut solo dissensu ac reprobatione cogitationis et affectionis illicitæ rejiciat suggestiones et motus carnales, comparatur *persequenti adversarium suum :* nam sicut persequens talis est hoste suo valde robustior, ita et iste virtute castimoniæ suæ dominatur ac prævalet motioni ac concupiscentiæ carnis. *Qui autem ex toto sprevit hujus insultum,* hoc est, motum et suggestionem carnis tam plenarie despicit quod eis nullum locum, immorantiam aut advertentiam præbet, sed protinus se avertit ab eis, ad salutaria se convertens, *quamvis in carne degat, attamen ex loculo resurrexit,* hoc est, de sepulcro et fovea carnalitatis consurrexit cum Christo, estque unus eorum quibus loquitur Paulus : Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.

Si (pro Quia) *istud est veræ castitatis argumentum,* id est perfectæ castimoniæ signum, *immobilem esse in phantasmatibus somniorum,* hoc est nequaquam alterari aut inquinari in somno ex imaginationibus occurrentium specierum, eo quod tantus sit castimoniæ vigor et efficacia, ut in somno quoque operetur ac reprimat sensualitatem ; *ista est penitus terminatio,* id est consummatio et summa corruptio, *luxuriæ, vigilantem sustinere fluxum in cogitationibus,* hoc est ex sola apprehensione libidinosa carnalis objecti.

Qui cum sudoribus et laboribus pugnat cum adversario isto, id est, cum exterioribus et fatigationibus conatur carnem domare, *comparatur effuganti inimicum suum cum brulla* :* talis enim magis laborat, et tamen proficit minus. *Qui vero cum abstinentia et vigiliis* contra proprium corpus pugnat, *comparatur ei qui aggreditur inimicum cum clava :* nam sicut cum clava adversarius graviter vulneratur ac debilitatur, ita per abstinentias et vigilias sacras caro non mediocriter refrenatur, quemadmodum scriptum est, Vigilia honestatis tabefacit corpus. *Qui vero per humilitatem et [illegible]* et est mansuetudinem plenam, *et sitim* corporalem, aut spiritualem, quæ est desiderium fervens ad bona, dimicat contra corpus suum et concupiscentias passionesque sensuales, [illegible] *in sabulo :* passiones namque et vitia carnis per humilitatem, mansuetudinem prælatentque [illegible] prorsus vacuantur [illegible] *pascua vitiorum* directe, *sed est terra et* [illegible] est terra et cinis, comparatur

humilitas, quærendo jugiter infimum locum, et eum cui inest, facit recognoscere quod sit terra cujusque.

Alius est qui tyrannum, id est impetuosum passionis seu vitii motum, *tenet ligatum,* hoc est ab effectu vitioso refrenatum et rationi subjectum, *ex agonibus,* id est per exercitia laboriosa; *alius* est *qui* tenet eum ligatum *ex humilitate :* iste enim est perfectior præcedente; *alius* quoque *qui* tenet illum ligatum *ex revelatione divina,* hoc est ex vigore illuminationis sibi desuper factæ, et ex consolatione atque sapore interno Spiritus Sancti; sive « ex revelatione divina », id est præveniente ac gratiosissima subventione Altissimi. *Et primus* horum trium *comparatur lucifero,* qui est stella præsplendida, *secundus* comparatur *magnæ,* id est plenæ, *lunæ, tertius autem soli fulgenti :* nam tertius iste plus habet de luce gratiæ et splendore virtutum quam alii duo; secundus quoque plus habet quam primus. *Utrique autem,* id est omnes hi tres, præsertim secundus et tertius, *conversationem habent in cœlis. Nempe ex splendore auroræ lux, ex luce vero ortus est sol,* hoc est, post splendorem auroræ fulget clarior lux diei, post quam incipit sol videri, et lux meridiana clarissima micat. *Ita et super præfatis est intelligere ac invenire,* id est, conformiter intelligendum est quod nunc dictum est de his tribus, quantum ad gradum ac ordinem gratiæ et virtutum in eis : a primo etenim gradu, quo tyrannus tenetur ligatus ex agonibus seu laboribus, pertingitur ad secundum, et a secundo ad tertium.

Simulat vulpes somnum, dæmon vero et corpus simulant castitatem : hoc est, vulpis se fingit dormire, diabolus quoque suggerit homini ut arbitretur se castum, imo et cessat quandoque hominem impugnare de stimulo carnis, ut homo existimet se stimulum istum vicisse; corpus vero quando ad tempus non stimulatur neque in somno polluitur, materialiter istud suadet ac simulat. *Sed illa,* utpote

A vulpis, simulat somnum *ut aves seducat.* Aves quippe vulpem mortuam esse aut dormire putantes, super eam descendunt, ac capiuntur ac devorantur a vulpe. *Isti vero ut animam perdant,* id est, dæmon et corpus simulant castitatem ut animam trahant ad falsam æstimationem præfatam, atque ad periculosam securitatem.

Ne credas luto carnis, id est carni tuæ lutosæ, immundæ, *in omni vita tua, et non confidas in ea,* quod scilicet habeat castitatem plenariam, nec amplius contra
B spiritum concupiscere queat, *donec obviaveris Christo Jesu :* quod erit in die judicii tui, quo ex divina sententia scies certissime qualis fuisti. *Noli confidere ex abstinentia tua cadere te non posse : nihil enim quis edens,* hoc est diabolus nunquam manducans, *e cœlo projectus est,* et ita corruit elatione ac loco.

Quidam scientes, id est eruditi, *bene definientes abrenuntiationem, dicunt eam esse inimicitiam ad corpus, et pugnam ad ventrem.* Abrenuntiatio namque requirit
C ut homo in exercitiis pœnitentiæ observantiisque regularibus corpus suum affligat assidue, et concupiscentiis ventris acriter prælietur : sicque abrenuntiatio inimica est desideriis carnis. *Et quidem in introducendis, qui sunt corporis lapsus, ut plurimum ex deliciis naturaliter fieri habent,* hoc est, lapsus seu vitia carnis quæ contingunt in incipientibus, communiter oriuntur et naturaliter fieri solent ex refectionibus delicatis, vel ex deliciarum amore impuro, quo cupiunt delecta-
D bilia carni. *In mediis vero, ex alte sapere seu elatione,* hoc est, in proficientibus oriuntur ex spirituali superbia, qua sublimiter ac fallaciter sentiunt de se ipsis : cujus demerito relinquuntur a Deo, ita ut corruant in aperta ac fœda peccata, sicque propriam infirmitatem et vitiositatem agnoscant; *sed et hoc similiter in introducendis,* id est, incipientes quoque ex tali elatione aliquando corruunt ad peccata carnalia. *In his autem qui propinquaverunt perfectioni contingunt hujusmodi*

lapsus ex eo termino, id est, quia devenerunt ad hoc, *quod proximum judicent* temerarie et injuste.

Quidam beatificaverunt naturaliter eunuchos natos, tanquam redemptos a tyrannide corporis, id est stimulo carnis. *At ego beatificari quotidianos eunuchos,* eos videlicet qui quotidie concupiscentiam et pruritum carnis impugnant, abscindunt et vincunt; *qui tales habent,* hoc est, quibus incumbit, *cogitatione tanquam gladio recidere sibi ipsis extremam naturam,* id est genitalia, quæ sunt quasi totius corporis cauda, secundum Albertum. Quæ debent sibi spiritualiter amputare per bonas cogitationes, meditationes, orationes, exstirpando cogitationes immundas, affectus lascivos, et usum membrorum illorum illicitum, ut sint de quibus in Evangelio legitur : Sunt eunuchi qui castraverunt se ipsos propter regnum Dei. (Matth. XIX, 12.)

Vidi quosdam non voluntarie cadentes. Non voluntarie cadere perhibentur qui ex ignorantia aut passionis seu concupiscentiæ vehementia peccant. In quibus tamen est aliquid de voluntario mixtum : alioqui non peccarent, quum omne peccatum sit aliquo modo voluntarium. *Et vidi quosdam volentes cadere voluntarie, sed nequeuntes.* Tales sunt qui cupiunt se ulcisci aut fornicari, sed nequeunt opere adimplere ex defectu potentiæ seu materiæ. *Quos dixi miserabiliores cadentibus quotidie,* hoc est pejores his qui peccant omni die non voluntarie : primo, quoniam gravior est culpa ipsorum et inexcusabiliores exsistunt, quoniam ex deliberatione ac certa scientia optant peccare, et talis voluntas reputatur pro opere; secundo, quoniam absque opere ac reali delectatione incidunt in reatum et pœnam operis ac pravæ delectationis. *Tanquam qui a dissuavitate fœtoris non poterant compesci,* id est, a mala suavitate actus obsceni non volebant nec facili conatu valebant se refrenare. Vel si legatur, ut aliqui textus habent, *tanquam qui a dissuavitate fœtoris non poterant concupisci,* sensus est, quod ipsi non valebant, imo potius non volebant, concupiscere dissuavitatem fœtoris, id est amaritudinem fœtori vitiorum contrariam, utpote acerbitatem contritionis, pœnitentiæ quoque rigorem.

Miserabilis est qui cadit : peccando enim fit miser, et condolendum est ei, quum lædat se ipsum; *sed miserabilior est,* id est infelicior atque deterior, *qui hoc alteri conciliat,* id est, alium ad peccandum inducit, *quoniam sustinet pondus lapsuum et criminum duorum, et delectationis et concupiscentiæ alterius,* hoc est, tam proprium quam alterius peccatum ei imputatur.

Ne velis verborum justificationibus et contradictionibus repercutere et retrovertere dæmonem fornicationis, hoc est, noli putare quod spiritum fornicationis vincere et rejicere possis contra ipsum argumentando, eumque verbis solummodo reprobando, *eo quod ille rationabilia possideat,* hoc est, motiva et argumenta quæ rationabilia esse videntur habeat ac proponat, *sicut naturaliter nos impugnans,* id est, tanquam nos tentans de his ad quæ naturaliter proni sumus : idcirco ex tali argumentatione et ex justificatione tuæ partis, concupiscentia magis accenderetur considerando venerea, et naturam, proprietatem ac voluptatem eorum. Melius ergo vincitur spiritus fornicationis per hoc quod homo omnino avertit se a suggestione, consideratione ac memoria venereorum, et convertit se ad considerationem eorum quæ compunctionem timoremque pariunt.

Qui suam carnem vult expugnare et vincere ex se ipso, id est propriis viribus, [illegible] *dissolverit et destruxerit domum carnis,* [1] id est carnalium desideriorum congeriem et machinam actuum malignorum. [illegible], hoc est virtutum structuram in mente. [illegible] *jejunat qui vult dissolvere* domum vitiorum propria potestate [illegible]

tuæ, recognoscendo totaliter impotentiam propriam et donum castitatis insensibiliter esse a Deo, juxta quod scriptum est : Sap. VIII, 21. Nemo potest esse continens nisi Deus det.

Est in libidinosis sensus cujusdam concupiscentiæ corporum, hoc est sensibilis perceptio concupiscentiæ sensualis et pruritus carnalis, *quemadmodum mihi narravit quidam ipsorum in experientia factus, post evigilantiam sobriam,* hoc est, quidam qui fuit hujus rei veritatem in se ipso expertus, qui postquam ab illa passione ac tentatione perductus est ad mentis sobrietatem evigilantiamque prudentem, retulit mihi hæc; *et spiritus non erubescens,* videlicet dæmon fornicationis, *irreverens,* id est Deum inhonorans, cujus templum incendit, animam fidelem male inflammans, *crudelis et inhumanus, insidens sensui cordis,* id est interiori cogitationi seu perceptioni immundæ ac lubricæ, *irreverenter, qui præparat illum qui impugnatur etiam sentire dolorem corporei cordis in similitudinem fornacis ignis,* hoc est, dæmon iste conatur eum quem tentat tanto ardore libidinis inflammare, ut sensibiliter affligatur hac concupiscentiæ flamma, quasi ab igne fornacis ardentis. Porro cor quandoque accipitur pro intellectiva parte animæ, utpote pro intellectu aut voluntate : et hoc est incorporeum. Interdum vero accipitur pro certa corporis parte quæ est fons caloris et vitæ sensibilis : de quo ait Philosophus, quod sit primum vivens in animali, et ultimum moriens. Quod utique præ amoris carnalis et concupiscentiæ ac ardoris magnitudine graviter in libidinosis quibusdam torquetur. *Nempe Deum non timet* qui tam vehementissime est accensus libidine, *memoriam pœnæ æternæ quasi nihil contemnit, orationem abominatur, ossa mortuorum quasi lapides inanimatos intuetur,* ita quod eorum adspectu nequaquam compungitur, in tantum ratio absorbetur vehementia passionum et importunitate tentationum, *etiam in ipsa actione* carnali *fere consummata,* hoc est quasi ad opus perducta.

Facit amentem hunc patientem et excedentem, id est hominem passione quasi devictum, qui impugnationem hanc sustinet, et præ ea quasi a se ipso alienatur atque excedit : « hunc », inquam, diabolus « facit » *esse inebriatum indesinenti concupiscentia rationalis et irrationalis substantiæ,* hoc est animæ et corporis. Sic enim tentavit diabolus etiam quosdam innocentes ac Sanctos, et beatissimum patrem Benedictum in adolescentia sua, ita quod pene decrevit relinquere eremum. Potest enim diabolus, quando permittitur, sanguinem excitare, lumbos et latera inflammare, suggestiones et imaginationes fœdas proponere et augere. *Cujus dies nisi fuissent breviati, non fieret salva omnis caro,* hoc est, nisi Deus talem tentationem cito relevaret ac tolleret, qui sustinent eam deficerent, *luto isto complexionata,* id est, eo quod caro nostra complexionata sit ac vestita, *ex sanguine et sordido limo. Nec mirum, quoniam omne quod factum est, insatiabiliter,* id est jugiter ex sua natura, *concupiscit* actu vel potentia *suam cognationem,* id est simile sibi in natura, utpote, *sanguis sanguinem, vermis vermem, limus limum; ergo et caro carnem,* quemadmodum scriptum est : Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum suum; omnis caro ad sibi similem conjungetur, et omnis homo simili sibi sociabitur. *Licet nos qui sumus violentatores naturæ,* id est propriæ sensualitatis victores quodammodo violenti, *et concupitores regni cœlestis,* quod vim patitur atque a violentis diripitur, *experiamur seductorem,* puta diabolum, *seducere aliquos quibusdam circumventionibus et astutiis.* Quos enim seducere nequit per evidentia mala, conatur dejicere per apparentia bona; et per talia, quæ sub specie boni proponit, multos evertit.

Matth. XXIV, 22. Eccli. XIII, 19, 20. Matth. XI, 12.

Non experti pugnam præfatam beati sunt quantum ad hoc, et ceteris paribus, beatiores quam experti eamdem. *Nos quoque oremus redimi plene a tali experientia ejus,* videlicet ab experientia propriæ

dejectionis et ruinæ per ipsam : attamen A eam experiri sine consensu non est ita horrendum. *Qui enim lubricaverunt ruentes in foveam præfatam,* hoc est in consensum aut opus prædictæ tentationis carnalis ardentissime et quasi totaliter prædominantis, *longe remoti sunt et prolapsi ab ascendentibus et descendentibus in scala virtutum,* in qua per actus virtutum theologicarum ascenditur ad Dei intuitum ac amorem, atque per actus caritatis fraternæ et pietatis ac obedientiæ, ad proximorum subventionem descendi- B tur. *Porro ad resurgendum de fovea illa, indigent sudoribus, doloribus, afflictionibus, fame, et penuria supersumma,* id est maxima paupertate, saltem per aversionem mentis a rebus carnalibus ac terrenis, ne si rursus se delicate nutriverint, tententur ut prius. Verumtamen Deus interdum misericordissime prævenit et compungit ac relevat tales a fovea tantæ ruinæ.

Intendamus qualiter in inimicis nostris intellectualibus, puta dæmonibus, *unus-* C *quisque eorum ordiatur,* id est incipiat, *exsequi contra nos aliquam propriam commissionem,* id est impugnationem per quam ipse specialiter tentat, *quemadmodum fit in sensibili prælio, in ipsa acie et bello,* in quo unusquisque visibilium hostium conatur lædere adversarium propriis armis specialive modo juxta artem sive industriam suam. Unde quilibet dæmonum juxta suam malevolentiam, versutiam, commissionem aut deputationem sibi factam a principe suo, impugnat et lædere nos D molitur, et diversi de diversis vitiis tentant : nam et ordo quidam in dæmonibus mansit.

Quod mirum est, [illegible], hoc est, diligentissime intuens, *notari in tentatis et vidi casus casibus graviores,* ita quod de vitiis minoribus ad enormiora dilapsi sunt, quia de prioribus vitiis statim non pœnituerunt. *Qui habet mentem audiendi, audiat,* id est, sapienter ista advertat, et ad suam instructionem ea convertat.

Dæmon solitus est commovere et exercere omnem impetum suum, festinantiam, industriam, versutiam, circumvenientiam et conspirationem, maxime et agonizantibus, id est virtuose contra peccata pugnantibus, *et monasticam vitam exsequentibus; magis vero sollicitus est commovere in eis plures motus in his quæ sunt præter naturam, et non in his quæ sunt secundum naturam,* hoc est in vitiis innaturalibus ac ignominiosis, *et parat,* id est, disponit ac nititur, *ipsos hinc,* hoc est de vitiis istis innaturalibus, *amplius impugnare. Unde et quidam plerumque degentes cum femina, ex hoc non impugnantur concupiscentia* vitiosa, *nec inducuntur in cogitationum tentationem,* ita quod nec turpiter de femina cogitant. *Qua ex re ipsi miserabiles beatificaverunt se ipsos,* se extollendo atque de suis quasi viribus inaniter gloriando, *ignorantes quia ubi major interitus,* utpote ruina in peccata præter naturam, *ibi non opus minori custodia,* id est, necesse non est ut homo talibus gravioribus vitiis implicatus, custodiat se a minoribus culpis quæ sunt secundum naturam, quia de illis diabolus eum non tentat, ut in majoribus eum detineat captum.

Puto quod istis duabus de causis homicidæ et facinorosi, hoc est indurati diaboli animarum interfectores, *consueverunt impugnare et debellare nos miserandos, in his quæ sunt contra naturam.* Primo, quia ubique inveniunt materiam talis facinoris : ideo subditur, *sicut invenire valentes ubique materiam talis lapsus,* qui exercetur in propriam alienamque carnem. Secundo, quoniam vitia illa sunt graviora : idcirco subjungitur, *et sicut qui suscepturi [illegible].*

[illegible], per experientiam propriam casus, *[illegible].* Hic breviter tangitur quod in quinto libro Vitaspatrum plenius recitatur, de quodam juvene monacho tam vir-

tuoso quod ad ejus imperium onagri veniebant et Fratribus ministrabant. Quod quum beatissimus pater Antonius audisset, locutus est : Videtur mihi monachus iste similis esse navi omni bono onustæ, de qua incertum est ad quem finem deveniet. Nam et monachus ille post modicum tempus in grave corruit crimen, et sicut hic insinuari videtur, in vitium contra naturam. Itaque monachus iste primo adduxit onagros, præcipiendo eis ut venirent, deinde eos convertit, id est, præcipiendo abire fecit. *Et cœlesti pane nutritus, ultimo est privatus hoc bono.* Certum est autem quod monachus ille tempore suæ perfectionis reficiebatur spiritualiter pane cœlesti, an vero etiam corporaliter, latet me : non enim de ipso hoc legitur libro præallegato.

Hoc quoque mirabilius est, quia magister noster Antonius amare dolens de lapsu monachi memorati, *dixit post pœnitentiam ejus : Magna columna Ecclesiæ cecidit.* Quum enim quidam Fratres ad gloriosum patrem nostrum Antonium transeuntes vidissent monachum jam præfatum super mattam suam sedentem, et peccatum suum graviter deplorantem, dixit ad Fratres illos : Dicite seni (puta Antonio) ut oret pro me, quatenus decem dies concedantur mihi ad pœnitendum. Quibus auditis, luxit sanctus pater Antonius, extrahens proprios crines, et præinducta proferens verba. Porro monachus ille post quinque dies defunctus est. *Abscondit vero maneriem sapiens,* hoc est, abbas Antonius omni sapientia decoratus, non expressit modum aut speciem peccati monachi ante dicti. *Noverat namque* sanctus, innocens virgineusque Antonius, *fornicationem esse corporaliter, et præter corpus alterius,* hoc est contra naturam et secundum naturam aliquando fieri.

Est quædam in nobis mors et perditio lapsus, nobiscum et in nobis semper simul circumlata, et maxime in juventute : quam ego scripto tradere non præsumpsi. Continuit enim manum meam a descriptione et nominatione vitii hujus, *qui dixit,* vi-

A delicet Paulus apostolus : *Quæ enim in occulto fiunt a quibusdam, turpe est dicere et audire.* Ephes. v, 12. Si ergo auctor scelus non exprimit propter verbum Apostoli, nec ego illud exprimere debeo. Verumtamen verba textus istius sunt sane intelligenda. Non enim vult dicere, quod mors seu perditio hujus ruinæ insit actualiter atque realiter omnibus nobis ; sed asserit ista in persona eorum quibus inhæret, et qui eam semper circumferunt secum, præsertim in juventute. Vel omnibus inest quodammodo ra-
B dicaliter, ex fomitis corruptione.

Meam quidem carnem istam et non meam, et inimicitiam carnis amatricem, hoc est, carnem mortalem, quæ est nostra in quantum est substantialis pars hominis et materia corpusque animæ, et quæ etiam non est nostra in quantum contra spiritum concupiscit et animæ contrariatur, Galat. v, 17. « et inimicitiam carnis amatricem », id est concupiscentiam sensualem ac pravam, quæ inimica est animæ, et appetit carni uniri : hanc, inquam, carnem et ini-
C micitiam, *Paulus vocavit mortem, dicendo : Quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Rom. vii, 24. *Alter vero theologus,* utpote Gregorius Nazianzenus, *hanc carnem appellavit libidinosam et servam,* id est sub Ibid. 14. peccato venundatam et vitiorum servituti subactam, *et nocturnam,* hoc est variis concupiscentiis ac fœditatibus obscuratam. *Cujus vero gratia,* id est ex qua causa, *usi sunt* Paulus apostolus Gregoriusque præfatus *talibus appellationibus ad ipsam carnem* significandam, *discere sitiebam,* et
D modo id tactum est.

Si caro est mors, quemadmodum dictum est eam esse mortem animæ, quoniam multipliciter inficit eam ac sæpius perimit eam, *qui vincit eamdem* carnem, *penitus non morietur* morte peccati, dicente Apostolo : Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ibid. viii, 13. *Et quis utique est homo qui vivet, et non videbit mortem inquinationis carnis suæ,* Ps. lxxxviii, 49. id est, qui propriæ carnis concupiscentias et stimulos interdum expertus non est ?

Quærendum est, obsecro, quis est major, moriens et resurgens, vel omnino non moriens. Si hæc quæstio intelligatur de morte corporali et resurrectione hujusmodi, sic est aliquis qui obiit et resurrexit, et major est angelo quocumque, qui ex sua natura est immortalis; sicque auctor intelligit quæstionem propositam. Nam subditur : *Et aliquis quidem secundum beatificans, est fraudatus,* hoc est, quidam affirmans eum qui omnino non moritur, esse majorem moriente ac resurgente, deceptus est; *Christus enim moriens resurrexit.* Verumtamen loquendo de morte spirituali, videlicet de peccato, ille qui nunquam mortuus est, utpote innocens, major est, loquendo in generali ac ceteris paribus, eo qui mortuus est peccando et per pœnitentiam resurrexit. *Hic vero primum apud morientes, magis vero apud cadentes, nullam desperationem voluit esse.* Forsan hoc dicit de Origene, qui dixit de nullo moriente aut cadente seu in damnatione manente, esse desperandum, qualitercumque moreretur, quoniam pœnas inferni dixit finire.

Immanis inimicus, fornicationis præfectus, hoc est præfatus assertor, qui est enormis adversarius fidei rectæ, et princeps hæreticæ pravitatis, quæ est fornicatio spiritualis, *Deum dicit benignum et conferentem indulgentiam multam huic passioni* innaturali et ignominiosæ, *sicut et naturali,* ita quod etiam post vitam pœna ejus finitur in inferis, quum tamen Apostolus dicat : Neque molles, neque fornicarii, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. Vel « conferentem indulgentiam huic passioni sicut naturali », id est tanquam naturali, seu quia naturalis est, loquendo de fornicatione quæ est secundum naturam.

I Cor. vi, 9, 10.

Dolos dæmonum observemus, et post peccatum jam consummatum [illegible] *dicentes, Deum esse incompassivum et judicem justum,* ut tali suggestione ad desperationem nos pertrahant. *Ibi quidem,* id est, antequam peccaremus, *hoc supponebant,* id est, Deum esse justum, inflexibilem, incompassivum subticuerunt, imo eum esse piissimum suggesserunt, *ut exhortarentur nos ad peccandum; nunc autem e contra,* id est, postquam peccavimus suadent oppositum, utpote Deum esse incompassivum, inflexibilem, justum, *ut ad desperationem nos inducant et submergant* in profundum inferni.

Nempe tristitia sæculari inordinata *et desperatione contra nos insurgente,* id est prædominante, ita quod eis consentimus, *non possumus nos ipsos miseros dicere aut vituperare, aut super lapsu sumere ultionem de nobis,* hoc est, non valemus nos ipsos humiliter accusare aut pœnitentialiter dijudicare, nec propria peccata vindicare in nobis ex zelo justitiæ per pœnitentiæ opera; *eadem vero exstincta,* id est desperatione victa et ablata, *tyrannus benignitatis ei succedens iterum recipit nos,* hoc est, dæmon qui immoderate fallaciterque suadet Deum esse benignum, rursus invadit nos, ut tali suasione faciat nos pœnitentiam veram differre, atque ad peccandum esse audaces, contra id quod scriptum est : Non adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas, Miseratio Domini magna est. Eccli. v, 6.

In quantum Deus est incorruptibilis et incorporeus, in tantum exsultat et epulatur de castitate et incorruptibilitate corporis nostri. Quidam dixerunt, dæmones in nullo alio ita gaudere sicut in tali fœtore et prava suavitate luxuriæ : ergo neque in alio vitio ita lætantur sicut in corporis inquinamento. Quod potissime verum est de spiritibus fornicationis, et propter diversa mala fornicationi annexa et eam concomitantia. Verumtamen quum dæmones sint spirituales et incorporales substantiæ, non delectantur in ipsa luxuria secundum se, quemadmodum nec in comedendo sive bibendo, sed in quantum luxuria est immunditia quædam et Dei offensio, et spiritualium operum inducens fastidium.

[illegible]

secundum quod hominibus possibile est, id A est, castitas perfecta est virtus præclara per quam homines Deo assimilantur et consignantur, carendo omni motu et actu libidinis instar Dei et angelorum, quantum humanæ naturæ exstat possibile in hac vita.

Mater dulcedinis est terra et ros, quoniam fructus dulces nascuntur ex terra, rore cooperante; *mater vero castitatis est quies solitaria cum obedientia.* Conversatio etenim solitaria caret objectis variisque incitamentis et occasionibus turpitudinis B carnalis : sicque ad castitatem disponit et confert, præcipue quando conversatio ista fit secundum Patrum decreta.

Impassibilitas, id est castimonia corporis, *quæ ex solitaria quiete directa est,* id est exercita seu adepta, *mundo propinquans, plerumque non mansit inconcussa,* id est, frequenter periclitata est et amissa inter homines, propter inexperientiam et incircumspectionem eorum qui eam habebant, qui pericula suæ castitatis non satis præintendebant. *Castitas autem* C *quæ ex obedientia venit, ubique probata atque immobilis est.* Castitas de qua nunc sermo, est virtus infusa; sed ex humilitate seu obedientia generari ac descendere dicitur, in quantum solitudo et obedientia ad eam disponunt et ejus incrementum ac roborationem merentur. Porro castitas ex obedientia nascens, « ubique probata atque immobilis » asseritur, quoniam qui sub obedientia vivunt, a spirituali Patre de omnibus plenius informantur, et de periculis castitatis vitandis præavisantur. In- D terdum tamen et talium castitas mota est et amissa : ideo non præsumant. Dicitur ergo « immobilis », quoniam difficulter aufertur.

Vidi superbiam humilitatis conciliatricem, id est procuratricem. Quidam enim, Deo illuminante, propriam superbiam advertentes ac abhorrentes, tanto profundius se ipsos humiliant quanto superbiores fu- *I Tim.* i, 13. erunt : qualis fuit et Paulus, qui ante suam conversionem erat contumeliosus, postmodum vero humillimus est effectus. *Et memoratus sum dicentis : Quis cogno-* I *Cor.* ii, 16. *vit sensum Domini?* Ex tali etenim mutatione dexteræ Dei, constat quam incom- *Rom.* xi, 33. prehensibilia sint judicia Omnipotentis, qui interdum permittit cadere suos electos in aliqua gravia crimina, ut postea humiliores et cautiores consistant : imo et ubi *Ibid.* v, 20. abundavit iniquitas, superabundare gratiam facit.

Lapsus tumoris est latus et paratus, hoc est, ruina seu culpa superbiæ undique se extendit et regnat in multis, ac evidens est, homines quoque sunt proni ad eam; *lapsus vero fit sæpe humilitatis occasio in volentibus* lapsum suum pensare ac pœnitere, sicut jam dictum est. *Cf.* p. 150 D et s.

Qui cum gula et satietate vult fornicationis spiritum vincere, similis est volenti exstinguere incendium cum oleo. Hoc quoque superius habitum est atque exposi- p. 234 B. tum. *Qui probat facere cessare prælium istud,* hoc est, qui conatur tentationem concupiscentiæ carnalis convincere, *cum abstinentia sola, similis est ei qui cum una manu natat, et a pelago liberari contendit :* nam sicut talis cito submergitur, sic et ille nil proficit. *Conjunge abstinentiæ humilitatem : præter secundam enim et prior inutilis invenitur,* hoc est, præter humilitatem abstinentia nihil meretur, imo elationem parit et gloriam vanam. Oportet ergo humiliare se ipsum, et in solo Deo confidere, ac recognoscere quod propria exercitatio nequaquam sufficiens sit ad prævalendum tentationibus, passionibus et peccatis.

Qui viderit se ipsum ab aliquo vitio circumventum, id est repente seductum aut fraudulenter devictum, *ante omnia muniat se contra illud,* ut non solvatur ab illo : hoc est, de vitio illo confestim pœniteat, et in virtute peccato illi contraria se condigne firmiterque exerceat; *et maxime contra domesticum inimicum* se muniat, utpote contra propriam carnem et concupiscentias ejus : contra quem nos munire debemus sobrietate, castitate, dis-

cretione ac fortitudine, imo et devotionis A fervore. *Isto namque non destructo et everso,* id est non victo nec rationi subjecto, *nihil proficiemus ex victoria reliquorum* Jacob. ii, 10. *hostium* animæ nostræ. Qui enim in uno offendit, fit omnium reus. Et qui ab uno adversario superatur, sic victus est et sic perit, sicut qui superatur a multis. *Et nos ergo percutientes Ægyptium istum,* videlicet domesticum hostem vincentes, sicut Exod. ii, 12; iii, 2. Moyses trucidavit Ægyptium, *omnino videbimus Dominum in rubo humilitatis,* hoc est, merito fervidæ humilitatis, quæ B rubo comparatur, contemplabimur Deum. Rubus quippe non crescit in altum, nec humilitas se extollit.

Ego quoque tentatus sensi hunc lupum, puta domesticum hostem fornicationisque spiritum, *qui seductorie faciebat animæ irrationabile gaudium et consolationem et lacrimas, et pueriliter videbatur mihi retinere fructum, et non corruptionem.* Istud contingit quando quis, procurante hoste antiquo aut alia causa, non sentit impugnationem nec inquinationem ex car- C ne, atque ex hoc putat se corpus suum plenarie subjugasse : sicque irrationabiliter gaudet se aliquid esse, et consolationem inanem sortitur, ex qua blandiens sibi, movetur ad lacrimas, et pueriliter sibi apparet quod fructum possideat ex corporis subjugatione.

I Cor. vi, 18. *Si* (pro Quia) *omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat,* ut ait Apostolus, *quod propterea dicitur, quoniam naturale est nobis inqui-* D *nare ipsam carnis substantiam fluxu* seminis, *quod in alio peccato fieri impossibile exstat; quæro ego qualiter homines in omni peccato consuevimus appellare ac dicere peccantes et offendentes, quando vero audimus aliquem fuisse fornicantem, dolentes de ejus peccato et lamentantes dicimus, Cecidit talis.* Hanc quæstionem auctor non solvit, cur scilicet eos qui in aliis culpis delinquunt, appellamus communiter peccantes seu offendentes, fornicantem vero vocamus cadentem. Cujus rei ratio potest hæc assignari. Summum enim et proprium hominis est inter essentiales gradus perfectionum esse rationalem. Quum ergo in fornicatione ratio totaliter absorbeatur vehementia delectationis, ita quod fornicans durante hoc actu non vivit nisi vita brutali, constat quod in ea specialissime cadit et maxime ruit ab eo quod in ipso est summum ac proprium : ideo dicitur cadens. In fornicatione quoque est evidentior turpitudo et inverecundior inhonestas : propter quod specialiter dicitur casus.

Piscis velox fugit hamum, et anima amatrix concupiscentiarum ac delectationum aversatur et fugit *solitariam quietem ac vitam.*

Quando diabolus vult aliquos simul ligare vinculo turpi, id est carnali amore, sive ad fœdam commixtionem perducere, *probat alterutras partes,* hoc est, amborum naturam, complexionem, inclinationem, consuetudinem moresque discutit ac perpendit, *et inde initiat ignem,* hoc est, ex ea parte seu causa incipit eos carnali affectu accendere, unde invenit in eis majorem aptitudinem suscipiendi concupiscentiam sensualem ad invicem.

Lubricantes circa concupiscentiarum amorem, hoc est lubrici seu lascivi, qui vacillant a via salutis concupiscentias amplectendo, *naturam habent esse,* id est, naturaliter (ut in pluribus) sunt, ex quadam naturali dispositione seu promptitudine, *compassivi, misericordes, contriti atque devoti :* non quod vere et virtuose sint misericordes, devoti et contriti, sed dispositive, et simile aliquid habent ad hujusmodi actus virtutum. Tales namque lascivi frequenter sunt homines molles ac teneri, imo et indolis bonæ multoties. *Qui* [illegible] Sunt enim frequenter rigorosi ac seriosi, circa corporis domationem ac cordis custodiam multum solliciti.

[illegible], id est valde do

ctus et illustratus, *interrogavit me de propositione terribili, dicens : Quale peccatum est gravius vitiis universis, negatione Dei homicidioque exclusis? Et me dicente quod hoc sit in hæresim cadere, ille dixit : Quomodo Ecclesia catholica hæreticos suscipiens ad veniam quando pœnitent, post integram et sinceram anathematizationem propriæ hæresis dignatur eos assumptione mysteriorum,* id est, dignanter eos admittit dignosque arbitratur ad accipiendum Eucharistiæ sacramentum, *eum vero qui fornicatur, confessum et a peccato cessantem, suscipiens ad veniam, segregat eum ad tempus ab immaculatis mysteriis,* id est dominicis sacramentis, *quemadmodum apostolicis sancitum est regulis? Me quoque hæsitatione stupente super quæstione,* hoc est, me admirante ac hæsitante propter difficultatem quæstionis et objectionis istius, *quæsitum mansit insolutum ac dubium,* id est, quæstionem istam dimisimus insolutam ac dubiosam. Verumtamen agnoscendum, quod peccata in Spiritum Sanctum, vitia contra naturam, et alia quædam, sunt absolute loquendo graviora quam fornicatio ipsa. Apostoli tamen instituerunt quod tactum est, propter evidentiorem atque præcipuam fœditatem luxuriæ, quæ puritati ac dignitati sacerdotii evangelicæ legis et Eucharistiæ multum repugnat.

Scrutemur, mensuremus et observemus, quæ et qualis est delectatio et concupiscentia quæ in nobis efficitur in psalmodia ex dæmone fornicationis. Tales enim delectationes et concupiscentiæ sunt carnales ac fœdæ, imo et culpabiliores quam si extra divinum Officium sacrumque locum acciderent. Oriuntur quoque ex inspectione, cogitatione seu apprehensione sensuali incauta. Scrutemur quoque *quæ* et qualis est delectatio et concupiscentia in divinis *adveniens ex cogitationibus Spiritus,* id est spiritualibus meditationibus inspirationibusque Spiritus Sancti, *et ex gratia ac virtute exsistente in eis,* utpote, ex gratia gratum faciente, quæ est primum

A et generale principium formale omnis meritorii actus, et ex latria, fide, spe, caritate ac sapientia salutari. Talis delectatio et concupiscentia sunt intellectuales, virtuosæ ac puræ.

O tu qui juvenis es, non lateat te quod dico. Vidi enim quosdam orantes pro suis familiaribus ac dilectis, ex spiritu et anima, hoc est ex corde et multum ferventer, *qui moti ex fornicatione,* hoc est ex carnali amore ex pristina fornicatione seu aliunde concepto, *putabant se per talem* B *memoriam implere atque perficere decretum ac legem caritatis.* Quod enim fecerunt ex sensuali affectione, putabant se facere ex spirituali caritatis affectu.

Est per tactum corporaliter inquinari, hoc est, ex tactu interdum incurrit quis corporis alterationem ac motum, in tantum ut maculetur turpi affectu, aut (quod gravius esset) etiam obsceni humoris aliquanta resolutione. *Nihil enim eodem gravius sensu,* id est, tactu nihil est periculosius nisi custodiatur ac reprimatur. *Memento* C *complectentis et theristrum manui involventis,* id est, considera et sectare Fratrem de quo in Vitaspatrum habetur, qui ex necessaria causa portaturus per aquam propriam matrem jam vetulam, manus suas panno involvit ne tangeret corpus matris, *et habe manum consopitam super naturalibus et non naturalibus, et super proprio corpore ac alieno,* hoc est, manum tuam omnino custodi mortificatamque exhibe ab universis contactibus corporum cum quibus vel naturaliter vel innaturaliter D quis potest peccare; nec minus vitanda sunt amplexus et oscula periculosa.

Arbitror neminem dici sanctum vere nomine illativo, hoc est, appellatione reali condigna, ex qua infertur sic esse ut dicitur, apud sanctissimum utpote Deum, qui solus est Sanctus Sanctorum et essentialiter sanctus, *nisi prius transformaverit terram hanc in sanctificationem,* id est, proprium corpus perfecte subjecerit rationi atque spiritui, *si tamen inest transformari,* hoc est, si talis transformatio compe-

tere corpori potest, cui in hac vita non potest tam perfecte competere et inesse quemadmodum in futuro, quando plenissime erit subjectum et obediens animæ sanctæ, ad cujus imperium movebitur prorsus promptissime, nec resistet ei in aliquo.

In stratu jacentes, tunc vigilemus : non quod debeamus tunc nos a somno avertere propter quem reclinavimus nos in stratu ; sed « vigilemus », hoc est, cogitationes inutiles imaginationesque turpes cum diligentia omni vitemus, atque in devotis meditationibus obdormire curemus ; *eo quod mens certat tunc cum dæmonibus sine opere* exteriori : dæmones enim tunc moliuntur menti inserere cogitationes immundas, ex quibus ad illicitas ruat affectiones. *Et si invenitur amatrix concupiscentiæ, fit libenter proditrix sui ipsius.* Si enim concupiscentias amat, prodit se ipsam turpes cogitationes faciliter admittendo, et eis diutius immorando, atque ex eis stimulos sentiendo, aut etiam illusiones in somno.

Memoria mortis dormiat penitus tecum, et tecum resurgat, hoc est, in actuali memoria mortis obdormias, et ipsa tecum quiescat, et quando evigilas aut consurgis, illam mox reassumas, *et soliloqua Jesu oratio,* id est secreta invocatio Christi, qua cum eo solo loquaris ; vel « soliloqua Matth. VI, 9-13. Jesu oratio », est oratio illa dominica, Pater noster, qua cum solo Patre cœlesti Deo uno ac trino suppliciter loquimur. Hæc ergo Jesu oratio debet nobiscum dormire ac surgere. *Nulla enim invenies adjutoria tam accommoda in somno ut ista,* quæ quiescentibus in lecto sunt valde salubria : similiter memoria dominicæ passionis, infernalis purgatoriique supplicii, ac divini judicii.

Quidam docent ex escis tantum fieri pugnas et fluxus, hoc est, carnales tentationes et pollutiones in somno asserunt solummodo generari ex superfluitate alimentorum ; *ego vero vidi infirmos us-que ad extremum,* id est mortaliter seu usque ad mortem ægros, *et ad summum,* id est rigorosissime, *jejunantes, fortiter inquinatos in somno. Interrogavi de his nocturnis illusionibus aliquando monachum quemdam ex probatissimis Patribus discretiorem,* hoc est ingenti discretione ornatum, *et docuit me ille beatus valde maxime prudenter. Ait enim hic perpetuus,* id est æterna memoria dignus : *Est in somnis fluxus ex multitudine escarum et quietis,* id est, resolutio seminis fit in somno interdum ex superfluo cibo et potu, aut etiam ex nimio somno, qui disponit ad somnia, ex quibus illusiones et inquinationes causantur; *alter ex superbia, quando ex influxibilitate nostra longa ac diuturna inflamur,* hoc est, fluxus iste ex demerito nostræ elationis quandoque causatur, quando videlicet Deus permittit nos illudi ac pollui, quia superbivimus et gloriati inaniter sumus de hoc quod longo tempore non sumus fluxum istum perpessi, quasi propter merita nostra hoc ipsum contigerit nobis. *Et rursus oritur fluxus iste eo quod proximum temerarie judicamus. Quarum colluvionum,* id est pollutionum, *duæ primæ possunt accidere et supervenire infirmis,* id est corpore ægris, seu omnino imperfectis, *æque vero et tres,* id est, omnes colluviones præfatæ, quæ tres sunt, possunt evenire infirmis, itemque pusillis.

Si vero aliquis viderit et contrectaverit, id est, diligenter pensando invenerit, *se [illegible] hic aperitur [illegible] talis impassibilitatis,* qui scilicet per exercitia virtuosa pervenit ad immunitatem istam ab illusionibus et fluxibus somniorum. [illegible] ex sola dæmonis illusione. Veruntamen fluxus ille potest causari in somno ex causa pure naturali et sine peccato : nam quamvis quis sobriissime vivat, generatur tamen in eo

semen, quod dum receptacula sua impleverit, petit egressum. Interdum quoque contingit hic fluxus sine peccato ex nimia abstinentia, exinanitione vel debilitate naturæ, ita quod apertis meatibus, retinere semen non valet.

Nemo per diem ad se ipsum reversus post somnum, recogitet phantasmata somniorum : intentio enim est dæmonum ut inquinent nos vigilantes ex somniis, hoc est ex recordatione somniorum, nisi forte essent somnia vere significativa ac mystica.

Audiamus et aliam inimicorum nostrorum, videlicet dæmoniorum, *astutiam. Quemadmodum alimenta corpus lædentia,* id est nociva eidem, *consuetudinem habent facere in nobis infirmitatem corporalem post tempus aut diem,* quando videlicet mali humores in corpore remanent alimentis illis digestis ; *ita plerumque fit in causis inquinantibus animam,* utpote, ex superfluitate gulosa, inflatione superba aut temeraria aliorum dijudicatione patimur fluxum non statim proxima nocte sequente, sed post longius tempus. Denique fluxus iste aliquando nascitur ex cogitationibus inspectionibusque incautis in vigilia præhabitis, sive ex tactibus, osculis, amplexibus aliisve carnalitatibus aut colloquiis in vigilando commissis aut certe admissis. De hac autem materia in Collationibus Patrum plenius continetur.

Vidi quoque comedentes et commorantes cum mulieribus, non habentes ad præsens aliquam meditationem aut intentionem malignam; et hinc ipsi seducti confidentes de sua virtute, *et exsistentes absque cura ac vigilantia sui ipsorum, passi sunt repentine exterminium atque interitum,* hoc est amissionem gratiæ ac virtutum per mortale peccatum, *quando putabant pacem esse et in cellis suis quietem et securitatem habere.* Tunc enim ex præteritorum memoria multipliciter sunt tentati et victi.

Porro, quod exterminium et quis interitus spiritualis sit ingenitus et contingens corporaliter ac spiritualiter nobis degentibus solis, singulariter ac solitario modo, videlicet secundum quod moris est habitare solitariis eremitis, *expertus* hunc lapsum *novit, inexpertus nosse non indiget :* idcirco auctor non specificat lapsum hunc et excessum. Nec me condecet ipsum exprimere : imo nec certo cognosco eumdem. Sed hinc admonendi sumus ut in omnibus timorati, custoditi ac summe solliciti exsistamus, eo quod et anachoretis possit tam enormis accidere lapsus. Et juxta Apostolum, Qui stat, videat ne cadat. I *Cor.* x, 12.

In tempore illo quo de tali lapsu tentamur aut eum incidimus, *bonum auxilium* ad eum vitandum, vel ad satisfaciendum pro eo, *sunt : saccus,* id est aspera vestis, *et cinis,* id est humilis in terram prostratio, aut superjectio cineris super caput in signum pœnitentiæ ac humiliationis præcipuæ : unde et sanctus Job ait, Ago pœnitentiam in sacco et cinere; *statio* *Job* XLII, 6; XVI, 16.
totius noctis in vigiliis, nec dubium quin et in orationibus, *desiderium panis,* id est abstinentia in pane et aqua, *lingua ardens et adusta* præ magnitudine sitis, *et temperate irrorata,* hoc est modico aquæ poculo humefacta, *habitatio loculorum,* id est mansio in sepulcris ac foveis, *et præ omnibus* his *humilitas cordis,* qua ex recognitione propriæ infirmitatis aut impietatis vilipendamus et dejiciamus nos coram Altissimo dejectione profundissima et vilipensione immensa; *et si possibile est, Pater aut Frater sollicitus, senex prudentia,* hoc est, qui senex sit non tantum ætate, sed potius discretione ac sapientia, *in adjutorium,* ita quod consilio et auxilio valeat nobis in tali angustia subvenire. *Miror enim si aliquis solus salvare potuerit navem ex pelago,* hoc est, mirabile reor ut aliquis taliter lapsus sive tentatus, sine humano subsidio queat se ipsum de periculo tanto educere : quod tamen per Dei omnipotentis gratiam fieri potest.

Iste lapsus ab altero actus, ad quem scilicet instigavit diabolus, vel quem solitarius a communi hominum vita aliena-

tus, differens ac distinctus, commisit, *judicium centuplum possidet,* id est, multo gravior est atque majoribus dignus tormentis, *ex modo quo fit,* qui rationi et ordini naturali prorsus contrariatur, *ex loco,* quum fiat in cella aut solitudine, ubi insistendum est tantum actibus sanctis, *ex profectu* ad quem talis sic lapsus obligatur, vel quem jam ante hunc lapsum obtinuit, sicque peccando tam dire, factus est Deo valde ingratus, nec per ignorantiam excusatur. Propter quod ait Apostolus : Hebr. x, 26. Voluntarie nobis peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; itemque : Hebr. vi, 4-6. Impossibile (inquit) est eos qui semel illuminati sunt, etc., renovari ad pœnitentiam, etc. *Et ex aliis multis,* puta ex professione, Ordine sacro, et consimilibus quæ aggravant culpam.

Super opinionem et super summam castitatis definitionem aliquis mihi narravit, hoc est, quidam retulit mihi rem quæ æstimationem excedit, et altior est summo castimoniæ gradu qui communiter assignatur. Quæ autem sit res hæc subditur. *Pulchritudinem quis (ait) intuitus, ex illa magnifice glorificavit factorem :* hoc est, ille qui mihi hæc recitavit, ait, Quidam inspiciens pulchritudinem formosissimæ mulieris, ex consideratione tam pulchræ creaturæ laudavit sublimiter Creatorem; *et motus solo adspectu* mulieris illius, *fontem lacrimarum effluebat, et in caritatem Dei sursum actus ferebatur,* id est, copiosissime flevit, et Creatoris amore succensus elevabatur mente ad ipsum. *Stuporque erat, videre alterius foveam factam alteri occasionem coronæ super naturam,* hoc est, stupendum fuit spectaculum istud, quod scilicet pulchritudo mulieris adspecta, quæ solet esse aliis incitamentum ruinæ perditionisque lacus (juxta quod Prov. xxiii, 27. Salomon ait : Fovea profunda meretrix), quod, inquam, hæc pulchritudo sic visa, facta est huic viro incitamentum glorificandi ac ferventius diligendi summum factorem.

Denique de quo viro istud narretur, certum non habeo, sed videtur posse intelligi de beatissimo Nonno episcopo, qui visa S. Pelagia adhuc in meretricio atque in admirabili pulchritudine constituta, diligentissime fixis oculis eam inspexit, et delectatum se dixit in pulchritudine ejus; deinde amarissime flevit tam de vanitate illius, quam de hoc quod ipse non fuit tam studiosus ad complacendum Creatori altissimo, sicut meretrix illa ad complacendum amatoribus suis : prout istud in Legenda S. Pelagiæ plenius, imo et devotissime recitatur. Hinc quoque dicunt doctores, quod inspicere feminam, et delectari in pulchritudine ejus in quantum est pulchra creatura, non sit culpa. Verumtamen non expedit sub hoc colore admittere talem intuitum ac delectationem, nisi forte quis esset valde perfectus.

Si iste talis, id est vir præfatus, *possidet talem operationem et sensum ubique et semper atque in omnibus,* id est, si in omni loco et tempore vitæ suæ tam spiritualiter et perfecte, tam caste et pure se habuit, *ante communem resurrectionem resurrexit, in corruptibili incorruptus,* id est, jam adhuc in carne mortali degens ad tantam devenit munditiam, ut multum assimiletur Sanctis in corpore glorificandis, et factus est « incorruptus », hoc est integer mente et inviolabiliter castus, « in » corpore « corruptibili » ac mortali.

Eodem canone, id est eadem consideratione, doctrina et regula, *utemur in melodiis et hymnis ac canticis. Nimirum quia* [illegible], id est, naturaliter et gratiose moventur, *in hilaritatem,* id est ad spiritualem lætitiam, *et caritatem et excessum, et ad di-* [illegible] devotionis ex jucunditatis internæ abundantia profluentes. [illegible], id est ab exterioribus creaturis sensibilibusque objectis, *et ex laudibus Dei et* [illegible], ex quibus excitamur ad contemplationem, admirationem fervidumque amorem sapientiæ, bo-

nitatis ac omnipotentiæ Creatoris, imo quandoque ad raptum et ad sincerissimam ac intensissimam delectationem in ipso. Si enim supergloriosissimus Conditor tantam pulchritudinem, amabilitatem et suavitatem posuit in facie et corpore hominis, in carnea massa, in terrea gleba, in materia parva lutosa mox in putredinem redigenda, ut quidam præ ejus amore insaniant erotosque amore languescant, in sonis quoque et symphoniis ac cantibus ; qualis et quanta est superbenedicti hujus artificis pulchritudo, amabilitas et dulcedo in semetipso ? Et quam ardentissime ac incomparabiliter amandus, desiderandus ac considerandus est ipse ? *Amatores vero concupiscentiarum et delectationum carnalium patiuntur contrarium,* quoniam ex intuitu et auditu rerum sensibilium prædictarum inflammantur carnali amore et delectatione inani.

Cf. p. 255 A' et s. *Secundum quod prætangentes diximus, quidam in locis solitariis et quietis multo amplius impugnati sunt. Et non est mirum : dæmones enim diligunt inibi habitare, exsulati in desertis et in abyssis a Jesu Christo salutem nostram zelante. Ipsi magistri malignitatis et dæmones fornicationis impugnant crudelius viros in solitudine quiescentes, ut* ipsi dæmones *reducant illos ex solitudine ad mundum, quasi ex deserto nihil proficientes,* id est, per hoc quod solitarii illi in solitudine tam acriter tentati, æstimant solitudinem sibi magis obesse quam prodesse ad spiritualem profectum. *Recedunt a nobis in mundo morantibus,* non tentando nos ibi ad tempus, *ut quasi non impugnati ibi, demoremur libentius cum mundanis hominibus. Ubi enim impugnamur a dæmonibus, ibi penitus impugnamus dure et crudeliter inimicum.* Dum enim videt nos tentator, perpetuus inimicus noster diabolus, studere virtutibus, tunc gravius nos impugnat. Porro virtutibus insistendo, « impugnamus » diabolum « dure et crudeliter », ut ei apparet. *Et ipse non impugnatus a nobis,* id est non afflictus neque

A offensus, eo quod non insistamus virtuosis operibus, *invenitur amicus noster,* id est, consentit nobis, simulatque se nos amare, quum tamen sit invidiosissimus contra nos.

Degentes in mundo secundum aliquam necessitatem, protegimur manu Dei, id est, quando manemus in sæculo inter homines ex necessaria et rationabili causa, tunc Deus per misericordiam suam a tentationibus nos defendit, *æque vero ex oratione Patris spiritualis ut plurimum,* hoc
B est, etiam meritis et precibus præsidentis protegimur valde frequenter, *ne et Dominus noster blasphemetur propter nos,* id est, ne homines sæculares nostra vitia intuendo, graviter scandalizentur, et contra Deum irreverenter loquantur. Unde per Isaiam Deus testatur : Propter me ego faciam, ut non blasphemer. *Quandoque vero non sentimus pugnas tentationum ex privatione doloris,* id est, ob id quod dæmones vident nos esse absque omni salubri compunctione, *et ex eo quod su-*
C *mus in multa satietate et experientia eorum quæ dicuntur, aguntur et inspiciuntur,* id est, quando exterarum rerum sæcularium quoque verborum et operum iniquorum amore, consensu et exsecutione replemus nos, et sine timore ac renisu peccamus : ideo opus non est ut a dæmonibus impellamur ad ista, quoniam sicut abbas Pastor disseruit, cogitationes nostræ perversæ, factæ sunt dæmones; *vel etiam quia dæmones voluntarie recedunt a nobis, ut relinquant in nobis locum ela-*
D *tionis complentem vitia universa,* id est, quatenus extollamur de hoc quod non tentamur, et reputemus nos aliquid esse, atque ex pompa hac incidamus in omnia mala.

Is. XLVIII, 11.

Alteram audite machinationem et astutiam seductoris istius, puta diaboli, *et custodite* vos ab ea, *omnes qui prælegistis exercitare et colere castitatem. Enarravit mihi quidam in experientia doli factus,* id est fraudem istam expertus in se ipso sive in alio, *quoniam dæmon corporum,* id

est spiritus carnalium fornicationum, *plerumque subtrahit se perfecte in finem*, id est, valde diu cessat a monachi impugnatione, *et submittit ac ingerit monacho supersummam*, id est quasi permaximam, *religiositatem, reverentiam et honestatem, imo et fontem lacrimarum ad tempus*, secundum quod suæ intentioni dolosæ conspicit opportunum. Sed si dæmon recedit a monacho, quomodo immittit hæc ei? Et respondendum, quod recedit in quantum non tentat eum de evidenti aliquo malo, immittitque ista inclinando monachum ad honestatem exteriorem et fictam religiositatem. *Tum vero suggerit ei familiariter loqui ac residere cum mulieribus, easque admonere et exhortari de castitatis honestate et continentia, de memoria mortis et æterni judicii, ut propter sermonem et fictam religiositatem miserabiles* mulieres *præoccurrant lupo ut pastori*, id est, festinanter accedant hujusmodi monachum apparenter devotum et sanctum, sed intus lupum rapacem, *sicque de cetero consuetudine ac familiaritate contracta, et securitate* de obtinendo consensu ad invicem *et confidentia* perpetrandi optatum *facta, tunc ipse miserrimus* monachus *lapsum sustineat ac ruinam*, utpote interiorem exterioremve casum.

Fugientes fugiamus hunc dolum ac laqueum, *ut non videamus nec audiamus fructum de quo nunquam gustare ordinati et constituti sumus*, id est, ut non experiamur in nobis, nec videamus in aliis, neque de aliis audiamus hanc carnalem ruinam, quæ est fructus mortis, ad quem nunquam gustandum seu experiendum creavit ac ordinavit nos Deus. *Miror enim si reputamus nos ipsos fortiores*, id est virtuosiores, *David propheta : quod vere impossibile est*, id est valde difficile : non enim est absolute impossibile, neque ex parte Dei, neque ex parte nostri.

Gloriosa laudatio castitatis [illegible] *et magna, quod quidam Patres* [illegible] *ipsam castitatem vocare impassibilitatem. Quidam vero* [illegible]

aliquem de cetero nominari veraciter castum post gustum, id est perpetrationem, *peccati* mortalis. *Ego autem hos avertens* a me *ac respuens, determino possibile, rectum et leve esse volenti oleastrum in bonam olivam inserere*, id est, ego affirmo, quod volenti se emendare, possibile, justum ac facile exstet cum adjutorio Dei, se per contritionem a corpore diaboli et statu perditionis abstrahere, et Christo se incorporare, sicque de arbore sterili in arborem fructuosam mutari.

Si enim claves supernorum, id est regni cœlorum, *sunt creditæ ac traditæ virgini corpore*, id est viro carnalem copulam nunquam experto, *prædicti docuerunt forsitan justa*, id est vera, dicendo neminem posse castum vocari post gustum peccati; *si vero non*, id est, quia claves non sunt a Christo commissæ Joanni apostolo virgini, nec alteri tali, *confundat eos socrum possidens, et castus factus et ferens claves castitatis et regni*, videlicet Petrus, qui exstitit uxoratus, nec hoc obstante castitatem habuit conjugalem, imo post susceptionem Spiritus Sancti in signo visibili, nunquam cognovit uxorem, sed castissimus est effectus. Ecce in verbis istis insinuat auctor, beatissimi Petri eminentiam ac primatum, et quod claves regni cœlestis ei specialiter sint commissæ : quæ dicuntur « claves castitatis », eo quod castitas specialissime spectet ad eos quibus datæ sunt claves. Luc. [illegible]

Multiformis est corporum serpens, id est, spiritus fornicationis variis modis dolosus est et multipliciter decipit homines : [illegible] *tantum fieri et cessare*, id est, virginibus corpore incorruptis occulte suadens ut saltem semel experiantur quid sit copula illa carnalis, quia hoc facto poterunt inde cessare omnino. Solent enim virgines ex quadam curiositate tentari ut velint experiri quid sit commixtio illa; [illegible] hanc copulam [illegible] [illegible] mixtionis ac voluptatis [illegible]

pens prædictus. *Multi priorum,* scilicet A virginum, *non sunt impugnati* de fornicatione, *ex ignorantia mali,* id est, ob hoc quod per experientiam non noverunt voluptatem vitii hujus; *secundi vero, facti in experientia odii hujus,* id est experti vitium istud odibile, *exinde molestias ac prælia sustinent,* id est, gravius impugnantur de immunditia ista, quia experti sunt eam. *Verum et contrarium sæpius est,* id est, valde sæpe contingit oppositum, videlicet quod virgines gravius impugnantur ex curiositate et suggestione B prætacta.

Quando ex somnis surgimus boni, suaves et pacifici, id est tranquilli et bene dispositi, *hoc occulte accipimus ab angelis sanctis, et consolamur ab eis maxime quando post multam orationem vigiliamque dormivimus. Quandoque autem contingit quod a somno surgimus suaves et boni,* id est cum devotione quodammodo, *et patimur hoc a somniis visionibusque malignis,* id est ex operatione diaboli, qui somnia quædam et visiones imaginarias ac C fallaces formavit in nobis, ut evigilantes putemus ea esse a Deo, sicque inflemur ac inaniter gloriemur quasi amici Dei quibus ipse ostendit sua secreta, et quasi gratiam visionum ac prophetiæ habentes. Quum itaque isti effectus angeli boni et angeli mali sint ita consimiles, necessaria est gratia discretionis spirituum; nec facile est credendum somniis et visionibus aut suavitatibus et tranquillitatibus illis, imo discernendum est pretiosum a vili, et invocandus est Deus ne nos falli permit- D tat; pensandum est quoque quid in vera humilitate fundetur, quid item ad spiritualem profectum, et quid ad vanitatem, præsumptionem pertinaciamque deducat.

Ps. XXXVI, 35, 36. *Vidi impium superexaltatum et elevatum et conturbatum et furentem in me sicut cedros Libani.* Per impium istum intelligitur hoc loco diabolus : qui superexaltatur in homine, dum suis tentationibus pertrahit hominem ad aliquam passionem prædominantem, aut culpam mortalem, vel quando superbe præsumit se superaturum quem tentat; elevatur quoque in homine, dum eum inducit ad culpam et negligentiam venialem; conturbatur vero, dum fortiter ei resistitur; et furit, quum vincitur. *Et transivi per abstinentiam,* id est, abstinendo et jejunando restiti ei, *humilians cogitationem meam,* id est, humiliter cogitans me posse contra eum prævalere non viribus meis, sed ope et gratia Salvatoris, *et non est inventus locus aut vestigium ejus in me* ad tempus : verumtamen cito redit, præsertim quum de Christo dicat Lucas evangelista, quod consummata omni tentatione, diabolus recessit ad tempus ab eo. Luc. IV, 13.

Quicumque corpus vicit, redigendo carnem suam in animæ servitutem, *iste naturam vicit,* id est naturales motus et inclinationes sensitivæ partis, reformando easdem. *Naturam vero vincens, factus est super naturam,* id est altior semetipso quantum ad sensualitatem, imo per dona gratiæ sublimior est se ipso quantum ad naturalia sua, *paulo minus ab angelis minoratus, pene,* inquam, *ut non dicam nihil:* Ps. VIII, 6. id est, valde assimilatus est angelis sanctis et non multum inferior eis quantum ad charismata supernaturalia sibi collata; et dico « pene », hoc est, quasi coæquatus est eis, « ut non dicam » quod « nihil » distet ab eis. Et istud verum est comparative loquendo, et quantum ad merita relata ac præmia. Etenim comparatione hominis carnalis incontinentis, castus et virtuosus videtur paulo minus ab angelis minoratus.

Non est mirum, cum immateriali immateriale certare, id est unam incorporalem substantiam contra aliam incorporalem pugnare, videlicet angelum contra diabolum, juxta illud : Factum est prælium in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone. Apoc. XII, 7. *Vere autem mirabile est, materiale certans cum inimicitia ista et insidiante materia, immateriales inimicos debellare:* id est, multum mirabile est ut homo materialis ac fragilis pugnans

contra invisibiles hostes « cum inimicitia » quæ est ex amore virtutum contra vitia, vel cum inimica « et insidiante materia », id est cum carne propria, quæ adversatur spiritui, et aperte ac clam contra spiritum concupiscit : mirum est, inquam, ut talis substantia materialis superet dæmones. Ideo adscribendum est hoc gratioso adjutorio Dei.

Galat. v, 17.

Dominus multum bonus, gerens et habens de nobis curam ac providentiam, obstruxit atque repressit feminam erubescentiæ freno; si enim audens illa ad masculum præcurreret, non fuisset salva omnis caro : id est, Deus fecit feminas naturaliter verecundas ac timidas; si enim audaces essent et inverecunde præcurrentes ad viros, sicut econtra viri currunt post eas, vix aliquis evaderet lubricum carnis.

Hi qui sunt inter Patres discretiores determinant quod aliud sit insultus aliudque immorantia, aliud quoque consensus et aliud captivatio, et aliud certamen ac aliud quod in anima dicitur passio. Insultum quippe beati Patres illi dicunt esse tenue verbum vel imaginem cujuscumque evenientis in corde importati, noviter apparentis, id est, insultus est repentinus conceptus seu subita imaginatio cujuscumque rei concupiscibilis animo occurrentis, illatæ seu « noviter apparentis » in eo. *Immorantiam vero dicunt,* [illegible] *passionem vel impassibiliter,* id est, spiritualiter aut corporaliter fabulari cum re concupiscibili apprehensa realiterve præsente, sive confabulatio illa sit cum sensuali affectione, sive non. *Porro consensum dicunt* [illegible] *inclinationem ad* [illegible], id est ad opus imaginatum sive propositum apparatum, ita quod inclinationi additur nutus, quo consensio designatur. [illegible] *dicunt* [illegible], id est dejectionem hominis, qua vincitur magnitudine passionis, aut tentationis tam impetuosæ ut videatur quasi involuntarie superatus, *aut perseverantem conjunctionem ad contingens,* id est fixam adhæsionem cum objecto occurrente cui vitiose cohæret, ita quod captivus tenetur a diabolo ad voluntatem ipsius : propter quod subditur, *et virtuosæ nostræ constitutionis atque constantiæ exterminativam.* Hæc namque interior captivatio, incarceratio, sive conjunctio, quum sit mortale peccatum, aufert omnem structuram, fundationem constantiamque virtutum. *Certamen esse determinant virtutem æque fortem ad pugnandum, voluntarie autem vincentem aut sustinentem debellationem,* id est, certamen vocatur conflictus inter eos qui æque fortes consistunt, quorum unus alterum debellare exoptat : nam et homo heroicus ac perfectus per supernaturalia sua auxilia æque fortis est et interdum fortior quam invisibilis hostis. *Passionem proprie dicunt quod longo tempore in anima nidificat,* id est manet, *et fructificat, passibiliter et vitiose ducens eam consuetudine quasi habitu ad se ipsum,* id est ad vitium ipsum, *tanquam spontanee familiariterque currentem ad illud,* ita quod talis peccat ex malitia aut habitu vitioso, atque proposito.

II Tim. ii, 26.

Horum omnium primum, puta insultus, *est sine peccato :* non enim in nostra est potestate talem conceptum primumque motum vitare; [illegible] *omnino,* id est, immorantia est aliquo modo culpabilis, præsertim quando est secundum passionem, quia vitari potest et subito abjici ; *tertium vero, secundum* [illegible], id est, consensus exstat culpabilis magis aut minus, secundum quod is qui tentatur est majoris aut minoris stabilitatis et perfectionis. *Certamen vero causativum est* [illegible]. Qui enim contra vitia certat si prævalet coronari meretur; si succumbit, punitione fit dignus. [illegible] est enim reprehensibilior tempore diuturnum

quam aliis horis; *et aliter in mediis aliterque in malignis cogitationibus,* id est, pejor est quando fit ex cogitationibus in se vitiosis, quam dum fit ex cogitationibus quæ sunt de rebus indifferentibus, vel quæ in se ipsis sunt indifferentes seu modo medio se habentes, videlicet nec meritorie neque demeritorie. *Passio in omnibus absque dubitatione aut purgatur pœnitentia contra eam æque librata,* id est per contritionem condignam et proportionatam multitudini magnitudinique culparum : oportet enim, ut sanctus ait Hieronymus, quod contritio culpam adæquet. Contritioni quoque sunt adjiciendæ confessio oris et satisfactio operis. *Aut pœnæ supponitur,* id est, damnationem incurrit.

Igitur qui primum impassibilitatem meditatur, id est, qui cogitationem suam in primis custodit, ne inordinata aut sensualis exsistat, *omnia extrema sub uno recidit,* id est, cetera mala jam tacta ex prima cogitatione provenientia, abscidit et vitat, custodiendo immaculate cogitationem illam primævam.

Apud sublimissimos Patrum disciplinatorum est et altera quædam inventa meditatio subtilior his quæ prædixi, id est, summi Patres exercitati ac sapientes invenerunt seu consideraverunt quamdam cogitationem prædictis agiliorem seu velociorem, *quam aliqui dicunt nominari præreptionem,* nos autem vocamus eam communiter subreptionem, *quæ habet naturam significare aliquid patienti passionem, sine tempore, acutius verbo et imagine.* Hæc enim præreptio est celerrima quædam conceptio maxime improvisa, insinuans aliquid; et ei qui patitur eam, pandit mobilitatem propriæ mentis. Ideo subditur : *Nihil enim invenitur in spiritibus,* id est mentibus creatis, *acutius, aut celerius, aut magis inapparens,* id est secretius, *hac memoratione subtili, quæ est sine mora et tempore :* est enim instantanea; *atque impræventa et ignota :* non enim prævenitur aliqua deliberatione, nec faciliter perscrutabilis est; *manifestans*

A *adventum suum in anima :* quoniam per se ipsam aut per aliquid eam concomitans ostendit se ortam esse in anima, quæ ejus adventum prævidere et vitare nequivit.

Si quis ergo talem ipsius subtilitatem per luctum comprehendere potuit, id est, propriam imperfectionem seu instabilitatem deflendo ita illustratus est desuper, quod potest cognoscere et scrutari naturam subreptionis istius, *iste nos valet docere quomodo est,* id est, qualiter contingit, *animam vitiose fornicari,* hoc est culB pabiliter et sensualiter affici, *solo oculo exilique visione et tactu manus ac melodiæ auditu,* id est ex sola apprehensione sensitiva exteriori sensibilium objectorum, *absque omni meditatione et intentione,* id est absque intellectiva apprehensione atque proposito. Ex apprehensione namque exteriori sensitiva procedit imaginatio, et ex imaginatione sensualis appetitio. Exterior quoque apprehensio seu cognitio sensitiva superflue immorans et inordinate delectans in suo objecto, est fornicatio C spiritualis, utpote quædam abusio. Ex hujusmodi autem sensitiva apprehensione, subrepit frequenter præfata cogitatio subita.

Quidam dixerunt ex cogitationibus cordis corpus pervenire in passionem, id est in concupiscentiam seu affectum, *fornicationis; quidam vero dixerunt rursus contrarium,* scilicet *malignas cogitationes gigni ex sensibus corporis. Et priores,* videlicet illi de prima opinione, *dixerunt quod nisi mens præcurrat,* aliquid præD concipiendo aut appetendo, *non utique corpus sequetur,* id est, non movebitur ad illud. *Secundi vero,* qui scilicet sunt de secunda opinione, *malam operationem corporalis passionis,* videlicet carnalis concupiscentiæ, *ferunt in propriam allegationem,* id est, referunt ad carnem, et ei, utpote sensui aut sensualitati, imputant eam, *dicentes quod cogitationes sumunt ingressum in cor plerumque ex speciosa facie,* id est corporali intuitu vultus formosi, *vel tactu manus, aut ex fragrantia*

suavis odoris, seu auditu delectabilis vocis. Isti habent pro se quod ait apostolus Galat. v, 17. Paulus, Caro concupiscit adversus spiritum; Matth. xv, 19. alii vero quod asserit Christus, De corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, etc.

De his qui potest, in Domino doceat, quæ scilicet harum opinionum sit verior. *Ista enim sunt multum necessaria et utilia ad sciendum exsequentibus vitam activam, et adjuvantia* eos qui adhuc dimicant contra passiones et vitia, quibus expedit scire quid ex quo nascatur. *Exsistentibus* B *namque in simplicitate et rectitudine cordis, de his sermo nullus,* id est, justi et simplices non indigent perscrutari aut informari de istis : quum enim sint columbina simplicitate atque justitia decorati, dominantur passionibus suis; et sua simplicitate contenti, occupant se circa I Cor. viii, 7. spiritualia ac divina. *Non enim omnium est scientia; neque omnium est beata simplicitas, quæ lorica est contra dolos mali-* Prov. ii, 7. *gnorum,* quum Salomon protestetur, Sapientia protegit gradientes simpliciter ; C Ibid. x, 9. itemque, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Imo, sicut comparative loquendo perpauci sunt in caritate, ita et donum scientiæ et bona ista simplicitas insunt perpaucis, utpote solis caritatem habentibus.

Deinde auctor aliqualiter instruit nos de veritate prætactarum opinionum. *Quædam namque passionum, ex his quæ intus sunt ad corpus proveniunt,* id est, aliquæ passiones seu concupiscentiæ procedunt ad corpus ac opus seu exsecutionem ex co- D gitationibus cordis et appetitionibus voluntatis. Vel sensus est, quod aliquæ passiones ex interiori inclinatione ad ea quæ carnis sunt seu fomite oriuntur. *Aliquæ vero passiones faciunt ingressum ad animam ex his quæ sunt extra,* id est, ex sensatione et apprehensione præsentiali objectorum exteriorum oriuntur, et mentem ingrediuntur pariuntque cogitationes et appetitiones quasdam in ea. *Et apud eos qui sunt in mundo, secundum,* id est, A in sæcularibus hominibus magis contingit quod passiones oriuntur ab extra : ambulant enim inter objecta sua; *apud eos vero qui vitam monasticam exsequuntur, primum* istorum magis accidere solet, *propter penuriam atque abstinentiam materiarum,* id est, ob hoc quod abstracti sunt a sensitiva perceptione exteriorum sensibilium concupiscibilium objectorum, videlicet mulierum, pecuniarum, ciborum potuumque lautorum, et consimilium.

Interea, circa prætactas opiniones sciendum, quod ambæ aliquid continent veritatis. Interdum namque contingit quod ex cogitationibus cordis aliquis corruat in passionem corporalis fornicationis; vicissim vero accidit quod pravæ cogitationes nascuntur ex sensibus corporis. Quum enim omnis cognitio intellectiva procedat ex prævia aliqua cognitione sensitiva exteriori, videlicet originaliter, et etiam interiori consequenter (propter quod ait Boetius, quod ex sensatis et imaginatis procedunt intellecta), constat quod ex sensitiva apprehensione gignantur cogitationes bonæ ac malæ in anima : unde unus ædificatur vel scandalizatur ex his quæ videt in alio. Sed quia mens in absentia exteriorum, et sensibus exterioribus clausis, potest cogitare ac recordari de rebus et actibus exterioribus, et recordando ac cogitando eadem velle, seu per voluntatem, quæ est superior appetitus, affectare; potest et inferiorem animæ partem, videlicet sensitivam, post se trahere : sicque ex cogitationibus cordis corpus pervenit ad passionem fornicationis. Rursus accidere potest ut homo exteriora sentiendo et imaginando, non afficiatur inordinate ad ea, sed per intellectum ea acutius considerando, incipiat ea appetere. Unde in his qui peccant ex deliberatione et habitu pravo, passiones corporis sæpius oriuntur ex cogitationibus cordis; qui autem peccant ex infirmitate, in eis frequentius evenit quod ex sensibus corporis malæ cogitationes gignantur.

[illegible], id est, circa

prædicta affirmo : *Quæres prudentiam et intellectum apud malignos, et non invenies :* non enim habent veram prudentiam quæ est virtus, nec intellectum qui est *Is.* XI, 2. unum de septem donis Spiritus Sancti, *Rom.* I, 21. nec sapientiam salutarem ; sed obscuratum est insipiens cor eorum.

Quum multa agonizantes contra conjugalem dæmonem luti, id est, quando per varia exercitia laborantes contra spiritum fornicationis, qui luto seu carni familiaris et conjugalis est, *cruciantes et resolventes,* id est, affligentes et expellentes, *eum ex corde nostro per lapidem jejunii et gladium humilitatis,* id est, per jejunium, quod grave et durum est dæmoni quasi lapis, et per humilitatem, quæ eum abscindit a corde ut ensis, *extra fuerimus persecuti,* id est, persequendo ejecerimus eum de corde nostro, excludendo suggestionem ipsius et consensum eidem ; *tunc jam in corpore quemadmodum vermis quidam insidens,* id est, carnem nostram interius alterans, *ipse miserabiliter gargarizans,* hoc est, instar garrientium interius clamitans, *molitur nos inquinare,* id est inquinando inducere, *in quosdam motus irrationabiles, importunos atque ineptos,* videlicet in corporis stimulos impudicos, sive in motus præsumptionis et gloriationis inanis.

Hoc autem maxime pati solent præbentes auditum dæmoni superbiæ, utpote inaniter gloriosi, qui spiritui superbiæ acquiescunt, *qui ex eo quod nequaquam meditentur frequenter ulterius in corde fornicarias cogitationes,* saltem ad tempus, *appropinquaverunt frequenter illi passioni ac vanitati,* id est, quoniam adscripserunt meritis aut industriis suis, quod non cogitaverunt fœda ac turpia, propter hoc meruerunt illudi, et ad prætactos motus ac vanitates induci.

Et quia dictum hoc sine mendacio est, quando isti suscipiunt aliquam quietem, ita quod ad tempus non sentiunt cogitationes immundas, *judicent et scrutentur prudenter se ipsos, et penitus invenient* A *in profundo cordis sui quasi serpentem in stercore absconditum,* utpote *quamdam cogitationem particulariter supponentem,* hoc est, distincte seu specialiter de eis tanquam pro certo affirmantem, *eos direxisse directionem cordialis castitatis,* id est promeruisse et conservasse et recte exercuisse virtutem et actus castitatis internæ, *ex propria festinantia,* hoc est fervore et agilitate, *promptitudine et sollicitudine : non intelligentes, miseri, verbum quod ait, Quid habes quod non acceperis* I *Cor.* IV, 7. B *gratis aut ex Deo, aut ex cooperatione et oratione alterius,* scilicet angeli sancti aut hominis boni ?

Intendant ergo in omni festinantia, et expellant prædictum serpentem de corde suo per nimiam humilitatem, qua omne bonum Deo, et omnem defectuositatem et culpam atque miseriam sibi ipsis adscribant, *mortificantes carnalem sensualitatem,* videlicet sensum et motum illum carnalem, *ut et isti alienati ab ipso,* id est a prædicto serpente liberati, *possint* C *æque particulariter exspoliare pelliceas tunicas,* hoc est carnales mollities et ceteros passionum motus ac involutiones prorsus abjicere, *et triumphalem castitatis hymnum Domino decantare super victoria,* id est Deo humiliter regratiari et laudes offerre pro victoria quam eis contra carnalitates largitus est, *sicut aliquando parvuli casti fecerunt,* videlicet pueri *Matth.* XXI, Hebræorum, qui Christum laudaverunt in 9, 15. die Palmarum, aut alii quique humiles ac purgati; *si tamen spoliati* pelliceis tunicis D *non inveniantur nudi,* id est carentes innocentia et naturali humilitate parvulorum illorum, qui ex naturali dispositione quamdam habent humilitatem, seu dispositionem ad eam.

Observat et ipse iste dæmon multo amplius aliis temporum vices, hoc est, spiritus iste superbiæ præ ceteris dæmonibus observat multo callidius quibus temporibus valeat efficacius impugnare ac prævalere, *et tunc iste immundus spiritus conatur nos maxime impugnare, quando*

non possumus corporaliter contra eum orare, hoc est vocales fundere preces.

Annisus qui est in corporali oratione, hoc est conatus exterior ad compunctionem, devotionem ac lacrimas provocans, *dico vero extensio manuum, tunsio pectoris, jugis intuitus sursum in cœlum, conturbatio,* id est vehementia, *suspiriorum, frequentes genuum flexiones :* hic (inquam) annisus, *convenit maxime his qui necdum possident veram cordis orationem,* id est orationem internam ferventem ac promptam, quam qui habent ad manum, non indigent exterioribus excitationibus ac adminiculis illis, nisi fortassis ad tempus fervor devotionis subtrahatur eis dispensative a Domino. *Quæ adminicula non valentibus nobis facere plerumque propter præsentes, tunc dæmones permaxime nos impugnant; et nos non valentes adhuc inimicis istis resistere fortitudine mentis,* id est interiori perfectione, *infusione divina,* id est adjutorio Dei repente infuso, *et invisibili virtute orationis* internæ, *quasi ex necessitate cedimus,* id est succumbimus, *eis :* non tamen simpliciter ex necessitate, quoniam
I Cor. x, 13. non permittit nos Deus ultra vires tentari; sed « quasi ex necessitate », quia difficulter et vix valemus eis resistere.

Resili quam citius, si est possibile, id est, valde velociter recede a loco publico dum ita tentaris, si potes; *incognite abscondere modicum,* id est, te ipsum absconde nullo sciente. *Si hoc potes, sursum adspice oculo spirituali,* mentem elevando ad Deum, ut tibi succurrat; *si vero non potes* id facere, eo quod imperfectus sis, et indispositus corde ex vehementi tentatione, *saltem exteriori oculo* respice sursum, ut per hoc ad Dei memoriam revoceris, atque ad ipsum adspires, et novissima tua recogites. *Crucifige immobiliter manus,* id est, brachia tua tene extenta in forma crucis, *ut per crucis figuram confundas et vincas Amalec,* id est diabolum, quemad-
Exod. xvii, 11. modum Josue prævaluit contra Amalecitas Moyse manus suas extendente ad Deum.

Clama ad eum qui salvare te potest, non in humanæ sapientiæ verbis, sed in omnibus procœmians, id est, orare incipiens, *in humilibus elocutionibus,* dicendo : *Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum,* Ps. vi, 3. et consimilia verba. *Tunc accenderis virtute Altissimi, et per invisibile,* id est secretum ac internum, *adjutorium* Dei *invisibiliter persequeris invisibiles hostes.* Porro invisibile adjutorium Dei, est illuminatio mentis in fide, confortatio in spe, inflammatio in caritate, humiliatio sui ipsius, inspiratio ad ferventes orationes, consideratio passionis dominicæ, novissimorum prævisio.

Iste qui assuetus est ita pugnare contra diabolum, *poterit cito et sola anima,* id est sola interiori oratione ac consideratione, fide, spe ac caritate, *persequi inimicos,* quemadmodum scriptum est : Persequar inimicos meos, et comprehendam Ps. xvii, 38. eos. *Donum enim secundum largitum est operatoribus a Deo pro primo :* hoc est, operarii boni et repugnantes peccatis, per unam idoneam resistentiam contra diabolum atque per unum actum virtuosum ferventem meruerunt a Deo augmentum gratiæ ac virtutum et fortiorem triumphum, quum tamen omnia opera nostra bona sint Dei dona; *et juste fit* istud : habenti enim dabitur, et abundabit. Matth. xxv, 29.

Inventus, id est exsistens, *alicubi in Fratrum collegio, notavi Fratrem sollicitum et festinum,* id est ferventem ac agilem, *a malignis cogitationibus molestatum, qui non* [illegible] *ad orandum, simulavit se ire ad requisita naturæ, quasi victus necessitate ventris; et oraturus intravit latrinas, et concertavit ibidem per vehementem orationem* [illegible] id est, conquerente et accusante eumdem. [illegible] hoc est, ut cogitationes turpes persequeret ac vitarem.

Deinde sequuntur verba auctoris. *Universi quidem dæmones agonizant,* id est student, *obtenebrare nostram mentem intellectualem, ita deinde ipsis amica submittunt,* hoc est, mentibus nostris obtenebratis per tentationes ac passiones dæmones suggerunt quædam eis placentia aut quasi convenientia; vel, « deinde ipsis amica », id est, mente nostra per obtenebrationem dæmonibus amica seu concorde effecta, suggerunt ei prava. *Nisi enim mens cæca claudatur,* id est, nisi mens per vitium et negligentiam obtenebretur, et lumine salutaris considerationis privetur, *non poterit thesaurus auferri,* id est, sua spirituali opulentia spoliari non valet. *Fornicationis vero dæmon plus omnibus obtenebrat mentem :* quod utique verum est durante actu obsceno, in quo ratio penitus absorbetur; et propter carnalitates et vitiositates fornicationi conjunctas, ipsa valde specialiter mentem excæcat, quanquam hæresis et alia quædam eam absolute loquendo magis obnubilent.

Iste, videlicet dæmon fornicationis, *obtenebrans plerumque intellectum ducativum,* id est aliarum virium directivum, *hortatur et præparat hominem facere illa etiam coram hominibus, quæ soli insanientes tantummodo operantur. Unde mente post tempus evigilante et resipiscente,* id est, post talem inebriationem passionum ac vitiorum redeunte ad sobrietatem, *erubescimus non solum videntes,* id est alios qui opera nostra tam inhonesta viderunt et audierunt, *sed et nos ipsos, atque confundimur* intra nos ex remorsu conscientiæ ac renisu synderesis *super impudicis actibus, collocutionibus et moribus nostris, et formidamus, nostram primam cæcitatem expavescendo,* id est obstupescendo quod sic excæcari potuimus ante perpetrationem operis inhonesti ut talia publice faceremus. *Nam plerumque quidam ex tali discretione,* id est tali judicio conscientiæ atque synderesis, *cessaverunt a malo.*

Averte expugnatorem impedientem te A *post actionem peccati orare, aut Deum colere, aut vigilare,* hoc est, repelle a te diabolum qui expugnavit te, inducendo te ad peccatum, qui post peccatum nititur te ad desperationem pertrahere, ut sic cesses ab orationibus, vigiliis, obsequiisque divinis : repelle, inquam, *memorans dicentis : Quoniam anima mea infert mihi labores et est mihi molesta, a præsumptionibus tyrannizata,* hoc est tyrannice tribulata præsumptuosis cogitationibus quas ei adversarius suggerit, per quas etiam me affligit, B *vindicabo eam de omnibus inimicis suis :* hoc est, tanto ferventius incessabiliusque ero intentus actibus virtuosis, quanto acrius tentabor; per quod hostes animæ meæ summe affligam, et ejus ulciscar injurias. Hæc est saluberrima ultio, magnanimitas optima, virilitas sancta.

Quis est qui proprium corpus vicit ? Respondet : *Quicumque cor suum contrivit. Quis cor contrivit ? Qui se ipsum perfecte negavit,* id est, abnegavit, reliquit, vicit, mortificavit. *Quomodo enim non est* C *contritus, qui est voluntati propriæ mortuus ?* Quemadmodum autem in corporalibus id dicitur conteri quod in minutissimas frangitur partes, ita in spiritualibus aliquis dicitur conteri, quando ex dolore vitiorum suorum, aut ex devotione, caritate seu obedientia, deserit prorsus se ipsum, nec aliquid sui relinquit sibi, sed est resignatus in omnibus, vivendo in omnibus juxta Dei et superiorum suorum præcepta.

Unus vitiosus est vitiosior alio, et confessionem D *inquinationum suarum facit in concupiscentia cum vitiosa delectatione.* Talis autem confitetur ex sola consuetudine aut fictione, estque sacrilegus, utpote sacramento Confessionis tam prave abutens.

Turpes et immundæ cogitationes quæ oriuntur in corde, naturam habent fieri ex seductore cordis, videlicet *dæmone fornicationis : quas humilis abstinentia medetur et sanat, facitque eas penitus reputari pro nihilo.*

Ego exquirens quali more et modo ligans hunc meum amicum, id est proprium corpus, quod nemo odit, sed fovet (nam quantum ad suam substantiam est amicus, et ex caritate diligitur) : qualiter, inquam, *condemnem eum secundum convenientiam,* id est apte et convenienter, *cum reliquis, nescio hoc : nam solvitur antequam ligem eum; et antequam eum condemnem, reconcilior ei,* acquiescendo desideriis ejus aliquo modo; *et antequam puniam eum, subrecurvor,* id est, rursus ei subjicior. *Quomodo vinciam hunc amicum, quem (ut constat) natura diligit? Quomodo liberabor ab eo, cui colligatus sum in æternum,* hoc est per totum tempus vitæ meæ in sæculo isto? *Quomodo destruam eum, qui mecum mihi resistit?* Caro enim contra spiritum concupiscit. *Quomodo ostendam incorruptibile,* id est, qualiter corpus meum exhibebo inviolabiliter castum ac integrum, *quod corruptibilem accepit naturam,* utpote carnem redigendam in pulverem? *Quid rationabile dicam possidenti irrationabilia per naturam?* id est, quid rationabile potest esse in corpore, quod naturaliter possidet in se vires vegetativas ac sensitivas, per quas cum plantis et brutis communicat?

Ephes. v, 29.

Galat. v, 17.

Si hunc amicum per abstinentiam ligavero, iterum illi trador proximum judicando. Abstinentes namque solent eos qui non abstinent judicare incaute, et ita ubi ex una parte evadunt corporis tentationes, ex alia parte incidunt eas. *Et si proximum judicare cessans, vicero hunc amicum, elatus corde,* id est, me extollens de hoc ipso quod judicare alios cesso, *subactus per hanc pompam deorsum ducor. Et cooperator mihi in isto est et impugnator,* id est, amicus iste, videlicet corpus, in isto certamine juvat me, et etiam impugnat ac impedit me. In aliquibus enim bonis operibus prosequendis cooperatur, servit obeditque animæ; et ex alia parte impugnat ac impedit, in quantum inclinat et movet ad multa saluti contraria. Sic quoque est *et adjutor et adversarius* hominis seu animæ, *et susceptor et insidiator* ipsius, quia obedit atque recalcitrat etiam in occulto.

Amicus iste curatus et fotus, pugnat : quoniam si ei de necessariis provideatur et nutriatur, nihilo minus contra salutem animæ plurima cupit; *et domitus et afflictus,* id est, si refrenetur ac castigetur, *fit tabescens et attonitus,* id est deficiens et quodammodo admirans cur taliter affligatur. *Quietatus,* id est somno aut aliter repausatus, *insolescit,* ad lascivias inclinando; *et oppressus et fatigatus* per labores et pœnitentiæ actus, *non sustinet,* sed conqueritur et reclamat, aut deficit. *Si contristavero* hunc amicum, necessaria victui detrahendo, aut sæcularem tristitiam admittendo, *periclitor,* quoniam pecco; *si plagavero,* id est, amicum hunc læsero et nimis debilitavero, *non habeo per quem virtutes possideam,* hoc est, adjutorem mihi conjunctum non habeo, per quem tanquam per instrumentum valeam exercere opera abstinentiæ, pœnitentiæ, obedientiæ, consimiliumque virtutum. *Eumdem averto et amplector,* hoc est, idem corpus meum in aliquibus tanquam rebelle et inimicum retundo, in aliquibus quoque tanquam in bonis cooperans, approbo et accepto.

Quid est hoc? Quid mysterii est circa me? id est, quam mirabilis creatura exsisto! et cur institutus et creatus sum taliter? *Quæ est ratio meæ complexionis,* id est compositionis et harmoniæ? *Quomodo mihi ipsi amicus et inimicus sum constitutus,* ita quod quantum ad sensualitatem saluti meæ contraria appeto, et quantum ad rationem ad bona inclinor? *Dic mihi, tu dic mihi, o mea [illegible], o [illegible]ra,* id est tu caro mihi naturaliter sociata; [illegible], id est, non est necessarium mihi ut alter informet me de te, quum tu sis mihi tam proxime juncta, si tamen volueris et potueris me docere. *Quomodo ex te [illegible]?* id est, qualiter ita te regere possum ut non lædar a te? *Quomodo valeam naturale periculum fugere,* id

est naturalibus et carnalibus concupiscen- A tiis non consentire, *quoniam ex hoc Christo taxavi et spopondi non inimicari adversus te,* id est tuæ saluti non adversari nec necessaria tibi negare, ut evadam omne periculum? *Quomodo vincam tuam tyrannidem,* id est duram et irrationabilem resistentiam qua in multis meæ saluti resistis, *quoniam prælegi esse tuus violentator,* id est refrenator desideriorum tuorum carnalium?

Ipsa vero caro ad animam suam respondens, sic dicere visa est : Non habeo quid B *tibi dicam quod tu ipsa non noscas, sed quod ambæ simul tenemus cognitione atque scientia,* id tibi valeo respondere. *Ego in me ipsa habeo amorem patrem exterioris inflammationis :* hoc est, carnis inflammatio oritur ex amore quo naturaliter ad humanam carnem afficior, qui amor concupiscentialis ac libidinosus exsistens in me, est quasi pater inflammationis carnalis; *habeo quoque generalem genitricem nutricis meæ, ipsam in deliciis requiem et quietem,* hoc est, quies seu repausatio C « in deliciis » gulæ est communis mater « meæ nutricis », id est materiæ seu delectationis me foventis. *Occasiones intrinsecæ flammæ,* hoc est interioris inflammationis lascivæ, *et motionis cogitationum,* hoc est cogitationum inquietarum ac tumultuantium, *oriuntur et pariuntur ex præcapta quiete et actionis exsecutione,* hoc est ex recordatione voluptatis præteritæ et actionis ante completæ. *Ego concepta* in utero, iniquas pario ruinas ac lapsus,* quia ex infectione originalis peccati, quod quasi materialiter et radicaliter in me est ac mecum traducitur, inclino ad varias concupiscentias, affectiones, corruptiones et actiones culpabiles; *illi vero geniti,* id est vitia illa ex me orta, *per desperationem generant mortem* æternæ damnationis in his qui non sperant se posse per Dei gratiam superare concupiscentias et vitia sua.

Nempe si cognoveris meam et tuam profundam infirmitatem, id est originalem infectionem tibi et mihi communem, quam tu contraxisti a me, et pronitatem nostram ad omne malum, debilitatem quoque resistendi tentationibus et peccatis, *manus meas ligasti,* hoc est, multum me repressisti ac debilitasti : ex hac quippe cognitione potes te valde humiliare, et Dei auxilium fervide invocare, sicque contra me prævalere. *Si cruciaveris,* id est, refrenaveris et abstinendo privaveris, *gulam, ligasti pedes meos ut non vadant ad corpus,* hoc est, ab actu venereorum me revocas. *Si jungaris obedientiæ,* id est, in omnibus sub obedientia vixeris, *disjuncta es a me,* hoc est, repulisti concupiscentias et tentationes meas a te : quoniam obediendo promereris gratiam contra eas, et ipsæ minus adversus te insurgunt. *Si possideas humilitatem, caput meum abscidisti,* hoc est, me prorsus vicisti, seu impugnationum mearum principia primosque motus vincere meruisti, et meam superbiam seu rebellionem annihilas.

* concipiens

GRADUS XVI

DE AVARITIA.

MULTI sapientium magistrorum, post prædictos tyrannos consueverunt in ordine ponere dæmonem philargyriæ multorum capitum. Ne ergo nos non sapientes, commutemus ordinem sapientium, sequamur eamdem regulam et definitionem. Quare, si videtur, assumamus pauca de infirmitate; deinde brevia conscribamus de sanitate.

Avaritia est adoratio idolorum, mater infidelitatis, infirmitatum causatrix, senectutis divinatrix, siccitatis conjecturatrix, famis præexspectatrix, privationis pluviæ præsuppositrix. *Ep[h]…*

Avarus est Evangeliorum Christi subsannator et voluntarius prævaricator. — Qui possidet caritatem, dispergit pecuniam ; qui vero dicit se cum caritate et pecunia vivere, seducit se ipsum et sibi ipsi mentitur. — Qui luget se ipsum, corpus negavit : tempore enim vocante huic non pepercit. — Ne dicas te congregare pauperum causa : duo enim minuta comparaverunt regnum. *Luc.* xxi, 2-4.

Hospitalitatem diligens, et avarus sibi invicem obviaverunt, et secundus nominavit primum indiscretum. — Qui vicit passionem avaritiæ, recidit sollicitudines ; qui vero ligatus est, nunquam orabit munde.

Principium avaritiæ, suppositio eleemosynæ ; finis vero ejusdem, odium ad pauperes. Quamdiu congregat, fit aliquis misericors ; pecuniis aggregatis ad præsens, manus restrinxit. — Vidi pauperes ditatos pecuniis exhibitis in spiritu, conversatione et alimento pauperum ; et hi hujusmodi obliti sunt suæ prioris penuriæ.

Monachus amator pecuniarum, est ab acedia alienus, horisque singulis recordatur verbi apostolici hujus, Qui otiosus est non manducet ; et iterum, Manus meæ istæ ministraverunt mihi et his qui mecum sunt. *II T…* *Act.* xx, 34.

Lucta est ista, quam qui vincit, possidet caritatem aut sollicitudines vitat.

DE PAUPERTATE.

Paupertas est depositio sollicitudinum, privatio curæ vitæ prætereuntis, itineratio sine impedimento, tristitiæ alienatio, fides mandatorum, fundamentum pacis, munditiæ semita. [illegible]

Pauper monachus dominus mundi, Deo curam sui credens, omnes possidet servos per fidem. Non loquetur alicui homini de indigentia sua, venientia vero suscipiet quasi de manu Domini. — Ad extremam necessitatem pauper operatur ; exsistens filius non habendi affectum ad aliquid vitiose, reputans ea quæ habet et quæ sibi præstantur quasi non sint, arbitratur ea ut stercora superveniente et præanticipante recessu. Si vero in aliquo contristatur, nondum factus est pauper. *Philipp.*

Pauper vir, in oratione est mundus ; amans autem possidere, adorat et veneratur imagines materiæ et delectationes concupiscentiæ.

Qui cum contritione manent in obedientia, alieni sunt ab avaritia : ex quo enim corpus ac propriam voluntatem tradiderunt, quid de reliquo proprium possident ? In uno tales lædi solent, quoniam leves et parati sunt ad transmutationes. Vidi materiam generantem monachis patientiam in loco eorum ; illos vero magis beatificavi, qui propter Deum appropinquant ad eam.

Qui gustavit superna, faciliter inferiora contemnit ; qui vero illa non gustavit, in inferioribus exsultat. — Qui pauper est irrationabiliter et indiscrete, læditur in

duobus, quia præsentibus bonis caret, et privatur futuris. Non ergo appareamus
Matth. VI, 26. infideliores volucribus, o monachi : non enim sollicitæ sunt aves, nec congregant.

Magnus est qui pecunias abdicat pie ; sanctus vero est qui deponit voluntatem
Ibid. XIX, 29. suam : ille quidem accipiet centuplum aut per pecuniam aut per charismata ; iste vero possidebit vitam æternam.

Fluctus non deficiunt mari, sic et avaro non deficiunt ira et tristitia. — Qui contemnit materias, liberatur a contradictione verborum et litigatione ; amator vero possidendi pugnat usque ad mortem pro acu. — Fides indeclinabilis recidit curas ; memoria vero mortis abnegat corpus. Non erat in Job vestigium avaritiæ, qui omnibus terrenis privatus, mansit imperturbatus.

I Tim. VI, 10. Avaritia dicitur et est radix omnium malorum : generat enim odium, furta, invidias, dissensiones, inimicitias, conturbationes, ultiones, memoriam injuriarum, incompassiones, crudelitates, proditiones, homicidia. Modico igne aliqui combusserunt silvam magnam, et una virtute fugantur omnia vitia prædicta, præterita et præsentia. Ipsa vocatur ἀπροσπάθεια. Eamdem vero parit gustus Dei, et experientia et scientia atque notitia divinorum, et cura satisfactionis exitus.

Sermo matris omnis mali non ignoratur a legente cum attentione : ait enim lapidem insensibilitatis esse primogenitum servi ejus, in maledicta propagatione filiorum ipsius. Serpens vero idololatriæ multorum capitum sortitus tertium ordinem a discretioribus Patrum, nescio quomodo, in octo vitiorum catena prohibuit me distribuere ei proprium ordinem. Quam temperate transvadentes, disponimus de reliquo dicere de insensibilitate, sicut tertia exsistente, in generatione vero secunda. Cum qua dicemus de somno et vigilia ; nec solum de hoc, sed etiam de puerili et invirili formidine brevia perstringemus : tales enim infirmitates sunt incitamentum producendorum.

Possidens autem bravium victoriæ hujusmodi, ad cœlum immaterialis itinerat.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO PARTIS PRIMÆ GRADUS HUJUS SEXTIDECIMI : DE AVARITIA.

M*ULTI sapientium magistrorum, post prædictos tyrannos,* id est præinductos vitiosos tyrannicosque excessus, *consueverunt in ordine ponere dæmonem philargyriæ multorum capitum,* id est spiritum seu vitium avaritiæ, ex qua prodeunt multa vitia magna, quæ etiam sunt capita vitiorum quorumdam ex ipsis manantium. *Ne ergo nos non sapientes, com-* A *mutemus ordinem sapientium, sequamur eamdem regulam et definitionem,* id est doctrinam, determinationem ac ordinem a sapientibus introductos. *Quare, si videtur, assumamus,* id est tractemus, *pauca de infirmitate,* puta de avaritia, quæ est læsio et infirmitas animæ ; *deinde brevia conscribamus de sanitate,* id est de paupertate spontanea.

Avaritia est adoratio idolorum. Hoc A
Ephes. v, 5. idem ait Apostolus; et est sensus, quod avaritia est vitium simile idololatriæ: nam sicut idololatra colit statuam, ita avarus pecuniam, et ponit in ea spem suam. Est quoque avaritia *mater infidelitatis,* quoniam est causa quod homo non confidit in paternali providentia Dei, sed magis in nummis : quod ad infidelitatem certum est pertinere. Est item avaritia *infirmitatum causatrix,* vel quia avarus non audens uti pecuniis suis, subtrahit sibi accommoda, vel quia timendo de pecuniarum B suarum perditione, fit sæpe indispositus corpore; *senectutis divinatrix, siccitatis conjecturatrix, famis præexspectatrix, privationis pluviæ præsuppositrix.* Ut enim avarus videatur rationabiliter sibi congregare divitias, prophetat et imaginatur se diu victurum, atque in senio exsiccandum; cogitat quoque tempora cara instare, et terram non irrigandam ex pluviarum defectu, ideo sterilitatem esse futuram : propter quæ omnia sibi videtur quod sapientissime agat colligendo aut conservan- C do divitias, nec se posse in hoc ipso excedere, præsertim quia in senio pluribus indigebit.

Avarus est Evangeliorum Christi subsannator et voluntarius prævaricator. Chri-
Luc. xii, 15; Matth. vi, 25-34. stus namque in Evangelio specialiter reprobat avaritiam sollicitudinemque de crastino, paupertatem quoque commendat, et docet ut cum filiali fiducia speremus in providentia et provisione Patris cœlestis, totaque mente tendamus ad felicitatem futuram, ac spiritualibus virtu- D tum divitiis inhiemus. Hæc autem subsannat avarus saltem opere ipso, et sponte agit oppositum. Unde et in Evangelio legi-
Luc. xvi, 14. tur : Audierunt hæc Scribæ et Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum.

Qui possidet caritatem, dispergit pecuniam, expendendo eam in pios usus. *Qui vero dicit se cum caritate et pecunia vivere, seducit se ipsum et sibi ipsi mentitur.* Hoc est arduum verbum : quod tamen oportet intelligi de eo qui conservat et procurat pecuniam immoderate et sine rationabili causa.

Qui luget se ipsum, deplorando sua peccata atque pericula ac præsens exsilium, *corpus negavit,* id est, concupiscentiis et voluptatibus suæ carnis renuntiat, et eam acriter domat ac disciplinat. Ideo subditur : *tempore enim vocante,* id est opportuno, *huic non pepercit.*

Ne dicas te congregare temporalia *pauperum causa : duo enim minuta comparaverunt regnum,* id est, paupercula vidua Luc. xxi, 2-4.
projiciendo in gazophylacium duo minuta promeruit regnum cœleste : idcirco et tu si modicum habes, et de modico illo modicum impertiris pauperibus ac ministris Ecclesiæ, tantum mereris sicut dives qui multa distribuit.

Hospitalitatem diligens, et avarus sibi invicem obviaverunt, id est, unus alterum consideravit, et contrario modo egerunt; *et secundus nominavit primum indiscretum,* id est, avarus judicavit hospitalitatis amatorem agere imprudenter, expendendo sua liberaliter in pauperum usus.

Qui vicit passionem avaritiæ, recidit sollicitudines, id est, curas superfluas sibimet amputavit; *qui vero ligatus est* cupiditate, *nunquam orabit munde* quamdiu manet in vitio isto : nam tempore orationis hinc inde distrahitur cogitationibus, curis ac dispositionibus temporalium rerum.

Principium avaritiæ, suppositio eleemosynæ, id est, per hoc quis primo incipit cupiditatem admittere, quia præsupponit se eleemosynas facturum; *finis vero ejusdem* avaritiæ, *odium ad pauperes.* Ad hoc quippe avaritia tandem pertrahit hominem, ut odiat pauperes tanquam eos qui divitiarum suarum sunt [illegible], et a quibus procurare nil potest. *Qui* [illegible] ista terrena, [illegible] id est, ab erogatione pia pecuniarum retraxit.

[illegible] *in spiritu, conversatione et alimento pau-* [illegible], id est erogatis pro [illegible]

devotaque conversatione ac sustentatione A indigentium; *et hi hujusmodi,* id est pauperes ita ditati, *obliti sunt suæ prioris penuriæ.* Imo tales fiunt sæpe aliis superbiores, et vix dignantur cognoscere pauperes, nec attendunt pauperes se fuisse.

Monachus amator pecuniarum, est ab accedia alienus, id est, otiositatem vitat, *horisque singulis recordatur verbi apostolici hujus, Qui otiosus est non manducet;* (II Thess. III, 10. — Act. xx, 34.) *et iterum, Manus meæ istæ ministraverunt mihi et his qui mecum sunt.* Verumtamen monachus pecuniarum amator, ut- B pote proprietarius, piger est ad divinum obsequium. Nunc quoque est sermo de monacho qui non habet pecunias, nisi quas laborando procuret. Sunt autem monachi quidam proprietarii quibus datur pecunia, nec indigent laborare pro ea; et tales vacant otiositatibus, loquacitatibus, et carnalitatibus suis.

Lucta est ista, id est, avaritia seu ejus tentatio est res hominem impugnans, *quam qui vincit, possidet caritatem aut sollicitudines vitat,* imo frequenter consequitur horum utrumque.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO PARTIS SECUNDÆ GRADUS HUJUS SEXTIDECIMI : DE PAUPERTATE.

PAUPERTAS est depositio sollicitudinum terrenarum et superfluarum, *privatio curæ vitæ prætereuntis,* id est, spon- C tanea hæc paupertas est abjectio curæ de provisionibus hujus transitoriæ vitæ, *itineratio sine impedimento,* id est expedita via seu promptus processus ad patriam; *tristitiæ alienatio :* avertit enim a sæculari tristitia, quæ solet contingere ex temporalium amissione; *fides mandatorum :* quia per eam fideliter adimplentur mandata. Vel dicitur « fides mandatorum », id est ostensio fidei in observationibus præceptorum : per hoc enim quod homo terrena contemnit, monstratur veraciter fidem D habere futurorum bonorum in observantiis jussionum. *Fundamentum pacis :* fundat namque ac roborat hominem in pace pectoris, quum nihil exstet tranquillius quam nihil hujusmodi appetere. Est item *munditiæ semita :* quemadmodum enim opulentia est mater et causa ad varia mentis et corporis inquinamenta; ita paupertas spontanea, via et causa est sobrietatis, castitatis et puritatis internæ.

Pauper monachus dominus mundi, id est superior rebus mundanis terrenis, quas vilipendit, et quarum affectui dominatur, *Deo curam sui credens, omnes possidet servos per fidem :* credit enim quod Deo disponente, alii sibi necessaria ministrabunt, si fuerit opportunum. *Non loquetur alicui homini de indigentia sua, venientia vero,* id est ea quæ caritative donantur, *suscipiet quasi de manu Domini,* si tamen indiguerit eis, alioqui rogabit ut indigentibus dentur.

Ad extremam necessitatem pauper operatur, id est, egenus operando sibi, procurabit quantum sibi necesse est; *exsistens filius non habendi affectum ad aliquid vitiose, reputans ea quæ habet et quæ sibi præstantur quasi non sint,* id est, transitoria cuncta despiciens, *arbitratur ea ut stercora,* (Philipp. III, 8.) *superveniente et præanticipante recessu,* id est, dum advenit sibi mors, sive dum ante tempus ac subito morte præoccupatur. Potest quoque per recessum intelligi amissio temporalium violenta sive fortuita. *Si vero in aliquo contristatur* de temporalium amissione, *nondum factus est pauper* perfecte.

Pauper vir, qui propter Deum sponte est pauper, *in oratione est mundus*, non distractus imaginationibus divitiarum; *amans autem possidere* terrena, *adorat et veneratur imagines materiæ et delectationes concupiscentiæ*, quoniam etiam in divinis magis intentus est eis quam devotioni ac Deo : ideo ita se habet, quasi talia adoret, non verum Deum.

Qui cum contritione manent in obedientia, alieni sunt ab avaritia : ex quo enim corpus ac propriam voluntatem tradiderunt, id est, Deo obtulerunt se totos B in holocaustum in manu superiorum suorum tempore professionis, *quid de reliquo proprium possident?* Nihil; nec cupiunt quidpiam possidere nisi virtutes et actus earum. *In uno tales lædi solent, quoniam leves et parati sunt ad transmutationes*
Hebr. x, 25. locorum : quum tamen scriptum sit, Non deserentes collectionem nostram; item-
Prov. xxvii, 8. que, Sicut avis transmigrans de nido suo, ita homo qui relinquit locum suum. *Vidi materiam generantem monachis patientiam in loco eorum.* Aliqui enim monachi C ex timore amittendi ea quæ habent, sine renisu et murmuratione sustinent correptiones, et patienter manent in suo cœnobio. *Illos vero* monachos *magis beatificavi, qui propter Deum appropinquant ad eam*, id est, patientiam apprehendunt, atque in loco stabiles manent.

Qui gustavit superna, faciliter inferiora contemnit : sapor enim divinorum spiritualiumque bonorum multo suavior est et præstantior dilectione inferiorum. *Qui vero illa non gustavit, in inferioribus* D *exsultat.* Homo enim naturaliter appetit delectari : ideo qui spirituales consolationes non exsequitur, nec sapit quam dulcis est Dominus, consolationes quærit in vilibus rebus, in risu, joco, ludo, loquacitate, cibo, potu, somno, rebusque curiosis.

Qui pauper est irrationabiliter et indiscrete, id est, paupertatem suam impatienter tolerat, aut ea abutitur, nec ad spiritualem opulentiam refert eamdem, *læditur in duobus*, id est, duplex sustinet A damnum, *quia præsentibus bonis caret, et privatur futuris*, et ita est miser in præsenti temporaliter, et in futuro æternaliter. *Non ergo appareamus infideliores volucribus, o monachi*, habendo sollicitudinem de temporalibus rebus ex diffidentia providentiæ Dei. *Non enim sollicitæ sunt aves, nec congregant.* Verumtamen formicæ et quædam aves sollicite congregant pro se et pullis suis, non tamen immoderate.

Magnus est in virtute *qui pecunias abdicat pie*, id est, recta intentione removet eas a se in pios usus; *sanctus vero est qui deponit voluntatem suam*, id est, propriam voluntatem in omnibus abnegat. *Ille quidem* qui pecunias pie abdicat, *accipiet centuplum aut per pecuniam aut per charismata*, id est, centies plus a Deo recipiet, vel in temporalibus, vel spiritualibus, quia spiritualia charismata desuper nunc sortitur, quæ centies præstantiora sunt omni pecunia; *iste vero* qui propriam deserit voluntatem *possidebit vitam æternam* : quam utique etiam ille sic abdicans possidebit sicut et iste; sed iste erit gloriosior illo, nisi et ille abneget se perfecte.

Fluctus non deficiunt mari, sic et avaro non deficiunt ira et tristitia. Irascitur namque de facili, et inordinate tristatur, si adversum aliquid accidat sibi circa ea quæ possidet vel affectat.

Qui contemnit materias istas terrenas, *liberatur a contradictione verborum et litigatione*, quia non ita impetitur nec rixatur propter transitoria ista sicut avari; *amator vero possidendi pugnat usque ad mortem pro acu*, id est, pro rebus vilissimis inverecunde contendit. Sic et quidam religiosi qui gloriantur se nihil proprium possidere, tam immoderanter afficiuntur ad ea quibus utuntur, ut pro rebus parvissimis, si auferantur aut deteriorentur ab aliis, vehementer turbentur, irascantur ac litigent, prout hoc in Collationibus Patrum plenarie continetur.

[illegible] Qui

enim firmiter credit Evangelio Christi, certus est de providentia Dei, nec immoderate sollicitatur de crastino, sciens verum esse quod ait Salvator: Quærite primo regnum Dei, etc., et hæc omnia adjicientur vobis. (*Matth.* VI, 33.) *Memoria vero mortis abnegat corpus,* id est, voluptates corporis facit vitari et carnem salubriter mortificari. *Non erat in Job vestigium,* id est aliquod signum, pars, sive affectus, *avaritiæ, qui omnibus terrenis privatus, mansit imperturbatus.* Nam dixit: Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum. (*Job* I, 21.)

Avaritia dicitur et est radix omnium malorum (I *Tim.* VI, 10.)*: generat enim odium, furta, invidias, dissensiones, inimicitias, conturbationes, ultiones, memoriam injuriarum, incompassiones, crudelitates, proditiones, homicidia,* imo et alia multa, videlicet dolos, mendacia, perjuria et rapinas. *Modico igne aliqui combusserunt silvam magnam, et una virtute fugantur omnia vitia prædicta, præterita et præsentia. Ipsa* quoque virtus fugans omnia mala hæc ex avaritia procedentia *vocatur* ἀπροσπάθεια, quod est non diligere aliquid vitiose: per quod nunc designatur virtus seu actio virtuosa directe contraria avaritiæ. *Eamdem vero* virtutem, quæ est non affici ad aliquid vitiose, *parit gustus Dei,* id est sapor internus divinæ bonitatis atque dulcedinis, quo percepto desipit omnis caro et effugatur inordinata affectio ad caduca, *et experientia et scientia,* id est exercitatio experimentalis, *atque notitia divinorum* formata ac salutaris, gignunt præfatam virtutem, *et cura satisfactionis exitus,* hoc est cura satisfaciendi Deo in hora mortis.

Sermo matris omnis mali, id est verbum avaritiæ, quæ est mater seu radix omnis peccati, *non ignoratur a legente cum attentione: ait enim* sermo ille *lapidem insensibilitatis esse primogenitum servi ejus,* id est avari, qui est avaritiæ servus, *in maledicta propagatione filiorum ipsius,* hoc est in reproba generatione vitiorum quæ ex avaritia oriuntur. Per « lapidem insensibilitatis » intelligenda est insensibilitas ipsa, instar lapidis dura. Avarus itaque primo sic induratur seu insensibilis redditur propria cupiditate, quod ad ea quæ Dei sunt durus et quasi mortuus exstat.

Serpens vero idololatriæ, id est avaritia, quæ est servitus idolorum (*Coloss.* III, 5; *Ephes.* V, 5.), *multorum capitum,* sicut expositum est (p. 276 A.), *sortitus tertium ordinem a discretioribus Patrum, nescio quomodo,* id est, avaritia, cui discretissimi Patres dederunt tertium locum, *in octo vitiorum catena,* id est in numero octo principalium vitiorum, *prohibuit me distribuere ei proprium ordinem* in processu tractandi de istis. *Quam* catenam vitiorum *temperate transvadentes,* id est, moderate pertranseuntes, loquendo de vitiis non nimis prolixe, *disponimus de reliquo dicere de insensibilitate, sicut tertia exsistente,* id est, tanquam de ea quæ est tertia in ordine pertractandi (jam enim primum dictum est de avaritia, deinde de paupertate, et mox in sequenti capitulo sequetur tractatus de insensibilitate), *in generatione vero secunda,* id est, insensibilitas ista, quantum ad ordinem suæ propagationis, mox post avaritiam sequitur. *Cum qua dicemus de somno et vigilia; nec solum de hoc, sed etiam de puerili et invirili formidine brevia perstringemus: tales enim infirmitates,* id est passiones et culpæ, *sunt incitamentum producendorum,* id est eorum qui incipiunt Deo servire, et edocendi ac perducendi sunt ad profectum majorem.

Possidens autem bravium victoriæ hujusmodi, id est, qui infirmitates illas perfecte vicit, et virtutem constantiæ ac fortitudinem mentis adeptus est, *ad cælum immaterialis itinerat,* id est, ad futuram beatitudinem per spiritualia exercitia ipse jam spiritualis effectus procedit, estque de numero horum de quibus ait Apostolus: Vos in carne non estis, sed in spiritu. (*Rom.* VIII, 9.)

GRADUS XVII

DE INSENSIBILITATE ET MORTIFICATIONE ANIMÆ, ET MORTE MENTIS ANTE MORTEM CORPORIS.

INSENSIBILITAS est mortificatio sensus in corporibus et in spiritibus, ex diuturna infirmitate et negligentia in insensibilitatem desinens et relinquens. — Privatio doloris est negligentia qualificata, consopita et retardata intentio et deliberatio, germen audaciæ et præsumptionis, captio promptitudinis spiritualis, porta promptitudinis carnis, fortitudinis laqueus, compunctionis ignorantia, desperationis ostium, mater oblivionis, et post partum, matris propriæ mater et propriæ filiæ filia, repulsio timoris. Gradus XVIII sec. Græcum.

Non dolens est insipiens philosophus, per se dijudicatus expositor, locutor per se sibi contrarius ; verbis studere amans, magister cæcus videndi. Disputat de plagæ sanatione, et non cessat plagam supercutere sibi. Contra vitia loquitur, et non quiescit edens lædentia. Contra se perorat, et mox ad suam operationem consuetam iniquam procedit. Super hac operatione irascitur contra se ipsum, et erga sua verba non confunditur. Clamat, O miser ego, male ago ; et prompte superapponit. Ore contra vitium orat, et pro ipso corpore agonizat. De morte philosophatur, et sicut immortalis persistit. De separatione suspirat, et sicut æternus dormitat. De abstinentia disceptat, et pro gula concertat. De vana gloria meditatur, et in ipsa meditatione lectionis vane gloriatur. De judicio Dei legit, et ridere incipit. De vigilia disserit, et mox se ipsum somno immergit. Orationem laudibus effert, et tamen recedit ab ea quasi a flagello. Obedientiam beatificat, et primus ipse obedientiam frangit. Laudat non amantes aliquid vitiose, et propter acum aut vilem pannum rixatur, memor injuriæ, et non confunditur. Irascens amaricatur, et rursus irascitur super amaritudine ; et addens diminutionem diminutioni et succumbentiam succumbentiæ, non sentit. Saturatus, pœnitentiam habet ; modicumque progrediens, apponit iterum saturari. Silentium dicit beatum, et per multiloquium ipsum extollit. De mititate docet, et in ipsa doctrina frequenter irascitur. Sursum adspiciens, suspiravit ; et caput movens, iterum vitio appropinquat. Risum vituperat, et subridens de luctu docet. Se ipsum vituperat in quibusdam quasi captum gloria vana, et per vituperium illud mercatur gloriam sibi. Vitiose in faciem intuetur, et de castitate et continentia disputat. Laudat solitarie quiescentes ipse in mundo degens, et se ipsum confundens non considerat. Misericordes glorificat, et pauperibus improperat. Semper fit accusator sui ipsius, et non vult venire in sui ipsius sensibilitatem, ut non dicam non potest. Vidi multos tales audientes de exitu mortis et ponendis judiciis Dei, et flentes ex quadam compunctione ; atque exsistentibus adhuc la-

crimis in oculis eorum, festinantes ibant ad mensam : et admiratus sum quomodo ipsa insensibilitas roborata ex multa privatione doloris, potuit triumphare de ipso luctu absque deliberatione domina vitæ.

Juxta exilem virtutem et cognitionem in me præexsistentem, denudavi fraudes et dolos et cicatrices hujus insensibilitatis lapideæ, duræ, vesanæ ac fatuæ. Non autem sustineo plus docere contra ipsam verbis. Qui vero potens est in Domino afferre ex propria experientia antidota cicatricibus, non pigritet vel retardet : non enim erubesco et ego impotentiam allegans, sicut ab eadem fortiter detentus. Neque enim valui apprehendere a me ipso dolos et industrias ejus, nisi quia ipsam in quodam capiens loco, cum violentia tenui eam, et crucians eam flagello timoris Dei, et incessabili oratione cædens eamdem, feci eam confiteri præfata.

Quocirca ipsa, quæ est tyrannus atque malefica, visa est dicere : Mei confœderati videntes mortuos, rident ; stantes quoque in oratione, sunt toti lapidei, duri et obtenebrati ; quum vident sanctam mensam et sacris intersunt obsequiis, irreverentes sunt et insensibiles ; sumentes Eucharistiam, afficiuntur quasi gustu vilis panis. Ego videns compunctos, subsanno eos ; universa autem bona quæ fiunt ex fortitudine et desiderio, interficere didici ab eo qui me genuit patre. Ego sum mater risus, auctrix somni, amica saturitatis ; ego redarguta non doleo ; ego fictæ reverentiæ et fictæ religiositati connector.

Miser ego stupens et pavens in verbis furentis vesaniæ, interrogavi, volens discere nomen gignentis eam. Quæ ait : Ego non habeo unam genituram, sed generatio mea est mixta, varia et quodammodo instabilis. Saturitas roborat me ; tempus facit me crescere. Maligna consuetudo me fixit : quam qui retinet, nunquam erit liber a me. Persevera cogitans in vigilia multa æternum judicium : forte relaxabor paululum a te. Vide causam meam ex qua in te gignor, et contra matrem meam fortiter agoniza : non enim in omnibus habeo causam unam. Ora plurimum in loculis mortuorum, depingens in corde tuo imaginem horum continuo indelebilem et indeficientem : nisi enim imago istorum fuerit in corde tuo depicta stilo jejunii et penna vigiliæ, nunquam me vinces.

A lapidea insensibilitate, videlicet prava mortificatione animæ et morte mentis, ante mortem corporis liberet nos Deus Jesus Christus sua passione, per quam redemptus obtinet gradum et ascensum virtutis in sanctificationem vitæ.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO HUJUS GRADUS SEPTIMIDECIMI.

INSENSIBILITAS *est mortificatio sensus,* id est privatio perceptionis salubris eorum quæ Dei sunt atque salutis, A utpote duritia et obstinatio quædam habitualis, *in corporibus et in spiritibus,* id est in spiritualibus corporalibusque sub-

stantiis, vel in animabus rationalibus et A earum corporibus, ita quod homo nec in anima neque in corpore ad compunctionem movetur, sed in superioribus ac inferioribus animæ viribus permanet durus, nec mollitur ad acquiescendum Deo ac saluti, *ex diuturna infirmitate et negligentia in insensibilitatem desinens et relinquens.* Oritur enim insensibilitas ista ex hoc quod quis diu passionibus suis succubuit negligenterque vixit; et finitur in insensibilitate, quia ad majorem insensibilitatem perducit, atque in ea relinquit B miserum hominem.

Privatio doloris, id est compunctionis sive contritionis, *est negligentia qualificata,* id est radicata et habituata : quia procedit ex ea; *consopita et retardata intentio et deliberatio,* id est exstinctio rectæ intentionis et retardatio deliberationis ad bonum; *germen audaciæ et præsumptionis :* causatur namque ex hoc quod quis temere audax est, non metuens Deum, et de se nimis præsumit; *captio promptitudinis spiritualis :* ligat quippe et retra- C hit eum ab omni alacritate virtuose agendi; *porta promptitudinis carnis :* quia per insensibilitatem fit homo promptus ac alacer ad commoda corporis sui; *fortitudinis laqueus :* quoniam fortitudinem spiritualem abstrahit et captivat; *compunctionis ignorantia; desperationis ostium :* valde enim disponit ad desperandum, præsertim in fine vitæ; *mater oblivionis* omnium pertinentium ad salutem, a quorum consideratione et recordatione impedit insensibilitas hæc; *et post partum, matris propriæ* D *mater et propriæ filiæ filia.* Quemadmodum enim insensibilitas ex negligentia oritur, sic orta negligentiam parit similem ac majorem, et ita fit « mater » suæ « matris », loquendo in generali : non enim de negligentia eadem numero, sed specie, verum est istud. Juxta quem sensum insensibilitas dicitur « filia filiæ » suæ, quia ex negligentia quam producit, augetur et innovatur. *Repellit timorem* [illegible] omnem etenim divini judicii atque futuræ damnationis formidinem efficacem insensibilitas abjicit.

Non dolens dolore salubri, *est insipiens philosophus,* id est stultus inquisitor veritatis, quum negligat suam salutem. Propter quod in Ecclesiastico dicitur : Altiora te ne quæsieris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. *Per se dijudicatus expositor,* id est, explanator veritatis propria explanatione se ipsum dijudicabilem ac vitiosum demonstrans : ita quod dicitur ei, Ex ore tuo te judico, serve nequam. *Locutor per se sibi contrarius :* quoniam opera sua non correspondent propriis verbis, nec agit quæ docet. *Verbis studere amans.* Asserit enim se amare studium sapientiæ, et plurima loquitur inde. *Magister cæcus videndi,* id est ignarus ad contemplandum.

Eccli. III, 22.

Luc. XIX, 22.

Disputat de plagæ, id est peccati, *sanatione, et non cessat plagam supercutere sibi,* adjiciendo vitia vitiis. *Contra vitia loquitur, et non quiescit edens lædentia,* hoc est, per opera prava se oblectans et corruptum desiderium suum reficiens. *Contra se perorat,* accusando se ipsum, aut disserendo contra proprias culpas, *et mox ad suam operationem consuetam iniquam procedit. Super hac operatione* hujus insensibilitatis aut alterius culpæ *irascitur contra se ipsum,* indignando interdum contra propriam pronitatem peccandi, et contra pessimum suum usum, *et erga sua verba non confunditur,* id est, paulo post inverecunde agit contra verba quibus redarguebat se ipsum. Ideo subditur : [illegible] *superapponit,* sua peccata augendo.

Ore contra vitium orat, et pro ipso corpore agonizat, id est, opere quærit ea quæ carnis sunt. *De morte philosophatur,* loquendo scholastice de brevitate vitæ præsentis et amaritudine mortis, *et sicut im-* [illegible] quia in vitiis perseverat, quasi moriturus non esset. *De separatione suspirat,* id est, aliquando gemit, quoniam moriturum se noscit [illegible] hoc est, in sui corporis ignavia per

manet quasi nunquam recessurus sit ab hac vita. *De abstinentia disceptat* quam magna virtus sit, *et pro gula concertat :* nam opere nititur ad vivendum gulose. *De vana gloria meditatur,* cogitando de ea dum legit aut audit seu recordatur de ipsa, *et in ipsa meditatione lectionis vane gloriatur,* id est, in meditatione quam habet legendo, gaudet inaniter. *De judicio Dei* metuendissimo *legit, et ridere incipit,* id est, ad vanam exsultationem resolvitur, quia quod legit non penetrat mentem suam. *De vigilia disserit* quam fructuosum sit sacris insudare vigiliis, *et mox se ipsum somno immergit. Orationem laudibus effert, et tamen recedit ab ea quasi a flagello. Obedientiam beatificat, et primus ipse obedientiam frangit. Laudat non amantes aliquid vitiose, et propter acum aut vilem pannum rixatur, memor injuriæ* sibi factæ, *et non confunditur* quod ipse tam vitiose ad parva afficitur.

Irascens amaricatur, id est, de se ipso et contra se ipsum fit amarus eo quod iram admisit, *et rursus irascitur super amaritudine,* id est de propria amaricatione, quod per eam ita affligit se ipsum ; *et addens diminutionem diminutioni,* id est culpam culpæ, per quam facit se ipsum spiritualiter magis ac magis minorem seu viliorem, *et succumbentiam succumbentiæ,* quia propriis passionibus magis ac magis dejicitur ac succumbit, *non sentit* proprias læsiones. *Saturatus, pœnitentiam habet,* id est, dolet quod comedit tam excessive ; *modicumque progrediens, apponit iterum saturari. Silentium dicit beatum, et per multiloquium ipsum extollit,* id est, in commendatione silentii excedit per verbositatem, imo et sæpe frangit silentium. *De mititate docet, et in ipsa doctrina frequenter irascitur.*

Sursum adspiciens, suspiravit ad Deum ac patriam illam cœlestem, compunctione quadam repentina volatili ; *et caput movens,* id est, ad alia intuenda inclinans, *iterum vitio appropinquat. Risum vituperat, et subridens,* id est cum risu, *de* A *luctu docet. Se ipsum vituperat in quibusdam quasi captum gloria vana, et per vituperium illud mercatur gloriam sibi,* hoc est, inanem gloriationem sibimet parit, vel honorem et laudem acquirit ab aliis quasi sit humilis. *Vitiose in faciem intuetur,* id est, vultum alterius inspicit libidinose, sensualiter seu morose, *et de castitate et continentia disputat. Laudat solitarie quiescentes ipse in mundo degens, et se ipsum confundens non considerat* quanta sit excæcatio et perversitas B sua. *Misericordes glorificat, et pauperibus improperat* paupertatem eorum. *Semper fit accusator sui ipsius,* quia conscius est sibi evidenter de malis, *et non vult venire in sui ipsius sensibilitatem,* id est ad formatam et practicam sui notitiam, ad veram contritionem, ad efficacem suæ pravitatis attentionem, *ut non dicam non potest :* nam utique potest ad eam pertingere, et si quod in se est faceret, statim pertingeret.

Vidi multos tales audientes de exitu C *mortis et ponendis judiciis Dei, et flentes ex quadam compunctione ; atque exsistentibus adhuc lacrimis in oculis eorum, festinantes ibant ad mensam,* cito obliti suæ compunctionis. *Et admiratus sum quomodo ipsa insensibilitas roborata ex multa privatione doloris, potuit triumphare de ipso luctu absque deliberatione domina vitæ,* quia per deliberationem regitur vita : sicque deliberatio domina vitæ appellatur. Vel « admiratus sum quomodo ipsa domina vitæ », id est gula seu insensibili- D tas ista dominans animæ, et loculus ejus, in quo ipsa per appetitionem quiescit, « potuit triumphare de luctu absque deliberatione », hoc est tam repente et improvise.

Juxta exilem virtutem et cognitionem in me præexsistentem antequam scripsi hæc, *denudavi fraudes et dolos et cicatrices hujus insensibilitatis lapideæ, duræ, vesanæ ac fatuæ. Non autem sustineo,* id est, non permitto me, *plus docere contra ipsam verbis* quam doceo in hoc loco.

Qui vero potens est in Domino afferre

ex propria experientia antidota cicatricibus, id est remedia vitiis seu eorum reliquiis, *non pigritet vel retardet* ad hæc exsequendum : ad quod multum confert experientia propria. *Non enim erubesco et ego impotentiam allegans,* hoc est, insufficientem me recognoscens, *sicut ab eadem fortiter detentus,* id est tanquam dire ligatus ab insensibilitate. *Neque enim valui apprehendere,* id est cognoscere, *a me ipso dolos et industrias ejus, nisi quia ipsam in quodam capiens loco, cum violentia tenui eam.* Loquitur autem auctor hoc loco metaphorice de captione, tentione, afflictione, percussione, extortione et repressione insensibilitatis, quasi de captione, tentione et afflictione visibilis inimici : itaque captio violentaque tentio insensibilitatis, est diligens et distincta consideratio ejus. *Et crucians eam flagello timoris Dei, et incessabili oratione cædens eamdem, feci eam confiteri præfata* quæ de ea nunc scripsi : hoc est, me ipsum affligens Dei timore quasi flagello, et orando assidue me fatigans, induxi me ad considerandum prædicta de insensibilitate, quæ ipsa me docuit materialiter, imo et occasionaliter.

Quocirca ipsa, quæ est tyrannus atque malefica, visa est dicere : Mei confœderati, id est, hi qui me familiariter admiserunt et mihi concordes effecti sunt, *videntes mortuos, rident,* nec cogitant se mortuos, cum interna compunctione ex tali spectaculo; *stantes quoque in oratione, sunt toti lapidei, duri et obtenebrati; quum vident sanctam mensam,* id est altare aut sacram communionem, *et sacris intersunt obsequiis, irreverentes sunt* circa divina *et insensibiles* insensibilitate præmissa; *sumentes Eucharistiam, afficiuntur quasi gustu vilis panis. Ego* insensibilitas *videns compunctos, subsanno eos,* præsumens quod cito dejiciam eos; *universa autem bona quæ fiunt ex fortitudine* animi *et desiderio* cordis, *interficere didici ab eo qui me genuit patre,* puta diabolo vel negligentia. *Ego sum mater risus, auctrix somni, amica saturitatis* ac satietatis. *Ego redarguta non doleo,* id est, eum cui insum facio impœnitentem etiam tunc dum juste corripitur. *Ego fictæ reverentiæ et fictæ religiositati connector,* id est, concomitor eas et eis me socio.

Miser ego stupens et pavens in verbis furentis vesaniæ, id est irrationabilis insensibilitatis istius, *interrogavi, volens discere nomen gignentis eam. Quæ ait : Ego non habeo unam genituram,* id est unicam generationem dumtaxat, *sed generatio mea est mixta, varia et quodammodo instabilis :* hoc est, interdum gignor ex una causa, quandoque ex pluribus, nec certa est regula super hoc. *Saturitas roborat me; tempus facit me crescere,* quia paulatim prævaleo. *Maligna consuetudo me fixit,* id est, stabilivit in homine negligentioso; *quam* consuetudinem *qui retinet, nunquam erit liber a me. Persevera cogitans in vigilia multa æternum judicium,* hoc est, perseveranter cum diuturna vigilia considera Dei judicium, cujus retributio manet semper. *Forte relaxabor paululum a te :* quia ex tali meditatione incipies emolliri atque compungi; sicque partim recedam a te. *Vide causam meam ex qua in te gignor, et contra matrem meam,* utpote causam illam, *fortiter agoniza,* id est labora : nam causa evulsa cessabit effectus. *Non enim in omnibus habeo causam unam. Ora plurimum in loculis mortuorum,* id est foveis factis pro defunctorum sepelitione, *depingens in corde tuo imaginem horum,* videlicet defunctorum, *continuo indelebilem et indeficientem : nisi enim imago istorum fuerit in corde tuo depicta stilo jejunii et penna vigiliæ,* id est jejunio ac vigiliarum protractione tanquam penna et graphio, *nunquam me vinces.*

A lapidea insensibilitate, videlicet prava mortificatione animæ et morte mentis, hoc est superiorum inferiorumque virium hominis, *[illegible] corporis* naturalem *[illegible] Deus Jesus Christus [illegible] per [illegible]* ab hac insensibilitate *obtinet gradum et ascensum virtutis in sanctificationem vitæ.*

GRADUS XVIII

DE SOMNO, ET ORATIONE, ET PSALMODIA IN CONGREGATIONE.

Gradus XIX sec. Græcum.

SOMNUS est adunatio et collectio naturæ particulariter. Somnus est imago mortis, otium sensuum. — Unus est somnus, sicut concupiscentia; sed habet plures suppositiones et occasiones : dico vero, ex natura, ex corporibus, ex cibis, ex dæmoniis, aut ex summo et quasi superextento jejunio, a quo caro extenuata et debilitata cupit deinde restaurare se ipsam per somnum. — Sicut multa potatio consuetudine tollitur, ita et multa dormitio. Qua ex re maxime laboremus contra eam in principiis abrenuntiationis : crudele enim est curare ægritudinem longam.

Observemus, et inveniemus spirituali tuba sonante ac signum dante, Fratres visibiliter congregatos, inimicos vero invisibiliter congregatos similiter cum Fratribus. Propterea alii ipsorum instant cubiculo, et postquam erexerimus nos de stratu, violentant ut reclinemus nos iterum super eumdem lectum. Dicunt : Mane in lectulo usque ad complementum hymnorum qui in proœmiis Officii dicuntur, et tunc deinde ad ecclesiam ibis. Alii immergunt somno eos qui orationi incumbunt; alii torquent ventrem doloribus inordinate præter consuetudinem; alii suggerunt et exhortantur fieri collocutiones in sancto loco et tempore orationis; alii trahunt mentem in turpes cogitationes; alii confortant nos reclinare parieti, quasi extenuatos ac debiles. Est vero quando nos circumvallant plurimis apertionibus et protensionibus oris. Sed et quidam eorum ad risum movent tempore orationis, ut per illum suscitent Deum contra nos ad indignationem. Alii compellunt festinare nos in prolatione versuum ex negligentia; alii exhortantur psallere morosius, amore et concupiscentia vanæ delectationis. Quandoque etiam assident ori, et faciunt illud clausum atque ad aperiendum difficile. Qui putat adaptare se Deo in sensu cordis, invenitur in oratione columna immobilis, a nullo prædictorum dæmoniorum illusus.

Qui est vere obediens, stans in oratione fit plerumque totus exsultans et illuminosus : nam ante orationem erat præparatus ut pugil, et præignitus fuit per legitimam ministrationem.

Universis possibile est cum multitudine orare; multis autem congruum est cum unanimi solo : nam valde paucorum est oratio solitaria ac singularis. Cum multitudine hymnos cantans, non poteris immaterialiter orare. Est vero tibi ad operationem mentis, contemplatio cantatorum hymnorum, aut iterum oratio definita, intellectualiter et fixe meditando in mora proximi versus.

Nulli convenit in oratione tenere prævaricationem operis, magis vero destructio-

nem : hoc enim sapiens angelus disciplinavit, secundum magnum Antonium. — Caminus probat et examinat aurum : orationis vero adsistentia probat ac monstrat caritatem, sollicitudinem et festinantiam monachorum ad Deum.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS OCTAVIDECIMI.

SOMNUS est adunatio et collectio naturæ particulariter. In somno enim cessat dispersio sensuum exteriorum circa diversa, et ita natura recolligitur in se. *Somnus est imago mortis :* quia in multis convenientiam habet cum morte, et dormiens mortuo assimilatur. Est quoque somnus *otium sensuum,* id est vacatio sensuum exteriorum ab actibus.

A

Unus est somnus in generali, *sicut concupiscentia* est una in genere ; *sed* somnus *habet plures suppositiones,* id est causas, *et occasiones. Dico vero : ex natura, ex corporibus, ex cibis, ex dæmoniis,* hoc est, somnus aliquando oritur ex indigentia seu inclinatione naturali, quandoque ex corporum dispositione, interdum ex cibis superfluis, vicissim ex dæmonum operatione, qui multipliciter faciliterque possunt provocare ad somnum ; *aut ex summo et quasi superextento jejunio,* id est, somnus quandoque causatur ex abstinentia seu jejunio vehementi, quod quasi extenditur super vires naturæ, *a quo caro extenuata et debilitata cupit deinde restaurare se ipsam per somnum,* qui quiescentem refocillat, et contra tristitiam valet, et famis pœnam facit non sentire ad tempus.

B

Sicut multa potatio consuetudine tollitur, ita et multa dormitio : hoc est, quemadmodum potator paulatim superat consuetudinem ac inclinationem multum potandi, imo et assuefactione potandi quotidie parum (quæ assuefactio est in principio laboriosa) vincit usum potandi multum, ita quod postea leve est ei abstinere a potu multo; ita potest quis vincere consuetudinem et inclinationem dormiendi diutius. *Qua ex re maxime laboremus contra eam,* videlicet multam dormitionem, imo et contra multam potationem, *in principiis abrenuntiationis : crudele enim,* id est difficile ac molestum, *est curare ægritudinem longam,* hoc est inveteratam passionem et consuetudinem vitiosam.

C

Observemus, et inveniemus spirituali tuba sonante ac signum dante, puta campana, quæ dicitur spiritualis tuba, quoniam ad spirituale ac divinum vocat Officium : tunc itaque « inveniemus » *Fratres visibiliter congregatos* in ecclesia, *inimicos vero,* videlicet dæmones, *invisibiliter congregatos similiter cum Fratribus* ut eos impugnent. *Propterea alii ipsorum,* id est quidam dæmonum, *instant cubiculo, et postquam crexerimus nos de stratu, violentant,* hoc est, importune suggerunt ac disponunt, *ut reclinemus nos iterum super eumdem lectum. Dicunt,* hoc est, unicuique suggerunt : *Mane in lectulo usque ad complementum hymnorum qui in proœmiis Officii* matutinalis *dicuntur, et tunc deinde ad ecclesiam ibis.*

Alii dæmones *immergunt somno eos qui orationi incumbunt ; alii torquent ventrem* [illegible] *gitationes; alii confortant,* id est, fortiter

incitant, *nos reclinare parieti* in divino Officio, *quasi extenuatos ac debiles. Est vero quando nos circumvallant,* hoc est, aliquando contingit quod nos tentant, *plurimis apertionibus et protensionibus oris,* id est assiduis et continuatis oscitationibus. *Sed et quidam eorum ad risum movent tempore orationis, ut per illum suscitent Deum contra nos ad indignationem,* eo quod in suo cultu habeamus nos irreverenter ac leviter. *Alii compellunt,* id est, importune inclinant, *festinare nos in prolatione versuum ex negligentia; alii exhortantur psallere morosius, amore et concupiscentia vanæ delectationis,* id est, non ex devotione, sed desiderio laudis humanæ, sive ex complacentia vana. *Quandoque etiam assident ori, et faciunt illud clausum atque ad aperiendum difficile. Qui putat adaptare se Deo in sensu cordis,* id est, cum gustu interno et mentali attentione confidenter disponit et applicat se Deo, *invenitur in oratione columna immobilis,* utpote fixus ac stabilis instar columnæ, *a nullo prædictorum dæmoniorum illusus,* imo superat eos.

Qui est vere obediens, stans in oratione fit plerumque totus exsultans et illuminosus: nam ante orationem erat præparatus ut pugil ad orandum stabiliter ac devote, ad resistendum quoque præfatis dæmonibus, *et præignitus fuit,* id est igne amoris accensus, *per legitimam ministrationem* qua Deo ac præsidentibus ac Fratribus ministravit prout obedientiam decet: idcirco in oratione confortatur et copiosissime illustratur a Spiritu Sancto. Unde in
Eccli. XVIII, 23. Ecclesiastico dicitur: Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse sicut homo tentans Deum.

Universis possibile est cum multitudine orare, cantare et psallere; *multis autem congruum est cum unanimi solo,* id est, magis convenit multis orare seu divinum Officium solvere cum uno solo secum concorde. *Nam valde paucorum est oratio solitaria ac singularis,* id est, paucissimis convenit seorsum et private orare ac psallere cum interna devotione sicut oportet. *Cum multitudine hymnos,* id est psalmos ac laudes Dei, *cantans, non poteris immaterialiter orare,* hoc est pure, abstracte ac irreflexe Deum laudare ac invocare. *Est vero tibi ad operationem mentis, contemplatio cantatorum hymnorum,* id est, dum cantas cum aliis, consideras qui psalmi cantati sunt: quod cogitas ultra mentis tuæ devotionem; *aut iterum* est tibi *oratio definita,* id est determinata, *intellectualiter et fixe meditando in mora proximi versus,* id est infra horulam moræ illius quæ est inter finem versus quem cantasti et inter inchoationem versus sequentis quem cantabis. Vel « in mora proximi versus », hoc est infra horulam qua alius chorus cantat versum proxime subsequentem; et redit in idem. Nam infra tempus quo alius chorus psallit, potes orare ac meditari interne, sed breviter: sic tamen ut versum alterius chori advertas, aut sensum ejus concipias, nisi forte aliquid altius contempleris. Itaque psallentem cum aliis oportet multa advertere quæ eum impediunt ab immateriali, pura et irreflexa ad Deum elevatione.

Nulli convenit in oratione tenere prævaricationem operis, hoc est exsecutionem sive memoriam exterioris occupationis: per quod Deus offenderetur; *magis vero* convenit tenere *destructionem,* id est oblivionem interruptionemque operis usque ad finem orationis. *Hoc enim sapiens angelus disciplinavit,* hoc est edocuit, *secundum magnum Antonium.* Hic tangitur quædam historia quæ in quinto Vitaspatrum narratur. Quum enim quadam vice beatissimus pater Antonius in solitudine residens, Deo permittente quodam tædio aliquantulum tangeretur et cogitationum confusione, adspiciens vidit quemdam in specie sua sedentem et manibus operantem, deinde ab operatione illa cessantem atque orantem, et rursus post orationem ad opus manuum redeuntem, ac denuo postposito opere deprecantem, et ita frequenter agentem. Erat autem angelus Dei,

missus ad instructionem ac consolationem gloriosi Antonii; moxque disparuit angelus. Antonius quoque audivit vocem sibi dicentem : Antoni, sic fac, et salvus eris. Quibus visis et auditis, sacratissimus vir fuit magnifice consolatus ; et fecit sic, aliosque instruxit sic agere.

Prov. xvii, 3. *Caminus probat et examinat aurum; orationis vero adsistentia,* id est oratio Deo oblata, per quam homo Deo adsistit et ei se repræsentat, *probat ac monstrat caritatem, sollicitudinem, et festinantiam,* hoc est ferventem tendentiam, *monachorum ad Deum.* Si enim assiduas, puras ac fervidas orationes offerunt Deo, et coram ipso se habent timorate ac custodite, signum est quod in Dei amore sinceri spiritualiterque solliciti sunt, ne Creatorem suum in aliquo inhonorent, et item ut coram ipso condigne et fructuose se habeant; si autem in orationibus suis sint vagi, frigidi, pigri, et absque gustu mentali, malum est signum et pessimum valde.

GRADUS XIX

DE CORPORALI VIGILIA, ET QUALITER PER EAM ADVENIAT SPIRITUS SANCTUS, ET QUOMODO EXSEQUI EAM OPORTEAT.

REGIBUS terrenis quidam adsistunt quasi immateriales et nudi ; aliqui vero tenent virgas, alii scuta, alii gladios. Multa est differentia primorum ad extremos, et incomparabilis est excellentia illorum primorum ad ultimos : hi enim solent esse consanguinei proprie atque domestici regis. Et ista quidem ita se habent in his terrenis. Age ergo videamus et nos, qualiter de cetero faciamus adsistentiam nostram ad Deum et Regem nostrum in adsistentiis et orationibus diurnis et vespertinis atque nocturnis. G. xx sec. latinum.

Quidam vero in vespertina oratione et pernoctatione, immateriales et nudi ab omni cura in prece manus extendunt ; alii vero cum psalmodia in eadem adsistunt ; alii lectioni magis incumbunt ; alii ex infirmitate per opus manuum viriliter contra somnum certant ; alii vero vacant intente meditationi mortis, volentes compunctionem sumere per eamdem. Horum omnium primi et novissimi incumbunt pernoctationi Deo dilectæ, secundi vero monasticæ ; tertii autem gradiuntur viam magis infirmam. Veruntamen Deus suscipit et reputat dona secundum intentionem et virtutem facientium ea.

Vigilans oculus emundavit mentem ; multitudo somni excæcavit animam. — Vigilans monachus est inimicus fornicationis, somnolentus vero est conjugatus eidem.

Vigilia est confractrix ignitionis corporis, redemptrix somniorum, devotus et humens oculus, luctans cor, cogitationum custodia, fornax escarum, domatio vitiorum, restrictio linguæ, effugatio quoque phantasmatum. Monachus vigil, cogitationum piscator, valet super eas intendere et capere eas in noctis tranquillitate.

Monachus amator Dei, tuba orationis signum dante dicit, Euge, euge ; negligens vero dicit, Heu, heu ! — Præparatio mensæ probavit gulosos, operatio orationis amatores Dei. Sed primus videns eam, exsultavit ; secundus vero contristatus est.

Somnus multus est conciliator oblivionis ; vigilia vero purgat memoriam. — Divitiæ congregantur agricultoribus in area atque canalibus ; monachis vero divitiæ et scientia in adsistentiis vespertinis et matutinis, et operationibus mentis. — Somnus multus est conjux injusta : mediam vitam negligentiis rapit, quamvis et amplius.

Improbus monachus in collocutionibus hominum vigil est ; et hora orationis apprehendente, oculos aggravavit. — Monachus vacuus, in multiloquiis probus ; lectione illata, præ somno videre non potuit. — Tuba novissima insonante et vocante, erit resurrectio mortuorum ; et otiosa verbositate superveniente, somnolenti evigilant.

Dolosus amicus somni cedit plerumque saturitati, et in fame et siti fortiter pugnat, opus manuum in orationibus portare supponens : aliter enim exterminare non valet orationem vigilantium. Iste subingreditur primus impugnare initiantes ac introducendos, ut faciat eos negligere atque pigrescere ex proœmiis, vel ut ante faciens, paret viam dæmoni fornicationis. Non devitemus psallere cum multitudine quousque liberemur ab isto : sæpe enim erubescentes non dormitamus. Canis inimicatur lepusculis, et dæmon vanæ gloriæ somno.

Venditor computat lucrum suum post diem, post psalmodiam vero operator. — Exspecta et persevera in oratione vigilanter, et tunc videbis impetus dæmonum tanquam impugnatos a nobis. Post orationem inhonestis phantasiis nos configere probant.

Residens observa, et videbis eos qui consueverunt animæ primitias rapere. Est quidem ex attenta frequentatione meditari in somnis psalmorum eloquia ; est vero quando et dæmones eadem nobis supponunt et ingerunt, ut ad superbiam nos extollant. Tertium vero dicere nolui, sed vim mihi aliquis intulit.

Anima quæ verba Dei indesinenter meditatur in die, habet naturam ex amore degere in eisdem etiam in somno : nam remuneratio proprie prioris mercedis est secundum adversionem spirituum atque phantasmatum.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS NONIDECIMI.

R*EGIBUS terrenis quidam adsistunt quasi immateriales et nudi,* hoc est sine onere aliquo, liberi, ac proximi regi, habentes ministros sub se ; *aliqui vero tenent virgas, alii scuta, alii gladios. Multa est differentia primorum,* qui nihil portant A in manu, *ad extremos,* qui gladios portant, *et incomparabilis est excellentia illorum primorum ad ultimos : hi enim* primi *solent esse consanguinei proprie atque domestici regis. Et ista quidem ita se habent in his terrenis. Age ergo videamus*

et nos, qualiter de cetero faciamus adsistentiam nostram ad Deum et Regem nostrum, hoc est, qualiter coram Dei conspectu nos habeamus ac præsentemus, videlicet *in adsistentiis et orationibus diurnis et vespertinis atque nocturnis.*

Quidam vero in vespertina oratione et pernoctatione, immateriales et nudi ab omni cura, id est abstracti a phantasmatibus et considerationibus corporalium rerum carnaliumque curarum, *in prece manus extendunt,* orationibus insistendo. *Alii vero cum psalmodia in eadem* pernoctatione Deo *adsistunt. Alii lectioni magis incumbunt. Alii ex infirmitate per opus manuum viriliter contra somnum certant.* Si isti « viriliter certant » adversus « somnum », quomodo « ex infirmitate » facere hoc dicuntur ? Et respondendum, quia hoc ipsum quod somnum vincere nequeunt nisi per opus manuum, infirmitatis est, id est imperfectionis : nondum enim sunt assuefacti et exercitati in spiritualibus exercitiis atque vigiliis. *Alii vero vacant intente meditationi mortis, volentes compunctionem sumere per eamdem. Horum omnium primi et novissimi incumbunt pernoctationi Deo dilectæ; secundi vero* incumbunt pernoctationi *monasticæ; tertii autem gradiuntur viam magis infirmam.*

Jam posuit auctor quinque gradus vigilantium et pernoctantium in actibus bonis; nunc vero resumit et ponit tres gradus. Nam primos et novissimos, utpote exsistentes de primo gradu et quinto, comprehendit sub ordine uno, in quantum in sua pernoctatione vacant occupationi valde salubri : nam primi orationi sinceræ, quinti autem meditationi mortis præcordiali. Idcirco eorum pernoctationem vocat Deo dilectam. Eos vero qui in psalmodia pernoctant, dicit incumbere « pernoctationi monasticæ », id est cœnobiali : quoniam in cœnobiis monachorum, psalmi cantantur in nocte. Porro eos qui lectioni et operi manuali insistunt, dicit incedere viam infirmiorem : quoniam occupationes

A illæ non sunt ita divinæ, nisi forte quis incumbat lectioni aut studio seu dictationi librorum, aut expositioni Scripturæ, ex caritate ferventi, propter bonum commune. Possunt quoque et alii gradus pernoctantium assignari, et inter illos et eos qui modo sunt positi, dignissimus exstat eorum qui in contemplatione ac mystica theologia aut etiam raptu pernoctant.

Verumtamen Deus suscipit et reputat dona, hoc est opera bona præfatorum, quæ offerunt Deo, et quæ de manu Domini acceperunt, B quoniam merita nostra sunt ejus dona : hæc, inquam, opera Deus acceptat ac numerat *secundum intentionem et virtutem facientium ea :* nam quanto illorum intentio purior est et virtus intensior, tanto plus promerentur per opera sua præfacta.

Vigilans oculus emundavit mentem, id est, corporalis vigilia, quæ per oculorum vigilantiam præcipue demonstratur, confert atque disponit ad interiorem munditiam, dummodo illa vigilia in virtuosis C exercitiis expendatur. Si autem intelligatur de oculo interiori, certum est quod ille « vigilans », hoc est, diligenter se observans, mentem, imo se ipsum, expurget. *Multitudo somni excæcavit animam,* id est, somnus superfluus facit hominem ad opera virtuosa ineptum, gravatque corpus et mentem, atque ut asserit Cato, vitiis alimenta ministrat. In tali quoque somno tempus infructuose consumitur, et multa bona opera negliguntur.

Vigilans monachus, hoc est bonis operibus D ac sacris vigiliis diligenter ac discrete intentus, *est inimicus fornicationis :* quoniam detestatur eamdem, et tentationibus ejus efficaciter reluctatur ; *somnolentus vero est conjugatus eidem,* id est fornicationi familiaris ac junctus : nam et si corporaliter non fornicetur, stimulis tamen concupiscentiis tentationibusque succumbit.

Consequenter commendat et quasi describit vigiliam, non utique qualemcumque, sed vigiliam fructuosis exercitiis oc-

cupatam. *Vigilia est confractrix ignitionis* A *corporis :* frangit etenim et exstinguit, excludit et aufert corporis inflammationem ac stimulum; *redemptrix somniorum :* quia per eam somnia, quæ somnolentis accidunt, evitantur; *devotus et humens oculus,* hoc est, ad lacrimosam devotionem disponens; *luctans cor :* quia inducit ad hoc ut cor vitiis renitatur; *cogitationum custodia; fornax escarum,* consumendo easdem, vel quoniam in vigilia præparantur cibaria animæ, quemadmodum panes in fornace; *domatio vitiorum,* B *restrictio linguæ, effugatio quoque phantasmatum :* per vigiliam namque acquiritur incrementum gratiæ ac virtutum, per quas vitia compescuntur, lingua frenatur, distractiones vitantur. *Monachus vigil, cogitationum piscator,* id est propriarum cogitationum inquisitor, captor et dijudicator, *valet super eas intendere,* considerando qualitatem earum, *et capere eas* ad judicandum *in noctis tranquillitate,* hoc est in tempore noctis quieto.

Monachus amator Dei, tuba orationis C *signum dante dicit, Euge, euge :* id est, qui fervide diligit Deum, gaudet et signa sanctæ jucunditatis effundit, dum audit pulsum ad divinum obsequium. Servit etenim Domino corde vero atque promptissimo, et intime delectatur in laudibus ac honorificentia ejus. *Negligens vero dicit, Heu, heu!* Mallet enim manere in lecto, et loquacitati vacare, imo et operi manuali insistere, quam ad Matutinas consurgere, sive ad ceteras Horas persolvendas accedere. D

Præparatio mensæ probavit gulosos, hoc est, manifestavit eosdem. Quum enim objecta moveant suas potentias, gulosus visa mensa laute parata, carnaliter et delectabiliter ad eam afficitur ac festinat : per quod propriam gulositatem ostendit. *Operatio,* id est exsecutio, *orationis* probavit *amatores Dei.* Si enim quis insistat orationi ferventer, pure ac diuturne, signum est quod diligat Deum. In oratione quippe alloquimur eum quem exoramus : qui autem amat Deum sincere, cum ipso libenter confabulatur. *Sed primus videns eam,* id est, gulosus mensam conspiciens, *exsultavit; secundus vero contristatus est* mensam inspiciendo, quoniam timet in comedendo excedere, et mallet spiritualibus occupari.

Somnus multus est conciliator, id est adductor et causa, *oblivionis* rerum spectantium ad salutem; *vigilia vero purgat memoriam :* imo ornat et perficit eam.

Divitiæ congregantur agricultoribus in area atque canalibus, hoc est in horreis et repositoriis ceteris in quibus reponuntur fructus ac ceteræ possessiones. *Monachis vero divitiæ et scientia,* id est spiritualis profectus et salutaris scientia, acquiruntur et colliguntur *in adsistentiis,* id est vigiliis, quibus repræsentant se Deo : adsistentiis, inquam, *vespertinis et matutinis, et operationibus mentis,* hoc est exercitationibus interioribus, per quas potissime crescunt.

Somnus multus est conjux injusta, id est mala contoralis : quia per somnum superfluum non fit homo fecundus, sed sterilis corde. *Mediam vitam negligentiis rapit,* hoc est, medietatem temporis quo vivit, infructuose consumit, *quamvis et amplius* noceat quam tantum.

Improbus monachus in collocutionibus hominum vigil est : delectatur namque in fabulando; *et hora orationis apprehendente,* id est adveniente, *oculos aggravavit :* quoniam in divino obsequio piger, fastidiosus ac somnolentus efficitur. — *Monachus vacuus,* hoc est mente inanis, *in multiloquiis probus,* in quibus conatur prudentiam suam monstrare; *lectione* sacræ Scripturæ *illata, præ somno videre non potuit :* attædiatur enim et cito lassatur de ea, et dormit præ tædio. — *Tuba novissima insonante et vocante,* id est, dicente, Surgite, mortui, venite ad judicium, *erit resurrectio mortuorum; et otiosa verbositate superveniente, somnolenti evigilant,* qui in bonis sermonibus obdormierunt.

Dolosus amicus somni, qui scilicet somnum sic diligit ut alios a fructuosa vigilia male vigilando impediat, *cedit plerumque saturitati,* id est, eam aliquando vitat, *et in fame et siti fortiter pugnat,* hoc est, famem ac sitim æquanimiter tolerat, *opus manuum in orationibus portare supponens,* id est, præsupponens et affirmans se posse simul exercere opus manuum et orationes persolvere, seu tempore orationis esse laborandum ; *aliter enim exterminare,* id est impedire sive abrumpere, *non valet orationem vigilantium,* quos suo exemplo et documento perverso conatur ad exteriorem occupationem inducere, quando spiritualibus actibus est vacandum. *Iste* dolosus *subingreditur primus impugnare initiantes ac introducendos,* id est, præ aliis nititur a spirituali impedire profectu noviter conversos, qui ad meliora sunt instruendi, *ut faciat eos negligere atque pigrescere ex proœmiis,* hoc est ab exordio conversionis ipsorum, *vel ut ante faciens,* id est, malum exemplum præmonstrans, *paret viam dæmoni fornicationis,* præparando ei ingressum ad incipientes pigrescentes seque negligenter habentes.

Non devitemus psallere cum multitudine Fratrum *quousque liberemur ab isto,* hoc est a machinationibus istius dolosi, seu spiritus fornicationis ; *sæpe enim erubescentes non dormitamus,* id est, ex verecundia sæpe vitamus somnum in divino Officio propter adstantes. *Canis inimicatur lepusculis, et dæmon vanæ gloriæ* inimicatur *somno.* Dæmon enim qui instigat ad gloriam vanam, facit ea vitari per quæ fit homo aliis evidenter contemptibilis : inter quæ est somnolentia in divinis, et somnus aperte superfluus. Unde vanæ gloriæ dæmon excitat multoties hominem ad vigilandum, cantandum ac laborandum vivaciter.

Venditor computat lucrum suum post diem, puta de vespere, venditione diei cessante ; *post psalmodiam* [illegible], id est, monachus agilis ac devotus finito divino obsequio discutit conscientiam suam, qualiter se habuerit et quantum profecerit in divinis.

Exspecta et persevera in oratione vigilanter, et tunc videbis impetus dæmonum tanquam impugnatos a nobis, id est, per experientiam in te ipso cognosces quod vehementiæ diabolicarum tentationum debilitentur in nobis virtute ferventis et assiduæ orationis. *Post orationem inhonestis phantasiis nos configere probant,* hoc est, quando ab oratione cessamus et animum relaxamus ab actuali elevatione ad Deum, tunc dæmones student nobis immittere cogitationes vanas et fœdas, ut per eas nos vulnerent. Ideo dum ab oratione cessamus, custoditi ac timorati permaneamus.

Residens observa, id est, quieta mente considera pertinentia ad salutem, *et videbis eos qui consueverunt animæ primitias rapere,* hoc est, dolos ac machinas dæmonum in te ipso intelliges, qui solent animas incustoditas spoliare præcipuis fructibus devotionum suarum, ita quod animæ tales una hora amittunt quod alias congregant, et instar cancrorum nunc procedunt, nunc retrocedunt.

Est quidem ex attenta frequentatione, hoc est, vicissim contingit ex devota frequenti occupatione in decantatione et prolatione psalmorum tempore vigiliarum, *meditari in somnis psalmorum eloquia.* Quod enim in vigilando quis attentius diuturniusque exercet, hoc solet sibi in somno occurrere : imo interdum vir devotus in somno devotissime meditatur, imo et aliquando profert verba psalmorum ; limpidius quoque intelligit sensum eorum, quam in vigilia intellexit. *Est* [illegible] *ingerunt,* id est, dæmones interdum in somno immittunt ac ingerunt nobis psalmorum et aliorum divinorum memoriam, *ut vel* [illegible], hoc est, ut arbitremur nos esse alicujus perfectionis, et meritis nostris talia fieri in nobis a Deo. [illegible] Quid intelligat per tertium istud, et cur noluit illud exprimere

re, certitudinaliter non cognosco; sed forte per tertium innuit quod quandoque meditamur psalmorum verba in somno ex illuminatione divina aut inspiratione angelica : quod ex humilitate non expressit, ne videretur notare se ipsum, quum tamen aliquis importune petierit ut istud exprimeret.

Anima quæ verba Dei indesinenter meditatur in die, habet naturam ex amore degere in eisdem etiam in somno, hoc est, A connaturale est ei ex divina dilectione, ut et in somno quiescat in meditatione actuali verborum hujusmodi. *Nam remuneratio proprie prioris mercedis est secundum adversionem spirituum atque phantasmatum,* hoc est, juxta diversum occursum considerationum et imaginationum in somno occurrentium, attenditur retributio quædam actuum in vigilia habitorum : nam juxta merita sive demerita actionum priorum contingunt dispensanturque somnia.

GRADUS XX

DE INVIRILI ET PUERILI FORMIDINE.

Gradus xxi sec Græcum.

QUI in cœnobiis et congregationibus virtutem exsequitur, non consuevit nimis a formidine impugnari; degens autem in quiete et locis magis solitariis, laboret nequando dominetur ei formido germen gloriæ vanæ et filia infidelitatis. Formido est puerilis mos in anima senescente vane gloriosa. Formido est aversio fidei in exspectatione improvisorum aut displicentium. — Timor est præmeditatum periculum; vel iterum timor est contremiscens sensus cordis, de incertis periculis animum frangens, consternans et tristans. Timor est certitudinis et securitatis privatio.

Superba anima de se ipsa confidens, est serva formidinis, et fragores et strepitus creaturarum et umbras timet. Nam lugentes et desperantes formidinem non possident. Formidolosi vero multoties ecstasim sustinent : et rationabiliter. Justus est enim Deus, qui superbos relinquit ut et nos reliqui corrigamur non extolli.

Omnes enim formidantes sunt vane gloriosi; sed non omnes qui non formidant sunt humiles aut humile sapere habentes : quoniam et latrones et sepulcra perfodientes non formidant faciliter pro omni contingente.

Ad loca in quibus consuevisti expavescere, non negligas accedere ad pernoctandum : quia si relaxaveris paulisper, consenescet puerilis hæc passio atque derisio. Accedens, oratione te arma; apprehende armaturam, et manus ad Jesum extendens, Jesu nomine flagella impugnatores : non enim est fortior armatura in cœlo et in terra. Liberatus ab infirmitate, lauda redemptorem, agens gratias ei, et in sæculum proteget te.

Nunquam poteris ventrem sub uno satiare, quemadmodum neque formidinem vincere. Secundum mensuram luctus celeriter victa recedit, et secundum illius diminutionem et defectum formidolosi formidamus.

Inhorruerunt pili mei et caro, ait Eliphaz, dæmonis versutiam monstrans. — Job. IV, 15.
Aliquando anima, aliquando corpus formidat, et alteri passionem tradidit. Quando formidante carne formido non pertransit in animam, propinqua est infirmitatis liberatio. Quum autem ex cordis contritione exspectamus prompte cuncta improvisa ac displicentia, tunc vere a formidine liberamur : non enim locorum tenebræ et solitudo faciunt dæmones invalescere contra nos, sed sterilitas animæ. Est vero quando disciplina seu correctio dispensativa hoc facit.

Qui factus est servus Domini, propter Dominum et solum timebit; qui vero hunc nondum timet, propriam umbram multoties pertimescit.

Adstante invisibili spiritu, timet corpus; adstante autem angelo, exsultat humilis anima. Quapropter intelligentes adventum ejus ex efficacia et operatione ipsius, ad orationem secedamus : bonus enim custos noster advenit orare nobiscum.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI.

A QUI *in cœnobiis et congregationibus virtutem exsequitur,* id est, virtuose conversatur, *non consuevit nimis a formidine impugnari,* hoc est, talis non solet valde multum tentari de passione timoris immoderati, quum inter alios degat. *Degens autem in quiete et locis magis solitariis,* id est, solitariam et quietam agens vitam, *laboret* in virtutibus crescere, præsertim in humilitate et fortitudine cordis, *nequando dominetur ei formido* carnalis, quæ est *germen gloriæ vanæ et filia infidelitatis :* causatur namque ex imperfectione defectuque fidei. B

Formido est puerilis mos, id est passio stulta, *in anima senescente et vana gloriosa,* hoc est in homine qui vel tempore vel vitiis inveteratur atque inaniter gloriatur, propter quod meretur hunc tam vili subjici passioni, ut instar puerorum formidet.

Formido est aversio fidei, id est passio per quam a fidei perfectione receditur, *in exspectatione improvisorum aut displicentium.* Quemadmodum enim dolor est de malo præsenti, sic formido seu timor est C fuga seu detestatio mali futuri, puta periculorum seu adversitatum improvise aut præscienter seu opinanter proventurorum.

Timor est præmeditatum periculum, id est abominatio præconcepti periculi. *Vel iterum timor est contremiscens sensus cordis,* id est affectio horrens sensitivi appetitus, *de incertis periculis animum frangens, consternans et tristans,* hoc est, dejiciens et affligens. Timor enim magis proprie est de malis incertis, quam certitudinaliter futuris : quæ enim pro certo futura sunt, quasi præsentia apprehenduntur, et magis inducunt tristitiam aut dolorem quam timorem.

Timor est certitudinis et securitatis privatio. Jam enim prædictum est, quod est de incertis eventibus : sicque ponit hominem in incerto, et facit eum fluctuare in exspectatione adversitatis de cujus eventu ambiguus est. Timor quoque securitati opponitur loquendo de bona securitate quæ ex confidentia divinæ protectionis aut subventionis procedit, et est constantia quædam mentis in Deo. Unde et Salomon loquitur in Proverbiis : Justus Prov. XXVIII, 1.

quasi leo confidens, absque terrore erit. Itaque formido ista carnalis, inordinata, stulta et puerilis, valde impedit devotionem, tranquillitatem et delectationem internam, quum scriptum sit, Secura mens quasi juge convivium. Conformiter dici potest : Timida mens quasi juge tormentum. Hinc quoque prædictum est, quod « formido est aversio fidei ». Si enim firmam et plenam quis habeat fidem de providentia, præsentia et adsistentia Dei tanquam piissimi patris et fidelissimi protectoris omnipotentisque domini, sine cujus scitu et permissu nulla potest adversitas evenire, et speret in ipso, nullam admittet jam insipientem formidinem.

Prov. xv, 15.

Superba anima de se ipsa confidens, est serva formidinis, et fragores et strepitus creaturarum et umbras timet. Quum enim superba sit atque de viribus suis confidens, indignam se facit gratiosa confortatione Omnipotentis; et sicut nunc vane præsumit, ita nunc viliter et minima quæque formidat. *Nam lugentes et desperantes formidinem non possident.* Qui enim peccata sua deplorant veraciter, sic metuunt Deum et ejus judicium, quod fatuam excludunt a suo corde formidinem. Denique qui vel omnino vitiose desperant, vel de suis viribus nihil præsumunt, abjiciunt hunc timorem. Qui enim omnino desperant, quasi certos se arbitrantur de suis periculis. Qui vero nequaquam præsumunt de se, divino innituntur auxilio : sicque securitatem sortiuntur in Deo, quemadmodum scriptum est Machabæorum primo, Omnes qui sperant in eum non infirmantur.

I Mach. II, 61.

Formidolosi vero multoties ecstasim sustinent, hoc est, in tantum quandoque vincuntur passione ista miserrima, quod ratio absorbetur, et præ timore deficiunt ac alienantur a semetipsis : *et rationabiliter,* id est, juste istud contingit. *Justus est enim Deus, qui superbos* juste *relinquit,* permittens eos taliter passionari ut dictum est, *ut et nos reliqui corrigamur,* hoc est, per aliorum ruinam erudiamur, A *non extolli,* id est, ne similem incidamus formidinem timorisque ecstasim.

Omnes enim formidantes sunt vane gloriosi, id est, quicumque præfatæ succumbunt formidini, nondum a vana gloria sunt purgati; *sed non omnes qui non formidant sunt humiles aut humile sapere habentes,* hoc est de se ipsis humiliter sentientes, *quoniam et latrones et sepulcra perfodientes* ut rapiant ea quæ apud defunctorum sunt corpora, *non formidant faciliter pro omni contingente,* id est pro B quacumque adversitate imminente : imo quidam habent quamdam leoninam animositatem, ita quod nec tunc metuunt quando periculum exstat in foribus.

Ad loca in quibus consuevisti expavescere, non negligas accedere ad pernoctandum : quia si relaxaveris paulisper, hoc est, si fueris aliqualiter laxus in resistendo huic formidini et eam paulisper admiseris, *consenescet,* id est, usque ad finem vitæ tuæ tecum manebit, *puerilis hæc passio atque derisio,* quæ vocatur « derisio », C quia per eam diabolus illudit homini, ita quod timet ubi non est timendum. *Accedens* ad loca præfata, *oratione te arma,* Deum fiducialiter invocando, et ei plena fide te committendo. *Apprehende armaturam* spiritualem, *et manus ad Jesum extendens, Jesu nomine flagella impugnatores,* hoc est, Jesum amorose ac dulciter nominando, laudando et exorando, afflige dæmonia; *non enim est fortior armatura in cœlo et in terra. Liberatus ab infirmitate,* id est a præfata vili debilique formi- D dine, *lauda redemptorem, agens gratias ei, et in sæculum proteget te :* qui enim de acceptis muneribus gratus est, meretur majora.

Nunquam poteris ventrem sub uno, id est repente, seu uno momento, *satiare, quemadmodum neque formidinem vincere,* sed sicut venter paulatim reficitur et impletur, ita formido per assiduas orationes, compunctiones et virtutum profectus successive eradicatur. *Secundum mensuram luctus celeriter victa recedit :* hoc

est, quanto plus in gratia lacrimarum proficimus, tanto velocius hanc formidinem superamus ; *et secundum illius diminutionem et defectum formidolosi formidamus :* id est, quanto luctus salubris magis decrescit in nobis, tanto amplius manet in nobis passio ista.

Inhorruerunt pili mei et caro, ait Eliphaz, dæmonis versutiam monstrans. Hic breviter tangitur quod in libro Job plenius continetur. Ibi quippe Eliphaz loqui-
Job IV, 14-15. tur : In horrore visionis nocturnæ pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt ; et quum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Sed quomodo auctor hic asserit, quod Eliphaz narrat ibi « versutiam dæmonis », quum Eliphaz ipse affirmet visionem illam sibi divinitus factam, ut patet ex verbis quæ ibi sequuntur ? Naturale est quoque fragilitati humanæ in talibus apparitionibus vehementer timere. Quocirca sciendum, quod quidam expositores dicunt ipsum Eliphaz visionem illam finxisse : quod etiam S. Thomas sentit ibidem. Alii dicunt, quod habuit visionem illam a Deo ministerio angeli sancti. Sed auctor iste videtur sentire, quod visio illa
II Cor. XI, 14. fuit de dæmone, qui se in angelum lucis aliquando transfigurat, et vera quædam versute denuntiat, ut tandem sibi credentem gravissime fallat.

Aliquando anima, aliquando corpus formidat. Formido ista quum sit passio, est subjective in appetitu sensitivo : et ita per eam corpus formidat, quum appetitus ille sit potentia materialis organica. Porro dum ratio passioni illi renititur nec consentit, tunc anima dicitur non timere. *Et alteri passionem tradidit,* hoc est, corpus seu anima timens, quandoque transfundit passionem suam in alium.

Quando formidantis carne formido non pertransit in animam, propinqua est infirmitatis liberatio, hoc est reformatio passionis istius : tunc etenim ratio reprimit hunc timorem. *Quum autem ex cordis contritione exspectamus prompte cuncta improvisa ac displicentia,* id est, dum tantum dolemus de nostris peccatis quod parati sumus pro eis tolerare quæcumque adversa et gravia, *tunc vere a formidine liberamur : non enim locorum tenebræ et solitudo faciunt dæmones invalescere contra nos, sed sterilitas animæ,* id est propria defectuositas a plenitudine fidei, spei, caritatis, et pœnitentiæ fortitudinisque internæ. Caligo tamen et solitudo dispositive et occasionaliter timorem incutiunt imperfectis. *Est vero quando disciplina seu correctio dispensativa hoc facit,* hoc est, vicissim contingit ut propter aliqua nostra peccata Deus dispensative permittat nos hac formidine concuti, ita nos puniens ut magis humiliemur.

Qui factus est servus Domini, propter Dominum et solum timebit, id est, qui Deo sinceriter servit servitute filialis timoris, nihil veretur nisi Deum propter se solum, et alia propter ipsum, et prout complacet Deo et sicut ipse requirit. Propter quod scriptum est : Qui timet Domi- [illegible]
num, nihil trepidabit. *Qui vero hunc nondum timet, propriam umbram multoties pertimescit.*

Adstante invisibili spiritu, timet corpus ; adstante autem angelo, exsultat humilis anima. De quo invisibili spiritu auctor hoc dicat, non exprimit : tamen ex eo quod subditur, « adstante autem angelo », etc., videtur loqui de invisibili spiritu malo. Constat autem quod non solum ex visibili apparitione diaboli in sua natura invisibilis, sed item ex visibili apparitione angeli sancti, corpus, imo totus homo, etiam vir perfectus, formidat, secundum quod Daniel recitat de se ipso, et idem [illegible]
patet de David atque de Zacharia : sed angelus statim confortat consolaturque ho- 16
minem, dæmon vero auget sui horrorem. Unde subjungitur : [illegible] videlicet angeli sancti, [illegible] jam tacta [illegible], id est, se [illegible] ad orandum [illegible] ac secreto. *Bonus enim custos noster,* scilicet

angelus, *advenit orare nobiscum,* hoc est, A ut incitet nos ad orandum, imo etiam ut sua oratione suppleat insufficientiam defectuositatemque nostram. Postremo, quæ dicta sunt de adstante spiritu invisibili et angelo adstante, possunt etiam accipi de invisibili et spirituali eorum adstantia seu præsentia : quia et dæmon per talem suam adstantiam incutit interdum timorem, angelus vero lætitiam.

GRADUS XXI

DE VANA GLORIA.

Gradus XXII sec. Græcum.

ALIQUI distincto ordine verborum diligunt terminare vanam gloriam præter superbiam. Unde dicunt octo esse cogitationes malitiæ quæ præsunt et auctores sunt. Theologus vero Gregorius et alii magistrorum tradiderunt has septem esse : quibus et ego magis obedio. Quis enim vanam gloriam vincens, superbiam possidet ? Tantam autem differentiam habent ab invicem quantam puer natura habet a viro, et granum a pane : principium quidem prima est, finis vero secunda. Igitur de immunda elatione, quæ est principium et consummatio vitiorum, dicamus, tempore vocante, breviter et sub compendio : qui enim perlatius de his philosophari conatur, similis est ei qui frustra inquirit curiose de ventorum libratione.

Vana gloria secundum speciem est naturæ immutatio, perversio morum, et observatio querelæ. Secundum qualitatem vero est laborum dispersio, sudorum perditio, insidiatio proditioque thesauri, infidelitatis proles, superbiæ præcursatrix, naufragium in portu, formica in area : minima quidem exsistens, universæ fatigationi et fructui insidiatur. Exspectat formica granum perfici, et vana gloria exspectat divitias congregari ; et formica gaudet ut furetur, ista vero ut dispergat.

Spiritus desperationis gaudet videns multiplicatam malitiam ; spiritus vero vanæ gloriæ, videns multiplicatam virtutem. Porta prioris, multitudo vulnerum ; porta vero secundæ, multitudo fatigationum et laborum.

Vigilanter observa, et florentem usque ad monumentum immundum invenies. In vestimentis, unguentis, processu pompatico, aromatibus et aliis universis copiose refulget sol ; et vana gloria gaudet super adinventionibus universis. Quale aliquid dicam : jejunans, vane glorior ; et frangens jejunium ut non cognoscar nec innotescam, rursus inaniter glorior quasi prudens. Præclare vestitus, vincor ab eadem gloria ; vilia commutans, iterum glorior vane. Loquens, vincor ; et tacens, rursus succumbo. Quocumque projeceris tribulum istum, stat erecto aculeo.

Vane gloriosus, est cultor idolorum fidelis, colens Deum secundum apparens, hominibus vero placere desiderans, et non Deo. — Omnis ostentator et ostentationis amator, est vane gloriosus.

Jejunium inaniter gloriosi caret mercede, et oratio ejus est importuna : propter

laudem enim hominum facit ambo. — Exercitator vane gloriosus dupliciter læditur : nam corpus suum contabescere facit, et mercedem non accipit. — Quis non deridebit operatorem gloriæ vanæ stantem in psalmodia, et motum ab eadem modo ridentem, modo flentem coram omnibus?

Abscondit Deus multoties ab oculis nostris bona virtutum quæ possidemus ; vir autem laudator, magis autem seductor, per laudes aperuit oculos nostros : porro oculis nostris ita apertis, divitiæ disparuerunt a nobis. — Adulator est dæmonum minister, superbiæ manuductor, compunctionis dispersor, bonorum operum exterminator, viæ seductor. Beatificantes enim vos, ait, seducunt vos. *Is.* III, 12

Sublimium quippe est supportare injurias libenter ac generose ; sanctorum autem et dignorum virorum est laudes sine læsione transire. Vidi lugentes laudatos, et ex hoc ira succensos, et quasi in foro commutantes passionem passione. — Nemo I Cor. II, 11 cognoscit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso. Confundantur igitur et obmutescant qui beatificare in faciem annituntur.

Quum audieris quia proximus tuus et amicus tuus maledicit te absentem sive præsentem, tunc ostende caritatem laudando ipsum. — Magnum est laudes hominum amovere ab anima, majus vero est dæmonum laudes avertere. — Humilitatem ostendit non qui se ipsum vilificat (quomodo enim non supportabit se ipsum?), sed ab alio improperatus, et caritatem ad ipsum non minuens.

Notavi dæmonem vanæ gloriæ immittentem cogitationes alicui Fratri, et revelantem has alteri, et præparantem dicere quæ latebant in corde ipsius, et beatificantem hunc de cetero quasi præcognitorem. — Et hic spiritus immundus iterum habet naturam contrectare et tangere corporis membra, et facere in eo quasdam saltationes et motus. — Non suscipias eum quum tibi submittit episcopatum, et Fratrum ducatum aut magisterium, sed omnem ambitionem abhorre : labor est enim hunc canem a mensa macelli repellere. — Quando conspexerit aliquem habentem hic modicum quid institutionis pacificæ atque constantiæ, confestim exhortatur eum ex deserto ire ad mundum. Vade, inquit, ad salutem pereuntium animarum.

Alia forma Æthiopum, et alia forma simulacrorum : ita et alius est modus vanæ gloriæ degentium in cœnobio, a modo vanæ gloriæ eorum qui in desertis morantur.

Vana gloria præanticipat adventum sæcularium hominum, et leviores monachos exhortatur exire in occursum advenientium ; ante pedes illorum festinat procidere, et repleta superbia, festinat ad humilitatem, morem et vocem extenuans subtrahit ; atque ad manus peregrinantium intuetur, ut accipiat aliquid : nam peregrinantes et visitantes vocat dominos et præfectos, et vitam donantes post Deum. Ad mensam recumbentes hortatur abstinere ; hortatur quoque eos redarguere inferiores sine misericordia. Stantes negligenter in psalmodia fecit viriles, et eos qui non habent bonas voces fecit habere pulchras voces, et dormitantes fecit vigiles. Eum qui est super canonem demulcet blanditiis, et rogat sibi donari priora ; patrem et magistrum vocat eum usque ad recessum ab hospitio. Pro honestate superbos constituit, et compunctos demonstravit memores malitiæ.

Vana gloria sæpe facta est conciliatrix ignominiæ vice honoris : discipulis enim suis irascentibus magnam attulit confusionem. — Vana gloria veloces ad iram, fecit coram hominibus mites. — Naturalibus donis magnifice prosilit, et per hoc dejicit frequentius miseros.

Vidi dæmonem contristantem fratrem suum et persequentem. Nempe Fratre quandoque irascente, procuravit diabolus interim sæcularium adventus, et miser Frater ex ira mercatus vanam gloriam, vendidit : simul enim ambabus unanimiter servire non potuit.

Qui vanitatem lucrando mercatur, duplicem possidet vitam : nam inter monachos habitu et figura moratur; in mundo autem versatur mente, cogitatione et prudentia. — Si vero acceleramus currere ad supernam beneplacentiam, festinemus gustare gloriam superiorem. Illam enim gustans, omnem terrenam est contemnens : miror enim si aliquis stravit secundam, nisi ante gustaverit priorem.

Nos sustinentes multoties deprædationem a vana gloria, conversi fuimus, gloriosius ipsam deprædati. Vidi operationes quasdam spirituales ex gloria vana inceptas, et vituperabili principio supposito et jactato, finis est factus laudabilis, eo quod intentio fuerit traducta in bonum.

Qui de naturalibus bonis ac divitiis, dico autem de acumine intellectus, docilitate ingenii, lectione, prolatione, promptitudine ad agendum, ingenuitate, et universis talibus quæ sine labore nostro exsistunt in nobis, extollitur, nunquam participabit
Luc. XVI, 10. vera bona supernaturalia. Qui enim in modico infidelis est, et in multo infidelis erit, utpote inaniter gloriosus.

Propter summam impassibilitatem, et divitias charismatum, et miraculorum operationem, et præcognitionis virtutem, multi supervacue conterunt corpora sua : latet etenim miserabiles eos quomodo non labores et dolores, sed humilitas magis exsistat talium mater. — Qui dona pro laboribus requirit, fallax subtus jecit fundamentum; qui vero se ipsum reputat debitorem, inexspectatas divitias repente accipiet.

Non obedias exterminatori qui suggerit tibi propalare virtutes tuas sub specie
Matth. XVI, 26; *Luc.* IX, 25. utilitatis audientium. Quid enim proficit homo, si universum mundum ædificet, se ipsum vero damnificet? Nihil enim ita ædificare potest videntes et etiam audientes, ut humiles mores et sine segnitie, et verbum non fictum. Fit enim aliis viaticum ac itinerarium nunquam superbiendi : quo utique nil majus exsistit ad utilitatis rationem.

Quidam contemplativorum signanter notavit et visum narravit, dicens : Sedente me in congregatione, venientes dæmones vanæ gloriæ et superbiæ, sederunt juxta me, unus ex una parte, alter ex altera. Et unus hinc pungens latus meum digito suo inaniter glorioso, exhortabatur me dicere quamdam theoriam et operationem quam
Ps. XXXIX, 15; LXIX, 4. feceram in deserto. Quum autem amovissem hunc, dicens, Convertantur retrorsum et confundantur qui cogitant mihi mala; adstans celeriter qui erat a sinistris, ad aurem meam dixit : Euge, euge, bene fecisti et magnus effectus es, vincens irreverentissimam matrem meam. Ad quem ego directe intuens, recteque jaciens sagittam

verbi cœlestis, resumens quod sequebatur de versu, dixi : Avertantur statim eru- *Ps. xxxix, 16; lxix, 4.*
bescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge, bene fecisti. — Interrogante me hunc eumdem quomodo vana gloria mater esset superbiæ, dixit : Nimirum quia laudes exaltant et inflant animam quæ laudatur : qua taliter exaltata, sumens eam superbia effert eam sursum usque ad cœlos, et subtus defert eamdem usque ad abyssos.

Est gloria ex Deo proveniens : nam Dominus ait, Glorificantes me ego glorificabo. *I Reg. ii, 30.*
Et est gloria prosequens ex diabolica præparatione : unde Dominus ait, Væ quum *Luc. vi, 26.*
benedixerint vobis omnes homines. Sapienter cognosces priorem gloriam quando averteris eam ex omni industria, reputans eam tanquam nocumentum. Secundam vero sic cognosces : quando videlicet contingit nos operari vel agere quodcumque quod etiam ad rem pertinet, et gloria ista persuadet nos facere istud ut ab hominibus *Matt. vi, 1; xxiii, 5.*
videamur, et configurare ad ostendendum virtutem non exsistentem in nobis, aut inquietat aut supponit exsistentem, et suggerit hoc : sic enim ait, Luceat lux vestra *Matt. v, 16.*
coram hominibus, ut videant opera vestra bona.

Deus frequenter restituit vane gloriosos in odium vanæ gloriæ per ignominiam eis supervenientem. — Custodia oris et amor ignominiæ est principium privationis vanæ gloriæ ; medium vero, abscisio omnium interiorum vitiosarum adinventionum gloriæ vanæ ; finis autem (si tamen finis est abysso), insensibiliter adinvenire ea quæ ad ignominiam conferunt et eam consummant coram multitudine. Noli occultare tuam confusionem sub intentione et respectu non dandi reliquis impedimentum et offensam.

Ceterum non convenit uti eodem emplastro juxta speciem offensionis culpæ. Quandocumque gloriam nobis advocamus, et quando venit ad nos præmissa ab aliis, non vocata, et quando nitimur facere aliquas adinventiones ad vanam gloriam, reminiscamur luctus nostri, et timentis coram Deo adsistentiæ solitæ immorari in nobis tempore orationis, et penitus avertemus a nobis et erubescere faciemus procacem, si tamen habemus curam et studium veræ orationis ; si vero non, capiamus celeriter memoriam exitus nostri ; sin autem, timeamus saltem illam confusionem quæ consequitur gloriam vanam : qui enim se ipsum exaltat, humiliabitur, non solum- *Luc. xiv, 11; xviii, 14.*
modo in futuro, sed etiam nunc. — Quum seductores incipiunt nos laudare, festinemus memoriter considerare multitudinem iniquitatum nostrarum, et inveniemus nos ipsos indignos his quæ dicuntur vel aguntur ad nostrum præconium et honorem.

Sunt penitus gloriosi inaniter qui debent exaudiri a Deo in aliquibus petitionibus suis, quorum orationes et obsecrationes solet Dominus anticipare, ut accipientes quod optant non per orationem, addant elationem suæ elationi. Qui sunt omnino simpliciores, non consueverunt corruere isto veneno : nam vana gloria est simplicitatis abjectio, et institutio et conversatio ficta.

Vermis quum creverit, alas naturaliter mittens, plerumque in altum extollitur ; et vana gloria consummata parit superbiam, quæ est complementum et auctrix omnium vitiorum. Qui vero non capitur a gloria vana, non corruet in superbiam Deo inimicam et adversantem, et sine capite exsistentem.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI PRIMI.

A *LIQUI distincto ordine verborum diligunt terminare vanam gloriam præter superbiam,* hoc est, quidam in ordine capitalium vitiorum distinguunt inter vanam gloriam atque superbiam, et distincte de eis determinant. *Unde dicunt octo esse cogitationes malitiæ quæ præsunt et auctores sunt,* id est, isti dicunt esse octo capitalia vitia, quæ eminent aliis et aliorum vitiorum exstant origines. Hujus autem positionis fuit Cassianus, ut patet in libro suo de Institutis Patrum. (Cf. t. XXVII, p. 54 A et s.) Quamvis autem capitalia vitia non sunt realiter cogitationes, nunc tamen vocat auctor ea « cogitationes » : et est prædicatio per causam, quia ex præconcepta aliqua cogitatione nascuntur. Juxta quem modum ait sanctus Papa Gregorius : Amor ipse notitia est.

Theologus vero Gregorius, utpote Gregorius Nazianzenus, *et alii magistrorum, tradiderunt has septem esse,* id est, docuerunt esse septem capitalia vitia tantum. *Quibus et ego magis obedio,* hoc est, eorum doctrinæ in hac parte magis consentio. Istud quoque communiter nunc tenetur. *Quis enim vanam gloriam vincens, superbiam possidet ?* Nullus plane, quum omnis superbus sibi ipsi vane complaceat atque inaniter glorietur in se. *Tantam autem differentiam habent ab invicem* solum *quantam puer natura,* id est ætate, *habet a viro, et granum a pane. Principium quidem prima est, finis vero secunda,* hoc est, vana gloria est inchoatio quædam superbiæ, superbia vero est consummatio gloriæ vanæ : sicque videntur differre ab invicem sicut perfectum et imperfectum in eodem genere, in quo magis et minus non variant speciem.

Igitur de immunda elatione, quæ est principium et consummatio, id est origo et finis, ceterorum *vitiorum, dicamus, tempore vocante,* hoc est suo loco et tempore, *breviter et sub compendio : qui enim perlatius de his philosophari conatur,* id est, qui de vana gloria et superbia vult scrutari ac disputare diffusius quam oportet, *similis est ei qui frustra inquirit curiose de ventorum libratione :* quemadmodum enim talis invenire plene non valet quod investigat, ita nec omnia quæ de elatione et vana gloria enarrari invenirique possunt, potest aliquis perscrutari.

Vana gloria secundum speciem est naturæ immutatio, hoc est, ex ratione sua specifica competit ei ut immutatio sit ordinis naturalis. Qui utique exigit ut omnis honor et gloria Deo finaliter ac principaliter adscribantur, et universa ad Creatoris honorem ac gloriam referantur : quum ergo inaniter gloriosus sibi usurpet honorem et gloriam, constat quod pervertat ordinem naturalem. Est quoque *perversio morum,* id est corruptio actionum ac apparatuum. Qui enim vanæ gloriæ servus est, ad proprium refert honorem etiam opera quæ ex genere suo sunt bona, et quasi in omnibus intentionem habet corruptam : ideo totum corpus suum est tenebrosum, id est, universa operum suorum congeries est infecta. (Matth. VI, 23.) *Et observatio querelæ,* hoc est, vana gloria est causa observationis querelæ. Qui enim inaniter gloriatur in se et propriam quærit laudem, nititur alios denigrare, et observat in quibus eos valet accusare et conqueri contra ipsos.

Secundum qualitatem vero vana gloria *est laborum dispersio, sudorum perditio, insidiatio proditioque thesauri :* hoc est,

consequenter competit gloriæ vanæ ut privet hominem fructu ac præmio laboriosorum operum ex genere suo bonorum quæ fecit, et tribulationum quas pertulit; sicque maledicta hæc gloria insidiatur spirituali meritorum thesauro, et prodit eum dæmonibus, quibus exponit eum ut perdat ipsum, quia de talibus ait Salvator : Matth. vi, 2, 5, 16. Receperunt mercedem suam. *Infidelitatis proles.* Qui enim vane gloriatur, divini rigorem judicii non attendit; nec fidelis minister est, quia usurpat sibi quod Domino suo debetur. *Superbiæ præcursatrix :* quia disponit ad eam; *naufragium in portu :* quia per eam periclitatur homo in actibus bonis, in quibus videtur esse securus; *formica in area :* quemadmodum enim formica aufert granum ab horreo, sic gloria vana tollit opera bona ab animo. *Minima quidem exsistens, universæ fatigationi et fructui insidiatur :* hoc est, motus gloriæ vanæ quamvis parvus appareat, corruptivus est tamen paulatim omnium meritorum, quæ cum labore et fatigatione sunt acquisita.

Exspectat formica granum perfici, id est excuti et purgari, ut tunc auferat illud, *et vana gloria exspectat divitias congregari.* Quum enim quis fecit opera bona multa aut magna, magis tentatur a gloria vana : ideo spiritus vanæ gloriæ præstolatur quousque spirituales divitiæ acquirantur, quatenus tunc eas privet mercede, inducendo ad consensum gloriæ vanæ. Verumtamen interim tentat : imo et incipientes sæpe impugnat. *Et formica gaudet,* viso grano, *ut* illud *furetur :* portat enim granum ad suam cavernam, ut in hieme sustentetur ex illo; *ista vero,* videlicet vana gloria, gaudet ex apprehensione opulentiæ spiritualis, *ut dispergat* eamdem, id est, auferat et a mercede evacuet.

Spiritus desperationis gaudet videns multiplicatam malitiam, hoc est, diabolus de desperatione tentans lætatur quum videt quempiam multipliciter enormiterque peccasse, quia præsumit se tunc posse peccatorem ad desperationem pertrahere; *spiritus vero vanæ gloriæ* jucundatur *videns multiplicatam virtutem,* id est, dum inspicit aliquem virtutibus earumque actibus abundare : non quod de bonis absolute lætetur, sed in quantum sunt materia atque occasio inaniter gloriandi. *Porta prioris, multitudo vulnerum,* id est, spiritus desperationis ingreditur ad tentandum ubi invenit multitudinem magnitudinemque culparum; *porta vero secundæ,* utpote vanæ gloriæ, est *multitudo fatigationum et laborum* in Dei obsequio virtuosisque actibus : per hanc quippe multitudinem intrat vana gloria ad tentandum.

Vigilanter observa, et florentem usque ad monumentum immundum invenies, hoc est, sordidum spiritum seu motum vanæ gloriæ reperies in te vigere ac renovari usque ad mortem tuam. Vel sensus est, quod peccatorem ac reprobum invenies prosperari usque ad terminum suæ vitæ : hoc enim frequenter contingit, sicut in libro Job plenius edocetur. Job xx, seq.

In vestimentis, unguentis, processu pompatico, aromatibus et aliis universis copiose refulget sol, id est, claritatem suam omnibus his abundanter infundit : lucet etenim bonis et malis, et inferioribus cunctis suæ claritatis capacibus. *Et vana gloria gaudet,* id est, formaliter facit gaudere, *super adinventionibus universis,* hoc est de omni opere excogitato, tam bono quam malo. *Quale aliquid dicam : jejunans, vane glorior* de ipso jejunio meo; *et frangens jejunium ut non cognoscar nec innotescam* jejunans, *rursus inaniter glorior quasi prudens,* hoc est, tanquam discrete hoc agens. *Præclare vestitus, vincor ab eadem gloria* vana, de ornatu et curiositate vestium inaniter gloriando; *vilia commutans,* hoc est, pro vestimentis præclaris parum valentia grossaque induens, *iterum glorior vane* quasi multum humiliter agens. *Loquens, vincor,* id est, loquendo inaniter glorior, quasi sapienter aut facunde fructuoseve loquens; *et tacens, rursus secundo* eodem peccato,

glorians in me, quasi humilitate et taciturnitatis virtute ornatus. *Quocumque projeceris tribulum istum, stat erecto aculeo,* id est, qualitercumque vanam gloriam tribulo similem a te ipso repuleris, erigit se et insurgit adversus te, quia de ipsa ejus repulsione inaniter gloriari pulsaris.

Vane gloriosus, est cultor idolorum fidelis, hoc est, similis est idololatræ, qui Deum verum contemnit et idola colit ex corde. Ideo subditur : *colens Deum secundum apparens,* id est, apparenter venerans Deum faciendo opera bona ex genere, *hominibus vero placere desiderans, et non Deo. — Omnis ostentator et ostentationis amator,* hoc est, omnis qui jactat se ipsum apparereque cupit ob propriam laudem, *est vane gloriosus.*

Jejunium inaniter gloriosi caret mercede felicitatis æternæ, *et oratio ejus est importuna,* id est inepta, et loco ac tempore inconvenienti fit sæpe. Modus quoque ipsius est inordinatus, quia in præsentia hominum fieri solet, tunc potissime quando putat qui talis est magis posse adipisci laudem humanam. Unde et in præsentia hominum orat prolixe cum quibusdam signis præcipuæ devotionis, quem-
Matth. vi, 5. admodum Christus in Evangelio de Scribis Pharisæisque loquitur. *Propter laudem enim hominum facit ambo,* id est utrumque, puta orationem atque jejunium.

Exercitator vane gloriosus dupliciter læditur : nam corpus suum contabescere facit, hoc est, per jejunium et consimilia opera laboriosa affligit, *et mercedem non accipit.*

Quis non deridebit operatorem, id est servum et conceptorem, *gloriæ vanæ stantem in psalmodia, et motum ab eadem* gloria vana *modo ridentem* in Dei præsentia, *modo flentem coram omnibus?* quasi dicat : Talis est valde miser, inanis, ac merito ex zelo justitiæ deridendus.

Abscondit Deus multoties ab oculis nostris interioribus *bona virtutum quæ possidemus,* ne extollamur aut inaniter gloriemur de eis. *Vir autem laudator, magis* A *autem seductor, per laudes aperuit oculos nostros :* hoc est, qui incaute nos laudat, imo laudando seducit, suis laudibus incitat nos ad considerandum ac magnificandum bona quæ egimus. *Porro oculis nostris ita apertis, divitiæ disparuerunt a nobis,* id est, privati sumus mercede, et mortificata sunt opera bona per gloriam vanam et elationem atque ingratitudinem.

Adulator est dæmonum minister, quia cooperatur et subservit diabolo ad interficiendum animas eorum quibus blanditur B per vana præconia, *superbiæ manuductor,* quia ad elationem inducit, eam conservat ac auget, *compunctionis dispersor, bonorum operum exterminator, viæ seductor,* quia abducit ab arcta via salutis ad latum iter perditionis. *Beatificantes enim vos, ait, seducunt vos.* Deus ait per Isaiam :
Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi Is. iii, 12.
te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant. Merito itaque ait Psalmista :
Oleum peccatoris non impinguet caput Ps. cxl, 5.
meum. Vitemus igitur pestiferam adula- C tionem, quum in Ecclesiastico scriptum
sit : Ne laudes hominem in vita sua. Eccli. xi, 30.

Sublimium quippe est, id est excellenter virtuosorum, *supportare injurias libenter ac generose ; sanctorum autem et dignorum virorum est laudes sine læsione transire,* hoc est proprias laudes absque inani complacentia et peccato audire et dissimulare. *Vidi lugentes laudatos* ab hominibus, *et ex hoc ira succensos* contra suos laudatores, *et quasi in foro commutantes passionem passione,* hoc est, post D contritionem admittentes iracundiam pro gloria vana vitanda, sicut in foro unum pro alio commutatur seu venditur.

Nemo cognoscit quæ sunt hominis, ut- I Cor. ii, 11.
pote interiores actus, cogitationes, affectiones, intentiones ipsius, *nisi spiritus hominis qui est in ipso :* hoc enim ait Apostolus. *Confundantur igitur et obmutescant qui beatificare in faciem annituntur,* id est, qui se ipsos non cohibent ab incauta aliorum commendatione in ipsorum præsentia : quoniam graviter pec-

cant, et aliis præbent multiplicis ruinæ occasionem. — *Quum audieris quia proximus tuus et amicus tuus maledicit te absentem sive præsentem, tunc ostende caritatem laudando ipsum,* ut reddas bonum pro malo.

Magnum est laudes hominum amovere ab anima, hoc est propriam animam taliter custodire ut laudes hominum non affectet neque recipiat, sed potius spernat ; *majus vero est dæmonum laudes avertere,* id est suggestiones dæmonum callidissimas et secretas quibus incitant nos ut magnificemus nos ipsos, abjicere.

Humilitatem ostendit non qui se ipsum vilificat (quomodo enim non supportabit se ipsum?); sed ab alio improperatus, et caritatem ad ipsum non minuens, ostendit veraciter humilitatem, imo et patientiam. Verumtamen qui ita se ipsum parvi pendit quod dispositus est æquanimiter sustinere si vilipendatur ab aliis, ostendit humilitatem ; sed qui ita se ipsum vilificat ut indignetur si contemnatur ac vituperetur ab aliis, nondum factus est sinceriter humilis.

Notavi dæmonem vanæ gloriæ immittentem cogitationes alicui Fratri, et revelantem has alteri, et præparantem, id est, instigantem illum cui revelavit cogitationes alterius, *dicere quæ latebant in corde ipsius* cujus cogitationes cognovit ex revelatione diaboli, *et beatificantem hunc de cetero quasi præcognitorem :* hoc est, notavi quod Frater cujus cogitationes sic patefactæ fuerunt per alium, reputabat de cetero alium illum quasi inspectorem secretorum ac prævisorem futurorum ; vel sensus est, quod diabolus instigavit alium illum ut talem præcognitorem reputaret se ipsum.

Et hic spiritus [illegible] iterum habet naturam contrectare et tangere corporis membra, et facere in eo quasdam saltationes et motus. Diabolus namque quando permittitur, diversimode alterat et concitat corpus ac membra ipsius, sive ab intus sive ab extra, et facit in eo varios motus, horripilationes ac stimulos.

Non suscipias eum per consensum *quum tibi submittit episcopatum, et Fratrum ducatum aut magisterium,* hoc est, quum te movet ad appetitum istorum, *sed omnem ambitionem abhorre : labor est enim hunc canem a mensa macelli repellere,* id est, difficile est impudicum ac rabidum spiritum ambitionis a corde et appetitu sensitivo repellere. — *Quando conspexerit aliquem habentem hic modicum quid institutionis pacificæ atque constantiæ, confestim exhortatur eum ex deserto,* id est ex claustro, *ire ad mundum. Vade, inquit, ad salutem* et conversionem *pereuntium animarum.*

Alia forma Æthiopum, et alia forma simulacrorum. In Æthiopibus etenim est forma naturalis, et nigredo foris apparens ab intrinseco causata principio ; in simulacris autem est forma artificialis, et nigredo aut alius color ab extra inductus. *Ita et alius est modus vanæ gloriæ degentium in cœnobio, a modo vanæ gloriæ eorum qui in desertis morantur.* Cœnobitæ enim tanguntur vana gloria sæpe ex occasione realis præsentiæ aliorum, solitarii vero frequenter ex apprehensione phantastica. Iterum, cœnobitæ interdum inaniter gloriantur, putantes facta sua ab hominibus magnificari ; solitarii vero, dum æstimant conversationem suam a Deo ac angelis hominibusque absentibus reputari.

Vana gloria præanticipat adventum sæcularium hominum, id est, præcogitat et exspectat aut cupit, aut prævenit corporaliter obviando venientibus, sicut subjungitur : [illegible] ex ficta humilitate, ut magis glorificetur ab illis, [illegible] fictam. [illegible], hoc est, ultra modum quamdam religiositatem assumit in verbis ac moribus, vocem parvificando et mores subtilizando : [illegible], sicque ad

avaritiam pertrahit, imo et ad adulationem : *nam peregrinantes et visitantes vocat dominos et præfectos, et vitam donantes,* hoc est necessaria vitæ præstantes, *post Deum.*

Ad mensam recumbentes hortatur abstinere, id est, vana gloria eos quibus inest incitat ad sobrie manducandum, ut commendentur ; *hortatur quoque eos redarguere inferiores sine misericordia,* id est aspere, ut per hoc justior et inculpabilior videatur.

Stantes negligenter in psalmodia fecit viriles, id est, fortiter cantare fecit desiderio laudis humanæ, *et eos qui non habent bonas voces fecit habere pulchras voces,* ita quod per industrias et conatus profecerunt in vocis sonoritate, *et dormitantes fecit vigiles.*

Eum qui est super canonem, id est præpositum regulæ seu canonicæ institutioni, *demulcet blanditiis, et rogat sibi donari priora,* hoc est majora seu potiora, quum quærat commoda propria ; *patrem et magistrum vocat eum usque ad recessum ab hospitio :* quia tamdiu honorat eum præcipue, quamdiu ab ipso reficitur aut dotatur.

Præhonoratos superbos constituit, id est, vana gloria inducit ad superbiam eos qui præhonorantur, in quibus honores mutant mores : qui non implent quod in Ec-
Eccli. XI, 4. clesiastico dicitur, In die honoris tui non extollaris ; *et contemptos demonstravit memores malitiæ.* Dum enim vane gloriosi spernuntur, ægre ferunt, et memores sunt injuriæ sibi factæ, quam et dum prævalent ulciscuntur.

Vana gloria sæpe facta est conciliatrix ignominiæ vice honoris, hoc est, vanæ gloriationi subjectus frequenter acquirit sibi ipsi aspernationem, dum obtinere conatur honorem : nam et qui vanitatem ejus considerant, eum frequenter despiciunt. *Discipulis enim suis irascentibus magnam attulit confusionem.* Discipuli vanæ gloriæ sunt qui eam addiscunt et assequuntur : qui dum irascuntur his a quibus inhonorantur, ostendunt se ipsos esse passionibus vitiisque subjectos, utpote vanæ gloriæ, iræ, indignationi, impotentiæ, elationi. Propter quod magnam confusionem incurrunt coram Deo et ejus ministris.

Vana gloria veloces ad iram, fecit coram hominibus mites, id est exteriorem commotionem et ultionem reprimentes, ne irascendo et vindicando redderentur contemptibiles. — *Naturalibus donis magnifice prosilit,* hoc est, ex eminentia naturalium donorum vana gloria fortiter oritur et exsurgit, *et per hoc dejicit frequentius miseros,* id est homines vanos in naturalibus præfulgentes, videlicet eloquentes, ingeniosos, pulchros, ac similes.

Vidi dæmonem contristantem fratrem suum et persequentem, hoc est, consideravi quod unus dæmon alium dæmonem contristavit et expulit. *Nempe Fratre quandoque irascente, procuravit diabolus interim sæcularium adventus, et miser Frater ex ira,* id est post iram suam, *mercatus,* hoc est sortitus, *vanam gloriam* ex sæcularium visitatione, *vendidit,* hoc est, unum vitium commutavit pro alio, admittendo unum post aliud ; *simul enim ambabus,* utpote iræ et vanæ gloriæ, *unanimiter servire non potuit :* sicque dæmon vanæ gloriæ contristavit et persecutus est dæmonem iræ.

Qui vanitatem lucrando mercatur, hoc est, qui temporalia per suos labores acquirendo incitatur ex hoc ad vanitates et complacentias stultas, *duplicem possidet vitam,* id est partim mundanam et partim claustralem. *Nam inter monachos habitu et figura moratur ; in mundo autem versatur mente, cogitatione et prudentia* sua carnali.

Si vero acceleramus currere ad supernam beneplacentiam, hoc est, si Deo complacere ardenter optamus, *festinemus gustare gloriam superiorem,* id est spiritualem jucunditatem, consolationem divinam, atque futuram beatitudinem prælibare. *Illam enim,* videlicet spiritualem dulcedinem, *gustans, omnem terrenam*

gloriam *est contemnens. Miror enim si aliquis stravit secundam, nisi ante gustaverit priorem,* hoc est, mirum reor, aut non credo, quod aliquis superavit ac sprevit gloriam vanam, qui non gustavit spiritualem lætitiam dulcedinemque divinam.

Nos sustinentes multoties deprædationem a vana gloria, hoc est privationem gratiæ ac virtutum et meritorum propter vanam gloriam a qua fuimus victi, *conversi fuimus, gloriosius ipsam deprædati,* id est, pristina nostra dejectione pœnitentes, præclarius vicimus gloriam vanam, considerando ejus fatuitatem ac damna, quam eramus superati ab ea. *Vidi operationes quasdam spirituales ex gloria vana inceptas, et vituperabili principio supposito et jactato, finis est factus laudabilis.* Hoc contingit dum aliquis incipit aliquem actum cultus divini vana intentione, atque in prosecutione sui actus advertit suæ intentionis ac vanitatis stultitiam, damnum, et vitiositatem : propter quod pœnitet, et quod perverse incepit, virtuose prosequitur. Propter quod subditur : *eo quod intentio fuerit traducta in bonum.* Quemadmodum etiam sæpe contingit oppositum, ut scilicet actio bene incepta vitiose prosequatur ac finiatur, vana gloria aut alia tentationis pravitate aut negligentia incidente. Porro qualiter hujusmodi actio sit una vel plures, quum una et eadem actio nequeat esse bona ac mala moraliter, alibi discuti habet. *Cf.* t. XXII, p. 544 b' et s.

Qui de naturalibus bonis ac divitiis, dico autem de acumine intellectus, docilitate ingenii, lectione, prolatione, id est facundia, *promptitudine ad agendum, ingenuitate, et universis talibus quæ sine labore nostro exsistunt in nobis, extollitur, nunquam participabit vera bona supernaturalia* gratiæ gratum facientis, nec in futuro dona gloriæ æternalis, nisi de extollentia sua pœniteat. *Qui enim in modico [illegible] fidelis est,* id est, bonis naturæ ac fortunæ abutitur, *et in multo infidelis erit,* id est in supernaturalibus donis gratiæ ac virtutum, se extollendo de eis, *utpote inaniter gloriosus.* Luc. XVI, 10.

Propter summam impassibilitatem, et divitias charismatum, id est desiderio acquirendi plenam passionum reformationem atque virtutum perfectionem, *et miraculorum operationem, et præcognitionis virtutem,* id est gratiam prophetiæ, *multi supervacue conterunt corpora sua* per indiscretas abstinentias, vigilias, disciplinas. *Latet etenim miserabiles eos quomodo non labores et dolores* corporales, *sed humilitas magis exsistat talium mater.* Hoc est, ideo tam indiscrete in exercitiis corporalibus se affligunt, quia ignorant qualiter supernaturalia dona illa gratiæ gratum facientis et gratiæ gratis datæ facilius et expeditius obtinentur per exercitationem virtutum, præsertim humilitatis internæ, quam per exercitia corporis laboriosa : quæ tamen conferunt ad hoc quando discrete fiunt, quemadmodum Daniel et socii ejus meruerunt sapientiam et intelligentiam per abstinentiam suam. Dan. I, 8 et seq.

Qui dona pro laboribus requirit, hoc est, qui per exercitia sua exteriora laboriosa intendit adipisci dona gratiæ, quasi de condigno ac debito, *fallax subtus jecit fundamentum,* id est, in erroneo fundamento ac falsa opinione se figit ; *qui vero se ipsum reputat debitorem,* hoc est, qui sentit se Deo debere se ipsum et quidquid potest, quia omne quod habet ac potest, a Deo sortitus est, *inexspectatas divitias repente accipiet,* id est, inopinate ac subito copiosiusque quam speravit, replebitur charismatibus Spiritus Sancti. Propter quod admonet Christus : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. XVII, 10.

Non obedias exterminatori, hoc est, nequaquam consentias tentatori, *qui suggerit tibi propalare virtutes tuas sub specie utilitatis audientium. Quid enim* [illegible], id est motus et actus alacres, to- Matth. XVI, [illegible]

pore carentes, *et verbum non fictum. Fit enim aliis,* id est, tale verbum seu ædificatio talis efficitur videntibus ac audientibus, *viaticum ac itinerarium nunquam superbiendi,* id est spiritualis refectio et confortatio, et medium vitandi omnem superbiam. *Quo utique nil majus exsistit ad utilitatis rationem,* id est ad spiritualem ædificationem.

Quidam contemplativorum signanter notavit et visum narravit, dicens : Sedente me in congregatione, venientes dæmones vanæ gloriæ et superbiæ, sederunt juxta me, unus ex una parte, alter ex altera. Et unus, videlicet dæmon vanæ gloriæ, *hinc pungens latus meum digito suo inaniter glorioso,* id est, animam meam pulsans suggestione gloriationis inanis, *exhortabatur me dicere,* hoc est præsentibus recitare, *quamdam theoriam et operationem quam feceram in deserto,* id est quamdam contemplationem et actionem præcipuam quam in solitudine habui. *Quum autem amovissem hunc* dæmo-
Ps. xxxix, 15; lxix, 4. nem, *dicens, Convertantur retrorsum et confundantur qui cogitant mihi mala ; adstans celeriter qui erat a sinistris,* videlicet dæmon superbiæ, *ad aurem meam,* videlicet interiori auditui meo, *dixit : Euge, euge, bene fecisti et magnus effectus es, vincens irreverentissimam matrem meam,* videlicet inhonestissimam gloriam vanam, quæ parit ac introducit superbiam. *Ad quem* dæmonem *ego directe intuens, recteque jaciens sagittam verbi cœlestis, resumens quod sequebatur de versu,* id
Ps. xxxix, 16; lxix, 4. est post versum prætactum, *dixi : Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge, bene fecisti.*

Interrogante me Climaco *hunc eumdem* contemplativum *quomodo vana gloria mater esset superbiæ, dixit : Nimirum quia laudes exaltant et inflant animam quæ laudatur,* quæ nondum perfecta est; *qua taliter exaltata, sumens eam superbia effert eam sursum usque ad cœlos, et subtus defert eamdem usque ad abyssos :* nam eo ipso quo homo se ipsum vane extollit et

A quasi angelicum reputat, cadit, et vincitur dæmonibusque subjicitur.

Est gloria ex Deo proveniens, id est, quædam est gloriatio, exaltatio ac honorificentia hominis bona, ordinata ac salutaris, qua gloriatur in Domino et exaltatur ab ipso. *Nam Dominus ait : Glorificantes* I Reg. ii, 30.
me ego glorificabo. Et est gloria prosequens ex diabolica præparatione, id est inductione proveniens, utpote gloria vana animam lædens. *Unde Dominus ait* in Evangelio : *Væ quum benedixerint vobis* Luc. vi, 26.
B *omnes homines. Sapienter cognosces priorem gloriam,* id est, tunc scies quod gloria seu honoratio quæ tibi ab aliis exhibetur, tibi sinceriter debeatur pro tua humilitate, ac Deo agente impendatur, *quando averteris eam ex omni industria, reputans eam tanquam nocumentum,* id est, quando hanc tui ipsius honorationem ac laudem cum molestia ac tædio toleras, arbitrans eam esse periculosam, et quantum in te est mallens vilipendi quam in vita hac honorari. *Secundam vero,* utpote
C gloriam vanam, *sic cognosces : quando videlicet contingit nos operari vel agere quodcumque quod etiam ad rem pertinet,* hoc est aliquod salutare ac debitum, *et gloria ista* seu dæmon gloriæ hujus, *persuadet nos facere istud ut ab hominibus videamur, et* persuadet quoque nos *configurare,* Matth. vi, 1; xxiii, 5.
id est, ut disponamus nos, aut aliis conformemus nos, *ad ostendendum virtutem non exsistentem in nobis :* quod est detestanda ac duplex hypocrisis; *aut inquietat aut supponit exsistentem,* id est, moleste
D nos tentat ut ostendamus et proponamus aliis virtutem quæ exstat in nobis, *et suggerit hoc* auctoritate Scripturæ. *Sic enim ait : Luceat lux vestra coram hominibus,* Ibid. v, 16.
ut videant opera vestra bona : quod intelligendum est de operibus ad quæ tenemur.

Deus frequenter restituit, id est reduxit, *vane gloriosos in odium vanæ gloriæ per ignominiam eis supervenientem.* Dum enim experiuntur se despici propter suas vanitates et ambitiones ac complacentias va-

cuas, tandem Deo moderante avertunt, ac A deflent suæ gloriæ fatuitatem, vexatione eis intellectum præstante. *Is.* xxviii. 19

Custodia oris et amor ignominiæ, id est injuriæ seu vituperationis, *est principium privationis*, id est exstirpationis, *vanæ gloriæ*, quæ frequenter prorumpit in verba jactantiæ, et per ea se ipsam ostendit ac fovet. *Medium vero*, id est profectus in exstirpatione vanæ gloriæ, est *abscisio omnium interiorum vitiosarum adinventionum gloriæ vanæ*, utpote singularitatum et superstitionum ac simulationum ac du- B plicitatum. *Finis autem*, id est consummata aspernatio et exstirpatio vanæ gloriæ, *si tamen finis est abysso*, id est vanæ gloriæ, quæ sine termino se extendit, et super se ipsam ac suam exstirpationem reflectitur : propter quod Oceano comparatur. Itaque « finis » ejus, est *insensibiliter*, id est intellectualiter, *adinvenire ea quæ ad ignominiam conferunt et eam consummant coram multitudine*, hoc est excogitare ac demonstrare coram aliis quosdam gestus per quos maxime con- C temnaris et humilieris ab illis, sic tamen ut gestus illi non sint in se illiciti. Sed quia posset quis dicere, istud non esse agendum, ne quis alios scandalizet, idcirco subjungitur :

Noli occultare tuam confusionem, id est tuam confusibilitatem aut propriam « confusionem » qua in te ipso de tuis peccatis confunderis, aut « confusionem » qua ab aliis meruisti confundi, *sub intentione et respectu non dandi reliquis* hominibus *impedimentum* salutis *et offensam*, id est scan- D dalum. Prætacti enim gestus, per quos quis ab aliis maxime inhonoratur ac spernitur, sæpe sunt aliorum scandalizativi, utpote, amentiam fingere, culpam non commissam a se sibimet imputare, abusiva quædam peragere : ideo posset quis opinari nullum debere talia facere ut magis vilipendatur. Et docet hic auctor, quod talia non sunt vitanda istis ex causis. Et de hoc leguntur in Vitaspatrum quædam exempla. Veruntamen multi doctores affirmant talia non esse agenda de lege communi, quum dicat Apostolus, Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; itemque, Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum ; et rursus, Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis : imo quum dicat Salvator, Videte ne scandalizetis unum de pusillis istis; et, Væ homini per quem scandalum venit. Porro, quod aliqui Sancti talia laudabiliter egisse dicuntur, salvant dicendo, quod ex speciali instinctu Spiritus Sancti fecerunt hujusmodi opera : quod ad imitationem trahendum non est. II *Cor.* vi, 3. *Rom.* xiv, 13. I *Cor.* xiv, 40. *Matth.* xviii, 6, 10. [illegible]

Ceterum non convenit uti eodem emplastro juxta speciem offensionis culpæ, id est, juxta diversitatem vitiorum uti oportet diversis remediis contra ea. *Quandocumque gloriam nobis advocamus*, id est, quando nos ipsi acquirimus nobis gloriam seu honorem, *et quando venit ad nos præmissa ab aliis, non vocata*, id est, quando sponte exhibetur nobis ab aliis absque procuratione et practica nostra, *et quando nitimur facere aliquas adinventiones*, id est aliquos gestus seu mores aut singularitates monstrare, *ad vanam gloriam* provocandam seu obtinendam, *reminiscamur luctus nostri*, qualiter scilicet peccata et pericula nostra consuevimus deplorare, *et timentis coram Deo adsistentiæ solitæ immorari in nobis tempore orationis*, id est, recolamus etiam qualiter consuevimus nos habere timorate et immorari timori in Dei præsentia, præsertim quando oravimus cum [illegible], id est gloriam vanam, ita quod ex recordatione pristinæ nostræ compunctionis, humilitatis atque timoris, ipsam abjiciemus, et nos ipsi de ea erubescemus : [illegible] *et studium veræ orationis*, hoc est, si solliciti et intenti sumus ut cum devotione decenti Deo orationes fundamus [illegible] sumus ad hoc solliciti [illegible]

se ipsum exaltat, humiliabitur, non solummodo in futuro, sed etiam nunc ad tempus.

Quum seductores, hoc est adulatores, *incipiunt nos laudare, festinemus memoriter considerare multitudinem iniquitatum nostrarum, et inveniemus nos ipsos indignos his quæ dicuntur vel aguntur ad nostrum præconium et honorem.*

Sunt penitus gloriosi inaniter qui debent exaudiri a Deo in aliquibus petitionibus suis, id est, quidam vani gloriosi tales sunt, idque merentur, ut exaudiantur a Deo in quibusdam quæ petunt, quæ tamen ad salutem eorum nequaquam sufficiunt; *quorum orationes et obsecrationes solet Dominus anticipare,* id est præveniendo celeriter exaudire, vel antequam orent dare quod fuerant petituri, *ut accipientes quod optant non per orationem,* id est absque diuturna petitione, aut etiam non orando, *addant elationem suæ elationi,* extollendo se ipsos tanquam multum

A devotos, quibus ad manum sit devotione et fervore perfundi, ac taliter præveniri et exaudiri. Tales igitur orent sibi desuper dari veram humilitatem, patientiam, ac mortificationem salubrem. Et in verbis his, « ut addant », etc., « ut » tenetur concomitanter, non causaliter. *Qui sunt omnino simpliciores* columbina simplicitate, *non consueverunt corruere isto veneno,* id est decipi per hunc modum, qui eis venenum est. *Nam vana gloria est simplicitatis abjectio, et institutio et conversatio*
B *ficta.*

Vermis quum creverit, alas naturaliter mittens, plerumque in altum extollitur, sursum volando; *et vana gloria consummata* per consensum illicitum *parit superbiam, quæ est complementum et auctrix omnium vitiorum. Qui vero non capitur a gloria vana, non corruet in superbiam Deo inimicam et adversantem, et sine capite exsistentem,* quum ipsa sit caput, origo et radix malorum.

GRADUS XXII

DE SUPERBIA SINE CAPITE EXSISTENTE.

Gradus XXIII sec. Græcum.

SUPERBIA est Dei negatio, inventio dæmonum, despectio hominum, mater condemnationis atque judicii, laudum proles, infructificationis argumentum, effugatio adjutorii Dei, præcursor ecstasis et amentiæ, conciliator lapsuum et ruinarum, occasio defectionis, fons furoris, firmamentum dæmonum, custos vitiorum, inviscerositatis adductor, ignorantia compassionis, amarus positor et exquisitor rationis, exactor crudelis et inhumanus, luctator Deo contrarius, radix blasphemiæ.

Initium superbiæ, finis vanæ gloriæ; medium superbiæ, contemptus proximorum, inverecunda quoque manifestatio propriorum laborum et dolorum, cordialis etiam amor propriæ laudis, et odium correptionis ac redargutionis; finis autem superbiæ, negatio adjutorii Dei, et extollentia propriæ festinantiæ ac sollicitudinis, mos dæmoniacus.

Omnes volentes effugere foveam hanc, audiamus. Passio hæc diligit frequentius paulululum accipere : non enim supponit ac suggerit ab exordio sui Deum negare

irreverenter et sine rubore. Vidi referentem Deo gratiarum actiones ore, et extollentem et magnificantem se ipsum ex propria prudentia. Testatur hoc Pharisæus *Luc.* XVIII, 11.
ille ironice dicens : O Deus, gratias ago tibi.

Ubi ruina pertingit et advenit, ibi ante superbia tentorium fixit : diminutio enim prioris esse secundum doceatur aut supponatur.

Audivi quemdam memoria dignum et honorandum, dicentem esse duodecim passiones ignominiæ. Si unam illarum (dico autem elationem) dilexeris voluntate, illa elatio complebit locum undecimum.

Monachus altum sapiens contradicit vehementer ; monachus vero humiliter sapiens contradicere nescit. — Cypressus dedignatur pergere super terram, et arrogans monachus superbus corde, dedignatur obedientiam possidere. — Vir altus corde desiderat principari : aliter enim non potest (magis vero non vult) perdi in finem, ut congruit.

Deus resistit superbis : quis autem valet misereri eorum ? Immundus est coram *Jac.* IV, 6. *I Petr.* V, 5.
Domino omnis arrogans corde : et quis de cetero valebit eos mundare ? *Prov* XVI, 5.

Correctio et disciplina superborum, est ruina et lapsus ; stimulus vero, dæmon ; derelictio autem, ecstasis atque amentia. — Nempe de primis homines ab hominibus sunt curati, novissimum vero ab hominibus insanabile.

Qui amovet a se redargutionem, passionem significavit ; accedens vero, solvitur a vinculo. — Si absque alia passione, propter hanc solam cecidit quis de cœlo, quærendum est ne quando possibile sit ex sola humilitate sine alia virtute in cœlos ascendere.

Superbia est perditio spiritualium divitiarum et sudorum. Clamaverunt, nec erat *Ps.* XVII, 42.
qui salvos faceret : quia cum superbia clamaverunt. Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos : penitus ideo quia non absciderunt causas contra quas orabant.

Senex quidam cognitione et scientia plenus, spiritualiter admonuit Fratrem superbientem. Ille vero excæcatus respondit : Indulge, Pater, non sum superbus. Sapientissimus autem senex dixit ad Fratrem : Qualem evidentiorem ostensionem superbiæ poteris nobis exhibere, o fili, quam ut dicas, Superbus non sum ? — Obedientia et subjectio omnino decet et convenit talibus, et constitutio magis crassa, vilis et ignominiosa, et lectio directionum Patrum super naturam. Forte sic saltem erit quædam parva spes salutis infirmantibus.

Confusio est super alieno ornatu extolli, extrema vero insipientia est super charismatibus Dei phantasticari. Quæcumque directiones tibi fuerunt ante tuam generationem, super his solis extolle te : quæ enim sunt post generationem, donavit tibi Deus, sicut et ipsam generationem. Quascumque præter mentem virtutes direxisti, hæ solæ tuæ sunt : mentem enim Deus donavit. Quæcumque certamina victoriæ ostendisti sine corpore, facta sunt ex sola festinantia tua : corpus enim non est tuum, sed est factura Dei.

Ne confidas usquequo sententiam acceperis. Vidi enim manibus et pedibus *Matth.* XXII,
vinctum, esse in tenebras exteriores projectum post vocationem et inter recumben- 11, 13.

tiam adsistentium sponso. Noli arrogans altum sapere, quum sis terrenus : multi enim de cœlo ejecti sunt, quum fuissent immateriales et sancti.

Quando dæmon capit locum in operariis suis, tunc superapparens eis per somnia, aut etiam manifeste in visione, in figura cujuscumque angeli sancti aut martyris, tradit eis revelationem mysteriorum sive dona charismatum, ut miserabiles seducti falsis, excidant perfecte a sensibus.

Licet mille mortes sustinuerimus pro Christo, nondum tamen quod est congruum persolvemus : aliud enim est sanguis Dei, et aliud sanguis servorum, secundum dignitatem, non secundum essentiam. — Non cessemus nos ipsos semper inquirere, examinare et dijudicare per comparationem ad Patres et luminaria qui fuerunt ante nos ; et tunc inveniemus nos ipsos nondum calcasse vestigium diligentis conversationis, sed adhuc commorantes ac positos in institutione aut consistentia sæculari.

Monachus proprie est oculus non elatus, humilis animæ intuitus, et immotus corporis sensus. Monachus est qui impugnatores instar bestiarum advocat et irritat quum fugiunt ab eo. Monachus est incessabilis excessus, et tristitia vitæ. Monachus est qui ita afficitur et qualificatur virtutibus, sicut alius delectationibus vitiosis et concupiscentiis. Monachus est incessabile lumen in oculo cordis. Monachus est abyssus humilitatis ex toto præcipitans et suffocans omnem spiritum alienum.

Tumor operatur peccatorum oblivionem; sed conciliatio humilitatis, peccatorum memoriam. — Superbia est novissima animæ penuria, divitias phantasticans, et lumen in tenebris videre se arbitrans. Non solum non progredi inquinata non sinit, sed et longe projicit ab altitudine.

Superbus est sanies intus putrescens, extrinsecus vero visione nitescens. — Monachus superbus non indiget dæmone : ipse enim sibi ipsi de cetero factus est dæmon et impugnator.

Tenebræ sunt alienæ et extraneæ a lumine, et superbus ab omni virtute exstat extraneus. — In cordibus superborum concipiuntur verba blasphemiæ ; in animabus vero humilium oriuntur ex Deo verba cœlestia. — Abominatur fur solem; qui autem superbus est, vilipendit mites.

Plurimi superborum latent se ipsos, nescio qualiter ; et arbitrantes se esse sine vitio et impassibiles, propriam penuriam in exitu cognoverunt. — Qui captus est ab ea, non obsecrabit Dominum : vana est enim apud illum salus hominum.

Apprehendi alicubi errorem et seductionem superbiæ, quæ est sine capite, in corde meo repentem cum labore remigii, vectam super humeros propriæ matris : quas illaqueans obedientiæ vinculo flagellansque vilitatis flagello, per tormenta exquisivi dicere introitum earum in me.

Quocirca flagellatæ dixerunt : Non nos habemus principium neque genituram, sed nos sumus principatrices et genitrices universarum passionum. Porro contritio cordis genita in obedientia non modice nos impugnat ; et non sustinemus ut aliquis dominetur nobis : propterea et in cœlis principantes factæ, apostatavimus inde. Et ut summatim dicatur, nos sumus genitrices omnium vitiorum contra humilitatem

agentium ; universa vero cooperantia humilitati, apposita sunt nobis contrarie. Sed in cœlo vicimus, et tu quo a facie nostra fugies ? Nos naturaliter habemus ignominias frequentius consequi obedientiam et inirascibilitatem et oblivionem injuriæ et ministrationem. Nostræ progenies sunt : ruinæ et lapsus spiritualium, ira, detractio, amaritudo, furor, clamor, blasphemia, hypocrisis, odium, invidia, contradictio, complacentia et regulatio propriæ voluntatis, impersuasibilitas et inobedientia. Unum est solum in quo non habemus virtutem superconari, et hoc tibi dicimus flagellatæ : si coram Deo persistas te ipsum integre vituperare et inculpare, reputabis nos quasi araneam. Ut vides, vana gloria est equus superbiæ, super quam ascendi. Sancta vero humilitas se ipsam inculpans atque vituperans, deridebit equum et ascensorem ipsius, delectabiliter canens in melodia laudem ac canticum super victoria : Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est ; equum et ascensorem dejecit in mare, et in abyssum humilitatis. Exod. XV, 1.

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI SECUNDI.

SUPERBIA est Dei negatio. Superbus A namque se ipsum sic erigit, et de donis Dei ita extollit se ipsum, quasi ea habeat a se ipso : per quod æquivalenter abnegat Deum, et sequitur Pharaonem, cui Ezech. XXIX, 3. Dominus ait per Ezechielem : Audi, Pharao, draco magne, qui dicis, Meus est fluvius, et ego feci me ipsum.

Est quoque superbia *inventio dæmonum :* nam et primus ille apostata primus superbivit in cœlo, aliosque ad elationem induxit ; *despectio hominum :* quia per eam unus despicit alium ; *mater condemnationis atque judicii :* superbi enim alios temerarie judicant, reprobant et condemnant ; *laudum proles :* quoniam sæpe ori- p. 948 B. 308 D. tur ex laudibus aliorum, ut dictum est ; *infructificationis argumentum,* id est signum interioris sterilitatis, et quod superbus non proficit in gratia et virtute ; *effugatio adjutorii Dei :* facit equidem hominem adjutorio Dei indignum ; *[illegible] et amentiæ,* id est dispositio ad tantam infatuationem et deceptionem, ut homo alienetur a se ipso, et usu rationis privetur, fiatque phantasticus ; *conciliator,* id est procuratio, *lapsuum et ruinarum :* quia ad varia trahit peccata ; *occasio defectionis,* id est debilitatis cordis ac capitis ; *fons furoris :* superbi enim faciliter et vehementissime irascuntur, quoniam parvam injuriam reputant maximam, quum sint in oculis propriis magni ; *firmamentum dæmonum, custos vitiorum :* per superbiam quippe homo meretur in peccatis suis relinqui, et jugo dæmonum firmiter B subjici ; *[illegible] ignorantia compassionis :* nam reddit hominem crudelem et incompassivum ; *[illegible] positor et exquisitor rationis :* superbus namque cum exacerbatione et rigore judicat alios, et satisfieri sibi expostulat : ideo subditur, *[illegible] luctator Deo contrarius,* cui rebellis est ; *[illegible],* ad quam tandem perducit superbum quum ei contingunt adversa, in quibus fit repente valde impatiens.

Initium superbiæ est *finis vanæ gloriæ:* A (p. 302 D, 308 D, 310 B.) quia ut patuit præcedenti articulo, vana gloria ad superbiam introducit, et ubi ipsa terminatur, superbia inchoatur. *Medium superbiæ* est *contemptus proximorum, inverecunda quoque manifestatio propriorum laborum et dolorum,* ex quibus potest quis excellentior apparere, *cordialis etiam amor propriæ laudis, et odium correptionis ac redargutionis. Finis autem superbiæ* est *negatio adjutorii Dei, et extollentia propriæ festinantiæ ac sollicitudinis.* Ad hoc namque superbia finaliter B ducit superbum, ut putet se propriis viribus quæ bona sunt operari, nec indigere gratioso Dei auxilio, sicque extollat propriam alacritatem et curam qua festinavit ac studuit bona efficere, secundum quod æstimat : quod totum est *mos dæmoniacus,* id est actus et apparatus dæmonem sequens.

Omnes volentes effugere foveam hanc, audiamus. Passio hæc, puta superbia, *diligit frequentius paululum accipere,* id est, communiter oritur partim ex gratia- C rum actione. *Non enim supponit ac suggerit,* id est, non præsumit nec instigat, *ab exordio sui Deum negare irreverenter et sine rubore. Vidi referentem Deo gratiarum actiones ore, et extollentem et magnificantem se ipsum ex propria prudentia* qua scit Deo esse regratiandum tanquam fonti omnium bonorum. *Testatur hoc* verum esse *Pharisæus ille ironice dicens : O Deus, gratias ago tibi.* (Luc. XVIII, 11.) Quam gratiarum actionem dicitur ille Pharisæus Deo obtulisse « ironice », quia non egit D hoc ex vera devotione et humilitate, sed ex superba cognitione.

Ubi ruina pertingit et advenit, ibi ante superbia tentorium fixit. Cetera enim peccata ex superbia oriuntur : ideo eam aliquo modo præsupponunt. *Diminutio enim prioris esse secundum doceatur aut supponatur.* Hoc interrogative et negative legendum videtur, ut sit sensus : Quis dicat aut præsupponat quod minoratio superbiæ, quæ est prima iniquitas, sit secundum, id est alius casus? Quod quum dici non possit, constat quod ipsa superbia sit causa ruinæ sequentis.

Audivi quemdam memoria dignum et honorandum, dicentem esse duodecim passiones ignominiæ. Sic et philosophi et theologi quidam dicunt esse duodecim passiones animæ, loquendo in genere; quidam vero asserunt quod undecim sint. Quæ dicuntur « passiones ignominiæ », id est sensualitatis, quia rationi irreverenter resistunt, atque ad ignominiosa opera pertrahunt hominem. *Si unam illarum, dico autem elationem,* quæ est appetitus temporalis excellentiæ aut humani honoris, *dilexeris voluntate,* utpote cum pleno consensu, *illa elatio complebit locum undecimum,* id est, undecima erit in ordine, forsan secundum aliquam considerationem.

Monachus altum sapiens, id est, magnum et sapientem se reputans, *contradicit vehementer* superiori ac aliis, præferens judicium suum judicio eorumdem; *monachus vero humiliter sapiens contradicere nescit. — Cypressus dedignatur pergere super terram,* id est, ex sua natura inclinatur ad hoc ut crescat seque extendat in aere et in alto; *et arrogans monachus superbus corde, dedignatur obedientiam possidere.*

Vir altus corde desiderat principari : aliter enim non potest (magis vero non vult) perdi in finem, ut congruit, id est, aliter non valet (imo nec vult) finaliter condemnari tamque horribiliter et extreme perire, sicut decet eum perire propter suam elationem : idcirco justo Dei judicio permittitur ad ambitionem corruere, imo et interdum ad majorem suam damnationem obtinere optatam prælationem.

Deus resistit superbis : quis autem valet misereri, id est auxiliari, *eorum,* nisi omnipotens Deus? (Jacob. IV, 6; I Petr. V, 5.) *Immundus est coram Domino omnis arrogans corde : et quis de cetero valebit eos mundare?* (Prov. XVI, 5.)

Correctio et disciplina superborum, est ruina et lapsus : dum enim corripiuntur

et castigantur, per impatientiam et indignationem suam gravius peccant et cadunt; *stimulus vero, dæmon,* id est, diabolus pungit et incitat eos ad mala, deinde puniet eos in sempiternum; *derelictio autem, ecstasis atque amentia,* id est, præcipua derelictio superborum a Deo, est quod elationis suæ demerito cadere permittuntur ad alienationem et infatuationem præfatas.

Nempe de primis homines ab hominibus sunt curati, id est, unus homo interdum curat alium ministerialiter de vitiis pertinentibus ad principium ac medium superbiæ, de quibus jam dictum est; *novissimum vero ab hominibus insanabile,* id est, hoc quod pertinet ad finem ac consummationem superbiæ, de quo nunc mentio facta est, non potest ab ullo homine viatore curari. Hoc enim est negatio adjutorii Dei : quæ fuit hæresis Pelagii, asserentis nos posse mereri sine gratia Dei.
Tit. III, 10. Unde Apostolus : Hæreticum hominem, inquit, post unam et secundam correptionem devita, etc.

Qui amovet a se redargutionem, id est, qui increpari dedignatur, *passionem significavit,* id est, superbum, impatientem et passionibus subditum se esse monstravit; *accedens vero* ad correptionem spontanee, *solvitur a vinculo* suæ culpæ.

Si absque alia passione, propter hanc solam cecidit quis de cœlo, id est, quoniam primus ille apostata de cœlo dejectus est propter solam suam superbiam, *quærendum est ne quando,* hoc est anne aliquando, *possibile sit ex sola humilitate sine alia virtute in cœlos ascendere.* Ad quod breviter respondendum, quod per solam humilitatem homo potest ascendere et salvari, si humilitas accipiatur cum inclusione virtutum ei inseparabiliter annexarum; aliter non : nec enim possibile est hominem quemquam salvari sine cari-
Hebr. XI, 6. tate, imo nec sine fide, sine qua impossibile est Deo placere.

Superbia est perditio spiritualium di-
p. 302 D. *vitiarum et sudorum,* sicut jam habitum

A est. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret : quia cum superbia clamaverunt. Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos : penitus ideo quia non absciderunt causas contra quas orabant,* id est, de suis peccatis non pœnituerunt veraciter. Ps. XVII, 42.

Senex quidam cognitione et scientia plenus, spiritualiter admonuit Fratrem superbientem, ut elationem omnem abjiceret. *Ille vero excæcatus respondit : Indulge, Pater, non sum superbus. Sapientissimus autem senex dixit ad Fratrem :*
B *Qualem evidentiorem ostensionem superbiæ poteris nobis exhibere, o fili, quam ut dicas, Superbus non sum?*

Obedientia et subjectio omnino decet et convenit talibus, puta superbis, *et constitutio magis crassa, vilis et ignominiosa,* id est contrectatio, collocatio et humiliatio grossa, dejectiva, et quasi injuriosa, ut acriter exercitentur, et frangere se addiscant omnibus obsequendo et infima loca tenendo, *et lectio directionum Patrum super naturam,* id est prælectio exercitio-
C rum et operum sanctorum Patrum quæ supernaturaliter impleverunt, ut illorum exemplis ædificentur, seque humiliare et mortificare conentur. *Forte sic saltem erit quædam parva spes salutis infirmantibus,* id est Fratribus tam superbis.

Confusio est super alieno ornatu extolli, id est de aliorum perfectione superbire, quemadmodum quidam inflantur, quia in Ordine eorum fuerunt multi sapientes sanctique viri, quum tamen illorum non sectentur vestigia; *extrema vero insipien-*
D *tia est super charismatibus Dei phantasticari,* id est dona gratiæ Dei sibi ipsi, non divinæ pietati adscribere : quod est illusio prorsus phantastica.

Qui a [illegible] , id est, quæcumque opera bona fecisti antequam natus fuisti, aut regeneratus in Christo, *super his solis* [illegible] quæ utique nulla sunt [illegible], id est, bona quæ fecisti postquam natus es, [illegible]

idcirco non licet tibi superbire de illis. *Quascumque præter mentem virtutes direxisti,* id est, actus virtuosos quos fecisti absque intellectu et usu rationis, *hæ solæ tuæ sunt,* id est, tibi adscribi possunt : quæ nullæ sunt, quum sine rationis judicio nulla sit actio virtuosa. *Mentem enim Deus donavit :* ideo omnis actio mentis est Deo attribuenda. *Quæcumque certamina victoriæ ostendisti sine corpore,* id est extra corpus exsistens, aut sine corporis tui concursu, *facta sunt ex sola festinantia* (id est agilitate) *tua : corpus enim non est tuum,* id est, a te ipso illud non habes, *sed est factura Dei.*

Ne confidas usquequo sententiam acceperis, id est, noli præsumere aut sine Dei formidine esse, antequam fueris judicatus a Deo, *videns illum manibus et pedibus vinctum, esse in tenebras exteriores projectum post vocationem et inter recumbentiam adsistentium sponso.* Unde in Evangelio legitur : Intravit rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, etc.

Matth. xxii, 11 et seq.

Noli arrogans altum sapere, quum sis terrenus : multi enim de cœlo ejecti sunt, quum fuissent immateriales et sancti, videlicet angeli qui cum Lucifero peccaverunt : qui sancti fuisse dicuntur, non quod Deo unquam beatifice fruebantur, sed quia in sanctitate quadam creati sunt, præsertim secundum eos qui asserunt eos esse creatos in gratia gratum faciente et caritate.

Cf. t. XXI, p. 285 C' et s.

Quando dæmon capit locum in operariis suis, tunc superapparens eis per somnia, aut etiam manifeste in visione, in figura cujuscumque angeli sancti aut martyris, tradit eis revelationem mysteriorum sive dona charismatum, id est, secreta aliqua eis revelat, aut quædam similia divinis charismatibus eis largitur, *ut miserabiles seducti falsis,* id est deceptionibus et talibus fallaciis, *excidant perfecte a sensibus,* id est, amentiam incurrant, aut errores catholicæ veritati contrarios. Istud operatur diabolus in quibusdam quos vi-
A det ad tales illusiones magis dispositos, et qui sua singularitate ac pravitate merentur ita relinqui a Deo ac subdi dæmonio.

Licet mille mortes sustinuerimus pro Christo, nondum tamen quod est congruum persolvemus, id est, nil condignum ei rependemus, nec vicem æqualem. *Aliud enim est sanguis Dei, et aliud sanguis servorum :* aliud, inquam, *secundum dignitatem, non secundum essentiam* specificam : id est, sanguis Christi, qui est Deus verus veraciter incarnatus, est incompara-
B biliter dignior sanguine nostro ; idcirco passioni Christi nihil æquale aut dignum rependere possumus, quidquid et quotiescumque pro illo perpessi fuerimus. Quid ergo eveniet illis qui nec modicum verbum, nec parvam injuriam, nec pœnitentiæ afflictionem volunt pati pro Christo?

Non cessemus nos ipsos semper inquirere, examinare et dijudicare per comparationem ad Patres et luminaria, id est splendidissimos atque illuminatissimos viros, *qui fuerunt ante nos; et tunc inve-*
C *niemus nos ipsos nondum calcasse vestigium diligentis,* id est sollicitæ ac timoratæ, *conversationis, sed adhuc commorantes ac positos in institutione aut consistentia sæculari,* id est in vita et gradu hominum mundanorum respectu sanctorum Patrum.

Deinde ponuntur quædam descriptiones monachi : quæ qualiter intelligendæ sunt, patet ex dictis gradu primo, De inanis vitæ fuga. p. 29 B'.

Monachus proprie est oculus non elatus, humilis animæ intuitus, et immotus
D *corporis sensus.* Ista descriptio datur de monacho per partem et per actum præcipue pertinentem ad ipsum. Potissime quippe spectat ad monachum oculum habere non elatum, sed exteriorem et interiorem intuitum humilem, in omnibus quoque sensibus esse custoditum, refrenatum ac fixum. *Monachus est qui impugnatores instar bestiarum advocat et irritat quum fugiunt ab eo.* Monachus namque debet esse tam fortis in fide, tam fixus in spe divini auxilii, tam fervens in caritate, et

tantæ constantiæ, ut invisibiles hostes, Deo agente, prompte prosternat, et victos ad prælium contra se provocet : quod tamen agere non competit nisi perfectis, qui et cum omni humilitate et indesinenti confidentia auxilii divini id facere debent. *Monachus est incessabilis excessus, et tristitia vitæ :* id est, ad monachum spectat ad vitam beatam futuram jugiter adspirare, præsentia cuncta transcendere, et hujus exsilii incolatum deflere.

Monachus est qui ita afficitur et qualificatur virtutibus, sicut alius delectationibus vitiosis et concupiscentiis. Pertinet namque ad monachum ut totis præcordiis afficiatur circa bonum honestum, et semper esuriat sitiatque justitiam, spiritualem profectum, consummationem virtutum, ita ut viscera animæ suæ convertantur ac transformentur in bonitatis ac pietatis affectum, quemadmodum libidinosus totis præcordiis ad carnalia delectatur atque in turpitudinis affectum convertitur. *Monachus est incessabile lumen in oculo cordis,* id est lumine discretionis et dono sapientiæ jugiter decoratus in ratione. *Monachus est abyssus humilitatis,* id est profundissima humilitate ornatus, *ex toto præcipitatus et suffocatus omnem spiritum alienum,* videlicet spiritum elationis, fornicationis, iræ, impatientiæ, gulæ, et quidquid humilitatis est expulsivum.

Tumor operatur peccatorum oblivionem, hoc est, elatio facit hominem peccatorum suorum immemorem ; *sed conciliatio humilitatis,* id est consideratio humilis sui ipsius, parit *peccatorum memoriam.*

Superbia est novissima, id est extrema et maxima, *animæ penuria, divitias phantasticans,* id est, faciens hominem imaginari quod sit virtuosus ac dives, juxta il-
Apoc. III, 17. lud in Apocalypsi : Dicis quia dives sum et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis; *et lumen in tenebris videre se arbitratus :* facit enim hominem præsumptuosum, ita ut quum sit in caligine vitiorum, putet se ad contemplandum sublimia ac divina idoneum. *Non solum non progredi inquinata non sinit,* id est, vitiosa ista superbia non tantum impedit hominem a processu virtutum, *sed et longe projicit* eum *ab altitudine,* id est, maxime facit distare ab arce perfectionis, et quo superbus se erigit altius, eo propria animositate ruit profundius.

Superbus est sanies intus putrescens, extrinsecus vero visione nitescens. Superbus namque quanto plus extra ornatur, prosperatur et aliquid esse videtur, tanto interius fœdior abominabiliorque consistit, quemadmodum Christus de Scribis et Pharisæis superbis disseruit : Similes Matth. XXIII, 27.
estis sepulcris dealbatis, quæ a foris pulchra apparent, intus vero plena sunt omni spurcitia.

Monachus superbus non indiget dæmone quo tentetur; *ipse enim sibi ipsi de cetero factus est dæmon et impugnator :* nam instar diaboli concipit, cupit, profert et operatur ex se ipso superba, vana ac impia.

Tenebræ sunt alienæ et extraneæ a lumine, loquendo de tenebris puris et impermixtis, *et superbus ab omni virtute exstat extraneus. — In cordibus superborum concipiuntur verba blasphemiæ,* dum eis contingunt adversa; *in animabus vero humilium oriuntur ex Deo verba cœlestia,* id est inspirationes supernæ et illuminationes divinæ, ita quod dicere queunt : Audiam quid loquatur in me Dominus Ps. LXXXIV, [illegible]
Deus. Cum simplicibus enim atque humilibus sermocinatio Dei. — *Abominatur [illegible],* in quantum sol lumine suo prodit aut impedit eum ; *qui autem superbus est, vilipendit mites.*

Plurimi superborum latent se ipsos, nescio qualiter : propria enim pericula et peccata non intuentur, excæcante eos elatione ipsorum : [illegible], id est a passionum excessibus reformatos, *propriam penuriam in [illegible],* id est in hora mortis, *[illegible]verunt,* suas videlicet iniquitates, inopias et [illegible], vel ex Dei judicio quo tunc particulariter judicantur, vel ex dæmonis

procuratione, qui tunc ad eorum reducit memoriam peccata ipsorum, ut eos ad desperationem inducat, vel ex propria consideratione inducti timore servili divini judicii ac infernalis supplicii.

Qui captus est ab ea, id est, elationi subjectus est, *non obsecrabit Dominum* ex vera devotione quamdiu in captivitate hujusmodi perseverat. *Vana est enim apud illum salus hominum,* id est, superbus nec sui ipsius nec aliorum salutem appretiatur, attendit aut curat.

Apprehendi alicubi errorem et seductionem superbiæ, quæ est sine capite, id est, in quodam loco exsistens adverti et consideravi errorem ac fraudem ex superbia orientem, *in corde meo repentem cum labore remigii,* id est, conatu pertinaciæ aut similis vitii cooperantis præfatæ deceptioni : « seductionem », inquam, *vectam super humeros propriæ matris,* id est super ipsam elationem, ex qua gignitur, et cui innititur, a qua etiam fulcitur atque defenditur. *Quas illaqueans obedientiæ vinculo,* id est, superbiam et ejus matrem captivans ac ligans virtute et actu obedientiæ sanctæ, *flagellansque* eas *vilitatis flagello,* id est humili subjectione et paupertate, seu proprii sensus resignatione, *per tormenta exquisivi dicere introitum earum in me.*

Quocirca flagellatæ dixerunt : Non nos habemus principium neque genituram, id est, ex aliis vitiis non generamur originaliter, communiter, aut directe, *sed nos sumus principatrices et genitrices universarum passionum,* imo et omnium vitiorum. *Porro contritio cordis genita in obedientia,* id est per obedientiam acquisita, *non modice nos impugnat ; et non sustinemus ut aliquis dominetur nobis : propterea et in cœlis principantes factæ,* id est, angelos inducentes ad desiderium principandi inordinate, *apostatavimus inde. Et ut summatim dicatur, nos sumus genitrices omnium vitiorum contra humilitatem agentium ; universa vero cooperantia humilitati, apposita sunt nobis contrarie,* id est, omnia illa nobis repugnant. *Sed in cœlo vicimus* angelos reprobos, *et tu quo a facie nostra fugies? Nos naturaliter habemus ignominias frequentius consequi obedientiam et inirascibilitatem et oblivionem injuriæ et ministrationem,* id est, naturale est nobis ut practicemus et procuremus hoc, quod hi qui bene obediunt iramque vincunt et illatam sibi injuriam prorsus obliviscuntur, omnibus quoque humiliter obsequuntur, seu Deo rite deserviunt, ignominias et persecutiones sæpius patiantur, quia superbos excitamus ad molestandum, spernendum persequendumque tales : quemadmodum scriptum est, Abominatio superbo humilitas; et, Deridetur justi simplicitas. *Eccli.* XIII, 24. *Job* XII, 4.

Nostræ progenies, id est vitia orientia ex nobis, quæ sunt filiæ nostræ, *sunt : ruinæ et lapsus spiritualium,* qui sæpe per superbiam et ejus seductionem dejiciuntur, *ira, detractio, amaritudo, furor, clamor, blasphemia, hypocrisis, odium, invidia, contradictio, complacentia et regulatio propriæ voluntatis, impersuasibilitas et inobedientia.* Superbi enim suis adversariis, et sui honoris, promotionis ac excellentiæ impeditoribus, cito et vehementer irascuntur, obloquuntur et amaricantur, et contra eos furere atque clamare non erubescunt, quibus et invident ac resistunt; sunt etiam pertinaces in proprio sensu, et complacentiam habent in his quæ sunt propriæ voluntatis eorum, et juxta eam se regulant; superioribus quoque multoties contradicunt et inobedientes exsistunt, et simulant se quod non sunt.

Unum est solum in quo non habemus virtutem superconari, id est potestatem prævalendi, *et hoc tibi dicimus flagellatæ,* id est per flagella tua coactæ : *si coram Deo persistas te ipsum integre vituperare et inculpare,* id est humiliter accusare, *reputabis nos quasi araneam,* quæ quamvis sit venenosa, faciliter tamen necatur. *Ut vides, vana gloria est equus superbiæ, super quam ascendi. Sancta vero humilitas se ipsam inculpans atque vituperans, de-*

ridebit equum et ascensorem ipsius, videlicet vanam gloriam et superbiam, *delectabiliter canens in melodia,* id est consonantia verborum et morum seu operum, *laudem ac canticum,* id est, Deo gratias agens in hymnis et psalmis, *super victoria,* id est pro triumpho sibi concesso A contra vanam gloriam et elationem, dicetque : *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est ; equum et ascensorem dejecit in mare, et in abyssum humilitatis,* id est, per profundam humilitatem eos submergit, quemadmodum olim submersit Pharaonem cum suis in mari Rubro. *Exod.* xv, 1.

GRADUS XXIII

DE INEXPLICABILIBUS COGITATIONIBUS BLASPHEMIÆ.

AUDIVIMUS in prætactis, de crudeli radice et matre crudelissimam prolem esse exortam : dico autem nefandam propagationem blasphemiæ inquinatæ superbiæ. Propterea necessarium est eam in medium deducere. Blasphemia namque non est ex indifferentibus vel qualibuscumque, sed est utique omnium crudelissimus inimicus et impugnator. Et quod crudelius est, neque faciliter potest explicari, confiteri et manifestari medico : qua ex re peperit multis obstinationem et desperationem, immundus hostis consumens universam eorum spem, quemadmodum vermis in ligno consumit illius vigorem. *Cf.* p. 313.

Iste ergo, iste immundissimus inimicus multoties cupit, diligit et præsumit apud sanctas congregationes, in ipsa tremenda hora et visione mysteriorum, obloqui contra ipsa sancta quæ perficiuntur, et audet Dominum diffamare. Unde et sapienter ac maxime edocemur quod anima nostra non fuit interius loquens illa impia ac nefanda eloquia, sed diabolus odiens Deum, qui de cœlo est effugatus eo quod fuerit arbitratus ibi immittere blasphemias contra Deum. Nempe si sermones illi inconvenientes et impudici sunt mei, quomodo Dominum sumens adoro ? Quomodo possum maledicere similiter et benedicere ?

Seductor ille et animarum corruptor multos frequenter induxit in excessum sensuum atque amentiam. Nam nulla alia cogitatio est tam gravis ad confitendum ut ista : idcirco frequenter inveterata cum multis consenuit. Nihil etenim ita præbet virtutem dæmoniis ac impiis cogitationibus contra nos, quam eas non confiteri, sed in corde abscondere ac nutrire.

Nemo reputet se ipsum esse causam cogitationum blasphemiæ : Deus namque est cognitor cordium, et scit hujusmodi verba ac sensus non esse nostra, sed inimicorum nostrorum. Inebriari est causa impingendi, et superbire est causa indecentium cogitationum. Denique impingens non est causa impingendi, sed punietur propter suam inebriationem.

Stantibus nobis in oratione, insurgunt contra nos cogitationes illæ immundæ

atque nefandæ. Oratione autem completa, confestim recedunt : non enim consueverunt confligere contra eos qui eis non repugnant.

Impius ille non solum blasphemat Deum et cuncta divina, sed et intellectualiter loquitur in nobis quæque inconvenientia, immunda ac turpia verba, ut vel ab oratione cessemus, aut desperemus. Multos namque ab oratione abscidit et impedivit, atque a sacris mysteriis separavit; quorumdam vero corpora fecit tabescere præ tristitia; alios vero malignus et inhumanus iste tyrannus domavit per jejunium, et nullam requiem dedit eis. Denique fecit hoc diabolus iste non solum mundanis hominibus, sed etiam exsequentibus vitam monasticam, et supposuit eos de cetero non posse habere ullam salutem, sed miserabiliores esse infidelibus universis et ipsis gentilibus.

Qui a spiritu blasphemiæ molestatur, et vult liberari ab eo, diligenter cognoscat animam suam non esse causam talium cogitationum, sed immundum dæmonem eum qui olim dixit ad Dominum, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me : qui taliter nos impugnat. Propterea et nos eum despicientes, et dicta ab eo non habentes in mensuram, dicamus : Vade retro, Satana, Dominum Deum meum adorabo, et illi soli serviam; porro dolus tuus et suggestio tua convertetur in caput tuum, et blasphemia tua descendet in verticem tuum et nunc et in futuro sæculo. Amen.

Matth. IV, 9. — *Ibid.* 10.

Qui vero vult luctari contra blasphemiæ dæmonem extra modum præfatum, similis est ei qui conatur coruscationem manibus suis tenere. Quomodo enim aliquis apprehendet eum, aut dimicabit contra spiritum istum prætereuntem repente in corde, et disparentem confestim, et habentem momentum celerius verbo? Omnes enim pugnatores stant, et præliantur, et faciunt moram, et præbent temporum vices pugnanti adversus eos. Iste vero ita non facit; sed dum apparet, pariter mox recedit, et quum locutus fuerit, statim pertransit.

Plerumque consuevit libenter immorari dæmon hujusmodi in mente simplicium ac puriorum, qui maxime aut vehementius aliis agitantur et perturbantur ex tentationibus illis. In quibus dicimus hoc fieri non ex propria elatione ipsorum, sed ex malitia dæmonum. — Cessemus proximum judicare et condemnare, et non timebimus cogitationes blasphemiæ : primum enim est occasio et radix secundi.

Quemadmodum qui in domo conclusus est, audit verba prætereuntium extra, non loquendo cum ipsis; ita et anima in se ipsa quiescens, percipiendo auribus cordis blasphemias dæmonis, intus turbatur : quas blasphemias per animam transiens loquitur. Qui hunc dæmonem despicit, liberatur; qui vero contendit supervacue concertare cum ipso ex industria, in fine succumbet : qui enim vult spiritum continere verbis, similis est volenti concludere ventos.

Monachus quidam festinans atque sollicitus, ab ipso molestatus per annos viginti, corpus suum jejuniis vigiliisque afflixit; et quia ex hoc nullum sensit relevamen, abiens et impugnationem suam in charta scribens, obtulit eam cuidam viro sancto, prostratus in faciem, nec audens sursum adspicere ad sanctum illum. Senex

autem quum chartam legisset subrisit, et elevans Fratrem : Fili, inquit, pone manum tuam super cervicem meam. Quod quum Frater fecisset, ait senex magnus : Super collum meum, o frater, sit hoc peccatum, et quæcumque hucusque in te fecit et faciet, sint super me ; solum id ulterius non habeas in mensuram. Denique Frater ille asseruit, quod antequam cellam senis egressus est, tentatio illa cessavit, nec ultra apparuit. Hoc mihi narravit qui istud in se ipso expertus est, gratias agens Deo.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI TERTII.

Cf. p. 318 E. A *UDIVIMUS in prætactis,* videlicet in A præcedenti gradu, *de crudeli radice et matre,* id est de superbia, *crudelissimam prolem* seu filiam *esse exortam : dico autem nefandam propagationem blasphemiæ inquinatæ superbiæ,* id est, ipsam nefandam blasphemiam dico esse hanc crudelissimam filiam vitiosæ elationis. *Propterea necessarium est eam in medium deducere,* id est de hac filia in præsenti capitulo determinare, post determinationem de superbia matre sua factam capitulo præcedenti.

Blasphemia namque non est ex indifferentibus vel qualibuscumque, id est de numero mediocrium aut communium hostium, *sed est utique omnium crudelissimus inimicus et impugnator. Et quod crudelius est, neque faciliter potest explicari, confiteri et manifestari medico* spirituali, utpote confessori aut præsidenti, seu unicuique viro sapienti ad consulendum idoneo : qui enim de blasphemia seu perfidia impugnantur, valde verecundantur, ac metuunt aperire alicui quod patiuntur. *Qua ex re* blasphemia ista *peperit multis obstinationem et desperationem, immundus hostis consumens universam eorum spem, quemadmodum vermis in ligno consumit illius vigorem.*

Iste ergo, iste immundissimus inimicus, videlicet spiritus blasphemiæ atque perfidiæ, *multoties cupit, diligit et præsumit apud sanctas congregationes,* id est in cordibus devotorum ac perfectorum, *in ipsa tremenda hora et visione mysteriorum,* id est tempore consecrationis et elevationis Sacramenti adorandi ac superdignissimi, *obloqui* per suggestiones pestiferas, perfidas ac blasphemas, *contra ipsa sancta quæ perficiuntur, et audet Dominum diffamare,* immittendo cogitationes quod Dominus Jesus sit auctor ac testis B falsitatis. *Unde et sapienter ac maxime edocemur quod anima nostra non fuit interius loquens illa impia ac nefanda eloquia, sed diabolus odiens Deum, qui de cælo est effugatus eo quod fuerit arbitratus ibi immittere* sibi aut aliis *blasphemias contra Deum,* dicendo, Similis ero Is. xiv, 14.
Altissimo, aut aliquid tale. *Nempe si sermones illi inconvenientes et impudici,* utpote prætacta interiora eloquia blasphemiis plena, *sunt mei,* id est ex me ipso concepti, *[illegible]* C id est, qualiter esse potest quod ex intentione adoro Sacramentum quod sumo ? *Quomodo possum maledicere similiter et [illegible]* Sacramento ?

Seductor ille et animarum corruptor multos frequenter induxit in excessum [illegible], qui nimis im

morabantur cogitationibus impiis, contra eas disputando, et se ipsos contristando, quoniam ignorabant qualiter eis sit resistendum. *Nam nulla alia cogitatio est tam gravis ad confitendum ut ista : idcirco frequenter inveterata cum multis consenuit,* manendo in eis usque ad mortem. *Nihil etenim ita præbet virtutem dæmoniis ac impiis cogitationibus contra nos, quam eas non confiteri, sed in corde abscondere ac nutrire.*

Nemo reputet se ipsum esse causam cogitationum blasphemiæ, nisi forte per præcedentia vitia sua. *Deus namque est cognitor cordium, et scit hujusmodi verba ac sensus* blasphemiæ *non esse nostra, sed inimicorum nostrorum,* qui ea inspirant. *Inebriari est causa impingendi :* quia rationem obscurat et impedit motum; *et superbire est causa indecentium cogitationum :* quoniam superbiendo meremur eas incidere. *Denique impingens non est causa impingendi,* id est, ipse inebriatus ambulando se contra aliquid trudens, non est causa voluntaria et directa quod ita impingit, quia fit absque proposito et advertentia sua, *sed punietur propter suam inebriationem.* Simili modo superbiens non est semper voluntaria causa ac directa cogitationum blasphemiæ, et tamen propter suam superbiam punietur.

Stantibus nobis in oratione, insurgunt contra nos cogitationes illæ immundæ atque nefandæ. Oratione autem completa, confestim recedunt. Non enim consueverunt confligere contra eos qui eis non repugnant. Hoc dupliciter potest intelligi. Primo, quod communiter non impugnant eos qui non curant in virtutibus crescere vitiisque resistere. Secundo, quod non impugnant eos qui tales cogitationes blasphemas ac perfidas irrident, nec eas advertunt nec curant, sed tanquam diabolica quædam susurria dissimulant et contemnunt, insistentes virtutibus tanto ardentius, quanto talia importunius sentiunt sibi immitti, et cum jucunditate Deo deservientes. Istud plane est unum de optimis

A remediis contra tentationes hujusmodi. Diabolus enim quum sit superbissimus, diu pati non potest talem sui irrisionem et confutationem. Unde beatissimus ac admirabilis vir, seraphicus ille Franciscus, docuit Fratres suos ut in talibus tentationibus dicerent diabolo : Aperi os tuum, et projiciam tibi stercus. Aliud remedium est ut in confessione et extra confessionem clarissime aperiantur alicui viro sapienti, experto, idoneo. Tertium, ut homo simpliciter dicat : Ego credo sicut sancti patres
B Martinus, Bernardus, Franciscus, et innumerabiles alii gloriosissimi Sancti, quorum non sum dignus osculari vestigia. Non autem expedit disputare cum impurissimis cogitationibus illis; nec debet se homo contristare propter eas, sed Deo servire in jubilo : communiter enim sunt signa magni profectus futuri.

Impius ille blasphemiæ spiritus *non solum blasphemat,* id est, non solum instigat nos ad blasphemandum, *Deum et cuncta divina, sed et intellectualiter loquitur in*
C *nobis quæque inconvenientia, immunda ac turpia verba, ut vel ab oratione cessemus, aut desperemus. Multos namque* per hæc *ab oratione abscidit et impedivit, atque a sacris mysteriis,* id est sacramentorum celebratione aut perceptione, *separavit; quorumdam vero corpora fecit tabescere præ tristitia,* qui tantum tristabantur de tali tentatione, quod ex interiori mœrore eorum corpora aruerunt; *alios vero malignus et inhumanus iste tyrannus domavit,* id est extenuavit, *per jejunium,*
D qui putabant se posse tentationem hanc vincere abstinendo, *et nullam requiem dedit eis :* quoniam taliter victus non fuit. *Denique fecit hoc diabolus iste non solum mundanis hominibus, sed etiam exsequentibus vitam monasticam, et supposuit,* id est, assertive suggessit, *eos de cetero non posse habere ullam salutem, sed miserabiliores esse infidelibus universis et ipsis gentilibus.*

Qui a spiritu blasphemiæ molestatur, et vult liberari ab eo, diligenter cognoscat

animam suam non esse causam talium cogitationum, sed immundum dæmonem eum qui olim dixit ad Dominum, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me : qui per se ipsum aut suos satellites *taliter nos impugnat. Propterea et nos eum despicientes, et dicta ab eo non habentes in mensuram,* id est, susurria ejus non ponderantes neque curantes, *dicamus: Vade retro, Satana, Dominum Deum meum adorabo, et illi soli serviam; porro dolus tuus et suggestio tua convertetur in caput tuum, et blasphemia tua descendet in verticem tuum et nunc et in futuro sæculo. Amen.*

Matth. IV, 9.

Ibid. 10.

Qui vero vult luctari contra blasphemiæ dæmonem extra modum præfatum, videlicet aliter quam nunc dixi, *similis est ei qui conatur coruscationem manibus suis tenere. Quomodo enim aliquis* a blasphemiæ spiritu impugnatus *apprehendet eum, aut dimicabit contra spiritum istum prætereuntem repente in corde, et disparentem confestim, et habentem momentum,* id est instans seu punctum suæ præsentiæ, *celerius verbo?* Quomodo, inquam, dimicabit adversus spiritum illum, nisi modo prætacto? *Omnes enim pugnatores* visibiles, scilicet homines, *stant, et præliantur, et faciunt moram, et præbent temporum vices pugnanti adversus eos. Iste vero* blasphemiæ spiritus *ita non facit; sed dum apparet, pariter mox recedit, et quum locutus fuerit* impia inspirando, *statim pertransit.* Verumtamen interdum contrahit moram in tentando, suggerendo ac susurrando.

Plerumque consuevit libenter immorari dæmon hujusmodi in mente simplicium ac puriorum, qui maxime aut vehementius aliis agitantur et perturbantur ex tentationibus illis. In quibus dicimus hoc fieri non ex propria elatione ipsorum, sed ex malitia dæmonum. — Cessemus proximum judicare et condemnare, et non timebimus cogitationes blasphemiæ : primum enim, videlicet temeraria judicatio et condemnatio proximi, *est occasio et radix secundi,* puta cogitationis blasphemiæ.

Quemadmodum qui in domo conclusus est, audit verba prætereuntium extra, non loquendo cum ipsis; ita et anima in se ipsa quiescens, percipiendo auribus cordis blasphemias dæmonis, intus turbatur: quas blasphemias diabolus *per animam transiens loquitur* suggerendo. *Qui hunc dæmonem despicit, liberatur* a passione impugnationis istius; *qui vero contendit supervacue concertare cum ipso ex industria,* quasi per rationem contra ipsum disputando, *in fine succumbet :* diabolus quippe est ineffabiliter callidior atque acutior homine. Ideo subditur : *qui enim vult spiritum continere verbis,* id est dæmonem a suggestionibus suis disputando reprimere, *similis est volenti concludere ventos.*

Monachus quidam festinans, id est fervens et agilis, *atque sollicitus, ab ipso* blasphemiæ dæmone *molestatus per annos viginti, corpus suum jejuniis vigiliisque afflixit; et quia ex hoc nullum sensit relevamen, abiens et impugnationem suam in charta scribens, obtulit eam cuidam viro sancto, prostratus in faciem, nec audens sursum adspicere ad sanctum illum. Senex autem quum chartam legisset subrisit, et elevans Fratrem : Fili, inquit, pone manum tuam super cervicem meam. Quod quum Frater fecisset, ait senex magnus : Super collum meum, o frater, sit hoc peccatum,* id est, quod tu putas esse peccatum in te, quum potius sit exercitium et flagellum, *et quæcumque hucusque in te fecit et faciet, sint super me;* [illegible] *ram,* id est, hoc tantum rogo et hortor ut de cetero non cures nec ponderes bellum istud. *Denique Frater ille asseruit, quod* [illegible] *tatio illa cessavit, nec ultra apparuit. Hoc mihi narravit qui istud in se ipso expertus est,* [illegible]

GRADUS XXIV

DE MITITATE, SIMPLICITATE ET INNOCENTIA ACQUISITIS AUXILIO GRATIÆ AC STUDIO PROPRIÆ INDUSTRIÆ, ET NON NATURALIBUS ; ET DE MALIGNITATE.

LUMEN auroræ præcurrit solem, et omnem humilitatem cursus mititatis. Quocirca audiamus Lumen ita subordinans ipsas gradu : Discite (inquiens) a me, quia mitis sum et humilis corde. (*Matth.* XI. 29.) Fas est ergo illuminari a lumine ante solem, deinde ipsum solem clare inspicere : non enim est, hoc non præcognoscentem illud intueri, sicut docet vera institutio beatorum.

Mititas est intransmutabilis constantia mentis, æqualiter se habens in ignominiis et honoribus. Mititas est in perturbationibus proximi insensibiliter esse, et integre pro ipso orare. Mititas est petra superposita mari furoris, dissolvens omnes fluctus in se profluentes, et fractionem nequaquam sustinens.

Mititas est patientiæ firmamentum, caritatis porta, magis vero mater, suppositio
Ps. XXIV. 9. discretionis (docebit enim Dominus mites vias suas, ut ait Psalmista), remissionis
Cf. *Is.* LXVI, 1.2; LVII, 15. adjutrix, confidentia in oratione, locus Spiritus Sancti, sicut ait : Super quem respiciam, nisi super humilem et quietum ?

Mititas est obedientiæ cooperatrix, fraternitatis directrix ac ductrix, insanientium frenum, furentium decisio, gaudii administratrix, imitatio Jesu Christi, appropriatio angelorum, vinculum dæmonum, et contra amaritudinem scutum.

In cordibus mitium requiescit Dominus; anima vero conturbans et conturbata
Ps XXXVI. 11; *Matth.* V. 4. est dæmonum sedes. — Mites hereditabunt terram, magis vero potestative dominabuntur terræ; viri autem ulciscentes expugnabuntur de terra sua. — Anima mitis est thronus simplicitatis; mens vero iracunda est auctrix malignitatis.

Ps. XXIV. 9. Anima mansueta suscipiet et effundet sapientiæ verba : diriget enim Dominus mansuetos in judicio, magis vero in discretione. — Anima recta est conjux humilitatis; anima vero maligna est adolescentula superbiæ. — Animæ mansuetorum implebuntur scientia; porro mens furiosa habitaculum est tenebrarum et insipientiæ.

Furiosus et simulator obviaverunt sibi, et non erat invenire verbum rectum et a malignitate immune seu mundum in sermocinatione eorum. Si revolveris cor prioris, invenies in eo insaniam; scrutans autem cor secundi, inspicies et videbis in eo malignitatem.

Simplicitas est habitus animæ non varius, ad cogitationem mali factus immobilis. — Malignitas est dæmoniaca deformatio et notitia, magis autem inhonestas, veritate sterilis et privata, et multos latere putans.

Hypocrisis est corporis et animæ contraria consistentia, suspicionibus cunctis et machinationibus pravis perplexa. — Innocentia est hilaris consistentia animæ, liberata ab omni suspicione et ab universa versutia.

Rectitudo est intentio absque curiositate, et mos sine segnitie et adulteratione, non fictus vel ante præparatus. — Sermo immalignus est munda animæ natura ut exstitit condita, participationes ad omnes faciens. — Malignitas est commutatio rectitudinis, intentio seducta et errans, dispensatio mentiens, complexa et conjuncta juramenta, perplexi sermones, profundum cordis, abyssus fraudis, mendacium transformatum, elatio exinde naturalis, pœnitentiæ hypocrisis, elongatio a luctu, inimicitia confessionis, operatio proprii arbitrii et regula propriæ deliberationis, conciliatio ruinarum, contrariatio resurrectionis, injuriarum subrisio, evanescens mœstitia, ficta religiositas, dæmoniaca vita. — Malignus est collega diaboli consratiocinator, et cognominatio. Propter quod Dominus docuit nos ita debere diabolum nominare, dicendo : Libera nos a maligno. *Matth.* vi, 13.

Fugiamus a præcipitio hypocrisis, et a lacu adulationis linguæ, audientes dicentem : Quoniam qui malignantur exterminabuntur, et quasi fœnum herbæ cito decident. Nempe hi tales dæmonum sunt pastores. *Ps.* xxxvi, 1, 2.

Quemadmodum Deus nominatur caritas, ita et rectitudo. Eapropter Sapiens dicit ad cor mundum : Rectitudo diligit te. Et pater hujus ait : Dulcis et rectus Dominus. Et cognominatos cum eo dicit salvari. Ait enim : Qui salvos facit rectos corde ; et iterum : Rectitudinem animarum vidit Deus, et visitavit eas vultu suo. [illegible] juxta LXX. *Ps.* [illegible] *Ps.* vii, 11. *Ps.* [illegible]

Prima proprietas ætatis puerorum est simplicitas non varia : quam quamdiu habuit Adam, non vidit animæ suæ nuditatem, neque inhonestatem carnis suæ. — Bona et beata est simplicitas quæ inhæret naturæ aliquorum ; non vero sicut illa quæ est ex malignitate inserta per dolores et sudores. Illa quidem a multa malignitate et vitiis protegitur et custoditur, ista vero fit altissimæ humilitatis et mansuetudinis conciliatrix ; et illi non multa merces debetur aut restat, huic autem superinfinita et superlaudabilis.

Universi nos volentes Dominum desursum attrahere ad nos ipsos, accedamus ad eum simpliciter et sine fictione et malignitate, tanquam ad magistrum in doctrinis, absque curiositate. Quum enim sit simplex et incompositus, quantum putas vult animas ad eum accedentes simplices esse ac innocentes ? — Non est aliquando simplicitatem videre liberam et alienam ab omni humilitate.

Malignus est prævisor mendax, phantasticans comprehendere cogitationes quæ sunt in corde, ex verbis, figuris ac gestibus. — Vidi rectos discentes et doctos a malignis malignari, et admiratus sum quomodo potuerunt tam cito perdere proprietatem naturæ et primitivam conditionem.

Quam faciliter recti cadunt, tam difficulter contrarii valent ad id quod rectum est transformari. — Vera peregrinatio et subjectio, et custodia oris, pluries multa prævaluerunt, et insanabilia præter opinionem mire transformaverunt.

Si scientia plurimos inflat, vide num forte [illegible] ruditas et [illegible]

habent naturaliter humiliare. Sunt quidam, quamvis pauci, qui de sua ignorantia extolluntur.

Paulus Simplex beatus, factus est ostensio et definitio manifesta et efficax et typus beatæ simplicitatis. Nemo unquam in brevi vidit talem profectum, neque audivit, nec videre aliquando poterit.

Simplex monachus est animal rationale obediens sine rationis scrutatione, imponens perfecte proprium onus ducenti. Animal non contradicit liganti, neque anima simplex et recta præsidenti ac præcipienti; sequitur trahentem sicut vult, et usque ad mactationem contradicere nescit.

Matth. XIX, 23. Divites difficulter intrabunt in regnum, et prudentes imprudenter, in simplicitatem. — Lapsus et ruina fecit frequenter incontinentes et duros, occasionaliter vero sobrios et continentes, quibus lapsus fuit donans salutem et innocentiam non voluntariam. — Lucta seducere tuum sapere et tuam prudentiam, et ita faciens, invenies salutem et æquitatem in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI QUARTI.

L*UMEN auroræ præcurrit solem,* id est solis adspectum super nostrum horizontem, *et omnem humilitatem* præcedit *cursus mititatis,* id est actus seu exercitium mansuetudinis. Verumtamen virtutes istæ connexæ sunt et tempore simul; sed una aliam præcedere dicitur, in quantum actus unius præcedit actum alterius, et aliam auget ac perficit. *Quocirca audiamus Lumen ita subordinans ipsas gradu,* id est Christum, qui has duas exprimendo virtutes, primo nominat mi-
Matth. XI, 29. titatem. *Discite (inquiens) a me, quia mitis sum et humilis corde. Fas est ergo,* id est licitum atque possibile, *illuminari a lumine* auroræ *ante solem, deinde ipsum solem clare inspicere : non enim est, hoc non præcognoscentem illud intueri,* id est, consimili modo non contingit prius conspicere Christum omnia præcognoscentem, quam mens illuminetur lumine ejus, *sicut docet vera institutio beatorum.*

Mititas est intransmutabilis constantia A *mentis, æqualiter se habens in ignominiis et honoribus.* Mititas namque est virtus moralis passionem iræ refrenans ac moderans, ne ex illatis injuriis homo per iracundiam conturbetur : sicque « mititas » ex sua natura « est intransmutabilis » et fixa « constantia mentis ». Verumtamen mititas nunc sumi videtur prout etiam ad patientiam se extendit : nam ad patientiam proprie pertinet facere hominem tranquillum et firmum « in ignominiis et honoribus », seu in adversis ac prosperis.

B *Mititas est in perturbationibus proximi insensibiliter esse,* id est adversitates et inquietudines a proximo irrogatas sine inquietudine sustinere, nec eas cum perturbatione sentire, *et integre pro ipso* qui infert adversa *orare.*

Mititas est petra, id est fortitudo, *superposita mari furoris,* hoc est amaritudini et fluctui furoris ac iræ, quos reprimit, *dissolvens omnes fluctus in se profluentes,* id est, omnes impulsus ac motus iræ et

furoris contra se insurgentes superans et exstinguens, *et fractionem nequaquam sustinens,* hoc est, motibus passionum illarum non succumbens, si tamen perfecta sit.

Mititas proprie sumpta *est patientiæ firmamentum :* valde enim confortat eamdem. Est quoque *caritatis porta :* quia ad caritatis divinæ ac fraternæ profectum inducit, eamque inflammat et auget, quemadmodum ira illam tollit aut minuit; *magis vero mater,* id est, mititas potius dici potest mater caritatis, quam porta illius : non quod generet habitum caritatis, sed disponit et confert ad ejus incrementum ac perfectionem, et provocat ad actualem dilectionem. Mansuetudo quippe facit hominem valde amabilem : propter quod in
Eccli. III, 19. Ecclesiastico scriptum est, Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. *Suppositio,* hoc est fundamentum et causa, *discretionis :*
Ps. XXIV, 9. *docebit enim Dominus mites vias suas, ut ait Psalmista.* Quemadmodum enim ira rationem perturbat et discretionis judicium impedit, ita mititas facit rationem expeditam ad discernendum prudenter atque ad judicandum veraciter. *Remissionis adjutrix.* Per hoc namque quod mansuetudo iram exstinguit, facit hominem pronum ad remittendum injurias, et ex consequente ad impetrandum remissionem a Deo. Ideo subditur, *confidentia in oratione,* id est causa confidentiæ exauditionis a Domino. Qui enim indulget peccantibus in se, meretur a Deo indulgentiam consequi propriarum culparum. Propter quod
Luc. VI, 37. ait Salvator : Dimittite, et dimittemini;
Marc. XI, 25. itemque : Remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater cœlestis remittat vobis peccata vestra. *Locus Spiritus Sancti :* per mansuetudinem quippe fit homo præcipue aptus ad hoc quod Spiritus Sanctus in eo moretur; *sicut ait* per Isaiam :
Cf. Is. LXVI, 2. *Super quem respiciam, nisi super humilem et quietum?*

Mititas est [illegible] quemadmodum enim ira, furor, impatientia ad inobedientiam pertrahunt, sic mititas et patientia ad obediendum inclinant; *fraternitatis directrix ac ductrix,* id est fraternæ dilectionis, societatis et pacis gubernatrix et conservatrix : reddit enim hominem inter fratres pacificum, exemplarem et conciliativum; *insanientium frenum :* quoniam a furoris insania præservat ac reprimit eos; *furentium decisio,* id est amputatio motuum furibundorum; *gaudii administratrix :* præbet siquidem homini tranquillitatem et jucunditatem internam. Propter quod ait Scriptura : Mansueti delectabuntur in multitudine pacis. Ps. XXXVI, 11. *Imitatio Jesu Christi,* quem per mansuetudinem præcipue imitamur; *appropriatio angelorum,* quibus naturale est nunquam irasci : sicut enim in dæmonibus est amens furor, juxta divinum Dionysium, ita in angelis sapientissima atque De Divin. nom. c. IV. dulcissima mansuetudo; *vinculum dæmonum,* qui per mansuetudinem vincuntur atque ligantur, *et contra amaritudinem scutum :* nam contra vitiosam amaricationem protegit hominem.

In cordibus mitium requiescit Dominus; anima vero conturbans et conturbata, id est, quæ per iram et impatientiam suam alios turbat, imo et se ipsam turbulentam constituit, sive ab aliis faciliter conturbatur, *est dæmonum sedes.* — *Mites* Ps. XXXVI, 11; Matth. V, 4. *hereditabunt terram, magis vero potestative dominabuntur terræ :* nam proprio corpori præsident virtuose, et rationi illud subjiciunt. *Viri autem ulciscentes* propriam injuriam *expugnabuntur de terra sua :* quia a propriæ carnis passionibus superantur, et privabuntur regno cœlorum. — *Anima mitis est thronus,* id est sedes ac domus, *simplicitatis* columbinæ, quæ veræ mansuetudini semper conjuncta est; *mens* [illegible]

[illegible] *sapientiæ verba.* Talis etenim anima informationem gratanter suscipit, et doctrinam quam didicit deinde caritative communicat aliis; loquitur quoque cum bona deliberatione et absque præcipitatione. [illegible]

quo se ipsos dijudicant, *magis vero* diriget eos *in discretione* qua communiter inter bona et mala, inter pretiosum et vile, inter verum et falsum discernunt. Mites quippe per mentis suæ tranquillitatem specialiter apti sunt ad illuminationem ac directionem Spiritus Sancti.

Anima recta est conjux humilitatis, hoc est, anima justa est humilitati familiariter amicabiliterque adhærens, sicut uxor marito; *anima vero maligna est adolescentula,* id est filia juvenilis ac stulta, *superbiæ.* — *Animæ mansuetorum implebuntur scientia.* Nunc enim implentur
Is. xi, 2. scientia illa quæ est donum Spiritus Sancti, per mansuetudinem quoque aptæ sunt ad proficiendum in vera discretione, et salutari notitia divinorum ; in futuro autem erunt plenæ scientia beatificæ visionis. *Porro mens furiosa habitaculum est tenebrarum et insipientiæ.*

Furiosus, qui est pravus aperte, *et simulator,* qui est pravus occulte, *obviaverunt sibi :* quia contrariis viis incedunt; *et non erat invenire verbum rectum et a malignitate immune seu mundum in sermocinatione eorum.* Furiosus enim irrationabilia loquitur evidenter; simulator vero etsi bonum aliquid dicere videatur, intentio tamen ejus perversa est, seorsum quoque obloquitur et discordiam seminat. *Si revolveris cor prioris,* id est, si mentem furiosi consideraveris, *invenies in eo insaniam; scrutans autem cor secundi,* id est mentem simulatoris, *inspicies et videbis in eo malignitatem,* puta hypocrisim aut nocendi intentionem.

Simplicitas est habitus animæ non varius, id est purus, planus, per duplicitatem non variatus, *ad cogitationem mali factus immobilis,* id est tam sincerus et innocens ut nequeat malum cogitare de proximo inordinate.

Malignitas est dæmoniaca deformatio et notitia, magis autem inhonestas. Malignitas namque est habituata ac deliberata malitia, qua quis peccat non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex electione et habitu

A vitioso : quod prorsus diabolicum est. Sicque malignitas dicitur « dæmoniaca notitia », quia per eam quis peccat ex certa scientia, et suam notitiam totam convertit ad excogitandum qualiter nequius peccet : ideo dicitur potius « inhonestas » quam notitia, quia directe contrariatur bono honesto, quod est bonum virtutis. Honestum etenim dicitur quasi status honoris; honor vero debetur virtuti : hinc honestas et virtus coincidunt. Unde sicut malitia, sic et inhonestas virtuti opponitur : propter quod
B malignitas recte dicitur inhonestas. Quæ « malignitas » est *veritate sterilis et privata :* caret enim veritate vitæ, veritate doctrinæ, et veritate justitiæ; *et multos latere putans :* quia malignus seu malitiosus multoties putat malignitatem suam non considerari a multis.

Hypocrisis est corporis et animæ contraria consistentia, id est dispositio per quam quis habet se contrarie seu repugnanter veris virtutibus, tam in corpore quam in anima. Hypocrita quippe ostendit
C foris apparatum et signa devotionis : sicut ait Salvator, quod exterminat faciem suam *Matth.* vi,
ut videatur jejunans. In anima quoque ple- 16.
nus est vana intentione et vili affectu; nec erubescit taliter se habere in Dei præsentia. Et quia hypocritæ vitiose suspicantur de aliis, eisque insidiantur, putantes quod alii sint similes eis, idcirco de hypocrisi subditur, *suspicionibus cunctis et machi-*
nationibus pravis perplexa. Sonitus enim *Job* xv, 21.
terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, insidias suspicatur.

D *Innocentia est hilaris consistentia animæ,* id est virtus mentem lætificans, *liberata ab omni suspicione et ab universa versutia.* Quemadmodum enim innocens nulli nocere intendit, ita putat neminem sibi nocere.

Rectitudo est intentio absque curiositate, et mos sine segnitie et adulteratione, id est interiori corruptione et abusione : mos, inquam, *non fictus vel ante præparatus,* id est cum excogitatione prævia nequaquam curiose exhibitus.

Sermo immalignus, id est locutio bona A et innocens, *est munda animæ natura ut exstitit condita,* id est proportionata, conveniens et conformis naturali atque ingenitæ puritati animæ in qua fuit creata : fuit enim in originali justitia condita,
Eccle. vii, 30. quoniam Deus fecit hominem ab initio rectum; *participationes ad omnes faciens.* Hoc potest intelligi de sermone immaligno, et item de anima in puritate creata. Primo modo sensus est, quod sermo immalignus facit « participationes ad omnes », quia per eum est homo cunctis B affabilis, nec alicui subtrahit suum alloquium ex aliqua protervia. Secundo sensus est, quod anima pura facit « participationes ad omnes », quia ad universos est caritativa, et gratiam quam accepit cunctis communicare parata est.

Malignitas est commutatio, id est corruptio et eversio, *rectitudinis, intentio seducta* a diabolo vel proprio corde iniquo *et errans, dispensatio mentiens,* id est erogatio fallax, seu relaxatio juris mendosa, *complexa et conjuncta juramenta,* C *perplexi sermones.* Hoc ideo dicitur, quia malignitas ista producit juramenta malitiose connexa, et sermones sibi invicem contrarios, seu versutos, sophisticos et intricatos. Est quoque *profundum cordis,* id est causa subtilium cogitationum nequissimarum; *abyssus fraudis,* id est interminabilis abundantia dolositatum, *mendacium transformatum,* id est sub colore et apparatu veritatis prolatum, *elatio exinde naturalis,* id est causa superbiæ ex fictione, dolo et falsitate naturaliter exientis, D *pœnitentiæ hypocrisis,* id est causa pœnitentiæ simulatæ et fictæ, [illegible] *inimicitia confessionis,* id est adversaria confessioni, *operatio proprii arbitrii et regula propriæ deliberationis,* quia ad hoc pertrahit hominem, ut proprio judicio magis quam superiorum aut sapientiorum judicio obtemperet, propriamque definitionem sequatur quasi justitiæ regulam : idcirco est *conciliatio,* id est procuratio, *ruinarum,* quia ad graves et varias trahit vitiorum ruinas; *contrariatio resurrectionis,* quoniam contrariatur spirituali resurrectioni a vitiis, *injuriarum subrisio,* id est callida perpessio injuriarum ad tempus, cum risu quodam, ut eas acrius suo tempore ulciscatur, *evanescens mæstitia,* quoniam ad mœrorem vanum et inordinatum inducit, *ficta religiositas, dæmoniaca vita.*

Malignus est collega diaboli conratiocinator : quia cum diabolo inquirit ac discutit qualiter possit male concepta implere, juxta illud Isaiæ, Ipse cogitationes Is. xxxii, 7. concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii; *et cognominatio,* id est, malignus communicat cum diabolo in nomine, qui communiter nominatur malignus. I Joann. ii, 13, 14, iii, 12, v, 18, 19. *Propter quod Dominus docuit nos ita debere diabolum nominare, dicendo, Libera nos a maligno :* ubi nos dicimus, Libera nos a malo. Unde et Christus de Juda Matth. vi, 13. proditore maligno testatus est : Unus ex Joann. vi, 71. vobis diabolus est.

Fugiamus a præcipitio, id est dejectione et vitio, *hypocrisis, et a lacu adulationis linguæ, audientes dicentem : Quoniam* Ps. xxxvi, 9, 2. *qui malignantur exterminabuntur, et quasi fœnum herbæ cito decident. Nempe hi tales,* videlicet hypocritæ, adulatores et maligni, *dæmonum sunt pastores :* quia per vitia ista eos reficiunt et oblectant, aliosque subvertunt.

Quemadmodum Deus nominatur cari- I Joann. [illegible], 8, 16. *tas, ita et rectitudo* dicitur Deus. *Eapropter Sapiens,* scilicet Salomon, *dicit ad cor mundum, Rectitudo diligit te :* ubi Cant. i, 3, juxta LXX. nostra habet translatio, Recti diligunt te. *Et pater hujus,* videlicet David pater Salomonis, *ait* in Psalmo : *Dulcis et rectus* Ps. xxiv, 8. *Dominus.* [illegible], id est rectos, qui habent hoc nomen quod potissime competit Deo, *dicit* David *salvari.* [illegible]

[illegible], id est non simulata nec duplex. [illegible]

non vidit animæ suæ nuditatem, id est, eam non incurrit nec expertus est, *neque inhonestatem carnis suæ :* quia tamdiu non sensit inhonestos motus seu stimulos in proprio corpore.

Bona et beata est simplicitas quæ inhæret naturæ aliquorum, id est, ad quam aliqui inclinantur ex naturali dispositione, qui ex ingenita indole sunt innocentes, pii ac simplices, non asperi, versuti aut duplices corde; *non vero sicut illa quæ est ex malignitate inserta,* id est, quamvis innata ac naturalis illa simplicitas bona exsistat, non tamen tam bona ac felix est « sicut illa quæ est » in quibusdam post malignitatem « inserta », id est eis infusa seu acquisita post pristinam malignitatem, *per dolores et sudores,* id est, per contritionem et compunctionem internam, post exteriores quoque pœnitentiæ actus laboriosos, quibus pristinam malignitatem funditus eradicaverunt et columbinam simplicitatem adepti sunt. *Illa quidem a multa malignitate et vitiis protegitur et custoditur,* id est, innata simplicitas Deo moderante præservatur a gravibus vitiis : homines namque naturaliter innocentes non ita inclinantur neque communiter cadunt ad enormia mala ut alii; *ista vero fit altissimæ humilitatis et mansuetudinis conciliatrix,* id est, infusa et modo præfato acquisita simplicitas introducit ad profundissimam sui ipsius humiliationem et mititatem. *Et illi,* videlicet naturali simplicitati, *non multa merces debetur aut restat,* imo nulla merces gloriæ æternalis, nisi per dona gratiæ gratum facientis perficiatur, atque per actus infusarum virtutum exerceatur; *huic autem superinfinita et superlaudabilis,* id est, inæstimabilis et gloriosissima merces præstabitur simplicitati infusæ et suo modo acquisitæ : quæ quanto laboriosius est adepta seu ad perfectionem deducta, tanto est gloriosius coronanda. Est autem infusa quantum ad suam essentiam, sed per dolores et sudores acquisita est dispositive et quantum ad suum profectum ac perfectionem.

Universi nos volentes Dominum desursum attrahere ad nos ipsos, ut scilicet corda nostra gratiose inhabitare dignetur, et per infusionem donorum suorum descendat ad nos, *accedamus ad eum simpliciter et sine fictione et malignitate, tanquam ad magistrum in doctrinis,* id est tanquam ad interiorem doctorem in omni instructione ac sapientia, *absque curiositate.* Accedimus autem ad Deum, ejus misericordiam invocando atque ad gratiam ejus nos præparando. *Quum enim sit simplex et incompositus,* utpote purus actus, *quantum putas vult animas ad eum accedentes simplices esse ac innocentes?* quasi dicat : Utique valde hoc vult. Nam similitudo est causa amoris ac unionis : ideo justus, sanctus, pius et simplex Deus vult animas esse justas, sanctas, pias ac simplices.

Non est aliquando simplicitatem videre liberam et alienam ab omni humilitate, id est, nunquam contingit ut aliquis virtuosam habeat simplicitatem a duplicitatis vitio liberam, et non habeat etiam humilitatem, quum istæ virtutes sibi semper connexæ sint.

Malignus est prævisor mendax, id est erroneus considerator et judex seu prænuntiator, *phantasticans,* id est, phantastice præsumens, *comprehendere cogitationes quæ sunt in corde, ex verbis, figuris ac gestibus,* id est ex exteriori locutione, dispositione et operatione, quæ non designant directe cogitationes ipsas, de quibus nunc sermo. Aliquæ autem cogitationes possunt cognosci ex verbis quæ ipsas directe significant, quum ea quæ sunt in voce sint signa et notæ interiorum conceptionum. Ex aliquibus quoque dispositionibus ac gestibus exterioribus possunt cogitationes aliquæ probabiliter deprehendi, juxta illud quod Salomon in Proverbiis ait : Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, ita et corda hominum manifesta sunt prudentibus. Unde et Plato edidit librum de Cogitationibus cognoscendis. Porro malignus, ex sua malevolentia, Prov. XXVII, 19.

ex levibus exterioribus signis vult nimis A assertorie de interioribus judicare.

Vidi rectos, id est quosdam naturaliter simplices, innocentes atque ad sinceritatem dispositos, *discentes et doctos a malignis* hominibus *malignari :* juxta illud, Ps. xvii, 27. Cum perverso perverteris; et, Qui commu- Eccli. xiii, 1. nicaverit superbo, induet superbiam. Tales enim recti ac simplices faciliter seducun- Prov. xiv, 15. tur et corrumpuntur, quoniam innocens credit omni verbo. *Et admiratus sum quomodo potuerunt tam cito perdere proprietatem naturæ et primitivam conditionem,* B hoc est ingenitam simplicitatem naturalisque indolis bonitatem : quæ tamen per peccata non penitus auferuntur neque totaliter corrumpuntur, sed læduntur, debilitantur ac inficiuntur.

Quam faciliter recti cadunt, tam difficulter contrarii, id est maligni seu naturali bonitate privati, *valent ad id quod rectum est transformari,* hoc est reformari.

Vera peregrinatio, de qua dictum est p. 59 et s. supra, in expositione tertii Gradus (quæ peregrinatio est aversio mentis a rebus C caducis, seu derelictio terrenorum), *et subjectio,* utpote obedientia humilis, *et custodia oris, pluries multa prævaluerunt,* id est, frequenter multa et magna fortiter valde fecerunt, dæmonum tentamenta vincendo, vitia expugnando, *et insanabilia præter opinionem mire transformaverunt,* id est, peccata inveterata quæ videbantur incurabilia, passiones quoque et concupiscentias intensissimas mirabiliter et inopinate reformaverunt.

Si (pro Quia) *scientia plurimos inflat,* D *vide num forte sancta rusticitas et indisciplinatio,* id est ineruditio seu imperitia, *habent naturaliter humiliare,* id est ad sui ipsius spontaneam humiliationem in- I Cor. viii, 1. ducere. Quemadmodum enim « scientia inflat », quia ad excellentiam quamdam spectat; ita « sancta rusticitas » et ineruditio humiliant, quia ad defectuositatem et inferioritatem pertinere videntur. Verumtamen propter hoc non debemus odire scientiam aut studiosi non esse : nam et quod scientia inflat, per accidens fit : scientia vero per se appetibilis utilisque consistit ad multa. Nihilo minus debemus multo plus vacare virtutibus, quam scientiæ studio. Imo quum in multa sapientia Eccle. i, 18. sit indignatio, quanto quis doctior est, tanto major humilitas ei necessaria exstat. *Sunt quidam, quamvis pauci, qui de sua ignorantia extolluntur.* Nempe nonnulli videntes se prosperari, ditari aut promotos esse præ doctoribus, de sua ignorantia glorientur, et doctos irrident.

Paulus Simplex beatus, factus est ostensio et definitio manifesta et efficax et typus, hoc est declarator, magister et exemplar, *beatæ simplicitatis,* quam docuit et ostendit factis magis quam verbis. *Nemo unquam in brevi vidit talem profectum, neque audivit, nec videre aliquando poterit,* qualis fuit profectus Pauli Simplicis. Hoc videtur satis fortiter dictum, et per modum hyperbolicæ locutionis intelligi potest. Quis enim cognovit sensum Rom. xi, 34. Domini, qui solus ponderator spirituum Prov. xvi, 2. exstat, et ubi et qualiter et quantum vult Joann. iii, 8. spirat? Denique non opinor profectum hujus Pauli fuisse majorem et celeriorem profectu gloriosi Servatii, B. Martini, aut S. Bernardi.

Simplex monachus est animal rationale obediens sine rationis scrutatione, imponens perfecte proprium onus ducenti, utpote præsidenti, cui se totum committit tanquam rationem daturo pro se. De hac obedientia indiscreta dictum est supra p. 94 et s. Gradum quartum. *Animal non contradicit liganti,* id est, jumentum domesticum non resistit liganti se, *neque anima simplex et recta* contradicit *præsidenti ac præcipienti; sequitur trahentem sicut velut* trahens. [illegible] quod tam de jumento quam de monacho simplici intelligi potest, quia et monachus usque ad mortem exemplo Christi obedire debet, secundum Basilium.

Divites difficulter intrabunt in regnum Matth. xix, 23. *cœlorum.* [illegible]

simplicitatem, id est, docti et sapientes in oculis suis, sanctam simplicitatem apprehendere nequeunt, nisi propriam prudentiam relinquendo, et superiori absque discussione propriæ rationis obtemperando. I Cor. iii, 18. Propter quod ait Apostolus : Qui vult sapiens fieri, stultus fiat ut sit sapiens. A

Lapsus et ruina fecit frequenter incontinentes et duros. Unum enim peccatum pondere suo trahit ad aliud; ex actibusque pravis sæpe reiteratis generatur mala consuetudo : ideo multi ex lapsu suo interiori seu exteriori ruina, corruerunt ad incontinentiam et cordis obdurationem. *Occasionaliter vero sobrios et continentes,* hoc est, quidam ex suo lapsu occasionem sumpserunt emendationis ferventioris, considerando quam male egerunt, et tanto plus continenter et sobrie se habentes, quanto plus excesserunt. In quibus impletur quod scriptum est : Ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia. Rom. v, 20. Isti sunt enim electi, quibus omnia cooperantur in bonum. Ibid. viii, 28. *Quibus lapsus fuit donans salutem et innocentiam non voluntariam,* id est non intentam : nec lapsus hoc fecit directe et efficienter, sed occasionaliter ac materialiter.

B *Lucta seducere tuum sapere et tuam prudentiam,* hoc est, labora ad hoc ut irrideas et postponas proprium tuum sentire ac judicare propriamque prudentiam, præferendo eis judicium et sapientiam superiorum tuorum, *et ita faciens, invenies salutem et æquitatem in Christo Jesu Domino nostro. Amen.*

GRADUS XXV

DE HUMILITATE VITIORUM PERDITIONE.

VOLENS narrare per verbum visibile sensum et operationem caritatis divinæ proprie, et sanctæ humilitatis decenter, et beatæ castitatis veraciter, et illuminationis Dei evidenter, et timoris ejus sine mendacio, et certificationis cordis sine errore, et putans de eisdem sua expositione illuminare eos qui non gustaverunt, facit aliquid tale, quale qui vult per verba et exempla docere de mellis suavitate eos qui nunquam gustaverunt. Sed secundus amat loqui in vanum, ut non dicam otiose nugari; primus autem est inexpertus propriæ narrationis, vel a vana gloria acute illuditur.

II Cor. iv, 7. Coram posuit sermo thesaurum exsistentem reclusum ad securitatem in vasis fictilibus, magis vero in corporibus, ad exquisitionem et extortionem, manentem qualitate ignotum omni verbo ; sola vero incomprehensibili inscriptione desuper circumpositum, exhibentem multam et infinitam scrutationem ac fatigationem quærentibus eum verbo. Habebat verbi dictio sic : Sancta humilitas.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, ingrediantur simul nobiscum in hoc intellectuale sapientissimumque collegium, proferentes tabulas scientiæ scriptas a Deo, intellectualibus manibus.

Et introivimus et exquisivimus atque extorsimus virtutem venerabilis et hono-

rabilis inscriptionis. Et ille quidem dixit humilitatem esse habituatam et attentam oblivionem directorum; alter vero, reputare se ipsum ultimum et magis omnibus peccatorem; alius, cognitionem impotentiæ et infirmitatis propriæ mentis; alter, præanticipare proximum in concitationibus iræ, et primum solvere ultionem, indignationem et furorem; alius, cognitionem caritatis et veritatis gratiæ Dei et compassionis; alter iterum, sensum animæ contritæ, et abnegationem propriæ voluntatis.

Ego vero illa omnia audiens, et ad me ipsum superintendens, et vigilanter extorquens, discere non valebam per auditum beatum illum sensum. Quocirca ego novissimus omnium, quasi canis eligens et colligens denuo de micis cadentibus a mensa sapientissimorum et beatorum Patrum illorum, definiens humilitatem dicam :

Humilitas est innominabilis gratia animæ, nominabilis solum ab illis qui acceperunt experientiam ejus, ineffabilis nominatio et largitio divitiarum Dei. Discite, *Matth.* XI, 29.
ait, non ab angelo, non ab homine, non a libro, sed a me, id est ex mea in vobis inhabitatione, illuminatione et operatione, quia mitis sum et humilis corde, cogitatione atque prudentia; et invenietis animabus vestris requiem a præliis et alleviationem a cogitationibus.

Alia est visio hujus sanctæ vineæ adhuc in hieme vitiorum, et alia in vere fructuum, et alia in æstate virtutum : quamvis omnes contemplationes in unum occurrant, in unam fructificationem atque lætitiam. Unde et humilitas possidet quasi propria signa et argumenta fructuum. Nimirum quando botrus hujus sanctæ humilitatis incipit florere in nobis, protinus cum labore et dolore odimus omnem humanam gloriam atque famam, exsulantes a nobis iram ac furiam. Proficiente autem in anima hac regina virtutum spirituali ætate, reputamus universa bona consummata et facta a nobis, in nihil, magis vero in abominationem, existimantes nos omni die amplius apponere oneri in ignota dispersione; abundantiam vero divinorum charismatum elargitam nobis desursum, arbitramur depositum pœnæ amplioris, quasi supra nostram dignitatem. Qua ex re mens manet imprædabilis, se ipsam recludens tutamque faciens in pera temperantiæ et parvitatis, audiens tantum strepitus et applausus latronum, et in nullo horum tentari valens : quoniam temperantia est inexpugnabile claustrum et conclave, contra quod conari non est usquequaque possibile.

In tantum ergo per minorationem eloquii philosophati sumus ea quæ sunt productionis florum et profectus hujus brevis fructus sempiterne pullulantis. Quid ergo est perfectum bravium certaminis sacrosanctæ, interrogate Dominum, o domestici Domini. De quantitate igitur hujus sanctæ dicere, non est possibile; rursus quoque impossibilius est fari de qualitate ipsius. Iterum ergo conemur dicere de proprietate ejus secundum intentionem quæ supergressa est in nobis.

Pœnitentia sollicita, et luctus sanctificans ab omni macula, et sanctissima humilitas introducendorum, tantam habent ab invicem distinctionem et sufferentiam, quantam habent aqua et farina a pane. Anima enim conteritur et subtiliatur per

pœnitentiam efficacem ; porro per aquam luctus veracis unitur et (ut sic dicam) coadmassatur quodammodo Deo : ex quo accensa igne Domini efficitur azyma et panis beatæ humilitatis non tumens, et firmatur in Domino. Unde et sanctissima ista catena terne inserta, magis vero iris, quasi in unam virtutem et operationem sibi ipsi concurrens, possidet proprietates quodammodo proprias et operationes ; et quod dixeris esse signum unius, hoc invenies etiam esse factum notionem alterius. Propterea tentabimus dictum hoc firmare sub compendio.

Nempe prima et exceptuata proprietas hujus mirabilis trinitatis pulchræ et bonæ, est jucundissima et spontanea susceptio ignominiæ assumpta et amplexata expansis manibus animæ, sicut cessare faciens peccata maxima et comburens infirmitates animæ. Secunda vero proprietas ejus, est perditio omnis furoris, et temperantia in hujus obdormitione. Tertia vero proprietas seu tertius gradus pulcherrimus, est fidelis infidelitas propriorum bonorum, et indeficiens desiderium doctrinæ ac disciplinæ.

Rom. x, 4. Finis legis et Prophetarum est Christus ad justitiam omni credenti ; finis vero immundorum vitiorum, vana gloria et superbia omni non attendenti : quarum quum intellectualis terna ista collectio sit destructrix et interemptrix, custodit suam convictricem, et facit eam irreceptibilem omnis veneni letiferi. Ubi enim in ipsa mente hujusmodi apparebit venenum hypocrisis ? Ubi virus detractionis ? Ubi serpens nidificans abscondetur ? Sed nonne expublicatus magis mortificabitur extra terram cordis ? Non est in ejus convictu et conjunctione odii apparentia, non species contradictionis, non odor infidelitatis, nec alicubi sermo de fide. Eidem sponsaliter unitus, est mansuetus, lenis, bene compunctus et devotus, et super omnia compassivus, tranquillus, alacer, clarus, obediens, frenabilis, ministrans absque tristitia, vigil, impiger : et quid expedit dicere plura ? impassibilis, quia in humilitate nostra recordatus est nostri Dominus, et redemit nos ex inimicis nostris, et ex inquinationibus et peccatis. (*Ps.* cxxxv, 23, 24.)

Monachus humilis non scrutatur curiose arcana, superbus vero curiose scrutatur judicia Dei.

Cuidam Fratri scientia et cognitione doctissimo adstantes dæmones apparenter ad oculum, beatificabant et laudabant eum. Ipse vero Frater sapientissimus ait ad eos : Si cessaveritis me laudare cogitationibus in anima, existimabo me magnum ex vestro recessu ; si vero non cessaveritis me laudare, conjiciam ex laudibus vestris immunditiam meam : immundus enim est apud Deum omnis altus corde. Aut ergo recedite, et ecce magnus factus sum ; vel laudate me, et per vos possideo ampliorem humilitatem. Et stupentes quæstionem verbi, confestim disparuerunt.

Anima tua non sit lacus quandoque emanans vivificantem hanc aquam, quandoque vero iterum siccus et deficiens sub caumate elationis et gloriæ vanæ ; sed anima tua sit fons impassibilitatis, flumen paupertatis, ex se ipsa sempiternaliter sursum ferens.

Cognosce, o amator Dei, quia valles multiplicant in se spiritualem fructum

atque frumentum. Vallis est anima humiliata, semper immota et sine timore manens inter medium montium, laborum, virtutum et directionum.

Propheta non ait, Vigilavi, jejunavi, fatigatus sum, laboravi ; sed, Humiliatus sum : et continuo adjicit, Et liberavit me. Nempe pœnitentia relevat, luctus vero pulsat in cœlum, sancta vero humilitas aperit cœlum. Ego autem dico et adoro trinitatem Personarum in unitate, et unitatem in trinitate.

Omnia quidem quæ videntur sol illuminat ; universa vero quæ ratione aguntur humilitas tenet et roborat. — Non præsente lumine, omnia sunt obscura ; et humilitate absente, omnia nostra opera sunt vana et inutilia.

Unus in omni natura chorus semel vidit solem, et una cogitatio multoties peperit humilitatem. — Una et sola die universus mundus exsultavit, et una est virtus humilitatis non imitabilis dæmoniis.

Aliud est non extolli, et aliud humiliari : et ille judicat omnem diem, iste vero non judicat. Qui autem se ipsum dijudicat, hic quum sit incondemnatus continuo se ipsum semper condemnat. — Aliud est humiliari, et aliud agonizare, et aliud est laudare humilem : et primum quidem est perfectum, secundum vero est subjectorum verorum, tertium vero est universorum fidelium.

Qui ea quæ intus sunt humiliavit, non patitur furtum a labiis : quod enim thesaurus non habet, porta non profert. — Equus desolatus multoties se currere putat, coadunatus autem cognovit segnitiem propriam. — Si cogitatio amplius non extollitur in naturalibus nec magnum sapit, hoc est argumentum et experimentum initii salutis ; usquequo autem dissuavem illum sentit fœtorem, non sentiet odorem hujus unguenti.

Sancta mens ait : Amator meus non irascetur aut arguet, non contendet, neque clamabit, non sophistice aget, donec mihi coaptetur aut jungatur. Igitur post meam copulam, ei non imponitur lex.

Cuidam certatori ex festinantibus ad istam veram, immundi dæmones subseminaverunt in corde laudem. Ipse vero ex divina inspiratione machinatus est pia circumventione malignitatem dæmonum vincere. Surgens quippe subordinavit in muro cellulæ suæ prædicationes altissimarum virtutum : dico autem, caritatis perfectæ, humilitatis angelicæ, puræ orationis, illibatæ et incorruptibilis castitatis, et similium virtutum. Quum ergo cogitationes suæ incipiebant eum laudare, dicebat eis : Eamus ad reprehensionem. Veniebat ergo, et definitiones seu prædicationes legebat, et contra se ipsum clamabat : Quando ista possederis, tunc cognosce quia adhuc longe es a Deo : quoniam si possederis hæc, servus inutilis es, fecisti quod facere debuisti ; si vero non, longius distas ab observantia mandatorum Dei. 10.

Quæ quidem sit virtus et substantia hujus solis, dicere non valemus. Ab operationibus ergo ejus comprehendimus et manifestamus substantiam quæ inest ei. Humilitas est divina protectio super privatione visionis propriarum directionum. Humilitas est vilitatis abyssus, ad quam universa latrones conari nequeunt. Humilitas est turris fortitudinis a facie inimici. Nihil proficiet inimicus in ea, et filius (magis

vero cogitatio) iniquitatis non apponet nocere ei; et concidet a facie sua inimicos suos, et odientes eam in fugam convertet.

Sed studiose et diligenter inquire notas proprietates divitiarum suarum exsistentes in anima hujus magni possessoris et institutoris, omnes manifestas præter unam : illæ enim sunt significativæ divitiarum videntibus, præter unam. Cognosces et non seduceris, videns in te exsistere hanc substantiam in multitudine luminis arcani, atque ineffabili orationis amore : quia procedit ante horum apprehensionem cor non maledicens aut indignans in offensionibus alienis. Præcursor præfatæ proprietatis est odium omnis vanæ gloriæ.

Matth. XIII, 8. Qui se ipsum cognoscit in omni sensu animæ, super terram seminavit : non est enim, non ita seminantes humilitate florere. — Qui se ipsum cognoscit, accipit intentam meditationem timoris Dei; per eamdem vero incedens, pervenit ad portam caritatis. — Humilitas est porta regni, introducens approximantes eidem. De ista

Joann. X, 9, 8. arbitror Christum dixisse, quia si quis voluerit me sequi ingredietur, et egredietur ex vita absque timore, et pascua inveniet in paradiso. Omnes quicumque venerint per aliam portam in habitu et figura ista, fures sunt propriæ vitæ et latrones.

Conquirentes nos ipsos, volentes comprehendere altitudinem humilitatis, non deficiamus, atque in sensu cordis propinquemus ad misericordiam, et proximum plus nobis ubique præhabere arbitremur. — Impossibile est ex nive procedere flammam; impossibilius autem est humilitatem esse in eo qui quærit a quibuscumque hominibus gloriam. Humilitas est directio fidelium ac piorum, et hæc est etiam eorum qui de reliquo sunt mundati a vitiis. — Plures ipsi nos ut plurimum dicimus et habemus nos peccatores; ignominia vero probabit cor.

Tendens ad hunc portum tranquillum non cessabit faciens atque intelligens et supercogitans modum, mores, verba, intentiones, opiniones, inspirationes, quæstiones, institutiones, industrias, vota et orationes, donec per Dei cooperationem et per informationes humiliores liberet scapham animæ suæ, a mari elationis ac propriæ reputationis æternaliter fluctuante : qui enim factus est liber ab ista elatione,

Luc. XVIII, 10 et seq. fiet bene faciliter excusabilis publicanus de universis aliis suis delictis.

Aliqui habuerunt præcommissa mala post horum remissionem in suppositionem humilitatis usque in finem, per illam colaphizantes vanum extolli elationis. Alii vero recogitantes passionem Jesu Christi, æstimant se ipsos æternaliter debitores. Alii vilipendunt se ipsos ex quotidianis defectibus. Alii repercutiunt elationem ex tentationibus, infirmitatibus et offensionibus accidentibus eis. Alii vero per intentionem charismatum, matrem gratiarum fecerunt sibi familiarem. Sunt vero quidam (si tamen et nunc sint, dicere non habeo) qui humiliantes se ipsos per ipsa Dei dona secundum horum processum, indignos se putant divitiis talibus, et sic immorantur, quasi suo debito apponentes. Hoc humilitas, hoc beatitudo, hoc perfectum victoriæ bravium. Quando audieris aut videris aliquem infra paucos annos possidentem altissimam impassibilitatem, existima ipsum perrexisse pedestrem hanc brevem et beatam viam, non altam.

Sancta conjunctrix caritas et humilitas : hæc quidem exaltat ; illa vero exaltatos per humilitatem continens, nunquam cadit. *I Cor. XIII, 8.*

Aliud est contritio, aliud cognitio, et aliud humilitas. Contritio est lapsus germen. Qui enim cadit conteritur, et sine propria confidentia adsistit Deo in oratione cum laudabili verecundia ; et quasi contritus, superfirmatus est virga spei, et in ipsa canem desperationis persequitur. Cognitio est certa propriarum mensurarum comprehensio irrecurvabilis, memoria exilium offensionum. Humilitas est intellectualis doctrina Christi, faciens thalamum in cubiculo animæ intellectualiter dignis effectis, et sermonibus sensibilibus inaccessibilis exsistens. Qui dicit se in se ipso sentire totaliter odorem talis unguenti, et in tempore laudum vel ad modicum saltem corde movetur, aut verborum virtutem cognoscit : non seducatur, seductus est.

Audivi quemdam in sensu animæ dicentem : Non nobis, Domine, non nobis, *Ps. CXIII, 1, sec. Hebr.*
sed nomini tuo da gloriam. Cognoscebat enim naturam non usquequaque permanere
sine læsione ex se ipsa. Apud te, Domine, laus mea in Ecclesia magna, videlicet in *Ps. XXI, 26.*
futuro : nam ante illud non possum absque periculo ferre eamdem laudem meam.

Iste est terminus et sermo ac modus novissimæ superbiæ, virtutes sibi non inhærentes simulare gratia gloriæ : idcirco et hoc est argumentum profundæ humilitatis, causas culpæ quæ non sunt in nobis figurare in quibusdam gratia humilitatis. Ita fecit qui panem et caseum accepit in manibus. Ita fecit et exuens suam vestem et impassibiliter civitatem circumiens, sicut castitatis amator.

Qui tales sunt, de humano offendiculo non curabunt, eo quod virtutem susceperint certificare invisibiliter universos per orationem. De priori sollicitudinem gerens, secundi indigentiam significavit : ubi enim Deus paratus est nostram exaudire petitionem, ibi omnia possumus, moti ex virtute pro virtute. Vel possumus contristare homines magis quam Deum : gaudet enim videns nos attendentes ignominiis ut contribulemus, plagemus et perdamus vanam elationem. — Summa peregrinatio conciliatrix est talium certaminum victoriæ : vere enim magnorum est ferre illudi a familiaribus atque domesticis.

Ne stupeas aut conturberis in præfatis : nemo enim scalam aliquando sub uno tempore ascendere potuit.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli Dei sumus, non quia dæmonia nobis obediunt, sed quia nomina nostra scripta sunt in cœlo humilitatis. *Luc. X, 20.*

Sinere ramos arborum quæ citreæ dicuntur, exaltari naturaliter sursum in altum, habet ex natura ingignere eis sterilitatem ; subtus vero recurvati, celerius fructiferi fiunt. Prudenter intelligens cognoscet.

Unus possidet apud Deum ascensionem triginta graduum ejusdem sanctæ humilitatis, et unus sexaginta, et unus centum. Et quidem in extremo impassibiles, in medio viriles, in primo vero omnes possunt venire. — Qui cognoscit se ipsum nunquam conabitur illusus in his quæ sunt super se ipsum, sed solidabit pedem de cetero super trivium ejusdem beatæ.

Timent volucres falconis speciem ; operatores vero humilitatis abhorrent contra-

dictionis sonum. — Multi salutem adepti sunt sine prænuntiationibus et illuminationibus et signis atque prodigiis; nullus vero ingredietur ad Sponsum absque humilitate. Nempe priorum secunda est custos; hujus vero priora in levioribus facta sunt sæpius interemptiva.

Dispensavit Dominus circa nos humiliari nolentes et istud : quia nemo videre potest plagas proprias sicut proximus. Eapropter necesse est gratiam sanitatis dare non nobis ipsis, sed illi et Deo.

Qui humilis est mente, semper abominatur propriam voluntatem velut seductricem et errantem; et habet naturam discere, in orationibus suis inhæsitanti fide ad Dominum fusis, ea quæ pertinent ad rem, et obedire : qui non est attendens conver-
Num. XXII, 28, 30. sationi magistrorum, sed jactans reponit in Deo curam suam, qui per asinum docuit convenientia in Balaam. Quamvis hic talis operator universa quæ agit faciat, intelligat et loquatur secundum Deum, nec tamen sic tradet suæ voluntati, nec suo sensui credet : stimulus enim et pondus est humili, inhærere et obedire propriæ fidei, quemadmodum superbo stimulus est et intolerabile pondus, inhærere et obedire dictis ab altero.

Mihi videtur angeli esse, non pati furtum a delictis. Audivi enim terrenum ange-
I *Cor.* IV, 4. lum dicentem : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est. Unde debemus dijudicare et vituperare nos ipsos, ut per voluntariam hanc vilificationem nostri abjiciamus peccata non voluntaria : alioqui in exitu pro eis dire exacti rationem ponere exquiremur.

Qui petitiones postulat a Deo sub sua ipsius dignitate, penitus quæ sunt supra
Luc. XVIII, 13, 14. se participabit : et de hoc testimonium perhibet publicanus petens remissionem, sed
Ibid. XXIII, 42, 43. reportans justitiam. Et latro ille petiit tantum memoriam in regno, et totum paradisum hereditavit.

Non est in creatura parvum et magnum ignem natura videre, et non est in sincera humilitate remanere quam penitus speciem materiæ. Donec voluntarie offendimus, hoc in nobis non est; et hoc est signum adventus ejus.

Cognoscens Dominus virtutem animæ figurari extrinseco habitu et institutione,
Joann. XIII, 4. accipiens linteum, ostendit nobis compendium viæ humilitatis. Nempe adinventionibus corporis assimilatur anima, et formatur ad ea quæ agit, ac configuratur ad ipsa.

Principatus angelorum factus est cuidam suppositio alti sapere : qui non est propter hoc assecutus id quod superbe præsumpsit. — Aliter afficitur qui sedet super thronum, et aliter qui sedet super sterquilinium. Et propterea forsan magnus
Job II, 8. ille justus in sterquilinio extra civitatem sedebat. Tunc enim perfectam humilitatem
Ibid. XLII, 6, juxta LXX. possidens, in sensu animæ dixit : Ipse me reprehendo, et cinerem me ipsum reputo; sed et favillam, terram, pulverem esse me fateor.

IV *Reg.* XXI, 2 et seq. Invenio Manassen illum peccantem sicut neminem alium, qui inquinavit templum Dei idolis, et omnem religionem contaminavit : pro quo si universus mundus
II *Par.* XXXIII, 12-19. jejunasset, nihil condignum econtra inducere potuisset; sed prævaluit humilitas, et insanabilia sanavit in eo.

David loquitur Deo : Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; totis *Ps. L, 18, 19.*
corporibus per jejunium incensis non delectaberis ; sacrificium Deo spiritus contribulatus : et quod sequitur notum est universis. Beata ista humilitas aliquando clamavit pro adulterio et homicidio, Peccavi Domino ; et celerius audivit : Dominus *II Reg. XII, 13.*
abstulit peccatum tuum.

Patres sempiternæ memoriæ asseruerunt corporales labores esse viam et suppositionem ejusdem. Ego autem dico, obedientiam et cordis rectitudinem cum eisdem esse viam ad humilitatem : quæ naturaliter oppositæ sunt elationi ac propriæ reputationi. — Si elatio quosdam fecit ex angelis dæmones, humilitas penitus facere potest ex dæmoniis angelos : quapropter peccantes confidant.

Omni virtute festinemus et certemus ascendere ad verticem hujus ; si quominus, saltem supervehi humeris ejus. Si vero hæsitamus aliquid aut fatigamur in hoc, non excidamus ab ulnis ipsius : etenim cadens inde, admiror si fuerit consors aliquo dono æterno.

Paupertas, peregrinatio, absconsio sapientiæ non apparens, non varia verbi prolatio, eleemosynæ quæsitio, occultatio propriæ generositatis, exsulatio confidentiæ, et elongatio a multiloquio, sunt nervi et viæ humilitatis, sed nequaquam signa. Nihil enim poterit aliquando animam ita humiliare sicut pauper institutio medicantiumque* diæta. Tunc enim amor noster ad sapientiam et caritas nostra ad Deum monstratur, quando possumus exaltari, et gloriam ac altitudinem fugimus irreconversibiliter.

* mendicantiumque

Si te aliquando armaveris contra vitium quodcumque, induc et posside hanc compugnantem, et super aspidem et basiliscum ambulabis, leonem et draconem : *Ps. XC, 13.*
ego vero dico, super peccatum quodcumque inficiens mentem, et desperationem, et diabolum, et draconem corporis. — Humilitas est sipho cœlestis valens animam sursum in cœlum perducere ex vitiorum abysso.

Vidit aliquis aliquando pulchritudinem ejus in corde suo, et captus stupore, interrogavit eam discere nominationem parientis eam. Ipsa vero subridens, jucunde et tranquille ait : Quomodo quæris discere nomen gignentis me, et hic sine nomine est? Nequaquam tibi dicam hoc nomen quousque possidebis Deum et Dominum Jesum Christum. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

Abyssus quidem est mater fontis ; humilitas est mater discretionis.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI QUINTI

VOLENS *narrare per verbum visibile*. A... id est audibile : visus enim pro omni sensu accipitur. Vel « per verbum visibile », hoc est per verbum scriptum. *Sen*-sum, id est doctrinam. [illegible] [illegible] [illegible] *illuminationis Dei evidenter, et timoris*

ejus sine mendacio, et certificationis cordis, id est piæ ac consolatoriæ assecurationis ejus in Domino, *sine errore, et putans de eisdem sua expositione illuminare eos qui non gustaverunt* per experientiam mentis spiritualia ista charismata, *facit aliquid tale, quale qui vult per verba et exempla docere de mellis suavitate eos qui nunquam gustaverunt* dulcedinem mellis. *Sed secundus,* utpote taliter docens de mellis dulcedine, *amat loqui in vanum,* id est infructuose, *ut non dicam* quod amet *otiose nugari,* hoc est fabulari sive mentiri. *Primus autem,* videlicet de præfatis charismatibus taliter docens, *est inexpertus propriæ narrationis,* id est, ea quæ docet non scit per saporem internum et exercitationem virtutum illarum, *vel a vana gloria acute illuditur,* ita quod ad ostentationem tantummodo loquitur.

Sed contra hæc objici potest : sequeretur namque ex eis, quod mundanis carnalibusque hominibus non esset prædicandum de caritate, humilitate, castitate, timore illuminationeque Dei. Et respondendum, quod duplex est informatio ac intelligentia. Una vocatur speculativa et nuda : sicque inexperti mysticam theologiam et præfatas virtutes, possunt loqui et audire, informare et informari de eis. Alia est informatio atque intelligentia formata et practica, quæ est affectiva et boni approbativa : sicque veritatem sortitur quod communiter dicitur, quod nullus possit alium informare de vita spirituali interna ac mystica theologia, nisi qui eas expertus est; quod item nemo possit talia capere aut intelligere, nisi qui experientiam habet de eis. Et ita nunc loquitur auctor.

Coram posuit sermo thesaurum exsistentem reclusum ad securitatem in vasis fictilibus, magis vero in corporibus, ad exquisitionem et extortionem : hoc est, doctrina Christi, seu præsens tractatus et « sermo » iste, manifeste proposuit opulentissimam humilitatis virtutem, cui cetera dona gratiæ connectuntur : quæ humilitas clausa est in hominibus fragili A carne circumdatis, ut diligentius custodiatur, et unusquisque eam obtinere sive in ea proficere quærat ac studeat, imo indesinenti ac importuno quodam labore extorqueat, quia regnum cœlorum vim patitur. *Matth.* XI, 12. Unde et Paulus apostolus : Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas ejus sit virtutis Dei. II *Cor.* IV, 7.

« Thesaurum », inquam, *manentem qualitate ignotum omni verbo* seu sermoni, eo quod dignitas, efficacia ac profunditas humilitatis non queat verbis plenarie expli-
B cari aut insinuari. *Sola vero incomprehensibili inscriptione desuper circumpositum.* Thesaurum istum dicit « circumpositum », id est extrinsecus consignatum, incomprehensibili titulo : qui titulus, ut paulo post subditur, est : Sancta humilitas. Quæ inscriptio seu intitulatio incomprehensibilis appellatur, eo quod virtus ac dignitas, excellentia atque profunditas humilitatis plene nequeant comprehendi. Propter quod sequitur, *exhibentem multam et infinitam scrutationem,* id est inquisitio-
C nem, *ac fatigationem quærentibus eum verbo,* hoc est, his qui verbaliter inquirendo, arguendo, legendo, volunt humilitatem cognoscere ac sortiri. Facilius enim per propriam abnegationem, subjectionem et cruciformem Christi imitationem humilitas ista acquiritur atque cognoscitur, quam per verba : non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. I *Cor.* IV, 20. *Habebat verbi dictio,* id est præfata inscriptio, *sic : Sancta humilitas.* Per quod verbale complexum insinuatur interior ipsa humilitas
D sancta.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, id est, fervore Spiritus Sancti tanguntur et excitantur, *ingrediantur simul nobiscum in hoc intellectuale sapientissimumque collegium,* id est in hanc scholam virtutum, atque in hoc cœlestis magisterii auditorium, et in præfatam virtutum congregationem, *proferentes tabulas scientiæ scriptas a Deo, intellectualibus manibus,* hoc est, portantes in cordibus suis notitiam Scripturarum observantiamque Decalogi, quas

Deus per sapientiam, pietatem ac omnipotentiam suam imprimit animabus suorum fidelium.

Et introivimus in collegium istud, *et exquisivimus atque extorsimus,* id est, cum importuna quadam fervoris instantia obtinere conati sumus, *virtutem venerabilis et honorabilis inscriptionis,* hoc est efficaciam et intelligentiam tituli humilitatis prætacti, qui est « venerabilis » coram hominibus « et honorabilis » coram Deo.

Et ille quidem dixit humilitatem esse habituatam et attentam oblivionem directorum, id est propriorum operum bonorum, illa non reputando nec attendendo quasi adscribenda sint sibi aut coram Deo condigna. *Alter vero* dixit humilitatem esse *reputare se ipsum ultimum et magis omnibus peccatorem,* id est se ipsum judicare peccatorem gravissimum atque vilissimum. Quod secundum aliquam considerationem verificatur, quum et Paulus
I Tim. I, 15. testetur : Venit Christus peccatores salvos facere, quorum primus (id est maximus) ego sum. *Alius* dixit humilitatem esse *cognitionem impotentiæ et infirmitatis propriæ mentis. Alter* dixit humilitatem esse *præanticipare proximum,* hoc est eum prævenire, veniam postulando, aut aliter mitigando, *in concitationibus iræ,* id est aliqua ira aut offensione inter eos exorta, *et primum solvere,* hoc est præfato modo exstinguere, *ultionem, indignationem et furorem* in se ipso aut alio. *Alius* dixit humilitatem esse *cognitionem caritatis et veritatis gratiæ Dei et compassionis,* id est cognitionem « caritatis » et piæ subventionis Dei ad nos, « veritatis » quoque beneficiorum quæ præstitit nobis. *Alter iterum* dixit humilitatem esse *sensum,* id est judicium sive gustum internum, *animæ contritæ,* sua recognoscentis peccata, *et abnegationem propriæ voluntatis.*

Ego vero illa omnia audiens, et ad me ipsum superintendens, id est, valde advertens, acuendo mentem meam ad intelligendum audita, *et vigilanter extorquens* considerationem acutam ab intellectu meo pro posse, *discere non valebam per auditum beatum illum sensum,* id est felicem doctrinam Patrum illorum de humilitate. *Quocirca ego novissimus omnium, quasi canis eligens et colligens denuo de micis cadentibus a mensa sapientissimorum et beatorum Patrum illorum,* id est, ex documentis ipsorum reficientibus corda accipiens aliqua mihi magis convenientia, *definiens humilitatem dicam :*

Humilitas est innominabilis gratia animæ, nominabilis solum ab illis qui acceperunt experientiam ejus, hoc est, qui exercitati sunt in ea. Est quoque *ineffabilis nominatio et largitio divitiarum Dei,* id est ex opulentia et liberalitate Dei collata. Porro humilitas dicitur « ineffabilis » virtus seu « gratia » sive « largitio Dei », quoniam sicut digne et plene comprehendi non valet, sic neque effari aut nominari. *Discite, ait* Christus, *non ab* Matth. XI, 29.
angelo, non ab homine puro, *non a libro, sed a me, id est ex mea in vobis inhabitatione, illuminatione et operatione, quia mitis sum et humilis corde, cogitatione atque prudentia; et invenietis animabus vestris requiem a præliis* passionum et tentationum, *et alleviationem a cogitationibus* aggravantibus animum.

Alia est visio hujus sanctæ vineæ adhuc in hieme vitiorum, id est, humilitas sancta hæc, quæ vineæ comparatur, aliam habet dispositionem aliumque adspectum et gradum in imperfectis et incipientibus qui adhuc sunt in frigore tentationum et defectuositatum, ac reliquiarum præcedentium vitiorum, *et alia in vere fructuum,* hoc est, alia est dispositio humilitatis in proficientibus, *et alia in æstate virtutum,* id est, alia est dispositio ejus in perfectis, qui sunt in fervore et consummatione virtutum : [illegible], puta in [illegible], hoc est prædictæ tres visiones seu dispositiones et inspectiones humilitatis ad eumdem properant finem ac felicitatem, ut scilicet hominem

coram Deo reddant sublimem in via per A dona gratiæ, et in cœlis per munera gloriæ. *Unde et humilitas possidet quasi propria signa et argumenta fructuum* ex ea nascentium. De quibus subjungitur :

Nimirum quando botrus hujus sanctæ humilitatis, id est primus gradus ejus, *incipit florere in nobis* per opera sua bona, *protinus cum labore et dolore odimus omnem humanam gloriam atque famam,* in quantum fama illa redundat in nostrum honorem, non in quantum est ad Dei venerationem et proximorum ædificationem, B *exsulantes,* hoc est, prorsus abjicientes, *a nobis iram ac furiam.* Incipientibus autem, propter reliquias pristinorum vitiorum in eis manentes, est adhuc laboriosum et pœnale ita odire omnem famam gloriamque humanam, ac taliter exstirpare iram ac furiam.

Proficiente autem in anima hac regina virtutum, puta humilitate, *spirituali ætate,* id est quotidiano ac diuturno profectu, *reputamus universa bona consummata et facta a nobis, in nihil, magis vero in* C *abominationem,* id est pro nihilo et pro re abominabili, propter mala bonis actibus nostris permixta, et quoniam bona ipsa quantumlibet multa et magna, deficiunt infinite a cultu ac reverentia quibus dignus est Deus, *existimantes nos omni die amplius apponere oneri,* id est augere peccata præterita, *in ignota dispersione,* id est per occultas culpas, evagationes et negligentias, quæ tantæ sunt quod eas deprehendere non valemus ; *abundantiam vero divinorum charismatum elargitam nobis* D *desursum, arbitramur depositum pœnæ amplioris, quasi supra nostram dignitatem :* id est, abundantiam hanc arbitramur thesaurum nobis a Deo commissum, ut eo fructuose utamur et immaculatum eum servemus ; quod quia non facimus sicut oportet, arbitramur quod depositum istud fit nobis occasio pœnæ majoris, quoniam « supra dignitatem » meritorum nostrorum datum est nobis tantum bonum a Deo, de quo satis grati non sumus.

Qua ex re mens manet imprædabilis, id est, propter hanc considerationem anima privari non valet humilitatis virtute, *se ipsam recludens tutamque faciens in pera temperantiæ et parvitatis,* hoc est in occulta consideratione propriæ parvitatis ac moderationis, *audiens tantum strepitus et applausus latronum,* id est tentationes dæmonum, nunc per adversa, nunc per blanda tentantium, *et in nullo horum tentari valens,* quamdiu ita custodit se (a qua tamen custodia potest resolvi) ; *quoniam temperantia est inexpugnabile claustrum,* id est castrum, *et conclave, contra quod conari non est usquequaque possibile,* intelligendo per temperantiam discretionem seu moderationem prætactam, quæ quantum in se est, non potest expugnari, quamvis subjectum ejus, videlicet ratio, valeat lædi, et per consequens discretio dejici.

Denique humilitas dicitur « regina virtutum », non quod sit absolute virtutum dignissima, sed quia multa privilegia et præconia habet, estque præcipue utilis et necessaria.

In tantum ergo per minorationem eloquii, id est brevi sermone, *philosophati* (id est perscrutati) *sumus ea quæ sunt productionis florum et profectus,* hoc est ea quæ pertinent ad duos primos gradus, *hujus brevis fructus sempiterne pullulantis,* id est fructuosæ humilitatis : quæ dicitur « brevis », quia parvificat se ; et pullulat sempiterne, indesinenter proficiendo in melius in vita hac in homine virtuoso ac perseverante. *Quid ergo est perfectum bravium certaminis sacrosanctæ,* id est, quæ sit consummatio, plenitudo et vertex humilitatis, ad quam perfectionem humilitas certando pertingit, *interrogate Dominum, o domestici Domini,* hoc est, o fideles, præsertim religiosi, Deum rogate ut istud vobis revelet.

De quantitate igitur hujus sanctæ humilitatis *dicere, non est possibile ; rursus quoque impossibilius est fari de qualitate ipsius :* videlicet quia de nullo horum possumus plene et condigne determinare aut

p. 339 A, 341 B'. loqui, sicut prætactum est. Quis enim determinet quantum humilitas crescere possit? Impossibilius vero est dignitatem et efficaciam ejus plene exprimere. *Iterum ergo conemur dicere de proprietate ejus,* videlicet humilitatis, *secundum intentionem quæ supergressa est in nobis,* id est, quæ major in nobis est quam exsequi queat, ita quod vires nostras « supergressa est ».

Pœnitentia sollicita, et luctus sanctificans mentem *ab omni macula, et sanctissima humilitas introducendorum* ad regnum cœlorum sive ad perfectionem præcipuam, *tantam habent ab invicem distinctionem et sufferentiam,* id est mutuam contemperabilitatem seu miscibilitatem, *quantam* distinctionem et sufferentiam *habent aqua et farina a pane. Anima enim conteritur et subtiliatur per pœnitentiam efficacem* instar farinæ : per pœnitentiam namque ab omni carnali spurcitia et grossitie et sensuali affectu se subtrahit. *Porro per aquam luctus veracis,* hoc est salubris pœnitentialisque fletus, *unitur et (ut sic dicam) coadmassatur quodammodo Deo,* sicut per aquam coadmassatur farina; *ex quo* luctu anima *accensa igne Domini,* hoc est calore Spiritus Sancti, *efficitur azyma et panis beatæ hu-*
1 Cor. v, 8. *militatis non tumens* fermento malitiæ et nequitiæ, *et firmatur in Domino,* ut ei cohæreat fortiter, quemadmodum massa per ignem fornacis firmatur et efficitur panis.

Unde et sanctissima ista catena terne inserta, hoc est connexio ista virtuosa ex tribus consistens, puta ex pœnitentia et luctu salubri ac humilitate, *magis vero iris,* id est, quæ convenientius dicitur iris quam catena : nam sicut in iride triplex color apparet, per latum sibi cohærens, ita in ista compositione virtutum est actus triformis, juxta se situatus, et a terrenis instar iridis elevatus; *quasi in unam virtutem et operationem sibi ipsi concurrens,* hoc est, quasi unam perfectam actionem virtuosam constituens, quæ dici potest

A contritio lacrimosa ac humilis, et dicitur actio una aggregative, quemadmodum exercitus dicitur unus, *possidet proprietates quodammodo proprias et operationes,* id est, propria aliqua habet per quæ innotescit; *et quod dixeris esse signum unius,* videlicet pœnitentiæ, *hoc invenies etiam esse factum notionem,* id est notificans signum, *alterius,* puta luctus sive fervoris. *Propterea tentabimus dictum hoc firmare sub compendio.*

Nempe prima et exceptuata proprietas
B *hujus mirabilis trinitatis pulchræ et bonæ,* utpote contritionis et luctus atque humilitatis, seu contritionis lacrimosæ ac humilis, *est jucundissima et spontanea susceptio ignominiæ,* id est cujuscumque aspernationis et injuriationis seu adversitatis, *assumpta et amplexata expansis manibus animæ,* hoc est ex totis desideriis cordis, sicut quis corporaliter suscipit et amplexatur amicum carissimum (quæ proprietas dicitur « exceptuata », quasi ex frequentibus ignominiarum susceptioni-
C bus generata), *sicut cessare faciens peccata maxima* (nam delet præterita et facit cavere futura), *et comburens infirmitates animæ,* id est, passiones seu pronitatem ad culpam et tarditatem ad bona pro magna parte consumens seu delens, saltem ad tempus, quia et magnum gratiæ ac virtutum meretur augmentum. *Secunda vero proprietas ejus, est perditio,* id est plena exstinctio, *omnis furoris, et temperantia in hujus obdormitione,* id est moderata ac discreta persistentia, seu refrenatio vo-
D luptatum gustus et tactus, in cessatione furoris ac iræ. *Tertia vero proprietas seu tertius gradus pulcherrimus, est fidelis infidelitas propriorum bonorum,* hoc est propriis meritis non confidere, sed parvi pendere ea, *et indeficiens desiderium doctrinæ ac disciplinæ,* id est informationis, et correptionis atque correctionis pro culpis quotidianis : quod est summæ humilitatis maximique fervoris.

Hæc ergo sunt signa proprietates et gradus præfatæ catenæ et trinitatis seu tri-

næ connexionis, ac iridis : per quæ signa A potest quis scire an vere in ipso sint contritio, luctus ac fervor Spiritus Sancti.

Rom. x, 4. *Finis legis et Prophetarum est Christus ad justitiam omni credenti; finis vero immundorum vitiorum* sunt *vana gloria et superbia omni non attendenti,* hoc est omni homini inconsiderato ac negligenti, qui per cetera vitia sua finaliter cadit ad gloriam vanam atque superbiam, in tan-
Prov. ii, 14. tum ut glorietur quum male fecerit, et de impietatibus suis se extollat, quum tamen si bene attenderet, ex earum considerati- B one merito pœniteret seque humiliaret. *Quarum,* videlicet vanæ gloriæ et superbiæ, *quum intellectualis terna ista collectio,* scilicet contritio lacrimosa ac humilis, *sit destructrix et interemptrix, custodit suam convictricem,* id est mentem cui inhæret, *et facit eam irreceptibilem omnis veneni letiferi,* id est omnis mortalis peccati, ita quod difficulter ad illud perducitur, seu perduci non valet, quamdiu trina hæc collectio manet in ea.

Ubi enim in ipsa mente hujusmodi ap- C *parebit venenum hypocrisis,* quod ab humilitate repellitur? *Ubi virus detractionis,* quod luctus salubris effugat? *Ubi serpens nidificans,* puta diabolus, qui ex cogitationibus pravis affectionibusque perversis turpissimum facit nidum in anima, *abscondetur,* quem contritio abjicit? *Sed nonne expublicatus,* hoc est per opera sua maligna manifestatus, *magis mortificabitur extra terram cordis,* id est, conculcabitur et vincetur foras ejectus? sicut ait Salva-
Joann. xii, 31. tor : Nunc princeps hujus mundi ejicietur D foras.

Non est in ejus convictu et conjunctione odii apparentia, hoc est, in mente in qua est contritio ista lacrimosa et humilis non est aliquod odium vere apparens, *non species contradictionis,* id est inobedientiæ, *non odor infidelitatis, nec alicubi sermo de fide,* id est aliqua curiosa disputatio de credendis.

Eidem sponsaliter unitus, hoc est homo contritioni lacrimosæ ac humili tanquam sponsæ amorose familiariterque conjunctus, *est mansuetus, lenis, bene compunctus et devotus, et super omnia compassivus, tranquillus, alacer, clarus, obediens, frenabilis, ministrans absque tristitia, vigil, impiger : et quid expedit dicere plura? impassibilis,* id est, a cunctis passionum excessibus est purgatus ac reformatus, *quia in humilitate nostra recor-* Ps. cxxxv,
datus est nostri Dominus, et redemit nos 23, 24.
ex inimicis nostris, et ex inquinationibus et peccatis.

Monachus humilis non scrutatur curiose arcana, superbus vero curiose scrutatur judicia Dei, quum tamen incompre- Rom. xi, 33.
hensibilia sint : ideo opprimetur a gloria. Prov. xxv, 27.

Cuidam Fratri scientia et cognitione doctissimo adstantes dæmones apparenter ad oculum, beatificabant et laudabant eum. Ipse vero Frater sapientissimus ait ad eos : Si cessaveritis me laudare cogitationibus in anima, id est per cogitationes inanes quas animæ meæ ingeritis, *existimabo me magnum ex vestro recessu,* tanquam victorem impugnationum vestrarum : et ita in Deo magnificabo me ipsum, adscribendo ei magnitudinem gratiæ mihi concessæ. *Si vero non cessaveritis me laudare, conjiciam ex laudibus vestris immunditiam meam : immundus* Ibid. xvi, 5.
enim est apud Deum omnis altus corde, id est superbus. *Aut ergo recedite* tanquam victi, *et ecce magnus factus sum,* Deo præstante; *vel laudate me, et per vos possideo ampliorem humilitatem,* quia tanto defectuosiorem me reputo quanto plus a vobis magnificor. *Et stupentes* dæmones *quæstionem verbi,* id est argumentationem hanc Fratris istius, *confestim disparuerunt.*

Anima tua non sit lacus quandoque emanans vivificantem hanc aquam, hoc est, interdum in se habens aliisque communicans humilitatem contritam et lacrimosam, *quandoque vero iterum siccus et deficiens sub caumate,* id est fervore, *elationis et gloriæ vanæ; sed anima tua sit fons impassibilitatis,* hoc est plenariæ re-

formationis, *flumen paupertatis, ex se ipsa sempiternaliter sursum ferens,* id est, ex interiori sua reformatione ac paupertate se ad Deum jugiter elevans. Unde ait Salvator : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. (Joann. vii, 38.)

Cognosce, o amator Dei, quia valles, utpote humiles mentes, *multiplicant in se spiritualem fructum atque frumentum,* hoc est interiora et exteriora opera bona. *Vallis est anima humiliata, semper immota et sine timore manens,* id est fixa, stabilis, et inordinatæ formidinis elationisque expers, *inter medium montium, laborum, virtutum et directionum,* hoc est, inter elationes, quas utroque latere vitat et inter quas exercetur, inter virtutes quoque quibus ornatur, et inter actus virtutum quos dirigit recte ad Dei honorem ac ultimum finem : de quibus non extollit se ipsam.

Propheta non ait in Psalmo, *Vigilavi, jejunavi, fatigatus sum, laboravi ; sed, Humiliatus sum : et continuo adjicit, Et liberavit me.* (Ps. [illegible], 6.) *Nempe pœnitentia relevat* hominem ab onere peccatorum, *luctus vero pulsat in cœlum, sancta vero humilitas aperit cœlum :* imo oratio humiliantis se penetrat cœlos. (Eccli. xxxv, 21.) *Ego autem dico,* id est, fideliter credo atque confiteor, *et adoro trinitatem Personarum in unitate* divinæ essentiæ, *et unitatem* essentiæ *in trinitate.* Proportionabiliter pœnitentia, lacrimatio et humilitas invicem sunt conjunctæ atque in gratia Dei contentæ.

Omnia quidem quæ videntur sol illuminat mediate aut immediate, vel potest illuminare : nam in nocte multa videntur luce candelæ. *Universa vero quæ ratione aguntur,* id est, rationabiliter fiunt, *humilitas tenet et roborat,* hoc est, conservat ac figit in suo vigore. — *N[illegible] lumine, omnia sunt obscura ; et humilitate absente, omnia nostra opera [illegible] et inutilia,* id est non meritoria vitæ æternæ.

Unus in omni natura chorus semel vidit solem. Unus iste chorus in tota rerum natura exsistens qui semel tantummodo vidit solem, potest intelligi fundus maris Rubri sub Moyse, seu Jordanis sub Josue : qui fundi siccati supernaturaliter, semel materialiter solem viderunt, id est, visibiles se præbebant per lumen solis. (Exod. xiv, 21. Josue iii, 17.) *Et una cogitatio,* id est intenta consideratio propriæ defectuositatis, seu mortis, aut divinæ districtionis, *multoties peperit humilitatem,* hoc est actualem sui ipsius humiliationem. Porro sicut una hirundo non facit ver, sic una actio sola non generat habitum.

Una et sola die universus mundus exsultavit : quod vel de die nativitatis Christi aut dominicæ resurrectionis accipi potest ; *et una est virtus humilitatis non imitabilis dæmoniis,* quæ in sua elatione sunt obstinata.

Aliud est non extolli, et aliud humiliari : quoniam « non extolli » non dicit nisi privationem, seu elationis carentiam ; « humiliari » vero dicit actum positivum. *Et ille judicat omnem diem, iste vero non judicat,* id est, unus inter omnem actum discernere audet, alter vero non præsumit hoc. (Rom. xiv, [illegible]) Ista sunt verba Apostoli ad Romanos, quæ ibidem plenius exponuntur. *Qui autem se ipsum dijudicat,* id est, accusat ac reprobat, *hic quum sit incondemnatus,* id est a Deo approbatus, *continuo se ipsum semper condemnat,* id est, proprias culpas jugiter recognoscit, et se ipsum redarguit. Unde Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. (I Cor. xi, 31.)

Aliud est humiliari, id est se ipsum sponte humiliare, *et aliud [illegible],* id est contra vitia pugnare et pro virtutum profectu laborare, *et aliud est laudare humilem. Et primum quidem,* videlicet humiliari, *est perfectum,* id est opus perfectorum [illegible], scilicet agonizare [illegible], id est veraciter obedientium [illegible], puta humilem commendare [illegible].

[illegible], utpote intellectum ac voluntatem [illegible], hoc est ex aliorum

præconiis sibi adscriptis vel ex propriis verbis non extollitur, nec spirituali opulentia sua privatur. *Quod enim thesaurus non habet, porta non profert :* id est, os non loquitur nisi quod mente concipitur; id quoque quod intus non est, foris non prodit.

Equus desolatus multoties se currere putat, hoc est, equus viribus destitutus aut solus stans, frequenter imaginatur se currere, *coadunatus autem cognovit segnitiem propriam,* id est, aliis equis velocibus sociatus suam impotentiam experitur. Similiter contingit quibusdam hominibus qui seorsum degentes aliorumve opera fortia non videntes, putant se ferventer servire, dum vero aliis associantur ut eorum virtuosis actibus se conforment, inveniunt se negligentes et pigros.

Si cogitatio amplius non extollitur in naturalibus nec magnum sapit, hoc est, si homo de cetero non extollit se neque magnifice sentit de se ex consideratione naturalium suorum, seu eorum quæ naturaliter possidentur, ut sunt dona naturæ et bona fortunæ ac habitus acquisiti, *hoc est argumentum et experimentum initii salutis,* id est exordii vitæ salubris ac spiritualis profectus. Ex quo constat quod de corporali pulchritudine, eloquentia, ingeniositate, nobilitate, divitiis, litteratura, et consimilibus superbire, sit rudis elatio atque indicium summæ distantiæ a spirituali conversatione. *Usquequo autem dissuavem illum sentit fœtorem,* id est, quamdiu homo afficitur fœtore superbiæ, *non sentiet odorem hujus unguenti,* hoc est humilitatis dulcedinem.

Sancta mens ait : Amator meus non irascetur aut arguet contra superiorem, *non contendet, neque clamabit, non sophistice aget, donec mihi coaptetur aut jungatur :* non quod postea irascetur, contendet aut sophistice aget; imo post unionem hanc minus faciet mala hæc. Et potest per amatorem sanctæ mentis intelligi affectus seu virtus humilitatis. *Igitur post meam copulam, ei non imponitur lex,* hoc est, humilitati non imponitur lex postquam fuerit sanctæ menti per inhabitationem unita. Quod intelligendum est eo modo quo ait Apostolus : Justo non est lex posita. I *Tim.* I, 9.

Cuidam certatori contra peccata, *ex festinantibus ad istam veram,* id est exsistenti de numero ardenter properantium ad veram humilitatem, *immundi dæmones subseminaverunt in corde laudem* sui ipsius, instigando eum ad gloriam vanam ac propriam reputationem. *Ipse vero ex divina inspiratione machinatus est pia circumventione malignitatem dæmonum vincere. Surgens quippe subordinavit,* id est, ordinate scripsit, *in muro cellulæ suæ prædicationes,* hoc est doctrinas, *altissimarum virtutum : dico autem, caritatis perfectæ, humilitatis angelicæ, puræ orationis, illibatæ et incorruptibilis castitatis, et similium virtutum. Quum ergo cogitationes suæ incipiebant eum laudare, dicebat eis : Eamus ad reprehensionem,* id est ad intuendum doctrinam vos reprobantem. *Veniebat ergo, et definitiones seu prædicationes* in pariete scriptas *legebat, et contra se ipsum clamabat : Quando ista possederis,* id est, documenta ista impleveris, seu istas virtutes habueris, *tunc cognosce quia adhuc longe es a Deo,* hoc est, secundum rigorem justitiæ multum distas a salute; *quoniam si possederis hæc, servus inutilis es, fecisti quod facere debuisti :* juxta quod loquitur Christus, Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, etc. *Si vero non* possides hæc, *longius distas ab observantia mandatorum Dei.* *Luc.* XVII, 10.

Quæ quidem sit virtus et substantia hujus solis, dicere non valemus, hoc est, plene docere non possumus quæ sit essentia, virtus et efficacia humilitatis, quæ instar solis splendet in anima, et totam eam illustrat. *Ab operationibus ergo ejus,* id est ab effectibus humilitatis, *comprehendimus et manifestamus substantiam quæ inest ei,* hoc est essentiam et virtutem humilitatis. Effectus etenim ducit in

cognitionem suæ causæ, et talis cognitio vocatur notitia a posteriori.

Humilitas est divina protectio, id est virtus per quam Deus protegit hominem, *super privatione visionis propriarum directionum,* hoc est per inattentionem propriorum actuum virtuosorum. Nempe per hoc quod homo propria merita non intuetur nec ponderat, a superbia præservatur.

Humilitas est vilitatis abyssus, id est profunda et copiosa consideratio propriæ vilitatis ; vel dicitur « vilitatis abyssus », quoniam recipit patienter omnem vilificationem sive injuriam sibi illatam, sicut abyssus recipit in se flumina cuncta : *ad quam universi latrones conari nequeunt :* quia nec invisibiles nec visibiles hostes queunt eam auferre, nisi qui habet eam permittat se sponte ea privari.

Ps. LX. 4. *Humilitas est turris fortitudinis a facie inimici.* Ps. LXXXVIII, 23. *Nihil proficiet inimicus in ea, et filius (magis vero cogitatio) iniquitatis non apponet nocere ei,* nisi, ut tactum est, subjectum humilitatis sponte Ibid. 24. admittat hostem et ei consentiat ; *et concidet a facie sua inimicos suos, et odientes eam in fugam convertet.* Unde sanctus pater Antonius visis laqueis inimici, et exclamans, Domine, quis hos evadet? audivit vocem de cœlo dicentem : Sola humilitas.

Sed studiose et diligenter inquire notas proprietates divitiarum suarum exsistentes in anima hujus magni possessoris et institutoris, omnes manifestas præter unam. Notæ proprietates « divitiarum » seu graduum atque profectuum humilitatis, sunt jucundissima perpessio injuriarum, exstinctio iræ, p. 341 B. et ceteræ in articulo isto prætactæ : quæ sunt « in anima hujus magni institutoris et possessoris », id est viri perfecte humilis, qui vitam suam sapienter instituit, eam in humilitate fundando, et spiritualibus divitiis pleni. Quæ proprietates omnes sunt notæ ac manifestæ, in quantum per actus suos foris apparent. Propter quod subditur : *illæ enim* proprietates *sunt significativæ* [illegible] *dentibus,* hoc est, intuentibus ostendunt suas perfectiones per proprios actus, *præter unam,* quæ est abyssalis seu profundissima despectio sui ipsius latens in intimo cordis.

Cognosces et non seduceris, id est, absque deceptione scies humilitatem esse in te, *videns,* hoc est, quum videris, *in te exsistere hanc substantiam,* utpote humilitatis essentiam, *in multitudine luminis arcani, atque ineffabili orationis amore,* hoc est, per copiosum lumen internum desuper tibi infusum, per indicibilem quoque affectum seu fervorem quo traheris ad orandum assidue, vel quem sentis in tua oratione. Per hæc enim humilitatis præsentia potest valde cognosci, quia humilibus datur gratia copiosa, per quam ad orandum ineffabiliter incitantur, in ipsis quoque suis orationibus indicibiliter accenduntur. *Quia procedit ante horum apprehensionem cor non maledicens aut indignans in offensionibus alienis,* hoc est, antequam quis pertingat ad abundantiam illam luminis arcani ineffabilemque orationis amorem, oportet eum habere humilitatem ac patientiam, ne in vitiis aliorum, seu injuriis quæ sibi inferuntur ab illis, moveatur ad maledictionem aut indignationem. *Præcursor præfatæ proprietatis,* quæ est non maledicere nec indignari in offensionibus aliorum, *est odium omnis vanæ gloriæ,* quam nisi quis odiat, indignationem et maledictionem non evitabit : qui enim vanæ gloriæ servit, despectum sui æquanimiter ferre non valet.

Qui se ipsum cognoscit in omni sensu animæ, hoc est in spirituali et affectiva notitia mentis, considerando propria pericula et peccata, et qualiter ac propter quid a Deo creatus sit ac salvatus, multis quoque ac magnis beneficiis a Deo præventus, itemque quid sit per naturam et speciem, quam defectuosus ac fragilis in se ipso, *super terram seminavit,* hoc est, in sapientiali ac tuto fundamento se fixit et collocavit ; vel *seminavit in terra,* hoc est in fundo cordis sui fructuoso salubrem considerationem plantavit, de qua terra

Luc. VIII, 8. Christus disseruit, Aliud cecidit in terram bonam. *Non est enim, non ita seminantes humilitate florere,* id est, eos qui non seminant taliter, non contingit humilitate ornari et actus ejus quasi flores producere, quum humilitas fundetur in præfata cognitione.

Qui se ipsum cognoscit secundum notitiam jam dictam, *accipit intentam meditationem timoris Dei :* quia ad Dei timorem movetur ex præinducta sui notitia. *Per eamdem vero* meditationem *incedens, pervenit ad portam,* id est introitum, *caritatis.* Timor enim quum retrahat a peccato, ad caritatem deducit.

Humilitas est porta regni cœlestis, *introducens* in illud *approximantes eidem,* videlicet proficientes, qui quanto plus proficiunt, tanto amplius regno propinquant. *De ista* porta *arbitror Christum dixisse,*
Joann. X, 9, 8. *quia si quis voluerit me sequi ingredietur* ad observantiam consiliorum, *et egredietur ex vita,* id est de isto exsilio ad superna, *absque timore, et pascua inveniet,* id est pabulum, *in paradiso* cœlesti. *Omnes quicumque venerint per aliam portam,* id est per viam humilitati contrariam, *in habitu et figura ista,* hoc est in specie et apparentia veræ humilitatis, utpote in calliditate atque hypocrisi seu elatione, *fures sunt propriæ vitæ,* quoniam privant se meritis propriæ vitæ, *et latrones,* quia interimunt animas suas, alios quoque interdum scandalizant, fallunt ac perimunt.

Conquirentes, id est perscrutantes, *nos ipsos, volentes comprehendere altitudinem humilitatis,* id est, perfectionem ejus acquirere cupientes, *non deficiamus* laborando in hoc ; *atque in sensu cordis propinquemus ad misericordiam,* hoc est, cum cordiali attentione gratiam invocemus (jux-
Hebr. IV, 16. ta illud Apostoli, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur), per quam, Deo auxiliante, apicem humilitatis obtineamus ; *et proximum plus nobis ubique præhabere arbitremur,* hoc est, proximos et confratres

A nostros reputemus nobis esse perfectiores in omnibus.

Impossibile est ex nive procedere flammam ; impossibilius autem est humilitatem esse in eo qui quærit a quibuscumque hominibus gloriam, nisi primo pœniteat de hujusmodi vanitate. *Humilitas est directio,* id est virtus directiva, *fidelium ac piorum,* similiter et justorum, *et hæc* humilitas *est etiam eorum qui de reliquo sunt mundati a vitiis.*

Plures ipsi nos ut plurimum dicimus
B *et habemus nos peccatores,* hoc est, multi nostrum communiter dicunt ac reputant se esse peccatores ; *ignominia vero probabit cor,* id est, adversitas seu injuria ab alio irrogata ostendet qui ex vera humilitate fateatur se esse peccatorem : si enim ignominiam æquanimiter sustinet eo quod toties Deum offenderit, signum est quod ex corde fassus sit peccatorem se esse.

Tendens ad hunc portum tranquillum, videlicet ad humilitatem perfectam, in qua mens dulciter ac secure quiescit, *non ces-*
C *sabit faciens atque intelligens et supercogitans,* id est, diligenter valde attendens, *modum, mores, verba, intentiones, opiniones, inspirationes, quæstiones, institutiones, industrias, vota et orationes,* hoc est, per omnia ista ad humilitatis perfectionem conabitur, ordinando et exercendo considerandoque ea prout exigitur ad humilitatis profectum, *donec per Dei cooperationem et per informationes humiliores* ad obtinendum suum obtentum *liberet scapham animæ suæ,* hoc est navigium
D sive vehiculum sui cordis, videlicet fidei suæ directionem, seu mentis suæ discretionem (per fidem namque et discretionem tanquam per navem sive aurigam tendit ac proficit homo in via salutis), *a mari,* hoc est a profundo et abundantia ac amaritudine, *elationis ac propriæ reputationis æternaliter fluctuante,* id est jugiter inquieto : impii etenim et superbi quasi *Is.* LVII, 20.
mare fervens quod quiescere nequit. *Qui enim factus est liber ab ista elatione, fiet bene faciliter excusabilis publicanus de*

universis aliis suis delictis. Ab elatione enim liberari non potest, nisi per veram humilitatem : quam si habuerit, indulta sunt ei omnia sua peccata quantum ad culpam, et similis est humili publicano
Luc. XVIII, 13. qui oravit in templo : Deus, propitius esto mihi peccatori.

Aliqui habuerunt præcommissa mala post horum remissionem, id est peccata sua præterita jam eis remissa, *in suppositionem,* id est pro fundamento et conservatione, *humilitatis usque in finem,* hoc est, per totum tempus vitæ suæ reduxerunt ad suam memoriam proprias culpas, ut ex earum intuitu ac ponderatione se semper humiliarent, atque ab omni elatione ac vana gloria præservarent, *per illam* memorationem culparum suarum *colaphizantes vanum extolli elationis,* hoc est, affligentes et expellentes omnem extollentiam inanem ac stultam.

Alii vero recogitantes passionem Jesu Christi, æstimant se ipsos æternaliter debitores, id est, ex consideratione dominicæ passionis recognoscunt se tam obligatos servire Christo et eum diligere in æternum, quod nunquam possunt ei aliquod condignum rependere, atque ex hac consideratione et causa se semper humiliant.

Alii vilipendunt se ipsos ex quotidianis defectibus, id est ex consideratione culparum suarum quotidianarum. *Alii repercutiunt elationem ex tentationibus, infirmitatibus et offensionibus accidentibus eis,* hoc est ex multitudine ac magnitudine tentationum, tribulationum, ægritudinum ac injuriarum quæ eis contingunt : quibus
Is. XXVIII, 19. vexatio dat intellectum. *Alii vero per intentionem charismatum,* id est desiderio ac proposito proficiendi in charismatibus Spiritus Sancti, *matrem gratiarum,* videlicet humilitatem, *fecerunt sibi familiarem,* hoc est, amorose ac studiose amplexati sunt eam, scientes se non posse ad desideratam charismatum abundantiam pervenire, nisi per humilitatem præcipuam. Dicitur autem humilitas mater gratiarum, quoniam per modum causæ meritoriæ disponit ac generat eas.

Sunt vero quidam, id est, interdum fuerunt, *si tamen et nunc sint, dicere non habeo,* vel quia ignoro hoc, vel quia non volo prodere eos : « sunt » itaque « quidam » *qui humiliantes se ipsos per ipsa Dei dona secundum horum processum, indignos se putant divitiis talibus,* hoc est, qui ex consideratione divinorum charismatum eis datorum, se ipsos humiliant tanto plus quanto hujusmodi dona ipsis abundantius conferuntur, judicando se prorsus indignos tantis beneficiis Dei, *et sic immorantur,* id est, in humilitate permanent fixi, *quasi suo debito apponentes,* hoc est tanquam tanto plus obligati Deo in omni gratiarum actione et humilitate servire, quanto majora ac plura ab ipso beneficia sortiuntur.

Hoc humilitas, hoc beatitudo, hoc perfectum victoriæ bravium : hoc est, taliter se habere, est præclara humilitas, sublimis felicitas seu insigne copiosumque meritum felicitatis futuræ, imo et præmium quoddam perfectum præcedentium triumphorum contra vitia obtentorum, per quos ad bonum istud tam magnum pertingitur : respectu quorum dicitur merces seu « bravium », quamvis sit meritum respectu felicitatis futuræ. *Quando audieris aut videris aliquem infra paucos annos possidentem,* hoc est adeptum, *altissimam impassibilitatem,* id est perfectissimam passionum reformationem, *existima ipsum pervenisse palæstram hanc brevem et hanc tam viam,* utpote humilitatem, quæ compendiosissime ad perfectionem ducit, *non altam,* id est non viam præsumptuosam, singularem, et propria reputatione sublimem.

Sancta [illegible] humilitas, hoc est, una alteri purissime sociatur, et mutuo sibi cohærent. *Hæc quidem,* puta humilitas, *exaltat* humilem coram Deo; *illa vero,* scilicet caritas, *exaltatos per humilitatem confirmat* in esse spirituali ad promerendum idoneo. *[illegible]*

I Cor. XIII, 8. quantum in se est, dicente Apostolo : Caritas nunquam excidit.

Aliud est contritio, aliud cognitio, et aliud humilitas. Contritio est lapsus germen, id est effectus, seu dolor ex ruina peccati conceptus. *Qui enim cadit* peccando *conteritur* pœnitendo, *et sine propria confidentia adsistit Deo in oratione cum laudabili verecundia,* qua de suis erubescit peccatis, non innitens propriis meritis; *et quasi contritus, superfirmatus est virga spei,* hoc est, in se ipso a proprio vigore deficiens et confractus, innititur divinæ pietati per spem, tanquam per virgam seu baculum sustentantem, *et in ipsa* spe *canem desperationis persequitur,* hoc est, dæmonem impudentem ac rabidum de desperatione tentantem impugnat, vincit et abjicit. *Cognitio est certa propriarum mensurarum,* id est consistentiarum, conditionum, naturarum ac virium, *comprehensio irrecurvabilis,* hoc est directa irreflexibilisque, *memoria exilium offensionum,* id est exiguarum culparum, et multo plus vitiorum magnorum. *Humilitas est intellectualis doctrina Christi,* hoc est virtus interna a Christo specialiter docta per verba et opera, *faciens thalamum in cubiculo animæ intellectualiter dignis effectis,* id est, mansionem exhibens et quietem in interioribus ac secretioribus animæ viribus, utpote intellectu, voluntate et memoria, his qui spiritualiter digni sunt facti ut in ipsis tanta virtus quiescat et per eam Spiritus Sanctus, qui scilicet sine mortali sunt culpa, *et sermonibus sensibilibus inaccessibilis exsistens,* quia ut p. 339 A, 341 B', 342 in fine. jam sæpius tactum est, humilitas ista exteriori sermone non potest condigne et plene notificari, commendari, describi.

Qui dicit se in se ipso sentire totaliter, hoc est perfecte, *odorem talis unguenti,* id est humilitatis dulcedinem ac vigorem, *et in tempore laudum vel ad modicum saltem corde movetur,* hoc est, aliquantulum per consensum tangitur vana gloria aut elatione quando laudatur, *aut verborum virtutem cognoscit,* id est, verba laudis suæ sibi dicta experitur in se aliquid operari aut prævalere; *non seducatur,* putans se perfecta humilitate esse ornatum, *seductus est,* id est, jam deceptus est, taliter præsumendo de sua humilitate, laudibus suis aliqualiter condelectando, et non potius omne bonum Deo altissimo integerrime adscribendo atque in eo dumtaxat gaudendo.

Audivi quemdam in sensu animæ, id est ex cordiali et amorosa notitia, *dicentem* (puta Psalmistam) : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ps. CXIII, 1, sec. Hebr. *Cognoscebat enim naturam non usquequaque permanere sine læsione ex se ipsa,* hoc est, sciebat Psalmista mentem creatam non posse propriis viribus persistere sine culpa, sed Dei gratia jugiter indigere. *Apud te, Domine, laus mea in Ecclesia magna,* Ps. XXI, 26. id est in Ecclesia triumphante, *videlicet in futuro : nam ante illud non possum absque periculo ferre eamdem laudem meam,* hoc est, priusquam pervenero ad regnum cœlorum, periculosum est mihi laudari.

Iste est terminus et sermo ac modus novissimæ et summæ et maximæ *superbiæ, virtutes sibi non inhærentes simulare gratia gloriæ,* hoc est, desiderio gloriæ vanæ simulare se habere virtutes quas non habet. *Idcirco et hoc est argumentum profundæ humilitatis, causas culpæ quæ non sunt in nobis figurare in quibusdam gratia humilitatis,* id est, ex humilitatis amore simulare in se interdum aliqua reprehensibilia non exsistentia in se, propter majorem sui vilipensionem et humiliationem. *Ita fecit qui panem et caseum accepit in manibus.* Iste, ni fallor, fuit abbas Simon, qui audito quod judex provinciæ veniret ad videndum se tanquam virum famosum et sanctum, accepit in manibus panem et caseum, sedens in ostio cellulæ suæ, cœpitque comedere quasi amens : quo viso judex eum despexit, sicut in quinto Vitaspatrum narratur. *Ita fecit et exuens suam vestem et impassibiliter,* hoc est sine concupiscentia, *civitatem*

circumiens, sicut castitatis amator, id est tanquam vir vere castus.

Qui tales sunt, de humano offendiculo non curabunt, eo quod virtutem suscepe-rint certificare invisibiliter universos per orationem, id est, gratiam habent a Deo, quod orando impetrare possunt ab eo ut ipse Deus cunctos de veritate certificet per inspirationem internam aut alio modo sibi placentem. *De priori sollicitudinem gerens,* hoc est, qui vere sollicitus exstat qualiter se ipsum plene aspernabilem præbeat, simulando reprehensibilia quæ non habet, *secundi indigentiam significavit,* id est, orando testatus est necessarium esse ut Deus scandala tollat quæ ex tali humilitatis simulatione possent oriri. *Ubi enim Deus paratus est nostram exaudire petitionem, ibi omnia possumus, moti ex virtute,* puta ex humilitate, sicut in prætacta simulatione, *pro virtute,* id est propter humiliationem majorem et pro ipsa humilitate perficienda ac conservanda. Quasi dicat : In tali casu possumus impetrare a Domino ut veritatem ostendat et scandala tollat. *Vel possumus contristare,* hoc est aliquo modo offendere, *homines magis quam Deum : gaudet enim* Deus *videns nos attendentes ignominiis,* id est intentos ad hoc ut vilipendamur et inhonoremur ab aliis, *ut contribulemus, plagemus et perdamus vanam elationem.*

Summa peregrinatio, hoc est perfectissima mentis aversio ab omnibus rebus sæcularibus et caducis, *conciliatrix est talium certaminum victoriæ,* id est, movet et incitat nos ad hujusmodi expugnationes elationis, per quas victoria ista totius vanitatis acquiritur. *Vere enim magnorum est ferre illudi,* id est æquanimiter sustinere illusiones, *a familiaribus atque domesticis.*

Ne stupeas aut conturberis in præfatis, utpote, quod quidam ad tantam humilitatem ac patientiam pervenerunt, a quibus te longe distare vides, et vix ad eas te posse pertingere speras. *Nemo enim scalam aliquando sub uno tempore ascendere potuit,* id est repente, absque graduali et successivo ascensu. Quasi dicat : Sic nemo fit subito summus, sed paulatim proficitur, et continuando profectum ac perseverando perfectio obtinetur.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli Dei sumus, non quia dæmonia nobis obediunt, sed quia nomina nostra scripta sunt in cælo humilitatis, id est, quia inter humiles veraciter computamur, et in humilitatis tranquillitate quiescimus.

Sinere ramos arborum quæ citreæ dicuntur, exaltari naturaliter sursum in altum, habet ex natura ingignere eis sterilitatem : hoc est, si rami arborum quæ vocantur citreæ permittantur in altum excrescere, ex hoc sunt naturaliter infructuosi; *subtus vero recurvati, celerius fructiferi fiunt,* id est, dum rami illi reflectuntur et recurvati tenentur, velocius copiosiusque fructificant. *Prudenter intelligens cognoscet,* hoc est, qui istud sapienter intelligit, advertit quid dicere velim : utpote, quod simili modo actiones humilium si permittantur per vanam gloriam ac superbiam elevari, protinus evanescunt et steriles fiunt ; si vero eas parvi pendendo deprimantur, fructum producunt salutis.

Unus possidet apud Deum ascensionem triginta graduum ejusdem sanctæ humilitatis, et unus sexaginta, et unus centum : hoc est, secundum variam et proportionatam seu gradualem distinctionem, unus est perfectior alio in humilitate, juxta habitudinem ac distantiam numerorum præfatorum ab invicem. Porro hunc modum loquendi sumpsit auctor ex eo quod in Evangelio asserit Christus : Semen cecidit in terram bonam, et fructum fecit aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. *Et quidem in extremo impassibiles,* hoc est, plenarie reformati ac perfecti sunt in centesimo gradu humilitatis ; *in medio viriles,* id est, viriliter proficientes sunt in gradu humilitatis sexagesimo, vel possunt esse in eo. *In* [illegible] *vero,* videlicet in gradu humilitatis tricc-

simo, *omnes* fideles, etiam incipientes, *possunt venire,* id est et esse.

Qui cognoscit se ipsum cognitione formata per donum scientiæ, *nunquam conabitur illusus in his quæ sunt super se ipsum,* id est, nunquam ex deceptione rationis extollet se ultra suam mensuram et conditionem, quamdiu manet in illa salubri sui ipsius notitia, *sed solidabit pedem de cetero super trivium ejusdem beatæ,* hoc est, cordis sui intuitum et affectum figet supra prædictam triplicem distinctionem graduum beatæ humilitatis, ut in eis quotidie ascendendo proficiat, quatenus tandem ad humilitatis perfectionem verticemque pertingat.

Timent volucres falconis speciem, quemadmodum ovis lupum ; *operatores vero humilitatis abhorrent contradictionis sonum,* id est inobedientiæ vocem rebellionisque verbum, tanquam diaboli tubam.

Multi salutem adepti sunt sine prænuntiationibus, id est absque gratia prophetiæ, *et illuminationibus,* id est visionibus, *et signis atque prodigiis,* hoc est absque majoribus minoribusque miraculis ; *nullus vero ingredietur ad Sponsum absque humilitate :* quia ad spirituales nuptias Sponsi cœlestis non pervenitur sine humilitate, nec in militante nec in triumphante Ecclesia. *Nempe priorum secunda est custos,* hoc est, humilitas custodit dona illa gratiæ gratis datæ primo nominata, ne quis extollatur ex illis, pereatque cum eis qui in die judicii dicent : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? *Hujus vero priora in levioribus facta sunt sæpius interemptiva,* id est, præfata illa dona gratiæ gratis datæ, videlicet prophetia, visio, et operatio miraculorum, « levioribus » seu imperfectis hominibus exhibita, frequenter sunt destructiva humilitatis, inducendo eos quibus concessa sunt ad elationem et gloriationem inanem. (Matth. VII, 22.)

Dispensavit Dominus circa nos humiliari nolentes et istud, hoc est, Deus pie ac sapienter operatus est in nobis qui ad humilitatem sumus tardi ac renitentes, istud quod subditur : *quia nemo videre potest plagas* (id est culpas) *proprias sicut* (hoc est tam clare ut) *proximus :* quod de exterioribus vitiis potissime verum est, et aliquo modo de interioribus, secundum quod per exteriora innotescunt. Idcirco communiter dicitur, quod homo non est bonus judex sui ipsius : quod tamen de imperfectis præcipue verificatur ; spiritualis autem omnia judicat, et ipse a nemine judicatur. (I Cor. II, 15.) *Eapropter necesse est gratiam sanitatis dare non nobis ipsis, sed illi et Deo,* id est, emendationem et profectum animæ nostræ oportet nos Deo ac proximo, non nobis, adscribere : Deus namque est principalis causa ac præstitor gratiæ, proximus vero corripiendo cooperatus est nobis in bonum.

Qui humilis est mente, semper abominatur propriam voluntatem velut seductricem et errantem : ideo regulat eam juxta superiorum suorum commissionem et secundum Scripturas ; *et habet naturam,* id est, per gratiam quasi connaturale factum est ei, *discere, in orationibus suis inhæsitanti fide ad Dominum fusis, ea quæ pertinent ad rem :* ita quod orando illuminatur a Deo ad cognoscendum necessaria atque utilia suæ saluti, secundum quod Jacobus ait apostolus : Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei ; postulet autem in fide nihil hæsitans. (Jacob. I, 5, 6.) Connaturale quoque est humili *et obedire : qui non est attendens conversationi magistrorum,* hoc est, facta superiorum suorum non observat nec discutit curiose, tamen in bonis attendit ac sequitur eos, *sed jactans reponit in Deo curam suam, qui per asinum docuit convenientia in Balaam :* quia per verba ab asino dicta redarguit eum. (Num. XXII, 28-30.) Nostra autem translatio continet « asinam » : idcirco asinus designat hic naturam, non sexum.

Quamvis hic talis operator, videlicet humilis valde, *universa quæ agit faciat, intelligat et loquatur secundum Deum, nec tamen sic tradet,* id est adscribet, *suæ voluntati* bona quæ taliter agit, *nec suo*

sensui credet in quantum est suus : potest tamen ei credere in quantum est secundum Scripturas edoctus. *Stimulus enim,* id est tormentum, *et pondus est humili, inhærere et obedire propriæ fidei,* hoc est propriæ opinioni et voluntati, *quemadmodum superbo stimulus est et intolerabile pondus, inhærere et obedire dictis ab altero.*

Mihi videtur angeli esse, non pati furtum a delictis, id est, angelicum arbitror, non humanum, non incurrere detrimentum gratiæ atque profectuum ex quotidianis subrepentibusque peccatis, quum
Prov. xxiv, 16. justus septies in die cadat. *Audivi enim terrenum angelum,* scilicet Paulum, *di-*
I Cor. iv, 4. *centem : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est. Unde debemus dijudicare et vituperare nos ipsos, ut per voluntariam hanc vilificationem nostri abjiciamus peccata non voluntaria,* id est nobis nunc displicentia, quamvis aliquo modo voluntaria fuerint quando fiebant; vel « peccata non voluntaria » appellantur quæ fiunt ex infirmitate et ignorantia, non ex deliberatione aut improba voluntate. *Alioqui in exitu pro eis dire exacti rationem ponere exquiremur,* id est, nisi ita egerimus, exigemur in hora mortis reddere rationem pro illis peccatis in particulari nostro judicio cum districta exactione.

Qui petitiones postulat a Deo sub sua ipsius dignitate, hoc est minores quam rationalis creaturæ dignitas accipere indiget, vel quam ipse per suam humilitatem dignus est seu meretur accipere, *penitus quæ sunt supra se participabit,* id est, majora dona quam meretur aut deprecatur obtinebit a liberalissimo et superpiissimo Deo, qui per abundantiam pietatis merita supplicum excedit et vota. *Et de hoc testimonium perhibet* materialiter, sci-
Luc. xviii, 13, 14. licet facto, non verbo, *publicanus petens remissionem, sed reportans justitiam* ul-
Ibid. xxiii, 42, 43. tra remissionem suarum culparum. *Et latro ille petiit tantum memoriam in regno, et totum paradisum hereditavit,* hoc est, in cœlesti paradiso hereditatem gloriæ impetravit.

Non est in creatura parvum et magnum ignem natura videre, hoc est, non contingit videre inter creata ignem qui ex sua natura sit magnus et parvus respectu ejusdem. Vel sensus est, quod videre non possumus ignem elementarem in sua sphæra : qui est magnus activitate, imo et quantitate, quoniam ambit cetera elementa; et parvus, quia in materia est summe subtilis et rarus. *Et non est in sincera humilitate remanere quam penitus,* id est aliquatenus, *speciem materiæ,* hoc est affectionem sensualem ad aliquid materiale. *Donec voluntarie offendimus, hoc in nobis non est,* id est, quamdiu sponte et ex deliberatione peccamus, non est in nobis sincera humilitas, sed inordinata ac sensualis affectio; *et hoc est signum adventus ejus,* id est, nullam speciem materiæ remanere in anima, est signum quod humilitas venit in eam.

Cognoscens Dominus virtutem animæ figurari, hoc est convenienter ac similitudinarie designari et exprimi, *extrinseco habitu et institutione,* id est exteriori dispositione ac apparatu, *accipiens linteum, ostendit nobis compendium viæ humilitatis :* nam linteo se præcingens, et pedes Joan. xiii, 4, 5.
Apostolorum lavans ac tergens, monstravit nobis compendiosissimum documentum et exemplum seu observantiam totius humilitatis. *Nempe adinventionibus corporis assimilatur anima,* id est, interiores animæ affectiones conformantur exterioribus formationibus seu gestibus excogitatis, *et formatur ad ea quæ agit,* id est, per similitudinem quamdam ad ea extenditur anima : nam agens producit simile sibi, et intellectualiter operans agit per formam operis sui in suo animo præconceptam, [illegible] opera sua : effectus namque est participata quædam similitudo suæ causæ. Ita per exteriora opera sua docuit Christus interiora, et juxta variationem exteriorum diversimode qua-

lificatur anima in cogitationibus et affectionibus suis.

Principatus angelorum factus est cuidam, videlicet Lucifero, *suppositio,* id est incitamentum sive occasio, *alti sapere,* id est arrogantiæ. Ex hoc enim quod primus ille apostata angelus vidit se aliis angelis in naturalibus excellentiorem, ad super-
Is. XIV, 14. biam motus est, et assimilari volebat Altissimo. *Qui non est propter hoc assecutus id quod superbe præsumpsit* appetere ac sortiri. Optatum quippe principatum secundum propriam voluntatem ac legem, nequaquam adeptus est, sed præcipitatus est protinus.

Aliter afficitur qui sedet super thronum, et aliter qui sedet super sterquilinium. Communiter enim gloriatur aut extollitur qui sedet in solio judiciali, magistrali aut regali, et sub ratione majoris ac eminentis se apprehendit; qui autem in sterquilinio sedet, solet tristari et humiliare se ipsum, quia sub ratione rei miseræ concipit se. *Et propterea forsan*
Job II, 8. *magnus ille justus,* videlicet Job, *in sterquilinio extra civitatem sedebat. Tunc enim perfectam humilitatem possidens, in*
Ibid. XLII, 6, juxta LXX. *sensu animæ dixit : Ipse me reprehendo, et cinerem me ipsum reputo; sed et favillam, terram, pulverem esse me fateor.* Verumtamen non legitur hoc dixisse formaliter, sed bene æquivalenter.

IV Reg. XXI, 2 et seq. *Invenio Manassen illum peccantem sicut neminem alium,* id est præ omni alio homine gravius prævaricatum, *qui inquinavit templum Dei idolis, et omnem religionem,* id est verum Dei cultum ac legem divinam, *contaminavit.* Imo et alia multa enormia egit peccata, prout quarto Regum habetur. Verumtamen incertum reor an Manasses absolute loquendo peccavit gravius quam aliquis alius homo, quum et
II Par. XXXIII, 23. de filio ejus Amon legatur, quod multo majora deliquit. Similiter, Annas et Caiphas, multi quoque tyranni Christianorum persecutores, et quidam hæresiarchæ, sed
III Reg. XII, 25 et seq. et Jeroboam qui decem tribus traxit ad idololatriam, nimis enormiter peccaverunt.

A *Pro quo* Manasse *si universus mundus jejunasset, nihil condignum econtra inducere potuisset,* hoc est, pro excessibus Manasse satisfacere nequivisset secundum rigorem justitiæ. *Sed prævaluit humilitas, et insanabilia sanavit in eo :* id est, Manasses se ipsum profundissime humiliando veniam impetravit, et vitia sua vix curabilia mox curavit. II Par. XXXIII, 12-19.

David loquitur Deo : Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; totis corporibus per jejunium incensis, id est Ps. L, 18, 19.
B afflictis, *non delectaberis,* nisi adsit et aliud; *sacrificium Deo spiritus contribulatus : et quod sequitur notum est universis,* videlicet, Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Beata ista humilitas aliquando clamavit,* hoc est, David regem movit ad declamandum ad Deum, *pro adulterio et homicidio* quæ commisit : *Peccavi Domino. Et celerius,* id est valde cito, *audivit* a Nathan : *Dominus abstulit peccatum tuum.* II Reg. XII, 13.

Patres sempiternæ memoriæ asserue-
C *runt corporales labores esse viam et suppositionem,* id est fundamentum, *ejusdem* humilitatis. *Ego autem dico, obedientiam et cordis rectitudinem,* hoc est sinceram intentionem, *cum eisdem* corporalibus laboribus *esse viam ad humilitatem,* id est ad ejus profectum ac perfectionem : obedientia enim et humilitas, quantum ad habitum sive essentiam suam, simul sunt tempore. *Quæ* obedientia rectitudoque cordis *naturaliter oppositæ sunt elationi ac propriæ reputationi.*

D *Si elatio quosdam fecit ex angelis dæmones, humilitas penitus facere potest ex dæmoniis angelos.* Potest enim ex obstinatis, superbissimis diabolicisque hominibus facere angelicos homines : imo et ipsa humilitas, quantum in se est, potest dæmones rursus transferre in angelos; sed obstat voluntas impiorum illorum obstinata in malo. *Quapropter peccantes confidant,* id est, homines qui peccaverunt non desperent, quoniam pœnitendo et se humiliando possunt resurgere.

Omni virtute festinemus et certemus A *ascendere ad verticem hujus,* id est perfectionem humilitatis attingere. *Si quominus,* id est, si hoc facere non curamus, festinemus *saltem supervehi humeris ejus,* hoc est super humeros humilitatis portari ad regnum cœlorum, intelligendo per humeros humilitatis, gradus et actus ejus inferiores ac medios. *Si vero hæsitamus aliquid aut fatigamur in hoc, non excidamus ab ulnis ipsius,* id est ab infimo gradu et ima ascensione humilitatis. *Etenim cadens inde, admiror si fuerit consors* B *aliquo dono æterno.* Quasi dicat : Qui non permanserit saltem in infimo gradu humilitatis, non erit particeps alicujus virtutis et gratiæ in præsenti, nec gloriæ in futuro.

Paupertas, peregrinatio, id est terrenorum et omnium transitoriorum derelictio, *absconsio sapientiæ non apparens,* id est vera, non simulata, *non varia verbi prolatio,* hoc est sincera ac simplex locutio, *eleemosynæ* corporalis ac spiritualis *quæsitio, occultatio propriæ generositatis, exsulatio confidentiæ,* id est abjectio præ- C sumptionis, *et elongatio a multiloquio, sunt nervi et viæ humilitatis :* quoniam sicut viæ perducunt ad locum intentum, et sicut nervi sunt media vitæ in animalibus, ita prædicta sunt viæ ac dispositiones ad humilitatis perfectionem ; *sed nequaquam signa,* hoc est, nullo modo sunt signa humilitatis efficacia.

Nihil enim poterit aliquando animam ita humiliare sicut pauper institutio me- *mendicantiumque *dicantiumque* diæta.* « Pauper institutio » est conversatio ab exordio sui fundata D et informata in paupertate aut humilitate ; « medicantium » vero « diæta » est abstinentia magna et castigatio corporis, quæ valde conferunt ad hoc quod anima se ipsam in cunctis humiliet. *Tunc enim amor noster ad sapientiam et caritas nostra ad D*[illegible] *possimus exaltari, et gloriam ac altitudinem* [illegible], id est non ad tempus, sed usque in finem vitæ præsentis.

Si te aliquando armaveris contra vitium quodcumque, induc et posside hanc, utpote humilitatem, *compugnantem,* id est, ut per te et tecum contra vitium illud pugnet, *et super aspidem et basiliscum ambulabis, leonem et draconem : ego vero dico, super peccatum quodcumque inficiens mentem,* quod designatur per aspidem, *et desperationem,* quæ designatur per basiliscum, quoniam instar basilisci incurabiliter lædit ac perimit, *et diabolum,* qui per leonem exprimitur, *et draconem corporis,* id est super proprium corpus, quod per draconem designatur, quum instar draconis immunditiis, sordibus fœtoribusque repletum sit. Ps. xc, 13.

Humilitas est sipho cœlestis. Sipho dicitur tuba, aut concha, vel vas quoddam : sicque humilitas dicitur « sipho cœlestis », utpote *valens animam sursum in cœlum perducere ex vitiorum abysso.*

Vidit aliquis aliquando pulchritudinem ejus, videlicet humilitatis, *in corde suo, et captus stupore, interrogavit eam discere nominationem parientis eam,* id est, quæsivit ab humilitate ut doceret ac diceret quod sit nomen suæ matris. *Ipsa vero subridens, jucunde et tranquille ait : Quomodo quæris discere nomen gignentis me, et hic sine nomine est ?* Principalis etenim causa et mater humilitatis est increata sapientia Dei, quæ explicari non potest in vita hac nomine digno ac pleno, quo significetur, intelligatur ac comprehendatur secundum quod est æternaliter in se ipsa. *Nequaquam tibi dicam hoc nomen,* id est, non revelabo tibi illud limpide ac perfecte, *quousque possidebis Deum et Dominum Jesum Christum,* videndo eum clare in regno cœlesti per speciem beatificamque fruitionem : quia tunc erit Dominus [illegible] unus, et nomen ejus unum. [illegible]

[illegible] nam et fons paradisi originem habet ex abysso. [illegible], sicut prælibatum est : et ita humilitas se habet [illegible] ad discretionem sicut abyssus ad fontem

GRADUS XXVI

DE DISCRETIONE.

DISCRETIO quidem in initiantibus seu introducendis et informandis, est vera cognitio quæ est secundum se ipsos. In mediis vero, est intellectualis sensus discernens proprie bonum sine offensione ex naturali atque contrario. In his vero qui perfecti sunt, discretio est scientia et cognitio per divinam illuminationem inhærens, qua valet sua ipsius lucerna illuminare quæ in aliis sunt obscure. Vel forte istud notificatur et est universaliter discretio : certa comprehensio divinæ voluntatis in omni tempore, loco et re. Quam constat esse in his solis qui sunt mundi corde, ore et opere : nam qui pie dejecit et destruxit tres principales malitias, destruxit et dejecit cum eis simul etiam quinque alias malitias ; qui vero illa negligit, neutrum vincet. Discretio est conscientia non inquinata et mundus sensus.

Nemo in conversatione monastica videns et audiens quædam quæ sunt super naturam, corruat ex insipientia ad infidelitatem : ubi enim Deus, qui est super naturam, peregrinatur, ibi plurima fiunt super naturam.

Omne diabolicum prælium constituitur in nobis istis tribus generalissimis modis : aut ex negligentia nostra, aut ex superbia nostra, aut ex dæmonum invidia. Miserabilis quidem est primus, infelicissimus vero est secundus, tertius autem est beatus. — Ante omnia post Deum et cum Deo utamur conscientia nostra ad directionem intentionis et mentis nostræ, et ad regulationem nostram, ut cognoscentes spirationem ventorum unde venit, extendamus deinceps vela contra eamdem.

In universis operationibus nostris quæ fiunt secundum Deum, dæmones suffodiunt nobis tres foveas : nam primo luctantur ut impediant fieri bonum ; secundo, videlicet post eorum primam succumbentiam, conantur ut bonum non fiat secundum Deum ; quum vero fures non fuerint intentionem hanc assecuti, tunc deinceps instantes quiete, beatificant nos tanquam conversantes secundum Deum in omnibus. Et inimicus primæ est sollicitudo et festinantia mortis ; inimicus autem secundæ est subjectio et obedientia, et contemptus ; porro inimicus tertiæ est se ipsum semper
Ps. LXXII, 16, 17. accusare et inculpare querelis. Hoc totum implere, est coram nobis labor et dolor, et directio et intentio, donec ignis Dei intret in sanctuarium nostrum. Nempe tunc
Deut. IV, 24. non est in nobis necessitudo præsumptionum. Deus enim noster est ignis consumens omnem ignitionem et motum et præsumptionem et cæcitatem et tenebrefactionem intrinsecam et extrinsecam, visibilem et intellectualem. Dæmones iterum dictis contraria facere habent naturam. Quando enim circumdant et obtinent animam et lumen mentis pervertunt in nobis miseris, non erit ulterius vigilia, sobrietas,

discretio, cognitio et reverentia Dei in nobis, sed privatio doloris et contritionis, insensibilitas, indiscretio, invidentia seu carentia visionis Beatorum. Sciunt prædicta penitus magis prudenter et clare, qui ex fornicatione resipiscunt, et qui subtrahunt se ex elatione confidentiæ propriæ, et ex irreverentia Dei et inerubescentia peccati veniunt in sensum simul et sensificationem : quomodo post sobrietatem et evigilantiam ab insensibilitate mentis, magis vero post solutionem suæ cæcitatis, erubescunt et verecundantur de se ipsis secundum mentem, vel (ut sic dicatur) de his quæ prius loquebantur et agebant degentes in cæcitate.

Nisi sero fiat et tenebrescat in die animæ, fures nequaquam furabuntur et mactabunt et perdent. Furtum est perditio substantiæ ; furtum est operari non bonum tanquam bonum ; furtum est captivatio animæ incognita. Mactatio est mors mentis rationalis corruentis in actus inconvenientes et inhonestos. Perditio est sui ipsius desperatio post iniquitatem. *Joann.* x, 10.

Nemo alleget impossibilitatem in evangelicis præceptis : sunt enim animæ quæ peregerunt super mandatum. Persuadeat te penitus hoc esse verum ille qui dilexit proximum super se ipsum, et pro eo animam posuit, quippe quum in hoc non portaverit imperium Domini.

Considerent humiliati quod dicam : vitiosi enim etsi ceciderint in vitiis et foveis universis, et illaqueati fuerint omnibus laqueis, et infirmati omni infirmitate ; tamen post sanitatem fient omnibus medici spirituales, et luminaria, et lucernæ, et gubernatores, docendo modos uniuscujusque infirmitatis, et ex propria experientia salvantes ruituros. Nempe si aliqui tyrannizantur ex præsumptionibus et passionibus ingenitis et anteactis, docere possunt vacuum verbum : qui licet doceant, non tamen præsint, nec alios regant. Nam forte erubescentes quandoque saltem proprios sermones, incipient practicam ; et eveniet eis quemadmodum vidi factum de quibusdam involutis volutabro luti : quum enim essent infixi in limo, inibi docuerunt prætereuntes modum propriæ submersionis, narrantes et negotiantes hoc propter salutem ipsorum, nequando et ipsi caderent in eodem itinere. Igitur omnipotens Deus redemit ipsos de luto propter aliorum salutem. Si vero vitiosi præcipitant se ipsos voluntarie in concupiscentiis et delectationibus, insinuent doctrinam suam silentio, attendentes ad ea quæ cœpit Jesus facere et docere. *Act.* i, 1.

O humiles monachi, transvadamus pelagus crudele et vere crudele, et ferox et durum, et plenum multis spiritibus et sordibus et revolutionibus rheumatum et asperis scopulis et bestiis et piratis et fluctibus atque [illegible]. Sordem in anima intelligamus ferocem et repentinum furorem ; tetram vero rheumatum revolutionem intelligamus desperationem, quæ mentem circumdat, et eam festinat ferre deorsum in desperationis profundum ; scopulorum vero [illegible] mentem id quod malum est tanquam bonum ; [illegible] corpus [illegible] et silvestre cum animalibus [illegible] ; piratas [illegible] qui rapiunt onus et laborem virtutum ; fluctus vero [illegible] tumentem, [illegible] tum et elevatum, qui ex propria [illegible]

nem dico superbiam projectam et præcipitatam de cœlo, sursum ferentem, et deinde deferentem ad abyssum.

Omnibus eruditis in litteris notum est quæ sint doctrinæ ac disciplinæ erudiendorum et initiantium, quæ vero mediorum, et quæ magistrorum. Attendamus ista prudenter, ne forte diuturne manentes in doctrina, immoremur adhuc in promissionibus introducendorum et erudiendorum : quod esset magnæ confusionis, utpote videre senescentem accedentem ad scholas puerorum.

Perfectum alpha, beta, universis initiantibus, hoc est : obedientia, jejunium, cilicium, cinis, luctus, confessio, silentium, humilitas, vigilia, virilitas seu fortitudo, frigus, nuditas, fames, sitis, labor, dolor, infirmitas, miseria, contemptus, contritio, non retribuere malum pro malo, sed oblivisci injuriæ, amor fraternitatis, mansuetudo, fides simplex et firma sine curiositate quæstionum, privatio curarum sæculi, sollicitudinis mundi et curæ carnis, odium parentum et propriæ regionis ac deliciosorum locorum sine odio, impropassio sui ipsius et omnium domesticorum, simplicitas cum innocentia, mortificatio voluntatis, et spontanea vilitas in vestitu, ministratione, et consimilibus. — Requies et numerus proficientium sunt : privatio vanæ gloriæ, esse sine ira et furore, bona et dulcis spes, requies sive discretio, fixa memoria æterni judicii, dulcis viscerositas et compassio, amor hospitalitatis, admonitio commensurata et contemperata, oratio munda, inseducibilis et impassibilis, mores et affectus sine avaritia. — Iste est sermo terminatioque et lex spirituum et corporum in carne pie perfectorum : incaptivabile cor, perfecta caritas, fons humilitatis, peregrinatio mentis ad Deum, adventus spiritualis Christi Jesu, induitio luminis, imprædabilitas orationis, substantialis superabundantia illuminationis divinæ, desiderium et concupiscentia mortis, odium vitæ præsentis, fuga corporis, interpellator et intercessor mundi, angelorum comminister, scientiæ abyssus, mysteriorum domus, arcanorum custos, salvator hominum per Jesum, dæmonum deus, vitiorum dominus, dominator et rex corporis et mentis, naturæ tutor, a peccato peregrinus, domus impassibilitatis, imitator Domini ex auxilio Domini.

Non modica vigilia indigemus quando corpus infirmatur. Dæmones enim videntes nos in terra positos et jacentes, nec valentes uti virtuosa exercitatione tunc contra eos propter impotentiam et destructionem naturæ, conantur nos tunc dure atque crudeliter impugnare. Et in his qui secundum mundum sunt, adhæret dæmon furoris et iræ; interdum vero eisdem infirmantibus blasphemiæ dæmon adhæret. Porro his qui sunt extra mundum, insidiatur et assidet tyrannus gulæ et luxuriæ, si faciliter possunt necessaria obtinere; si vero morantur in aliquibus locis remotis et certativis et consolatione privatis, insidiatur eis spiritus acediæ et ingratitudinis.

Notavi lupum fornicationis apponentem laboranti ac infirmanti tristitias et dolores, et facientem in eodem motus concupiscentiarum et fluxus naturæ. Et quod fiebat erat stupendum videre : carnem bullientem delectatione concupiscentiæ atque libidinis, et vesane furentem in ipsis doloribus et afflictionibus nimiis. Et reversus vidi deorsum positos in lecto jacentes, ab operatione divina et compunctione actos,

et oblectatos et consolatos : nimirum per infirmitatem quasi per increpationem quamdam inveni eos commutatos in melius ; et per consolationem repercusserunt afflictiones et dolores, ita ut de cetero nollent ab infirmitate liberari. Et glorificavi per lutum emundantem et purgantem lutum.

Mens intellectualis penitus circumoperit intellectualem sensum. Quem sensum in nobis exsistentem, et non exsistentem in nobis, non cessemus exquirere : illo enim apparente, ea quæ sunt extra desinent penitus spontanee propria operari. Et hoc est quod quidam sapiens cognoscens ait : Et divinum sensum invenies in te.

Vita monastica fiat in sensu cordis, in operibus quoque et sermonibus et cogitationibus et gressibus ; si vero non sic, jam non erit monastica, nedum dicam angelica.

Aliud est providentia Dei, et aliud opitulatio, et aliud custodia, et aliud misericordia Dei, et aliud consolatio : et illud quidem est in omni natura, aliud vero est in solis fidelibus, aliud autem est in vere fideliterque fidelibus, quartum autem est in his qui serviunt ei, ultimum vero manifestatur et ostenditur in diligentibus eum.

Est quando alterius antidotum fit alteri letiferum. Est etiam quum idem antidotum eisdem secundum proprium tempus prolatum, fit sanativum ; iterum vero non in tempore suo prolatum, est poculum mortis. — Vidi severum medicum graviter et importune afficientem ignominiis infirmum, conquassatum, et nil amplius conciliantem ei nisi desperationem ; et vidi medicum chirurgum medentem per ignominiæ invectionem cor elatum et tumens, et evacuantem ab ipso omnem saniem. — Nempe vidi eumdem infirmum bibentem aliquando obedientiæ medicinam propter purgationem sordis ; et vidi eum motum et circumquaque ambulantem, et non dormientem. Quandoque vero vidi habentem oculum infirmatum, et quiescentem ; et vidi eumdem perseverantem in silentio absque colloquio, et non dormientem. Qui habet aures audiendi, audiat. *Luc.* XIV, 35.

Quidam, ut ita dicam, habent se inclinabiliter natura circa continens aut abstinens, aut circa remotionis tranquillum, aut castum, aut non præsumptuosum et confidens, aut circa compungibile mire seu facile. Unde vero hoc habeant non novi : neque enim didici curiose agere, et dona Dei elatione exquirere. Et sunt alii habentes suam naturam naturaliter resistentem eisdem et contra agentem, et inferentes sibi ipsis vim secundum virtutem : qui et si ad tempus succumbunt, attamen magis accepto eos ut violentatores naturæ. — Noli, o homo, altum sapere et extolli de divitiis acquisitis sine labore atque dolore : nam dator donorum prænoscens multam læsionem et infirmitatem et perditionem tuam, voluit te salvare saltem particulariter præventionibus quæ sunt sine mercede. — Disciplinæ et enutritiones et studia et adinventiones quæ sunt ex parvitate, [illegible] crescentibus in virtute et conversatione monastica.

Angelus est lumen monachis ; [illegible] hominum. Monachi igitur [illegible]

Matth. VI, 23. ullam offensionem in aliquo in his quæ loquuntur et operantur. Si enim lumen tenebræ fiat, ergo tenebræ, videlicet homines sæculares secundum mundum conversantes, quantum tenebrescent? Si ergo, o obedientes, mihi obeditis, magis vero qui mihi obedire vultis, dico vobis : bonum est nos non variare nec partiri neque dividere nosmetipsos. Nostis autem miserabilem animam nostram esse congressam ad pugnandum cum mille millibus et decies millenis millibus inimicis : non enim sufficimus discere seu totaliter invenire universas illorum malignitates atque astutias. Trinitate sancta contra tria nos armemus : alioqui conciliabimus nobis ipsis vere multos labores.

Ps. LXV, 6. Si Israel noster, qui convertit mare in aridam, id est mens nostra, fiat vere in nobis Deum videns, pertransibit penitus ipsum mare absque fluctibus, et in aqua lacrimarum videbit Ægyptios suffocatos. Illo autem non peregrinante in nobis, quis
Ps. LXVII, 2. sustinebit sonos fluctuum ejus, videlicet carnis hujus? — Si Dominus surrexerit in nobis per actionem, dispergentur inimici ejus; et si per contemplationem appropinquaverimus ei, odientes eum et nos fugient a facie ejus et nostra.

Festinemus discere divina sudoribus magis et labore ac dolore, et non exili sermone vel lectione : non enim verba sed opera in tempore exitus est ostendere. — Qui audiunt thesaurum esse absconditum in aliquo loco, cum magna inquisitionis fatigatione hunc quærunt; inventum vero cum labore et dolore, custodiunt. Qui enim ditescunt sine fatigatione, dispergunt faciliter.

Grave ac difficile est ut præsumptiones supervincamus. Qui vero non desinunt adhuc apponere eisdem, desperaverunt se ipsos, aut nihil profecerunt in subjectione
Luc. I, 37. et obedientia. Nempe novi quia omnia potest Deus : nihil enim impossibile est ei.

Interrogaverunt me quidam verbum Dei grave ad discernendum, et secundum me omnes superexcedens, et in nullo librorum qui pervenerunt ad me contentum. Dicebant enim : Quæ sunt proprie distinctæ progenitæ octo cogitationum? Aut quæ ex tribus præcedentibus exstat mater cujuslibet reliquarum quinque? Ego vero ignorantiam meam allegans ad interrogationem illam laudabilem, ita didici a sanctissimis viris illis : Mater fornicationis est gula, mater vero acediæ est avaritia et gloria vana, tristitia vero est germen trium, sicut et ira, rursus quoque vana gloria est mater superbiæ.

Ego vero rursus respondens, locutus sum ad illos sempiterne memorandos, deprecans discere et germina, et quæ cujus exsistunt partus. At illi a vitiis mundi et impassibiles docuerunt me valde benigne, dicentes non esse ordinem aut intellectum in imprudentibus et insensatis hominibus, sed omnem inordinationem et seductionem. Et ipsi beati Patres persuadentes hoc congruis persuasibilibusque exemplis, dixerunt proponentes in medium plurimas declarationes : ex quibus aliquas ordinabo in præsenti sermone, quatenus ex illis illuminemur et doceamur de reliquis. Quale aliquid dicam :

Risus importunus aliquando gignitur ex fornicatione et crapula; quandoque vero ex vana gloria, quum aliquis in se ipso irreligiose jactanter extollitur; interdum

autem ex deliciis et vaniloquiis, et ex malignitate ; aliquando vero ex dæmoniis. Quandoque multus somnus causatur ex deliciis et ex repletione; aliquando vero ex jejunio, præsertim quum jejunantes extolluntur ; aliquando vero ex acedia, aliquando ex natura. Multiloquium quoque aliquando oritur ex vana gloria, aliquando ex ingluvie ventris, quandoque ex stultitia et alienatione mentis, interdum ex agitatione dæmonum instigantium ad fabulandum. Insuper acedia aliquando gignitur ex aliorum deliciis, interdum ex privatione timoris Dei, aliquando ex quiete carnali et multiloquio. Blasphemia autem est proprie germen superbiæ; multoties quoque est ex hoc quod non cavemus judicare proximum in id ipsum, aut ab importuna invidia dæmonum. Duritia cordis quandoque est ex saturitate, sæpius vero oritur ex insensibilitate, et ex eo quod diligimus aliquid vitiose. Denique aliquid vitiose diligere, oritur quandoque a fornicatione, aut vana gloria, aut avaritia, aut a gula, atque ex aliis multis. Rursus malignitas est a propria reputatione et elatione et confidentia sui, et a furore et ira. Hypocrisis est ex arrogantia, et ex desiderio complacendi hominibus, et ex regulatione aut complacentia propriæ voluntatis, et ex amore laudis, non ex amore sanctitatis. — Horum autem contraria ex contrariis generantur. Et ut non multa dicam (deficiet enim me narrante tempus, si exquirere volo unumquodque per singula), humilitas est proprie interemptrix vitiorum omnium prædictorum : quam qui possident, omnia vicerunt.

Genitrix omnium malorum est delectatio concupiscentiæ et malignitas. Quas qui intra se tenet, Dominum non videbit : nihil quippe proderit nobis depositio prioris præter depositionem secundæ.

Exemplum timoris Dei quis acceperit ex principibus et bestiis. Sed amor corporum fiat tibi typus desiderii ad Dominum : nihil enim nos prohibet facere exempla virtutum et ex contrariis.

Generatio præsens graviter malignatur, et tota repleta est elatione, vanitate atque hypocrisi. Nempe in corporales labores nostrorum antiquorum Patrum conscendens, eorum vero charismatibus non est digna habita. Equidem arbitror, nequaquam aliquando tanquam nunc charismatibus indigentiam habuisse naturam. Et merito patimur, quoniam Deus manifestatur apparens non laboribus, sed simplicitati et humilitati. Et si virtus Domini in infirmitate perficitur, itaque non replebit Dominus [illegible] humilem operatorem?

Quando aliquem pugilem Jesu Christi videmus corporaliter afflictum, non satagamus ex malignitate addiscere judicium suæ infirmitatis, sed potius suscipientes eum tanquam proprium membrum, et velut commilitonem nostrum et militem Christi in pugna plagatum, caritate simplici et sine malignitate curemus. — Est infirmitas propter purgationem offensionum, et est ad humiliandum [illegible] nostræ prudentiæ. Bonus et optimus et [illegible] Dominus noster quum viderit aliquos otiosos et ad virtutum exercitia pigriores, de cetero humiliat carnem eorum sæpius per infirmitatem, quasi per [illegible] exercitationem. Est autem quando emundat animam a vitiis cogitationibusque malignis.

Universa nobis accidentia, sive visibilia sive invisibilia, contingit suscipere virtuose, et vitiose, ac medie. Vidi tres Fratres damnum sustinentes : et ille indignatus est, iste vero permansit absque tristitia, hic autem gaudium multum lucratus fructificavit.

Vidi ab agricultoribus unum semen seminari ; sed unusquisque possidebat propriam intentionem : et ille quidem ut sua debita solveret, iste vero ut thesaurizaret sibi divitias, hic autem ut donis regem honoraret. — Alius facit bonum ut captet laudem a prætereuntibus super bona opinione ; alius vero, ut tribulatione affligat inimicum suum zelantem et æmulantem ; hic autem, ne quasi otiosus improperia ab hominibus patiatur. — Istæ sunt appellationes seminis agricultorum : jejunium, abstinentia, vigiliæ, eleemosynæ, ministrationes, et his similia.

Et sic Fratres extorqueant a se ipsis labores prompte in Domino, quemadmodum haurientes aquam ex fontibus prompte hoc faciunt. Est autem quando latenter haurimus ranam simul cum aqua dicta : ita et operantes virtutes perplexas, multoties exsequimur simul cum eis malitias non apparenter. Quale aliquid dicam : hospitalitati gula simul inseritur ; caritati, familiaritates carnales, nociva colloquia et fornicatio ; discretioni, versipellitas, astutia et reputatio propriæ sufficientiæ ; prudentiæ, malignitas ; mititati, segnities, adulatio linguæ, otiositas, gravitas ; justitiæ, zelus, contradictio, complacentia ac regulatio propriæ voluntatis, duritia et inaudientia ; silentio, tumor docendi, judicium, displicentia, insufferentia loquentium, amaritudo et indiscretio ; gaudio spiritus, elatio, jactantia et propria reputatio ; spei, pigritia, negligentia, tepiditas contritionis et pœnitentiæ ; caritati iterum, judicare proximos ; remotioni solitariæ, acedia, otiositas, vel exercitium inconveniens ac inutile ; castitati, arrogantia et amaritudo ; humilitati, silentium inconveniens tempore conculcationis justitiæ, et confidentia propria. Denique universis virtutibus his vana gloria concomitatur, tanquam commune collyrium, magis vero tanquam letiferum poculum.

Postulantes aliquid Dominum et non exauditi ab eo in longis temporibus, non contristemur, quoniam Dominus vellet omnes homines mundari a vitiis in uno momento temporis. — Omnes postulantes et non reportantes ex Deo postulationes, non suscipiunt postulata penitus propter unam harum causarum : vel quia ante tempus petunt ; vel quia petunt indigne et vane gloriose ; vel quia suscipientes, futuri erant in superbiam extolli, aut deinceps negligenter vivere erant futuri post petitionis suæ possessionem.

Neminem arbitror hæsitare, quod dæmones et vitia recedunt ex anima aliquo tempore, aut et continue ; quot vero modis fiat recessus horum a nobis, sic pauci sciunt. — Recesserunt vitia a quibusdam, non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, præter unum, quod replet locum universorum : illo solo relicto, tanquam principante et primatum tenente in malis, quod et projectum est de cœlo subtus. — Consumitur materia igne divino consumpta ; itaque silva vitiorum eradicata et anima expurgata, obdormiunt de reliquo vitia, nisi iterum ea contraxerimus alicubi propter cœnosam et materialem conversationem. — Dæmones voluntarie recedunt a nobis,

præparantes nos degere sine sollicitudine et cautela ac studio spirituali, ut superveniendo repetentes rapiant miseram animam nostram. — Novi et aliam subtractionem bestiarum : nam postquam fecerunt animam perfecte assuescere moribus pravis, et vitiis eam qualificaverunt usque ad summum, cernentes animam jam factam insidiatricem sui ipsius per se et impugnatricem, tunc recedunt. Et hujus rei exemplum sunt parvuli : etenim post longam consuetudinem, jam sine ubere proprios digitos sugunt. — Novi et quintam impassibilitatem consistentem in anima ex multa simplicitate atque laudabili puritate. Justum enim est adjutorium talium a Deo, qui salvos facit rectos corde, et insensibiliter eos commutans, liberat eos a malis : quia et parvuli nudati et exspoliati minus cognoscunt. *Ps.* VII, 11.

Malitia aut vitium non est naturaliter in natura rationali : non enim vitiorum creator est Deus. Sed multæ virtutes naturales a Deo in nobis sunt factæ. Ex quibus manifestæ sunt istæ : misericordia, quoniam et Ἕλληνες sunt compassivi ; amor, quoniam et irrationalia animalia pluries invicem lacrimantur super defectione privationis ; fides, omnes enim parturimus eam ex nobis ipsis ; spes, quia et qui redimimur, et qui mutuo commodamus, et qui navigamus ac seminamus, meliora speramus. Igitur sic ostensum est, quod caritas naturalis virtus exsistit in nobis : et ipsa est conjunctio et vinculum, et est plenitudo legis. Igitur virtutes non sunt longe a natura. Confundantur ergo et erubescant allegantes impotentiam super operatione earum. — Super naturam sunt castitas, inirascibilitas, humilitas, oratio, jejunium, vigiliæ incessabilisque compunctio. Harum quarumdam quidam homines sunt magistri, aliarum vero angeli, aliarum autem ipse Deus Verbum est magister et dator. *Coloss.* III, 14 ; *Rom.* XIII, 10.

In comparatione malorum oportet nos quod levius est eligere : quale est, quod plerumque stantibus nobis in oratione Fratres ad nos veniunt, et alterum duorum necesse est facere, aut orationem relinquere, aut Fratrem sine responsione dimissum contristare. Major est caritas oratione : ista quidem est particularis ; illa vero comprehensiva est omnium, et confitetur. — Rursus, quum adhuc juvenis essem, veniens aliquando in villa et sedens in mensa, unanimiter comprehensus sum a cogitationibus gulæ et gloriæ vanæ. Timens ergo insanam gastrimargiæ prolem, victus succubui magis vanæ gloriæ. — Novi ego, dæmonem gulæ plerumque in juvenibus vincere eum qui est initium dæmonis vanæ gloriæ : et rationabiliter. Apud eos enim qui in mundo sunt radix omnium malorum est avaritia, apud monachos vero gula. *I Tim.* VI, [illegible]

In spiritualibus viris sunt plerumque quædam minima vitia derelicta dispensative a Deo, ut maxime vituperantes se ipsos propter exilia quædam quæ sunt sine delicto, possideant divitias humilitatis imprædabiles. — Degentem sine obedientia et subjectione non contingit humilitatem possidere in prooemiis : quoniam omnis qui discit artem industria atque arbitrio propriæ voluntatis, phantasticatur. — In duabus generalissimis virtutibus Patres determinant vitam activam : et rationabiliter. Nam una earum est interemptiva concupiscentiarum et delectationum, alia vero internecionem [illegible] humilitate [illegible]. Propter quod et [illegible] duplex, peccati interemptivum, et humilitatis effectivum.

Luc. VI, 30. Piorum est omni petenti tribuere ; illorum vero qui sunt magis pii est tribuere etiam non petenti ; at vero ab auferente non repetere, maxime quum possint, proprium est tantummodo impassibilium.

In omnibus vitiis et universis virtutibus ubi sumus exquirentes nos ipsos, non cessemus examinare utrum in principiis, aut in medietate, vel in fine. — Omnia prælia dæmonum quæ sunt contra nos, constituuntur ex his tribus causis : aut ex amore concupiscentiæ et delectabilium, aut ex superbia, aut ex invidia. Et ultimi quidem beati sunt ; primi vero inutiles sunt usque in finem ; medii autem sunt omnino miserrimi.

Est quidam sensus, magis vero affectio et habitus, portator doloris aut amator dolorum dictus : a quo quis captus, non amplius formidabit aut aliquem dolorem avertet. Animæ martyrum tentæ eodem sensu, sempiterne contempserunt cruciatus.

Aliud est custodia cogitationum, et aliud observantia mentis. Quantum distat ortus ab occidente, in tantum secunda laboriosior et altior est priore.

Aliud est orare contra cogitationes, et aliud est contra respondere et loqui eis,
et aliud est eas vilipendere et superponi. Et primo quidem modo testimonium per-
Ps. LXIX, 2. hibet dicens, Deus, in adjutorium meum intende, et his similia. Secundo vero ait :
Ps. CXVIII, 42. Respondebo exprobrantibus mihi, verbum contradictorium ; et iterum, Posuisti nos
Ps. LXXIX, 7. in contradictionem vicinis nostris. Tertio testis est melodizans : Obmutui et non
Ps. XXXVIII, 10. aperui os meum ; et, Posui custodiam ori meo, quum consisteret peccator adversum
Ibid. 2. me ; et rursus, Superbi inique agebant usquequaque, a tua vero contemplatione non
Ps. CXVIII, 51. declinavi. Et medius horum frequenter utitur primo modo propter præparationis
carentiam ; primus vero nondum prævalet secundo modo inimicos repellere ; tertius
autem dæmones recurvavit et humiliavit ex toto.

Naturaliter difficile est incorporeum a corpore terminari ; omnia vero possibilia sunt Deo creanti. — Quemadmodum qui sani et bene dispositi sunt in sensu odoratus, cognoscere possunt tenentem latenter aromata : ita et anima munda suavitatem et bonum odorem gratiarum sentit, quem et ipsa possedit ante ex Deo ; fœtorem vero vitiorum exsistentem in aliis, a quo ipsa commutata et liberata est, cognoscere habet naturam, insensibiliter dispositis aliis.

Nempe non universos impassibiles fieri possibile est ; omnes vero salvari et Deo reconciliari non est impossibile. — Neque dominabuntur tui alienigenæ illi qui scrutari curiose et inquirere volunt arcanas et ineffabiles Dei dispensationes aut visiones in hominibus factas, et latenter supponunt Deum esse acceptorem personarum : qui sunt et esse noscuntur progenies propriæ reputationis et arrogantiæ.

Dæmon avaritiæ est plerumque humilitatem simulans. Est et dæmon vanæ gloriæ ad eleemosynam exhortans, quemadmodum et dæmon amoris carnalis concupiscentiæ : si ergo fecimus emendationem amborum, non cessemus misereri in omni loco. — Quidam dixerunt, dæmones dæmoniis resistere, et unum alteri cedere ex timore ; ego vero cognovi omnes nostram damnationem exquirere. — Omnem spiritualem operationem, visibilem et invisibilem seu intellectualem, antecedit propositum pro-

prium et desiderium virtuosum cum cooperatione Dei factum ; prioribus autem non suppositis et submissis, secundum non habet naturaliter subsequi.

Si tempus est omni rei sub cœlo, quemadmodum ait Ecclesiastes, in omnibus *Eccle.* III, 1. vero et negotia sanctæ nostræ conversationis exsistunt ; intendamus igitur, si videtur, et in unoquoque tempore, tempori propria quæramus. Tempus enim est penitus libertatis et emundationis vitiorum, id est impassibilitatis, in agonizantibus ; est et tempus passibilitatis pugnæ vitiorum propter agonizantium parvitatem. Tempus lacrimarum, et tempus obdurationis cordis ; tempus subjectionis et obedientiæ, et tempus præcipiendi et subordinandi ; tempus jejunii, et tempus refectionis ; tempus prælii inimici corporis, et tempus mortis ignitionis et calefactionis motus ; tempus hiemis, et tempus quietis mentis ; tempus tristitiæ cordialis, et tempus gaudii spiritualis ; tempus doctrinæ, et tempus auditionis ; tempus inquinationum æque propter propriam reputationem, et tempus purgationis et munditiæ propter humilitatem ; tempus certaminis et luctæ, et tempus quietis certæ ; tempus tranquillæ remotionis, et tempus non occupantis occupationis ; tempus orationis sine intermissione, et tempus ministrationis sine simulatione. Non ergo quæ sunt temporis quæramus ante tempus, seducti ex superba promptitudine. Non quæramus in hieme quæ sunt æstatis, non in semine quæ sunt manipulorum : quoniam tempus est seminandi labores et dolores, et tempus metendi gratias ineffabiles et arcanas. Alioqui neque in tempore reportabimus propria tempori.

Quidam ante labores, quidam in laboribus, quidam post labores, quidam in morte, sanctas remunerationes a Deo, secundum secretam dispositionem, de propriis fatigationibus portaverunt. Quærendum quis altero est magis humilis.

Est desperatio proveniens ex multitudine peccatorum, et pondere conscientiæ, importabilique tristitia, eo quod anima supernimie submergatur in multitudine plagarum suarum, et ex earum onere absorbeatur subtus in desperationis profundum ; et est desperatio ex superbia et elatione nobis contingens, quum æstimamus nos ipsos quasi indignos eo lapsu et eventu qui accidit. Qui istud observat, proprietatem inveniet in ambobus : illius quidem obstinate insufferentiæ se ipsum tradere, istius vero virtuosam exercitationem in desperationem habere, quod est inconveniens. Sed et illum abstinentia et bonæ spei fiducia mederi naturam habet ; istum vero curat humilitas et neminem judicare.

Non oportet nos turbari aut peregrinari, videntes eos qui mala opera exsequuntur et agunt, bonos vero sermones proferunt : quoniam in paradiso æque perdidit illum serpentem exaltans elatio et propriæ reputationis confidentia.

In omnibus tuis conatibus, commissionibus et conversationibus, subjectis et non subjectis, visibilibus et intellectualibus, ista sit tibi forma et regula, an illa sint vere complacentia Deo, an non. Dico autem : Quando exsequentes aliquam commissionem aut advenientes studium, non assumimus humilitatem in anima amplius quam antea possidebamus, non videtur mihi nos esse exsecutos illud opus secundum Deum, sive parvum exstiterit sive magnum ; nempe in nobis magis parvulis est ista

certificatio dominicæ voluntatis; in mediis vero, impugnantium æque et pugnarum recessus; in his qui perfecti sunt, additamentum, depositum et superabundantia divini luminis.

Quæ parva sunt apud magnos, non sunt utique parva; quæ autem sunt magna apud parvulos, non sunt penitus perfecta. — Aer purgatus a vaporibus, clarum demonstravit solem; anima vero a suis præsumptionibus liberata, et digna effecta peccatorum suorum remissione, lumen divinum omnino vidit. — Aliud est peccatum, et aliud otiositas, et aliud negligentia, et aliud vitium, et aliud lapsus. Qui potest in Domino quærere, quærat prudenter.

Quidam beatificant operationem miraculorum, et quod videtur in spiritualibus charismatibus super omnia commendant, ignorantes quia multa charismata sunt superiora isto : quæ etiam sunt occulta, propter quod manent non valentia cadere.

Qui perfecte mundatus est, ipsam (quamvis non ipsam) animam proximi videt in quolibet adjacet et afficitur; qui vero adhuc proficit, eamdem per corpus arbitrio conjicit. — Modicus ignis multoties totam materiam expurgavit, quemadmodum et parvum foramen sæpe totum laborem disperdidit.

Est requies quæ mentis virtutem inimicitia evigilat, et motuum carnis ignitionem
II Cor. I, 9. non excitat; est et multa maceratio carnis similiter motum movens, ut non simus confidentes in nobis, sed in Deo, qui viventem carnem incognite mortificat.

Quando videmus quod aliqui diligunt nos secundum Deum, ad illos permaxime habeamus nos reverenter, et fugiamus audaciam et præsumptionem : nihil enim habet naturaliter ita dissolvere caritatem et introducere odium, sicut confidentia præsumptionis et audacia.

Optimus intuitus intellectualis est valde, et omnem ideam post incorporeas
* quæ superexcedens substantias. Hinc est quod vitiosi sensus qui * sunt in animabus aliorum, potuerunt cognoscere ex caritate multa ad eos : et magis quando sub cœno sordidati non demerguntur.

Si nihil ita opponitur et resistit immateriali naturæ, ut materiale, qui legit intelligat. Nam observationes in his qui in mundo sunt, resistunt providentiæ Dei, in nobis vero intellectuali scientiæ. — Illi quidem anima infirmi recognoscunt supernam visitationem Dei circa eos ex seditionibus atque periculis corporis tentationibusque exterioribus; perfecti vero, adventu Spiritus et additamento charismatum.

Quando in stratu reclinamur, est dæmon qui venit ad nos, et sordidis recordationibus ac malignis cogitationibus nos sagittat, quatenus detenti pigritia non surgamus ad orationem neque contra eum armemur, sed in immundis meditationibus obdormientes, sordida etiam somnia habeamus. — Est spirituum præcursor nuncupatus, qui nos a somno surgentes continuo vocat, magis vero suscipit nos, et primitivam intelligentiam coinquinat. Da primitias diei tui Domino : etenim præanticipantis erit. Operarius virtuosus dixit mihi sermonem dignum auditu : Ex ipso (inquiens) mane scio cursum diei mei.

Multæ quippe sunt viæ pietatis et perditionis. Quocirca aliquid plerumque alteri

oppositum et resistens, alteri decenter prospere cedit et convenit : nihilo minus tamen amborum intentio beneplacens est apud Deum.

Certant contra nos quidem dæmones, suggerentes in tentationibus quæ accidunt nobis, dicere aut agere inconveniens aliquid; aut quando non potuerint aut non prævaluerint, tranquille instantes, supponunt et immittunt nobis superbam gratiarum actionem agere ante Deum.

Equidem qui sunt superna sapientes, segregati sursum particulariter regrediuntur; qui vero sapiunt ea quæ deorsum, deorsum iterum pergunt : segregatorum enim nihil de cetero medium statutum est.

Unum creatorum accepit esse in altero et non in ipso : et mirum quomodo habet naturam consistere præter illud in quo esse suscepit. — Pias filias matres parturiunt, matres vero Dominus. Et non erit imprudens similiter definire et prædicta regula uti in contrariis.

Moyses, magis vero Dominus per Moysen, jussit ut formidolosus non egrediatur ad prælium, nequando fiat novissimus animæ error super primum corporis lapsum vel ruinam : et rationabiliter.

DE DISCRETIONE BENE DISCRETA.

Quemadmodum cervus flammans desiderat aquarum fluenta, ita comprehensio divinæ et bonæ voluntatis desideratur a monachis veris; non solum autem, sed et cognitio commixti, insuper et contrarii. De quibus multus nobis sermo occurrit, et difficiliter interpretabilis : nimirum scire quænam sunt res secundum nos exsistentes quæ omni mora excepta, irretardabiliter et velocius fieri debent, juxta dicentem, Væ differenti de die in diem, et de tempore in tempus; quæ vero cum mansuetudine, beneficentia et circumspectione, sicut hortatur qui ait, Cum gubernatione geritur bellum; et iterum, Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Non est enim indifferentium cognoscere celeriter, bene clare et distincte hæc talia gravia ad discernendum : quoniam et David Dei lator et Spiritum Dei habens in se ipso loquentem, videtur hoc ipsum plerumque exorans. Et quandoque ait : Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus; quandoque vero : Dirige me in veritate tua; et iterum : Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te Ps. xxiv, 5.
animam meam levavi et exaltavi ab omni sollicitudine vitæ præsentis ac vitio.

Quicumque volunt voluntatem et beneplacitum Dei addiscere, tenentur et debent prius mortificare voluntates et complacentias proprias; fide autem et simplicitate columbina absque malignitate exorantes animas Patrum aut etiam Fratrum, atque interrogantes in humilitate cordis cum cogitatione inhæsitante, suscipiant consulta ab ipsis tanquam ex ore Dei, quamvis consulta et dicta Patrum ac Fratrum exsistant contraria eorum sensui, intentioni et affectioni, etiam si hi qui interrogati sunt non sint totaliter spirituales. Non enim injustus est Deus ut seducat animas humi-

liantes se ipsas fide ac innocentia, consilio atque judicio proximi. Nempe si et hi qui interrogantur irrationabiles essent, sed qui loquitur immaterialis atque invisibilis est. Qui magna humilitate repleti fuerunt peramplius, exstiterunt ambulantes
Ps. XLVIII, 5. inhæsitanter secundum prædictam regulam. Si enim psalterio quis propositionem suam aperuit, quantum arbitrandum est rationalem mentem intellectualemque animam differre ab inanimata soni responsione?

Multi autem ex arrogantia et complacentia sui necdum apprehendentes hoc perfectum et leve bonum, sed conantes apprehendere beneplacitum Dei ex se ipsis, subinduxerunt nobis de hoc valde diversas ac plurimas auctoritates atque judicia. Quidam exquirentium talia, fecerunt cogitationem suam recedere ab omni vitiosa ad aliquid affectione super duabus voluntatibus ipsius animæ, dico autem, super affirmante et contradicente; et suam mentem exhibentes Domino nudam a propria voluntate, participantes adepti sunt cognitionem voluntatis Dei in statutis diebus, aut mente intellectuali intellectualiter colloquente menti nostræ, aut una intentione perfecte exterminata ex mente ipsorum. Alii ex tribulatione et dissipatione quæ conamina subsequitur et animum ipsum, comprehenderunt esse divinum, secun-
I *Thess.* II, 18. dum dicentem : Voluimus venire ad vos et semel et bis, et impedivit nos Satanas. Alii iterum contra econverso se habentes, ex inexspectata in re cooperatione hoc
Rom. VIII, 28. Deo beneplacitum esse senserunt, dicentes illud : Omni præeligenti bonum cooperabitur Deus. — Qui possidet Deum in se ipso per illuminationem, nequaquam naturam habet certificari infra tempus secundo modo in rebus suprainductis et non exspectatis : nam hæsitare in judiciis et plurimum permanere absque certificatione, argumentum est animæ non illuminatæ, sed amatricis vanæ gloriæ. Non est Deus injustus ut excludat a pia exauditione pulsantes cum humilitate.

Intentio recta in omnibus est quærenda a Domino, et in exsequendis et in his quæ debent retardari. Nempe omnia quæ a vitiosa affectione atque ab omni inquinamento propriæ voluntatis sunt munda, utpote facta propter Deum, non propter aliud, et si omnino non sunt bona in se, attamen reputabuntur nobis bona. Inquisitio enim quæ est super nos, non possidet tutum finem. Judicium Dei de nobis est ineffabile et arcanum. Deus plerumque vult dispensative voluntatem suam abscondi a nobis, sciens quod eam addiscentes, non obediemus, sed repellemus ipsam, et ita plures plagas suscipiemus. — Cor rectum liberum est a rerum varietate, navigans in navi innocentiæ sine periculo.

Sunt animæ viriles, quæ ex amore divino et humilitate admittuntur ad operationes quæ sunt super se ipsas, et sunt superba corda id ipsum peragentia. Intentio enim est inimicis nostris suggerere nobis plerumque quæ sunt super virtutem, ut propter illa anxiati acedia, decidamus ab his quæ sunt secundum nostram virtutem, et de nobis ipsis risum maximum faciamus inimicis nostris. Vidi infirmas animas et corpora facientes conatum in institutis et conversationibus quæ erant super se ipsas, propter multitudinem offensionum, et non valentes sufferre talia. Quibus dixi ego, pœnitentiam apud Deum judicari quantitate humilitatis et non laborum.

Est quando enutritio exsistit causa ultimorum malorum, est vero quando conversatio et consocietatis mora; verum plerumque perversa anima sufficit sibi ipsi ad perditionem. Recedens a duobus, a tertio similiter liber exsistit. Tertium vero habens, in omni loco improbus erit : nullus enim est cœlo firmior aut solidior.

Ab his infidelibus aut male credentibus qui mala voluntate impugnant nos, *Tit.* III, 10.
cessemus post primam et secundam admonitionem ; eis vero qui volunt addiscere veritatem, non deficiamus benefacere usque in æternum : verum ad confirmationem nostri cordis ambobus utamur.

Irrationabilis est valde qui virtutes super naturam audiens esse in Sanctis et desperans perdit se ipsum. Magis enim de uno duorum virtuosi te corrigant : aut per suam sanctam fortitudinem sint excitantes te ad æmulationem, aut per ter sanctam humilitatem convertant te ad multam condemnationem sui ipsius, et ad manifestationem infirmitatis et fragilitatis tibi unitæ.

Sunt malignorum maligniores dæmones, qui peccatum nos consulunt non solos operari, sed volunt nos habere et alios communicatores in malum, ut nobis crudelem pœnam amplius operentur. — Vidi alterum addiscentem consuetudinem malignam ex altero ; et tamen qui docuit ad sensum rediens, cœpit pœnitentiam agere, et a malo cessavit : at vero pœnitentia ejus fuit sine fortitudine propter operationes discipuli.

Multa autem, multa et difficulter comprehensibilis est malignitas spirituum, et perpaucis visibilis, arbitror vero quia nec perpaucis universa. Quomodo autem deliciantes et saturati, vigilamus plerumque alacrius, jejunantes autem et miseria aut debilitate affecti, somno miserabiliter submergimur ? famescentes et extenuati abstinentia, tentamur in somnis, et repleti, permanemus sine tentatione ? indigentia et penuria obscuri, efficimur indevoti, in potatione vero vini efficimur hilares et devoti ac faciles ad compunctionem ? Ad ista illuminet eos qui sine lumine sunt, qui id potest in Domino : nos enim in his talibus sine lumine sumus. Verum illud dicimus, quia hæc talis commutatio et vicissitudo non fit ex dæmoniis semper, sed est quandoque ex complexione colligata et data mihi nescio quomodo labenti sordida et carnali grossitie. De concidentia seu casu prædictorum evenienti, ad discernendum difficili, deprecemur Dominum humiliter et sincere ; et si post tempus hujusmodi orationis invenerimus tentationem similiter nobis contingere et operari in nobis quod fiebat in nobis ante orationem prætactam, cognoscemus quod non omnino ex dæmoniis est, sed natura. Plerumque autem et divina dispensatio nos tanquam ingratos præveniens, sua benignitate vult visitare in contrariis, et per omnia hæc, excludit a nobis elationem et propriam reputationem.

Durum quippe et crudele est, curiose scrutari profunditatem judiciorum Dei : curiosi etenim navigant in navi elationis et arrogantiæ. Tamen propter multorum infirmitatem aliquid dicendum.

Interrogavit quis quemdam videre valentium : Quidnam est quod Dominus prænoscens et præsciens lapsus quorumdam, ornavit hos quandoque charismatibus

atque prodigiis? Qui respondit : Ideo Dominus fecit hoc, ut ceteros spirituales muniret certitudine et veritate firmaret, et liberum arbitrium ostenderet, et cadentes faceret inexcusabiles in judicio.

Eccli. XXIX, 27. *Matth.* XVIII, 15. Etenim lex tanquam imperfecta ait : Attende tibi ipsi. Dominus vero tanquam superperfectus mandavit nobis et fratris directionem, dicens, Si peccaverit frater tuus, et quæ sequuntur. Si correctio tua est munda et humilis, magis vero si est revocatio ejus quod est Domini ad memoriam, quod est Domini facere non devitabis, et præsertim in his qui recipiunt; si vero nondum ad hoc pervenisti, saltem servitutem exerce legalem. — Non mireris et tuos conspiciens amicos inimicantes tibi super reprehensionibus tuis : nempe magis vacui et leviores sunt instrumenta operum dæmoniorum, et maxime in inimicis eorum.

Super uno exsistentium in nobis valde mihi advenit admirari, quomodo scilicet nos qui habemus Deum omnipotentem et angelos et sanctos ad cooperationem in virtutibus, solum vero malignum diabolum habemus instigatorem in contrariis, velocius et proclivius incurvamur ad vitia. De his ergo nec volo nec valeo dicere diligenter ad inquisitionem.

Si universa habent quæ facta sunt quemadmodum facta sunt naturam, quomodo imago sum Dei, et luto commassatus sum? sicut ait magnus Gregorius. Si vero alicui rei creatæ aliquid inexsistit præter id quod factum est, unumquodque tale penitus insatiabiliter appetit suam ipsius cognitionem.

Unusquisque uti debet omni industria ac studio, ut sic loquar, quatenus lutum reducens ad thronum Dei inthronizet. Igitur nemo occasionem causetur ad ascensum : via enim et porta aperta est.

Auditio quidem virtutum et directionum spiritualium Patrum evigilat mentem et animam ad æmulationem; auditio autem doctrinæ eorum naturaliter habet æmulantes deducere ad imitationem. — Discretio est lucerna tenebrarum, reductio errantium a via, illuminatio palpantium cæcitate. Discretus est sanctitatis inventor, et infirmitatis emundator.

Omnes qui dicuntur admiratores rerum parvarum, solent hoc naturaliter pati aut ultimæ ignorantiæ gratia, aut intentione humilitatis, quia quæ sunt proximi magnificant et extollunt.

Agonizemus non solum luctari cum dæmoniis, sed etiam præliari. Ille enim quandoque impellit eum, quandoque vero impellitur; isti vero semper persequuntur inimicum.

Qui vicit vitia, vulnerat dæmones; qui vero simulat vitia se habere, per hoc utique inimicos suos seducit, et non impugnatur ab eis. — Quidam Frater affectus aliquando ignominia et nihil omnino corde motus, gratias agens, occulte secundum mentem oravit, deinde super ignominiis lamentari cœpit, abscondens suam impassibilitatem. Alter Frater exsistens penitus sine appetitu præsidendi, simulavit se oppressum hoc ipso desiderio. Quomodo tibi exprimam castitatem illius qui apparens ingressus in lupanari causa peccati, fornicantem ad virtutum studium traxit? Iterum,

cuidam solitarie habitanti aliquis portavit botrum valde diluculo : qui post afferentis recessum celeri impetu devoravit eum absque omni appetitu, se ipsum ostendens quasi gulosum dæmoniis. Insuper, alius perdens folia parva palmarum, finxit se toto die dolentem. — Vigilia multa est necessaria talibus, ne conantes illudere, subducant quandoque se ipsos in illusiones. Isti enim sunt vere illi de quibus Apostolus ait : Ut seductores, et veraces. II Cor. vi, 8.

Si quis vult Christo castum exhibere corpus, et ultra hoc ostendere ei cor mundum, servet se ipsum integre inirascibilitate et abstinentia : omnis enim labor noster est inutilis absque virtutibus his.

Quemadmodum humana lumina sunt in hominibus differentia, ita multæ ac differentes sunt obumbrationes intelligibilis Solis. Nam alia fit per lacrimas corporales, alia fit per lacrimas spirituales ; alia fit per oculos corporis, alia fit per oculos intellectuales, alia ex auditu verbi. Et alia est exsultatio in anima proprie a se mota, alia exsultatio est ex remotione et quiete, alia est ex obedientia. Ultra et super hæc omnia est exsultatio et illuminatio quæ per ecstasim exhibet mentem Christo in lumine intellectuali ineffabiliter et arcane.

Sunt virtutes, et sunt matres virtutum. Qui ergo habet prudentiam, magis agonizet super possessione matrum. Deus autem est magister matrum in propria operatione, filiarum vero plurimi.

Attendamus nequando cibi indigentiam per multam somnolentiam restauremus : istud enim est insipientium opus, quemadmodum et contrarium est econverso. Vidi operarios secundum aliquam circumstantiam parum condescendentes ventri ; ocius vero viriles per totius noctis vigiliam et orationis adsistentiam, miseram carnem cruciaverunt, et satietatem de cetero avertere cum gaudio correxerunt.

Dæmon avaritiæ luctatur acute cum professoribus paupertatis ; quum vero non prævaluerit, tunc inducit et allegat pauperes in occasionem, et immateriales persuadet iterum fieri materiales.

Contristati non cessemus ad memoriam revocare mandatum Christi ad Petrum, videlicet septuagies septies dimittere peccanti. Quod enim in altero fieri mandavit [illegible] penitus et ipse multo amplius faciet. Elati vero rememorentur dicentis : Quicumque totam legem spiritualem perfecerit, offenderit autem in uno vitio, puta in elatione, factus est omnium reus.

Sunt quædam conditiones spirituum immundorum et malignorum a sanctis voluntarie discedentes, ut non fiant molestatis conciliatores coronarum super invictis præliis.

Beati quidem pacifici, et nemo est contradicens; ego vero vidi inimicitias facientes beatos. Duo quidam affectionem amoris fornicarii possidebant invicem. Diaconus autem quidam, vir probatissimus scientia inter doctos, factus est seminator discordiæ inter utrosque : illum quidem quasi detrahentem huic et maledicentem improperiis accusans, et similiter accusavit istum illi. Et prævaluit sapientissimus repulsare humana industria malitiam dæmonum et operari odium, solvens vinculum fornicationis. Matth. v, 9.

Est qui mandatum per mandatum repulsat. Vidi enim juvenes invicem ligatos caritatis affectione secundum Deum : tamen certificantes se mutuo de integritate caritatis mutuæ inviolata, elongaverunt se ab invicem ad tempus propter aliorum læsionem et conscientiam suam.

Sicut contrariæ sunt nuptiæ et mortuorum excubiæ, ita superbia et desperatio sunt inconsonæ. Est tamen ambas simul unanimiter videre ex dæmonum seductione.

Sunt quidam immundorum dæmonum subimmittentes et narrantes nobis interpretationem Scripturarum divinarum in procemiis. Sed libenter hoc faciunt in cordibus vane gloriosorum, et præsertim in cordibus exercitatis in doctrina extrinseca, ut seducendo eos, paulatim in hæreses blasphemiasque inducant. Theologiam, magis vero machilogiam et vanilogiam dæmonum cognoscemus ex subinductione conturbationis gaudiique pereffusi ac irreverentis in anima.

Quidam habuerunt ordinem et principium, quidam vero finem factorum a faciente ; virtus vero finem possidet infinitum. Ait enim hymnizator canticorum :
Ps. cxviii, 96. Omnis consummationis vidi finem ; latum vero et infinitum mandatum tuum nimis.
Ps. lxxxiii, 8 ; I *Cor.* xiii, 8 ; *Ps.* cxx, 8. — Si quidam boni operatores ibunt ex virtute activa in virtutem contemplationis, et si caritas nunquam desinit, et Dominus custodiet introitum timoris tui et exitum tuæ caritatis ; vere infinitum est prædium finis ejus, in qua proficientes nunquam desinemus aliquo fine, neque secundum præsens neque secundum futurum, assumentes et addentes lumini lumen, et scientiam scientiæ. Licet quod dictum est videatur multis quodammodo peregrinum, tamen, o beate abbas, dicetur juxta determinationem a nobis præfatam : neque enim intellectuales substantias utique dixerim absque profectu ; magis vero determino eas sempiterne addentes gloriam gloriæ, assumentes cognitionem scientiæ super scientiam.

Si dæmones plerumque subimmittunt et ingerunt nobis bonos sensus et in his intellectualiter contradicunt, ne mireris : intentio enim est inimicis nostris per hoc nos suadere, ut cognoscant intentiones et cogitationes in corde nostro latentes.

Noli esse amarus judex et exquisitor eorum qui sermone magnifice docent, videns eos circa practicam aliquantulum pigrius persistentes : utilitas enim verbi adimplevit plerumque defectum operis. Non possidemus omnes penitus æqualia dona : in aliquibus enim sermo magis abundat quam opus ; in aliis vero opus abundat magis quam sermo.

Malum Deus non fecit nec condidit ; sed seducti sunt quidam, dicentes quædam vitia esse naturalia in anima, ignorantes quod suppositivas et substantivas proprietates naturæ nos ipsi transtulimus in vitia. Quale ait : Generativum semen est in nobis propter filiorum propagationem ; nos autem transportavimus illud in fornicationem et libidinosam concupiscentiam. Furor irascibilis natura est in nobis contra serpentem et vitia ; utimur autem furore seu ira contra proximum. In nobis est zelus ut æmulemur virtutes ; nos vero zelum et æmulationem habemus super malo. Naturaliter inest animæ concupiscere gloriam, sed supernam ; naturale est animæ superbire, sed contra dæmones ; similiter et gaudium, sed in Domino et propter

Dominum, et propter bona opera proximorum. Suscepimus naturaliter memoriam malitiæ, sed contra animæ inimicos; accepimus naturaliter desiderium alimenti, non autem comessationis et impudicitiæ.

Anima quæ est sine pigritia excitavit dæmones contra se ipsam : multiplicatis enim præliis tentationum, multiplicatæ sunt et coronæ. — Qui non est plagatus ab impugnatoribus, penitus non coronabitur; qui vero non fatigatur aut angustiatur super occurrentibus casibus, glorificabitur ab angelis. — Tres quidem quis noctes in terra fecit in universo; qui vero tres horas vicit, non morietur.

Si secundum dispensativam correctionem, post ortum suum in nobis sol cognovit *Ps.* ciii, 19-
diluculo occasum suum in nobis; penitus posuit tenebras in latibulo suo, et facta 22.
est nox. In ipsa ergo nocte pertransibunt ad nos mane recedentes catuli leonum silvestres et omnes bestiæ silvæ spinosorum vitiorum, rugientes ut rapiant spem in nobis, et quærentes a Deo escam vitiorum sibi, aut per intentionem perversam et meditationem, aut per actionem. Iterum vero ortus est in nobis sol per obscuram humilitatem, et ad se ipsas iterum bestiæ congregatæ sunt, et collocabuntur in cubilibus suis, videlicet in amatoribus concupiscentiarum, et non in nobis. Tunc dicent
inter dæmones : Magnificavit Dominus iterum facere misericordiam suam cum eis. *Ps.* cxxv, 2.
Nos vero dicemus ad eos : Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus *Ibid.* 3.
lætantes, vos vero persecuti.

Ecce Dominus sedebit super nubem levem, videlicet animam ab universa concu- *Is.* xix, 1.
piscentia terrena exaltatam; et veniet in Ægyptiacum cor et primo tenebrosum, et commovebuntur manufacta idola et cogitationes mentis.

Si Christus ab Herode corporaliter fugit, quum esset omnipotens, corrigantur *Matth.* ii, 13, 14.
audaces præsumptuosi non se ipsos in tentationes projicere. Non des in commotio- *Ps.* cxx, 3.
nem pedem tuum, ait, et non dormitabit qui custodit te angelus.

Complectitur fortitudinem tumor, quemadmodum rubus quidam dictus smilax se conjungit cypresso. Opus perpetuum nobis sit ut neque exili intentione recogitemus nos possidere qualecumque bonum ; sed et diligenter intendentes et quærentes, inspiciamus proprietatem ipsius boni si in nobis sit, et intelligemus nos penitus esse deficientes ab ipso bono. Quære incessanter in te argumenta vitiorum, et tunc intelliges multa ex vitiis in te esse. Quare bona possibilia homini agere aut nos ipsos cognoscere non valemus, exsistentes in infirmitatibus universis? Aut propter infirmitatem, aut propter relictionem profundam.

Propositum judicat Deus; in his autem quæ sunt secundum virtutem ipse Deus benignus exquirit et operationem. — Magnus est qui nihil eorum quæ sunt secundum virtutem suam minuit vel relinquit; major vero est qui in humilitate [illegible] in his quæ sunt super virtutem. — Plerumque dæmones prohibent nos agere leviora et præsertim convenientia, et exhortantur nos prosequi graviora et inutilia.

Invenio illum Joseph patriarcham eximium, beatificum propter aversionem a *Gen.* xxxix, 7 et seq.;
peccato, non propter [illegible]

et quot a peccatis aversio possidet coronam. — Aliud est avertere et devitare malitiam, et aliud atque sublimius occurrere Soli justitiæ.

Obscurari est causa offendendi, offendere vero est causa cadendi, cadere autem est causa moriendi. — Obtenebrati ex vino, sobrie evigilarunt aqua; obtenebrati vero vitiis evigilant lacrimis.

Aliud est conturbatio, aliud diffusio, et aliud cæcitas : nam priorem sanat abstinentia humilis, secundam sanat quieta remotio et oratio, tertiam vero curat obe-
Philipp. II, 8. dientia, et Deus incarnatus, factus obediens pro nobis usque ad mortem.

Nos existimavimus duas egregias purgationes esse eorum qui superna sapiunt, exemplo duorum purgantium ea quæ sunt deorsum : et dealbatorium ablutionis quasi in ænigmate dicimus esse cœnobium quod est secundum Deum, quod est expurgans et removens sordes, hebetudinem crassitiei deformitatemque animæ ; tinctorium autem sit recessus his qui in cœnobio et congregatione deposuerunt luxum, gulam, memoriamque injuriæ et furorem, et a cœnobio Fratrum transierunt de cetero ad quietem solitudinis.

Quod eveniat aliquem corruere eisdem lapsibus, quidam dicunt esse ex defectu consonæ et convenientis pœnitentiæ, et ex defectu diminutionis resistentis et non sinentis exquirere directionem de præteritis malis. — Quærendum quoque est, an omnis qui non corruit eadem specie lapsus, jam digne pœnituit. — Ceciderunt quidam in eisdem aut prioribus lapsibus, sepulti in profundo oblivionis, vel ex dilectione concupiscentiæ suæ suspicantes Deum benignum, aut propriam salutem perdendo, excusantes et renuentes. Si autem nullus futurus esset mihi querelam imponere, dicerem utique, quod de cetero non valent inimicum istum ligare, tyrannide consuetudinis prævalente et vim eis pariter inferente.

Scrutandum quomodo incorporea anima non habet naturam videre peregrinantes consubstantiales, secundum naturam quam habent. Igitur nequando sit, propter conjugationem, quam solus ligans novit.

Quidam volens discere, interrogavit me aliquando edisserere aliquid intelligentium : qui spirituum humilient, et qui habeant naturam extollere mentem super peccatis. Me quoque ad propositam quæstionem hæsitante, et ignorantiam meam firmante cum juramento, ille iterum discere volens, cum paucis verbis me docuit, dicens : Fermentum discretionis tibi dans, derelinquo quærere de aliis. Spiritus fornicationis carnalis et iræ et gulæ, acediæ quoque et somni, non sunt usquequaque extollentes cornu mentis. Spiritus autem avaritiæ et ambitionis et vanitatis ac loquacitatis, et alii plures, consueverunt malum malo coaptare : quocirca et spiritus judicii inest istis pravis spiritibus proximus.

Qui ad mundanos accessit aut eos recepit, et de eorum recessu concepit sagittam tristitiæ post horam vel diem, et non potius gaudium tanquam liberatus ab impedimento et laqueo, illuditur a dæmoniis vanæ gloriæ vel malignitatis. — Quæramus ante omnia unde ventus perflat, nequando inveniamur extendentes vela contrarie.

Exora senes activos ex caritate, qui contriverunt corpora sua in exercitatione

sancta, modicam requiem exhibens eis. — Coge juvenes abstinere qui contriverunt animas suas in peccatis, narrans eis memoriam pœnæ æternæ.

Non est usquequaque contingentium vel possibilium, ut perfecte et ex toto expurgemus gulam et vanam gloriam in exordio nostræ conversionis, sicut et alibi dixinus. Attamen non velimus vanam gloriam expugnare per delicias atque convivia. Nam talis victoria vanam gloriam parit : dico autem incipientibus, qui sunt magis erudiendi. Magis vero interpellemus Dominum adversus gloriam vanam per indigentiam atque penuriam : veniet enim hora, et nunc est, quando eamdem subjiciet Dominus sub pedibus nostris. Cf. p. 83 inter medium et finem.

Non eisdem vitiis impugnantur juvenes et senescentes, sed plerumque possident infirmitates ex toto contrarias. Quapropter beata est vera humilitas, qua pœnitentia fit munita, certa, vera et firma in juvenibus ac senescentibus.

Raræ quidem sunt animæ rectæ et absque malitia, et liberæ a malignitate, hypocrisi et versipellitate, quibus apponatur cum hominibus conversari : quæ possunt cum dirigente cœlum intrare quasi ex quodam portu solitariæ quietis, et non indigent supportare turbationes cœnobiticorum tumultuum ac scandalorum, quin imo indigent potius permanere expertes talium.

Luxuriosos quidem homines, malignos vero angeli, superbos autem Deus sanare potest. — Ista fuit plerumque quasi species caritatis, proximo ad nos venienti derelinquere potestatem faciendi in universis quæ vellet, ostendentibus nobis super hoc omnem hilaritatem. — Quærendum est, quomodo et usquequo et quando et utrum pœnitentia sit resolutiva bonorum sicut malorum.

Multa discretione utamur, ut sciamus quando debeamus stare in prælio, et in quibus et usque ad qualia debeamus certare cum materiis vitiorum, quando vero discedere : est enim et fugam prædiscernere propter infirmitatem, ne moriamur. — Videamus et custodiamus in quo tempore et qualiter possumus evacuare fel per amaritudinem. Consideremus item, qui dæmones exaltant, et qui humiliant ; et qui indurant, qui autem exhortantur et consolantur ; qui quoque obtenebrant, qui vero iterum illuminationem simulant ; qui segnes sunt, qui autem versipelles ; qui etiam faciunt nos tristes, et qui iterum efficiunt nos hilares.

Quum viderimus nos ipsos magis vitiosos in prooemiis quam eramus in conversatione nostra mundana, non stupeamus. Oportet enim omnes causas moveri, et ita demum sanitatem nobis advenire : nam et bestiæ tunc usque quasi absconditæ, non videbantur. — Qui de cetero perfectioni approximant, si aliquando a dæmoniis vincuntur secundum aliquam contingentiam in aliquo exili, omni utantur industria hoc confestim ex eis rursus diripere centuplum.

Quemadmodum venti habent naturam quandoque perflare superficiem tranquillum, interdum vero conturbare profundum maris propter vehementiorem impetationem ; ita et mihi videtur de obscuris et tenebrosis ventis malignitatis. Nam quidam ipsorum habent naturam facere fluctuare et hiemare sensum cordis hominum vitiosorum ; sed turbant superficiem mentis eorum qui jam profecerunt

propterea isti propriam tranquillitatem permanentem protinus sentiunt inquinatam.

Perfectorum est cognoscere semper in anima propria quæ sunt conscientiæ, et quæ Dei, quæ etiam intentio dæmonum. Dæmones enim non supponunt nec ingerunt ex procemiis universa contraria : propterea propositio vere est tenebrosa.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO PARTIS PRIMÆ GRADUS HUJUS VICESIMI SEXTI : DE DISCRETIONE.

DISCRETIO quidem in initiantibus seu A *introducendis et informandis, est vera cognitio quæ est secundum se ipsos :* id est, primus et infimus gradus discretionis, conveniens et inhærens incipientibus, consistit in hoc ut vere cognoscant se ipsos, attendendo proprias vires ac proprietates, atque in actibus suis separando pretiosum a vili, ac ordinate agendo. *In mediis vero,* id est in proficientibus, discretio *est intellectualis sensus,* id est notitia spiritualis interiora discutiens et spiritualia exercitia moderans, *discernens proprie bonum sine* B *offensione ex naturali atque contrario,* id est, infallibiliter judicans quid sit moraliter bonum ex his quæ sunt naturalia et innaturalia, convenientia et inconvenientia, seu prospera et adversa forinsecus, ex quibus potest pensari quid animæ expediens inexpediensve consistat. Et in isto consistit secundus gradus discretionis. *In his vero qui perfecti sunt, discretio est scientia et cognitio per divinam illuminationem inhærens, qua* ista discretio, seu vir perfectus habens eam, *valet sua ipsius* C *lucerna,* id est propria claritate seu perspicacitate, *illuminare quæ in aliis sunt obscure,* hoc est dubitationem, imperfectam discretionem et conversationem proximorum incipientium, aut etiam proficientium.

Vel forte istud notificatur et est universaliter, hoc est plene ac perfecte atque in omnibus, *discretio : certa comprehensio divinæ voluntatis,* id est certitudinaliter et affective cognoscere quid Deo complaceat et magis acceptum sit, *in omni tempore, loco et re :* juxta illud Apostoli, Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. Rom. XII, 2. *Quam* discretionem *constat esse in his solis qui sunt mundi corde, ore et opere.* Ad hanc quippe discretionem requiritur copiosissima et quasi continua supernaturalis illuminatio atque directio Spiritus Sancti, juxta illud : Quis hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus ? aut sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis? Sap. IX, 13, 17. Talis autem illuminatio non confertur nisi purissimis, qui mundi sunt cogitatione, affectione, verbo et actu : qui per donum sapientiæ consummatæ sunt velut secretarii et consiliarii Dei, cujus unctio docet nos de omnibus. I Joann. II, 27.

Nam qui pie dejecit et destruxit tres principales malitias, destruxit et dejecit cum eis simul etiam quinque alias malitias. Hic insinuat auctor esse octo principalia vitia, quum tamen superius magis laudaverit eorum doctrinam qui ponunt septem. Cf. p. 302 A et 8. Porro per tria vitia quibus devictis victa sunt alia, quandoque intelliguntur tria præfata, de quibus ait Joannes apostolus : Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. I Joann. II, 16. Ad quæ tria reducuntur et alia : nam et gula ad concupiscentiam pertinet carnis. *Qui vero illa*

negligit, id est, superare non curat ac satagit, *neutrum vincet*, nullum videlicet aliorum perfecte.

Discretio est conscientia non inquinata et mundus sensus. Hoc ideo dicitur, quoniam qui discrete se habet, possidet conscientiam puram ac mundam notitiam : imo et discretio est realiter munda quædam notitia et judicium secundum conscientiam.

Nemo in conversatione monastica videns et audiens quædam quæ sunt super naturam, corruat ex insipientia ad infidelitatem, imo ex talibus ædificetur in fide. *Ubi enim Deus, qui est super naturam, peregrinatur,* id est, visitando per gratiam ambulat, *ibi plurima fiunt super naturam,* quæ non sunt adscribenda magicæ arti aut dæmoni.

Omne diabolicum prælium constituitur in nobis istis tribus generalissimis modis, id est, omnis impugnatio qua a dæmonibus impugnamur, contingit ex aliqua radice seu causa communissima sequente, videlicet : *aut ex negligentia nostra, aut ex superbia nostra, aut ex dæmonum invidia.* Sunt tamen et aliæ causæ, sed reducuntur ad istas. *Miserabilis quidem est primus,* qui ex negligentia sua tentatur ; *infelicissimus vero est secundus,* qui ex superbia impugnatur ; *tertius autem,* qui impugnatur non ex propria culpa, sed ex sola dæmonum invidia, *est beatus.*

Ante omnia post Deum et cum Deo utamur conscientia nostra ad directionem intentionis et mentis nostræ, et ad regulationem nostram : quidquid enim est contra conscientiam, ædificat ad gehennam ; *ut [illegible]*, id est impulsum tentationum, *unde venit, extendamus deinceps vela contra eamdem* impulsionem, armando nos contra eam oratione ac recordatione passionis dominicæ. Verumtamen religiosus tenetur potius stare judicio sui superioris quam conscientiæ propriæ (alioqui periret obedientia), nisi forte in his quæ essent directe contra jus divinum aut naturale : in aliis ergo conscientiam suam supponat judicio præsidentis.

In universis operationibus nostris quæ fiunt secundum Deum, dæmones suffodiunt nobis tres foveas, id est deceptiones, ruinas seu laqueos. *Nam primo luctantur ut impediant fieri bonum. Secundo, videlicet post eorum primam succumbentiam,* id est dejectionem, *conantur ut bonum* ex genere *non fiat secundum Deum,* id est recta sed prava intentione. *Quum vero fures,* puta diaboli, *non fuerint intentionem hanc assecuti, tunc deinceps instantes quiete,* id est, quasi pacifice insidiantes, *beatificant,* id est laudant, *nos tanquam conversantes secundum Deum in omnibus. Et inimicus primæ* foveæ *est sollicitudo et festinantia mortis,* hoc est, sollicita et fervens meditatio mortis, seu diligens et festinata præparatio ad mortem (quia nescimus diem neque horam), est id per quod superatur suggestio retrahens a bonis agendis. *Inimicus autem secundæ* foveæ, qua suggeritur ut bonum fiat sinistra aut vana intentione, *est subjectio et obedientia, et contemptus* sui ipsius : per quæ contemnitur suggestio talis. *Porro inimicus tertiæ* foveæ *est se ipsum semper accusare et inculpare querelis,* conquerendo de propria imperfectione et defectuositatibus omni actui bono in nobis quasi semper admixtis : per quod vincitur tertia illa suggestio. *Hoc totum implere,* præsertim hoc tertium, *est coram nobis,* imo et in nobis, *labor et dolor,* id est laboriosum et grave, *et directio et intentio,* id est exercitatio directiva ad bonum atque intenta potius quam impleta, *donec ignis Dei intret in sanctuarium nostrum,* id est, quousque Spiritus Sanctus seu fervens dilectio ejus ingrediatur cordis nostri secretum ac templum, in quo per fidem et charitatem habitat Deus. [illegible], id est necessaria aut importuna inhærentia. [illegible] *nem ignitionem,* id est vitiosam inflammationem. [illegible]

Matth. xxv, 13.

Ps. lxxii, 16, 17.

ptionem et cæcitatem et tenebrefactionem intrinsecam et extrinsecam, visibilem et intellectualem : universa enim delet peccata.

Dæmones iterum dictis contraria facere habent naturam, id est, dæmones rursus naturaliter agunt contraria præfatæ vitiorum eradicationi, secundum quod subditur : *Quando enim circumdant et obtinent,* id est vincunt, *animam et lumen mentis pervertunt in nobis miseris, non erit ulterius vigilia, sobrietas, discretio, cognitio et reverentia Dei in nobis,* nisi forte misericordia præveniamur a Domino; *sed* erunt in nobis *privatio doloris et contritionis, insensibilitas, indiscretio, invidentia seu carentia visionis Beatorum,* quorum beatificam visionem non considerabimus modo per fidem ac sapientiæ donum, nec habebimus eam per speciem et gloriæ lumen.

Sciunt prædicta penitus magis prudenter et clare, qui ex fornicatione resipiscunt per pœnitentiam, *et qui subtrahunt se ex elatione confidentiæ propriæ, et ex irreverentia Dei et inerubescentia peccati veniunt in sensum simul et sensificationem,* id est, ad mentem et spiritualem vivificationem atque intelligentiam saporosam salubriter revertuntur : « sciunt », inquam, *quomodo post sobrietatem et evigilantiam* qua expergiscuntur ac resipiscunt *ab insensibilitate,* id est obduratione, *mentis, magis vero post solutionem suæ cæcitatis,* id est post expulsionem suæ interioris excæcationis, *erubescunt et verecundantur de se ipsis secundum mentem,* quod tam viliter et inique se habuerunt, *vel, ut sic dicatur,* erubescunt *de his quæ prius loquebantur et agebant degentes in cæcitate,* id est, quando interius fuerant vitiis obscurati.

Nisi sero fiat et tenebrescat in die animæ, id est, nisi lux gratiæ seu mentis illuminatio deficiat et occumbat in anima, *fures,* id est callidissimi tentatores, *nequaquam furabuntur et mactabunt et perdent,* id est, animam suis charismatibus non privabunt, nec spiritualiter eam occident. (Joann. x, 10.)

Furtum passivum *est perditio substantiæ; furtum est operari non bonum tanquam bonum,* id est sub specie boni, seu æstimando quod bonum sit : per quod homo privat se ipsum opulentia spirituali; *furtum est captivatio animæ incognita,* id est occulta et insidiosa, per quam subjicitur anima jugo diaboli. *Mactatio est mors mentis rationalis corruentis in actus inconvenientes et inhonestos. Perditio est sui ipsius desperatio post iniquitatem.*

Nemo alleget impossibilitatem in evangelicis præceptis. Maledictus quippe qui dicit Deum impossibilia præcepisse. *Sunt enim animæ quæ peregerunt super mandatum,* id est, quidam fecerunt majora quam sit observantia præceptorum, utpote qui evangelica servant consilia. *Persuadeat te penitus hoc esse verum ille qui dilexit proximum super se ipsum,* id est plus quam proprium corpus corporalemque vitam, *et pro eo animam posuit,* id est, vitam animalem morti exposuit : quod maxime fecit Christus. Sed quia subjungitur, *quippe quum in hoc non portaverit imperium Domini,* id est, præceptum a Deo non sumpserit ad hoc agendum, videtur istud de aliquo alio dici, qui extra casum et articulum necessitatis istud implevit, ut S. Gregorius de Paschasio refert : in casu enim necessitatis unusquisque tenetur pro salute proximi corpus suum exponere morti, quum ordo caritatis requirat ut plus diligamus proximos quam proprium corpus.

Considerent humiliati quod dicam : vitiosi enim etsi ceciderint in vitiis et foveis universis, et illaqueati fuerint omnibus laqueis, et infirmati omni infirmitate, id est cunctis passionibus victi; *tamen post sanitatem,* id est, quum fuerint ab omnibus vitiis istis perfecte curati, *fient omnibus medici spirituales, et luminaria,* id est magistri virtutum, *et lucernæ,* dando consilium et exemplum, *et gubernatores, docendo modos uniuscujusque infirmitatis,* qualiter scilicet unumquod-

que peccatum possit debeatque curari : quod in se ipsis didicerunt per exercitium virtuosum ; ideo sequitur, *et ex propria experientia salvantes,* id est, a casu retrahentes, *ruituros.*

Nempe si aliqui tyrannizantur, id est, importune seu quasi violenter interrogentur, et respondere exigantur, *ex præsumptionibus et passionibus ingenitis et anteactis,* ad quas scilicet proni sunt ex naturali inclinatione aut pristina consuetudine ; *docere possunt vacuum verbum,* id est nudam doctrinam et inefficacem sermonem : *qui licet doceant, non tamen præsint, nec alios regant,* ne illos suis corrumpant exemplis. *Nam forte erubescentes quandoque saltem proprios sermones* quibus instruunt alios, *incipient practicam,* opus bonum implendo quod docent : ideo tolerari potest aliquo modo ut doceant. *Et eveniet eis quemadmodum vidi factum de quibusdam involutis volutabro luti. Quum enim essent infixi in limo, inibi docuerunt prætereuntes modum propriæ submersionis, narrantes et negotiantes hoc propter salutem ipsorum* prætereuntium, *nequando et ipsi* prætereuntes *caderent in eodem itinere.* Hoc totum corporaliter ac spiritualiter factum est sæpe. *Igitur omnipotens Deus redemit ipsos de luto,* id est vita inquinata, *propter aliorum salutem,* ut instruerentur ab illis ita erutis et conversis.

Si vero vitiosi præcipitant se ipsos voluntarie in concupiscentiis et delectationibus carnis, *insinuent doctrinam suam silentio,* id est, tacendo ostendant se esse indignos instruere alios, *attendentes ad ea*
Act. I, 1. *quæ cœpit Jesus facere et docere,* id est, facta Christi considerent et sequantur, quoniam Christus cœpit facere, et postea docuit quæ antea implevit, secundum quod poterant exerceri ab eo : non enim egit pœnitentiam de aliqua propria culpa : quod tamen in primis docuit alios.

O humiles monachi, [illegible] pelagus crudele [illegible], id est valde periculosum, [illegible] *num multis spiritibus,* id est ventis tentationum seu dæmonibus, *et sordibus et revolutionibus rheumatum et asperis scopulis et bestiis et piratis et fluctibus atque siphonibus.* Deinde exponit hæc verba. *Sordem in anima intelligamus ferocem et repentinum furorem ; tetram vero rheumatum revolutionem intelligamus desperationem, quæ mentem circumdat, et eam festinat ferre deorsum in desperationis profundum,* utpote in infernum, seu in omnimodam impœnitentiam ; *scopulorum vero asperitatem dico ignorantiam detinentem,* id est, facientem teneri ac judicari, *id quod malum est tanquam bonum ; porro bestias voco hoc corpus grave et silvestre,* id est indomitum, *cum animalibus* (id est irrationabilibus motibus) *suis ; piratas autem dico ministros,* id est dæmones, *vanæ gloriæ, qui rapiunt onus,* id est pretiositatem, *et laborem virtutum,* evacuando eas a præmio ; *fluctus vero appello ventrem tumentem, repletum et elevatum* ex saturitate, *qui ex proprio impetu et ardore mittit ad bestiam,* id est ad vitam seu concupiscentiam et similitudinem bestialem ; *denique siphonem dico superbiam projectam et præcipitatam de cœlo, sursum ferentem* per inanem affectum honoris, *et deinde deferentem ad abyssum.*

Itaque crudele mare plenum omnibus malis his, quod transvadare habemus, hoc est sæculum nequam et præsens exsilium seu incolatus aut conversatio in hoc mundo. Unde jam patet quam timoratos, vigiles, indefessos et circumspectos, imo et fortes, nos esse oporteat, ne pereamus in pelago isto, ex quo perpauci evadunt.

Omnibus eruditis in litteris sanctis *notum* [illegible], id est ad quæ exercitia instruendi sint incipientes, et quæ virtutes ac observantiæ ad eos pertineant, [illegible], id est, quæ doctrinæ, virtutes et exercitia spectent ad proficientes, quæ item ad perfectos, qui ex propria expe-

rientia ac perfectione idonei sunt alios A edocere. *Attendamus ista prudenter, ne forte diuturne manentes in doctrina,* id est in schola virtutum atque in exercitio disciplinæ cœlestis, *immoremur adhuc in promissionibus introducendorum et erudiendorum,* id est in donis gratiæ ac virtutum quæ Deus dare disposuit incipientibus; *quod esset magnæ confusionis, utpote videre senescentem accedentem ad scholas puerorum,* id est eum qui diu fuit in Ordine adhuc oportere institui in rudimentis atque exordiis vitæ monasticæ, sic- B
Hebr. v, 12. ut quibusdam scribit Apostolus : Etenim quum deberetis magistri esse propter tempus, etc.

Perfectum alpha, beta, id est a, b, hoc est perfectum alphabetum, seu primordiale documentum vel exercitium, *universis initiantibus, hoc est : obedientia, jejunium, cilicium, cinis,* id est pœnitere et sedere in cinere, *luctus, confessio, silentium, humilitas, vigilia, virilitas seu fortitudo, frigus, nuditas, fames, sitis,* id est spontanea horum perpessio, *labor, do-* C *lor, infirmitas, miseria, contemptus, contritio, non retribuere malum pro malo, sed oblivisci injuriæ, amor fraternitatis, mansuetudo, fides simplex et firma sine curiositate quæstionum, privatio curarum sæculi, sollicitudinis mundi et curæ carnis, odium parentum et propriæ regionis ac deliciosorum locorum sine odio* eorumdem, hoc est odire hæc in quantum impediunt a salute et perfectione, non quantum ad id quod sunt : quod est odium ex caritate proveniens ; *impropassio sui ipsi-* D *us et omnium domesticorum,* id est non affici eis neque alicui enti vitiose, *simplicitas cum innocentia, mortificatio voluntatis, et spontanea vilitas in vestitu, ministratione, et consimilibus.* Itaque omnia ista spectant ad incipientes, ad quorum observantiam sunt docendi.

Deinde exprimuntur pertinentia ad proficientes. *Requies et numerus proficientium,* id est catalogus bonorum in quibus proficientes se figere debent, *sunt : privatio vanæ gloriæ, esse sine ira et furore, bona et dulcis spes, requies sive discretio,* quæ præservat ab inquietudine, *fixa memoria æterni judicii, dulcis viscerositas,* id est interna pietas, *et compassio, amor hospitalitatis, admonitio commensurata et contemperata,* id est proportionata capacitati ac indigentiæ eorum qui admonentur, non nimis dura et aspera, *oratio munda, inseducibilis et impassibilis,* id est distractionibus et passionibus non permixta, *mores et affectus sine avaritia.*

Consequenter ostendit quid pertineat ad perfectos. *Iste est sermo terminatioque et lex,* id est, præsenti sermone docetur quid sit consummatio et legitima proprietas, *spirituum et corporum,* id est hominum ex anima rationali et corpore fragili compositorum, *in carne pie perfectorum : incaptivabile cor,* hoc est indistrahibile seu inavertibile a Deo, utpote valde difficulter avertibile, quamvis non sit simpliciter confirmatum in gratia, *perfecta caritas, fons humilitatis,* id est humilitas exuberans, ut instar fontis incessanter diffundat ex se actus et signa humilitatis, *peregrinatio mentis ad Deum* per derelictionem et oblivionem omnium transitoriorum, *adventus spiritualis Christi Jesu* in mentem per assiduas irradiationes et influxiones in eam, *induitio luminis,* id est tam copiosa illuminatio ut homo amictus sit intus lumine sicut vestimento, *imprædabilitas orationis,* id est oratio fixa, non vaga, nec auferibilis, *substantialis superabundantia,* id est firma substantia mirabiliterque fecunda copiositas, *illuminationis divinæ, desiderium et concupiscentia mortis* in quantum est janua vitæ beatæ sequentis et terminus vitæ culpabilis, *odium vitæ præsentis* in quantum culpabilis exstat et dilativa gloriæ æternalis, *fuga corporis, interpellator et intercessor mundi,* id est jugis oratio pro communi bono totius generis humani, *angelorum comminister,* id est angelica servitus Deo impensa, *scientiæ abyssus,* id est profunda et copiosa scientia spiritualis, quæ est donum

Spiritus Sancti, *mysteriorum domus,* id A est sapientialis possessio seu notitia mysticorum operum Dei, *arcanorum custos,* id est firma ac stabilis et grata recordatio secretorum Altissimi, *salvator hominum per Jesum,* id est per gratiam Dei Christo cooperari in hominum salvatione, *dæmonum deus, vitiorum dominus,* id est dæmonibus et peccatis deiformiter prævalere ac imperare, *dominator et rex corporis et mentis,* id est corpus et animam in omnibus legitime gubernare, *naturæ tutor,* id est naturam propriam cum viribus suis B per gratiarum charismata ab omni impedimento salutis tueri ac defensare, *a peccato peregrinus,* id est plena recessio a peccato, *domus impassibilitatis,* id est habitatio plenariæ reformationis, *imitator Domini ex auxilio Domini,* id est gratiosa et præclara imitatio Christi per adjutorium ejus.

Non modica vigilia indigemus quando corpus infirmatur, imo tunc indigemus grandi custodia ac vigilantia mentis et etiam corporis, quantum possibile est. *Dæ-* C *mones enim videntes nos in terra positos et jacentes, nec valentes uti virtuosa exercitatione tunc contra eos propter impotentiam et destructionem naturæ, conantur nos tunc dure atque crudeliter impugnare.* Verumtamen eorum rabies moderate compescitur ab angelis sanctis. *Et in his qui secundum mundum sunt, adhæret dæmon furoris et iræ,* hoc est, mundani homines et prope mundum morantes præcipue impugnantur, dum infirmantur, a spiritu iræ, impatientiæ et furoris; *inter-* D *dum vero eisdem infirmantibus blasphemiæ dæmon adhæret,* ut ad blasphemiam provocet eos. *Porro his qui sunt extra mundum, insidiatur et assidet tyrannus,* id est dæmon, *gulæ et luxuriæ, si faciliter possunt necessaria obtinere; si vero morantur in aliquibus locis remotis et certativis,* id est solitariis, in quibus acrior pugna imminet contra invisibiles hostes, *et consolatione* humana *privatis, insidiatur eis spiritus acediæ et ingratitudinis.*

Notavi lupum, id est rapacem spiritum, *fornicationis apponentem laboranti ac infirmanti tristitias et dolores, et facientem in eodem motus concupiscentiarum et fluxus naturæ. Et quod fiebat erat stupendum videre : carnem bullientem delectatione concupiscentiæ atque libidinis, et vesane furentem in ipsis doloribus et afflictionibus nimiis. Et reversus* ut visitarem infirmos, *vidi deorsum positos in lecto jacentes, ab operatione* (id est miseratione et inspiratione) *divina et compunctione actos,* id est motos et excitatos, *et oblectatos et consolatos. Nimirum per infirmitatem quasi per increpationem quamdam inveni eos commutatos in melius :* increpat namque Deus per dolorem in lectulo ; *et per consolationem* divinam ac spiritualem *repercusserunt,* id est, patienter tulerunt ac superaverunt, *afflictiones et dolores* corporales, *ita ut de cetero nollent ab infirmitate liberari. Et glorificavi per lutum emundantem et purgantem lutum,* id est, Deum laudavi in operibus suæ pietatis quæ fecit in fragili homine quem ita purgavit.

Job xxxiii, 19.

Mens intellectualis penitus circumoperit intellectualem sensum : id est, intra se clausam tenet veram notitiam seu naturale judicatorium inter bonum et malum, puta synderesim seu conscientiæ lucem ; vestit quoque hunc sensum corporis tegumento, vel aliis habitibus scientiarum ac virtutum eum perornat. *Quem sensum in nobis exsistentem* obscure et imperfecte, aut etiam vitiis offuscatum, *et non exsistentem in nobis* limpide et perfecte, *non cessemus exquirere,* id est reformare, consulere et audire. *Illo enim apparente, ea quæ sunt extra desinent penitus spontanee propria operari,* id est, vigente in nobis judicio synderesis, et lumine conscientiæ radiante evidenter in anima, cessabunt exteriora objecta ac incitamenta peccandi trahere ad peccata : synderesis quippe semper remurmurat malo, et conscientia dictat illud esse vitandum. [illegible]

Et divinum sensum invenies in te. Nam intellectualis hic sensus, est sensus divinus, quum sit participatio quædam scientiæ increatæ, cujus quædam imago et scintilla exstat synderesis.

Vita monastica, id est conversatio religiosa et observantia regularis, *fiat in sensu cordis,* id est in exercitatione, meditatione et reformatione interna, *in operibus quoque, et sermonibus* exterioribus, *et cogitationibus* circa agenda forinsecus, *et gressibus* corporis, spiritualibusque profectibus ; *si vero non* fiat *sic, jam non erit monastica, nedum dicam angelica,* id est, ut non dicam quod non erit angelica, quum tamen debet esse angelica, imo et divina. Monachus ergo religiose habere se debet in occupatione interna, in verbis, in factis, in considerationibus agendorum ac vitandorum, atque in gressibus corporis : alioqui indignus est monachus appellari.

Aliud est providentia Dei, et aliud opitulatio, et aliud custodia, et aliud misericordia Dei, et aliud consolatio. Et illud quidem est in omni natura, hoc est, providentia Dei ad omnia se extendit ; *aliud vero,* puta opitulatio, *est in solis fidelibus,* quibus præstantur quædam adminicula ac subsidia salutis (penes quæ attenditur opitulatio secundum quod modo accipitur) quæ infidelibus non præstantur ; *aliud autem,* videlicet custodia Dei, *est in vere fideliterque fidelibus,* qui fide et opere exstant fideles, quos Deus custodit a peccatis, ne pereant ; *quartum autem,* scilicet misericordia Dei, *est in his qui serviunt ei :* quia hoc ipsum est donum et miseratio Dei, quod ei servimus ; *ultimum vero,* utpote consolatio Dei, *manifestatur et ostenditur in diligentibus eum,* qui copiosius consolantur a Domino. Verumtamen ista per quamdam appropriationem, non per præcisionem aut exclusionem, sunt intelligenda : imo omnia ista in eodem homine esse possunt.

Est quando alterius antidotum fit alteri letiferum, id est, quandoque contingit quod spiritualis medicina, correptio, disci-
A plina uni fructuose exhibita, alteri esset nociva, si ei exhiberetur. Quod enim humilis, prudens et patiens gratanter suscipit, impatiens et superbus indignanter acciperet. *Est etiam quum idem antidotum eisdem secundum proprium tempus prolatum, fit sanativum ; iterum vero non in tempore suo prolatum, est poculum mortis :* hoc est, interdum contingit quod spirituale remedium prosit quibusdam, quando impenditur eis opportuno loco et tempore ; quod tamen fit eisdem morti-
B ferum, si impendatur tempore inconvenienti. Dum enim quis turbatus, tentatus, passionatus est, ferre non potest quod æquanimiter toleraret dum exstat tranquillus ; aliqui quoque gratanter susciperent in secreto quod moleste ferunt in publico.

Vidi severum medicum, id est durum et indiscretum prælatum, *graviter et importune afficientem ignominiis infirmum, conquassatum,* hoc est subditum spiritualiter læsum ac debilem, *et nil amplius conciliantem ei,* id est, procurantem tali
C infirmo, *nisi desperationem. Et vidi medicum chirurgum medentem per ignominiæ invectionem,* hoc est, medicinaliter curantem per moderatam increpationem, *cor elatum et tumens, et evacuantem ab ipso* corde elato *omnem saniem,* id est universam superbiæ et vitiorum ex ea nascentium corruptionem.

Nempe vidi eumdem infirmum bibentem aliquando obedientiæ medicinam, hoc est, præceptum sui superioris benevole acceptantem et fideliter exsequentem, *pro-*
D *pter purgationem sordis,* id est, ob hoc ut per talem medelam purgaretur a sordibus suis ; *et vidi eum motum et circumquaque ambulantem, et non dormientem,* hoc est, consideravi quod per obedientiæ medicinam fuit curatus, ita quod ad opera virtutum alacriter movebatur, atque ex omni parte occupavit se fructuose, nec dormivit somno negligentiæ et torporis. *Quandoque vero vidi habentem oculum infirmatum,* hoc est visum interiorem per pravam affectionem ac vitia obscuratum,

et quiescentem in sua excæcatione; vel « quiescentem », id est, a præteritis culpis cessantem. *Et vidi eumdem* postea *perseverantem in silentio absque colloquio* hominum, *et non dormientem* per cordis ignaviam, ita quod per observationem silentii rediit ad salutem, considerando pro-
Is. xxx, 15. priam læsionem. Ideo loquitur Isaias : In
Luc. xiv, 35. silentio et spe erit fortitudo vestra. *Qui habet aures audiendi, audiat*, intelligendo ista prudenter.

Quidam, ut ita dicam, habent se inclinabiliter natura, id est ex naturali et in- B genita dispositione ac aptitudine, *circa continens aut abstinens, aut circa remotionis tranquillum, aut castum, aut non præsumptuosum et confidens, aut circa compungibile mire seu facile :* hoc est, quidam ex prætacta naturali aptitudine valde inclinantur ad actus continentiæ aut abstinentiæ, aut solitariæ vitæ, aut castitatis, aut confidentiæ humilis, non præsumptuosæ, aut compunctionis mirabiliter promptæ ac facilis, aut etiam ad plura vel ad omnia ista. *Unde vero hoc habeant,* id C est ex quibus determinatis et proximis ac propriis causis, *non novi* in speciali, quamvis in generali constet quod tam ex providentia Dei, quam ex quibusdam naturalibus causis. *Neque enim didici curiose agere, et dona Dei elatione exquirere,* id est superbe scrutari. *Et sunt alii habentes suam naturam naturaliter resistentem eisdem* actibus virtuosis *et contra agentem* ad ista opera bona, qui scilicet naturaliter inclinantur ad vitia eis contraria, utpote ad incontinentiam, gulam, inquie- D tudinem, *et inferentes sibi ipsis vim secundum virtutem,* id est, conantes pro posse ad exstirpandum vitia ad quæ experiuntur se pronos, atque ad obtinendum virtutes malis istis oppositas. *Qui et si ad tempus succumbunt* tentationibus et peccatis, *attamen magis accepto,* id est, laudo et approbo, *eos ut violentatores naturæ,* id est tanquam pugnatores fortissimos qui cum saluberrima violentia vicerunt se ipsos, et reformaverunt naturales suas inclinationes ita corruptas : qui tanto sunt laudabiliores, quanto plus inclinati erant ad vitia, et quanto laboriosius vicerunt se ipsos.

Noli, o homo, altum sapere et extolli de divitiis spiritualibus *acquisitis sine labore atque dolore,* id est cum parvo labore modicoque dolore : non enim quis proficit aut Dei gratiam acquirit sine omni labore et contritione. *Nam dator donorum prænoscens multam læsionem et infirmitatem et perditionem tuam,* quas incurristi ante gratiosam Dei præventionem, aut incurrisses nisi Deus misericorditer te prævenisset, *voluit te salvare saltem particulariter,* id est partim et aliqualiter, *præventionibus quæ sunt sine mercede,* hoc est per pias gratiæ visitationes et compunctiones, quæ non habent mercedem tam magnam ut devotæ affectiones et reformationes difficulter obtentæ : ideo salvatur per eas quis « particulariter », non tam plene. Verumtamen absolute loquendo, quicumque perfectius diligit Deum et ex majori caritate servit eidem, melior est et plus meretur de præmio essentiali. — *Disciplinæ et enutritiones et studia et adinventiones quæ sunt ex parvitate,* id est ex pusillanimitate, *congrediuntur,* id est, contra nos pugnant, *aut et contrariantur nobis crescentibus in virtute et conversatione monastica.*

Angelus est lumen monachis : illuminat enim mentes eorum. *Conversatio autem monastica est lumen omnium hominum,* nam universos ædificat, estque bonus odor II Cor. II,
Christi in omni loco. *Monachi igitur ago-* 15.
nizent, id est laborent, *fieri typus et forma,* id est exemplar virtutum ac norma justitiæ, *universis* hominibus, [illegible] Matth. vi,
men tenebræ fiat, id est, si conversatio 23.
religiosorum fiat reprehensibilis, *ergo te-* [illegible] quasi dicat : Utique valde peccabunt.

Si ergo, o obedientes, mihi obeditis, magis vero qui mihi obedire vultis, dico vobis : bonum est nos non variare nec partiri neque dividere nosmetipsos, id est, expedit nobis ut non simus instabiles, nec loca mutemus, neque ab invicem separemus nos, nec dividamur a via virtutum. *Nostis autem miserabilem animam nostram esse congressam ad pugnandum cum mille millibus et decies millenis millibus inimicis,* id est contra innumerabiles dæmones. *Non enim sufficimus discere* ab aliis *seu totaliter invenire* ex nobis ipsis *universas illorum malignitates atque astutias.*

Trinitate sancta contra tria nos armemus, id est, fide, invocatione et ope supergloriosissimæ Trinitatis muniamus nos contra tres hostes nostræ salutis, qui sunt, diabolus, mundus et caro ; vel « contra tria » vitia cordis, oris et operis ; seu contra concupiscentiam carnis, quæ contrariatur voto castitatis, contra concupiscentiam oculorum, quæ contrariatur voto paupertatis, et contra superbiam vitæ, quæ opponitur voto obedientiæ. *Alioqui conciliabimus nobis ipsis vere multos labores,* præsumendo quod nostris viribus prævalere poterimus.

Ps. LXV, 6. *Si Israel noster, qui convertit mare in aridam,* desiccando concupiscentias carnis et expellendo flumina vitiorum, *id est mens nostra, fiat vere in nobis Deum videns,* contemplando eum per fidem formatam ac sapientiam, *pertransibit penitus ipsum mare absque fluctibus,* id est, cum tranquillitate interna evadet ac vincet abundantiam tentationum et vitiorum, *et in aqua lacrimarum videbit Ægyptios suffocatos,* id est, per luctum salubrem adspiciet dæmones victos. *Illo autem,* videlicet Israele nostro seu corde illuminato Deum contemplante, *non peregrinante,* id est non exsistente, *in nobis* in peregrinatione hujus exsilii per prædominationem super sensualitatem ; vel « illo », utpote Deo, « non peregrinante », id est non exsistente, « in nobis », instar peregrini per

A visitationes interpolatas : *quis sustinebit sonos fluctuum,* id est impetus passionum et motus concupiscentiarum, *ejus, videlicet carnis hujus?*

Si Dominus surrexerit in nobis per actionem, hoc est, agiles nos fecerit in operibus vitæ activæ per gratiam suam, *dispergentur inimici ejus,* id est, peccata et dæmones repellentur a nobis ; *et si per contemplationem appropinquaverimus ei, odientes eum et nos,* puta diaboli, *fugient a facie ejus et nostra.* Ps. LXVII, 2.

B *Festinemus discere divina sudoribus magis et labore ac dolore, et non exili sermone vel lectione,* id est, studeamus a Deo unctionem et illuminationem acquirere virtuosis exercitiis viriliter insistendo, salubriterque dolendo ex dilatione gloriæ, ex dominicæ passionis compassione, ex propria culpa et defectuositate, et non solum aut principaliter ex humana allocutione et transitoria lectione. *Non enim verba sed opera, in tempore exitus, est,* id est, contingit et oportet, *ostendere :* non quod C de verbis non exigetur ratio, sed quoniam verba sola non sufficiunt ad salutem, et item quoniam opera bona principaliter exiguntur.

Qui audiunt thesaurum esse absconditum in aliquo loco, cum magna inquisitionis fatigatione hunc quærunt ; inventum vero cum labore et dolore, custodiunt, id est, thesaurum quem invenerunt cum labore et dolore, custodiunt diligenter ; vel thesaurum inventum custodiunt cum labore et dolore, ne eum amittant per fur- D tum aut vim seu alio modo. *Qui enim ditescunt sine fatigatione, dispergunt faciliter* suas divitias. Hoc est quod legitur : Substantia festinata minuetur ; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Prov. XIII, 11. Per hæc auctor vult dicere et docere, quod sapientiam debemus exquirere sicut thesaurus inquiritur, et quod expedit nobis paulatim ac laboriose obtinere a Deo optatum profectum, ne ex facilitate exauditionis dona Dei parvi pendamus.

Grave ac difficile est ut præsumptiones

supervincamus, id est, prævalendo fortiter superemus. *Qui vero non desinunt adhuc apponere eisdem,* præsumptionem præsumptioni addendo, *desperaverunt se ipsos, aut nihil profecerunt in subjectione et obedientia. Nempe novi quia omnia potest Deus : nihil enim impossibile est ei.* Idcirco debemus in ipso confidere, non de nobis præsumere.

Interrogaverunt me quidam verbum Dei grave ad discernendum, id est difficile ad judicandum de veritate ipsius, *et secundum me omnes superexcedens,* id est, meo judicio transcendens alias quæstiones in difficultate, vel omnium capacitatem et notitiam communiter vincens, *et in nullo librorum qui pervenerunt ad me contentum. Dicebant enim : Quæ sunt proprie distinctæ progenitæ,* id est filiæ, *octo cogitationum? Aut quæ ex tribus præcedentibus,* id est principalibus illis progenitis, *exstat mater cujuslibet reliquarum quinque?*

Ego vero ignorantiam meam allegans ad interrogationem illam laudabilem, ita didici a sanctissimis viris illis : Mater fornicationis est gula; mater vero acediæ est avaritia et gloria vana; tristitia vero inordinata, quæ mortem operatur, *est germen trium, sicut et ira,* hoc est, tristitia ista oritur tam ex acedia quam ex avaritia et vana gloria; *rursus quoque vana gloria est mater superbiæ.* Ista superius exposita sunt.

Ego vero rursus respondens, locutus sum ad illos sempiterne memorandos, id est æterna memoria dignos apud Deum et omnes electos, *deprecans discere et germina, et quæ cujus exsistunt partus,* id est, rogans illos ut docerent me quæ vitia producantur ex principalibus culpis illis, et qui « partus » seu filiæ sint singulorum. *At illi* [illegible] *-les,* hoc est in passionibus reformati perfecte, *docuerunt me valde benigne, dicentes non esse ordinem aut intellectum,* hoc est ordinationem legitimam aut sapientiam salutarem, *in imprudentibus et insensatis hominibus, sed omnem inordinationem et seductionem :* idcirco certus ordo quo diversa vitia ex eis procedunt, assignari non potest semper in particulari aut regulariter. *Et ipsi beati Patres persuadentes hoc congruis persuasibilibusque exemplis, dixerunt proponentes in medium plurimas declarationes : ex quibus aliquas ordinabo in præsenti sermone, quatenus ex illis illuminemur et doceamur de reliquis. Quale aliquid dicam :*

Risus importunus aliquando gignitur ex fornicatione et crapula; quandoque vero ex vana gloria, quum aliquis in se ipso irreligiose jactanter extollitur; interdum autem gignitur *ex deliciis et vaniloquiis, et ex malignitate,* quum alium quis irridet, et inde ridet; *aliquando vero ex dæmoniis* reducentibus ad memoriam aliqua vana, ludicra et burdosa, ex quorum recordatione homo impellitur ad ridendum etiam in divino Officio. *Quandoque multus somnus causatur ex deliciis* præcedentibus, seu desiderio carnalis repausationis in quantum delectabilis reputatur, *et ex repletione; aliquando vero ex jejunio, præsertim quum jejunantes extolluntur* de jejunio suo, propter quod diabolus permittitur somnum augere in eis : *aliquando vero* causatur [illegible], *aliquando ex natura,* id est ex causa pure naturali, secundum quod unus ex naturalibus suis præ aliis ad somnum dispositus est. *Multiloquium quoque aliquando oritur ex vana gloria, aliquando ex ingluvie ventris, quandoque ex stultitia et alienatione mentis, interdum ex agitatione dæmonum* [illegible]

[illegible] *timoris Dei, aliquando ex quiete carnali* [illegible] id est effectus seu proles, [illegible] id est de peccato in quo ipsimet culpabiles sumus [illegible] Est etiam quandoque ex im-

patientia vehementique ira. *Duritia cordis* A *quandoque est ex saturitate, sæpius vero oritur ex insensibilitate,* qua nihil spirituale aut salubre animo sapit, *et ex eo quod diligimus aliquid vitiose. Denique aliquid vitiose diligere, oritur quandoque a fornicatione, aut vana gloria, aut avaritia, aut a gula, atque ex aliis multis. Rursus malignitas est a propria reputatione et elatione et confidentia sui, et a furore et ira. Hypocrisis est ex arrogantia,* qua quis cupit honores, *et ex desiderio complacendi hominibus, et ex regulatione* B *aut complacentia propriæ voluntatis, et ex amore laudis, non ex amore sanctitatis.*

Horum autem contraria ex contrariis generantur. Et ut non multa dicam (deficiet enim me narrante tempus, si exquirere volo unumquodque per singula), humilitas est proprie interemptrix vitiorum omnium prædictorum : quam qui possident, omnia vitia illa *vicerunt.*

Genitrix omnium malorum est delectatio concupiscentiæ et malignitas. Quas qui intra se tenet, Dominum non videbit : ni- C *hil quippe proderit nobis,* quantum ad consecutionem salutis, *depositio prioris,* videlicet delectationis concupiscentiæ, *præter depositionem secundæ,* puta malignitatis.

Exemplum timoris Dei quis acceperit ex principibus et bestiis : hoc est, considerando quantum homines metuant principes terrenos et bestias quasdam sibi occurrentes, perpendere possumus quantum debeamus Deum timere. *Sed amor corporum fiat tibi typus,* id est exemplar et D forma, *desiderii ad Dominum :* id est, ex vehementia carnalis amoris quo multi afficiuntur ad carnem alterius videndam, palpandam et cognoscendam, attende cum quanto fervore debeas Deum desiderare, qui est infinite desiderabilior cunctis creatis. *Nihil enim nos prohibet facere exempla virtutum et ex contrariis,* id est ex actibus vitiosis.

Generatio præsens graviter malignatur, et tota repleta est elatione, vanitate atque hypocrisi. Si hoc ita fuit tempore Climaci hujus, quid opinari oportet de generatione temporis fæcis istius? *Nempe in corporales labores nostrorum antiquorum Patrum conscendens,* hoc est, hæc generatio attingens hujusmodi labores Patrum nostrorum veterum, *eorum vero charismatibus non est digna habita,* id est, per se non meruit tantam abundantiam divinorum charismatum quæ fuerunt in Patribus nostris, nec exstitit digna hujusmodi donis.

Equidem arbitror, nequaquam aliquando tanquam nunc charismatibus indigentiam habuisse naturam, hoc est, puto quod genus humanum nunquam sub evangelica lege tantum indiguit gratiis Dei ut nunc, propter ruinam et infrigidationem multorum. *Et merito patimur* spiritualem istam penuriam, *quoniam Deus manifestatur apparens non laboribus, sed simplicitati et humilitati,* id est, non per exteriores labores præcipue, sed per columbinam simplicitatem et intimam humilitatem, acquiritur illuminatio, contemplatio et gratiosa præsentia Dei. *Et si virtus Domini in in-* II Cor. XII, 9.
firmitate perficitur (nam et virtus a Deo infusa exercetur et consummatur per patientiam in adversis), *itaque non replebit Dominus humilem operatorem,* id est humiliter obedientem? quasi dicat : Utique Deus implebit eum donis gratiæ ac virtutum.

Quando aliquem pugilem (id est fidelium ministrorum ac militum) *Jesu Christi videmus corporaliter afflictum, non satagamus ex malignitate addiscere judicium,* id est causam, *suæ infirmitatis,* suspicando et arbitrando quod propter sua peccata ita plagatus sit; *sed potius suscipientes eum tanquam proprium membrum, et velut commilitonem nostrum et militem Christi in pugna* contra aciem vitiorum *plagatum* ab invisibilibus hostibus : « suscipientes » itaque « eum », *caritate simplici et sine malignitate curemus* eumdem a sua afflictione, tentatione seu culpa, orando, hortando, corripiendo, corrigendo et informando, exemplariterque vivendo.

Est infirmitas propter purgationem offensionum, id est, quædam infirmitates infliguntur ut per eas nostra purgentur peccata, *et est ad humiliandum sapere nostræ prudentiæ*, id est, quædam infirmitas ordinatur ad exstirpandum extollentiam scientiæ nostræ inflantis. *Bonus et optimus et superbonus rex ac Dominus noster quum viderit aliquos otiosos et ad virtutum exercitia pigriores, de cetero humiliat carnem eorum sæpius per infirmitatem, quasi per remissiorem exercitationem :* nam exercitatio illa infirmitatis est minus periculosa et tolerabilior quam diabolica tentatio et aliæ quædam tribulationes et persecutiones. *Est autem quando*, hoc est interdum Deus per adversitatem, *emundat animam a vitiis cogitationibusque malignis.*

Universa nobis accidentia, utpote prospera seu adversa, *sive visibilia sive invisibilia, contingit suscipere virtuose, et vitiose, ac medie*, id est indifferenter. Dum enim suscipimus adversa patienter, suscipimus ea virtuose ; quando impatienter, tunc vitiose ; quando autem suscipimus ea tanquam aliquid naturale sive fortuitum, et inde non perturbamur, neque ad finem salubrem referimus ea, tunc suscipimus ea indifferenter ac medio modo : similiter dum prospera cum gratiarum actione suscipimus, virtuose suscipimus ea ; dum vero ex eis extollimur, vitiose hoc agitur. Hinc subditur : *Vidi tres Fratres damnum sustinentes : et ille indignatus est*, impatienter ferendo ; *iste vero permansit absque tristitia*, tanquam naturale et solitum aliquid passus ; *hic autem gaudium multum lucratus fructificavit*, id est, cum spirituali lætitia sustinens, copiosam meruit gloriam.

Vidi ab agricultoribus [illegible] *seminari*, id est a diversis Christifidelibus in vinea Dei (quæ est Ecclesia) laborantibus unum et idem opus fieri ; *sed unusquisque* agricolarum illorum [illegible] *propriam intentionem*, *et ille quidem ut sua debita solveret*, id est, unus eorum A bonum egit ut præceptum impleret : *iste vero ut thesaurizaret sibi divitias* spirituales, et dives fieret in operibus bonis ; *hic autem ut donis regem honoraret*, id est, Deo servivit propter infinitam et propriam honorabilitatem ipsius. Primum horum est servorum fidelium ; secundum est mercenariorum (si tamen referatur ad debitum finem, est proficientium) ; tertium est amicorum et perfectorum.

Alius facit bonum ut captet laudem a prætereuntibus, puta a proximis morituris B ac defluentibus, *super bona opinione*, id est de bona fama quam acquirit faciendo bona opera ex genere. Iste miser sequitur Pharisæos et viles fatuosque hypocritas. *Alius vero, ut tribulatione affligat inimicum suum zelantem et æmulantem :* et hoc bonum est, si de invisibili hoste intelligatur ; si autem de homine, malum est, quum debeamus facere bona ut proximos ædificemus, non ut eos tribulemus. *Hic autem, ne quasi otiosus improperia ab hominibus patiatur :* quod est facere bonum C ex timore servili, carnali, humano ; nec est meritorium apud Deum.

Istæ sunt appellationes, id est nomina, imo et res significatæ per voces, *seminis agricultorum*, id est, isti sunt actus virtuosi eorum qui in agro et vinea Christi laborant, videlicet : *jejunium, abstinentia, vigiliæ, eleemosynæ, ministrationes*, id est fraterna vel Dei obsequia, *et his similia.*

Et sic Fratres extorqueant a se ipsis labores prompte in Domino, quemadmo-D *dum homines* [illegible] *prompte hoc faciunt.* Tunc utique seminabunt bene. *Est autem quando latenter* [illegible] : *ita et operantes virtutes perplexas*, id est aliquid periculositatis annexum habentes in actibus suis, propter mala quæ eis frequenter faciliterque miscentur, [illegible], sed occulte [illegible] *dicam :*

[illegible]

ritati fraternæ miscentur *familiaritates carnales, nociva colloquia et fornicatio; discretioni* se miscent *versipellitas, astutia et reputatio propriæ sufficientiæ; prudentiæ* miscetur *malignitas; mititati, segnities, adulatio linguæ, otiositas, gravitas.* Hoc sic accipi potest, quod quatuor vitia ista mansuetudini inseruntur; potest quoque sic legi et accipi, quod « linguæ », id est affabilitati, conjungitur « adulatio », et « otiositas » gravitati seu maturitati. *Justitiæ* admiscentur *zelus* amarus et indiscretus, *contradictio, complacentia ac regulatio propriæ voluntatis, duritia et inaudientia,* id est inobedientia : quæ omnia sæpe assumunt apparentiam quamdam justitiæ. *Silentio* sociantur *tumor docendi,* id est superba pronitas ad docendum, *judicium* temerarium, *displicentia* irrationabilis in factis aliorum, *insufferentia loquentium, amaritudo et indiscretio.* Non ergo reputemus silentium nostrum, nisi vitemus hæc omnia mala. *Gaudio spiritus,* id est gaudio spirituali, se commiscent *elatio, jactantia et propria reputatio; spei* miscentur *pigritia, negligentia, tepiditas contritionis et pœnitentiæ; caritati iterum* inseritur *judicare proximos; remotioni solitariæ* copulantur *acedia, otiositas, vel exercitium inconveniens ac inutile; castitati, arrogantia et amaritudo; humilitati, silentium inconveniens tempore conculcationis justitiæ,* id est, quando defendenda est ipsa justitia verbo ac opere, *et confidentia propria. Denique universis virtutibus his vana gloria concomitatur, tanquam commune collyrium* excitans et quasi ungens sive illuminans ad agendum, *magis vero tanquam letiferum poculum,* id est potio venenosa omnem actum bonum corrumpens.

Postulantes aliquid Dominum et non exauditi ab eo in longis temporibus, non contristemur de hoc quasi ex diffidentia aut pusillanimitate, *quoniam Dominus vellet,* quantum in se est, *omnes homines mundari a vitiis in uno momento temporis,* sed ex rationabilibus causis differt exaudire, prout sapientia atque justitia ejus dictant.

Omnes postulantes et non reportantes ex Deo postulationes, id est orationum suarum auditiones, *non suscipiunt postulata penitus propter unam,* id est aliquam, *harum causarum : vel quia ante tempus petunt :* non quia semper orandum non sit, sed petunt antequam Deus exaudire decrevit, ideo differt; ipsi tamen interim utiliter orant; *vel quia petunt indigne,* utpote vago corde et absque reverentia, *et vane gloriose,* præsumendo de meritis suis; *vel quia suscipientes, futuri erant in superbiam extolli,* hoc est, si exauditi fuissent, superbissent, *aut deinceps negligenter vivere erant futuri post petitionis suæ possessionem,* id est exauditionem.

Neminem arbitror hæsitare, quod dæmones et vitia recedunt ex anima aliquo tempore, aut et continue, id est statim ac simul : quod intelligendum est de anima pœnitente atque tentata. *Quot vero modis fiat recessus horum* (videlicet dæmonum et vitiorum) *a nobis,* id est, quot modis discedant ab anima, *sic pauci sciunt,* id est, pauci ex nostra doctrina, vel pauci ex nostra societate.

Recesserunt vitia a quibusdam, non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, præter unum, quod replet locum universorum, utpote præter superbiam, quæ radicaliter continet in se vitia universa; *illo solo* vitio in hominibus *relicto, tanquam principante et primatum tenente in malis,* id est inter peccata, *quod et projectum est de cœlo subtus.*

Consumitur materia, id est congeries vitiorum, *igne divino consumpta :* caritas enim operit multitudinem peccatorum. 1 *Petr.* IV, 8. *Itaque silva vitiorum eradicata et anima expurgata, obdormiunt de reliquo vitia,* id est, esse cessant in anima tali, præsertim peccata mortalia, *nisi iterum ea contraxerimus alicubi propter cœnosam et materialem conversationem,* id est per occupationem terrenam, et vitam carnalem, et negligentiam in divinis.

Dæmones voluntarie recedunt a nobis, præparantes nos degere, id est, conantes ad hoc ut vivamus, *sine sollicitudine et cautela ac studio spirituali, ut superveniendo repetentes rapiant miseram animam nostram,* ut negligentem et incustoditam vincant, et jugo suæ captivitatis subjiciant.

Novi et aliam subtractionem bestiarum, id est alium recessum dæmonum quo subtrahunt se a nobis. *Nam postquam fecerunt animam perfecte assuescere moribus pravis, et vitiis eam qualificaverunt usque ad summum, cernentes animam jam factam insidiatricem sui ipsius per se et impugnatricem,* ita quod habitibus et consuetudinibus vitiosis in se exsistentibus incitatur et agitatur ad peccandum assidue, *tunc recedunt,* ut anima quasi secura totaliter pereat. *Et hujus rei exemplum sunt parvuli : etenim post longam consuetudinem* qua ubera diu suxerunt, *jam sine ubere* exsistentes, utpote nutrice privati, *proprios digitos sugunt,* id est, ori imponunt ut sugant. Conformiter anima ex consuetudine peccandi provocat se ipsam ad mala.

Novi et quintam impassibilitatem a passionum impugnatione immutantem, *consistentem in anima ex multa simplicitate*
Ps. vii, 11. *atque laudabili puritate. Justum enim est adjutorium talium a Deo, qui salvos facit rectos corde, et insensibiliter eos commutans, liberat eos a malis,* hoc est, per internam alterationem qua eorum corda compungit salubriterque immutat, præservat aut eripit eos a passionibus et peccatis, ita quod eorum immoderationem non
Prov. ii, 7. sentiunt. Protegit enim Dominus gradien-
Ibid. xi, 3. tes simpliciter; et justitia simplicis diriget viam ejus. *Quia et parvuli nudati et exspoliati minus cognoscunt*, id est, non multum advertunt suam nuditatem et exspoliationem.

Malitia aut vitium non est naturaliter in natura rationali, loquendo de natura integra, non violata, prout a Creatore est instituta. Ideo subditur : *non enim vitiorum creator est Deus.* Unde vitium seu peccatum est recessus a ratione, ordine ac naturali institutione; et ipsa voluntas creata, secundum quod est ex nihilo et de se defectiva, est radix et origo peccati. *Sed multæ virtutes naturales a Deo in nobis sunt factæ. Ex quibus manifestæ sunt istæ : misericordia, quoniam et* Ἕλληνες *sunt compassivi; amor, quoniam et irrationalia animalia pluries invicem lacrimantur,* id est tristantur, *super defectione privationis,* hoc est, propter hoc quod vident consortes suæ speciei deficere ex privatione necessariorum; *fides, omnes enim parturimus eam ex nobis ipsis,* id est, naturaliter exigimus ab invicem fidem, et sola fide tenemus quod ille aut ille sit pater noster aut avus; *spes, quia et qui redimimur* a temporali afflictione, *et qui mutuo commodamus, et qui navigamus ac seminamus, meliora speramus.*

Circa ista sciendum, quod quidam dixerunt virtutes atque scientias esse hominibus concreatas, etiam secundum distinctionem suorum habituum. Alii verius docuerunt, quod nobis innatæ sint secundum habitus quosdam confusos, indeterminatos ac generales, et quantum ad aliquam inchoationem ac aptitudinem : et istud auctor modo insinuat, quoniam misericordia, fides, amor et spes de quibus jam loquitur, non sunt virtutes, quum insint et brutis; sed ostendunt quod in hominibus sit inchoatio atque habilitas ad veras virtutes quæ istis nominibus designantur et appellantur. Juxta quem sensum subjungitur :

Igitur [illegible] *quod* [illegible] *naturalis virtus exsistit in nobis.* Caritas qua Deum proximumque diligimus, est virtus theologica, supernaturalis, infusa; sed dicitur « naturalis », quia naturæ rationali conveniens est, et ipsa natura inclinationem habet ad eam. [illegible], id est virtus unitiva cum Deo et conservativa mentis in 14.
eo, *et est plenitudo legis,* sicut ait Apostolus : Plenitudo legis est dilectio. *Igitur* 10.

virtutes non sunt longe a natura, quum sint ei tam convenientes et inchoatæ in ea. *Confundantur ergo* confusione salubri ad pœnitentiam, *et erubescant* de suo errore, *allegantes impotentiam super operatione earum,* id est, qui dicunt quod impossibile sit homini virtutum opera exercere.

Super naturam sunt castitas, inirascibilitas, id est mititas, *humilitas, oratio, jejunium, vigiliæ incessabilisque compunctio :* quia virtutes et actiones istæ secundum quod in evangelica lege præcipiuntur aut consuluntur, sunt infusæ aut supernaturali ope Spiritus Sancti exhibitæ, nec ad eas sufficiunt naturalia sola, quemadmodum nec ad ceteras virtutes et actiones meritorias. *Harum* virtutum et actionum *quarumdam quidam homines sunt magistri, aliarum vero angeli, aliarum autem ipse Deus Verbum est magister et dator.* Certum est quod omnium virtutum et actionum istarum magister principalis et dator efficiens sit Trinitas Deus, quum et
Is. xxvi, 12. Isaias loquatur : Domine, dabis pacem nobis ; omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Propter quod orat Psalmista :
Ps. cxlii, 10. Doce me facere voluntatem tuam ; et, Doce
Ps. cxviii, 12, 26, etc. me justificationes tuas. Similiter, tam angeli sancti quam homines possunt hortari ac informare nonnullos ad prædictas virtutes et actiones. Idcirco auctoritas ista intelligenda est per quamdam appropriationem.

In comparatione malorum oportet nos quod levius est eligere. Hoc est quod communiter dicitur : Inter duo mala minus malum est eligendum. *Quale est, quod plerumque stantibus nobis in oratione, Fratres ad nos veniunt, et alterum duorum necesse est facere,* scilicet, *aut orationem relinquere,* id est interrumpere, *aut Fratrem sine responsione dimissum contristare. Major est caritas oratione,* quæ est actus virtutis moralis, videlicet latriæ, qua valde præstantior est caritas, utpote virtus theologica, et inter theologicas summa. Ideo oratio in tali casu est magis interrumpenda, præsertim si Frater exspectare non
A possit, et oratio sit supererogationis, non debiti ; alioqui aliter esset agendum. *Ista quidem est particularis,* id est, oratio versatur circa obtinendum aliquid pro orante, aut est pro parte communitatis frequenter, quamvis quandoque fiat pro omnibus ; *illa vero,* videlicet caritas, *comprehensiva est omnium,* quia ad universos, etiam inimicos et infideles, se extendit, *et confitetur,* id est, movet ad confessionem laudis divinæ, et ad confitendum ea quæ fidei sunt, pro communi bono Ecclesiæ, quod
B præfertur bono particulari.

Rursus, quum adhuc juvenis essem, veniens aliquando in villa et sedens in mensa, unanimiter comprehensus sum, id est simul concorditerque tentatus, *a cogitationibus gulæ et gloriæ vanæ,* ita quod cogitatio gulæ suggessit ut multum comederem, cogitatio vanæ gloriæ, ut parum, quatenus sobrius reputarer. *Timens ergo insanam gastrimargiæ prolem,* id est irrationabilem cogitationem seu fœditatem ex gula conceptam, *victus succubui magis*
C *vanæ gloriæ,* modicum comedendo ex affectu laudis et reputationis humanæ. Verumtamen in tali tentatione et casu utrumque malum est superandum, ut cogitationi malæ resistat atque prævaleat virtus sobrietatis, cogitationi autem vanæ gloriæ sancta humilitas, sicque sobrie quis manducet propter Dei honorem propriamque salutem.

Novi ego, dæmonem gulæ plerumque in juvenibus vincere eum qui est initium dæmonis vanæ gloriæ, id est ipsum spi-
D ritum qui tentat originaliter seu principaliter de gloria vana : sicque « initium dæmonis vanæ gloriæ » est ipse dæmon initians vanam gloriam seu primordialiter ad eam instigans. *Et rationabiliter* dico istud. *Apud eos enim qui in mundo sunt, radix omnium malorum est avaritia, apud* I *Tim.* vi, 10.
monachos vero gula.

In spiritualibus viris sunt plerumque quædam minima vitia derelicta dispensative a Deo, ut maxime vituperantes se ipsos propter exilia quædam, scilicet par-

va ac venialia, *quæ sunt sine delicto* notabili ac mortali, *possideant divitias humilitatis imprædabiles,* id est, actiones et merita copiosa humilitatis inamissibiliter servent.

Degentem, id est, commorantem et viventem, *sine obedientia et subjectione* sub Patre spirituali, *non contingit humilitatem possidere in prooemiis,* hoc est in principio suæ conversionis ; *quoniam omnis qui discit artem industria atque arbitrio propriæ voluntatis, phantasticatur,* id est illuditur. Hoc secundum communem legem est verum : verumtamen Deus interdum per gratiam specialem aliter facit, et fecit multoties in quibusdam, quemadmodum in beatissimo Paulo primo eremita, et felicissima illa Maria Ægyptiaca.

In duabus generalissimis virtutibus Patres determinant, id est, principaliter constituunt et consummari affirmant, *vitam activam : et rationabiliter* dicunt hoc. Deinde innuit quæ sint illæ virtutes. *Nam una earum est interemptiva concupiscentiarum et delectationum* carnalium. Hæc est temperantia, per quam delectationes gustus et tactus refrenantur. *Alia vero internecionem muniens humilitate, certam fecit eamdem.* Hæc est obedientia, quæ mortificationem concupiscentiarum ac delectationum humili subjectione confirmat securamque efficit. *Propter quod et luctus duplex,* id est, duplicem habet effectum, tanquam exsistens aliquid *peccati interemptivum, et humilitatis effectivum.* Luctus quippe pœnitentiæ delet culpam, et sui ipsius humiliationem seu humilitatis augmentum meretur : imo ex attritione fit sæpe per luctum contritio, et tunc luctus humilitatem veram procurat.

Piorum est omni petenti tribuere id quod petunt, si rationabiliter petant et aliunde nil obstet, quum Christus locutus
Luc. vi, 30. sit : Omni petenti te, tribue. *Illorum vero qui sunt magis [illegible] petenti. At vero ab auferente non repetere* ea quæ abstulit, [illegible] ea repetere hi quibus ablata sunt aliqua, [illegible]

A *prium est tantummodo impassibilium,* hoc est, solis perfectis id convenit, qui a passionibus reformati sunt plene. Verba hæc in Evangelio sunt contenta, et ibi diffuse Cf. Luc. vi, 30.
exposita sunt.

In omnibus vitiis et universis virtutibus ubi, id est in quibus, *sumus exquirentes,* hoc est, perscrutantes et discutientes, *nos ipsos, non cessemus examinare utrum in principiis, aut in medietate, vel in fine.* Hic supplendum est aliquid, ut sit sensus : « Non cessemus examinare utrum »
B in actionibus nostris incepit ratio virtutis aut vitii statim a principio actionis, vel in prosecutione, aut in fine. Quandoque enim quod bene inceptum est, in prosecutione per vanitatem aut alterius vitii admixtionem corrumpitur aut fuscatur, interdum vero in fine ; et mixta hæc oportet magis aut minus pœnitere, atque de cetero diligentius se habere.

Omnia prœlia dæmonum quæ sunt contra nos, constituuntur ex his tribus causis, hoc est, ex aliqua harum trium cau-
C sarum fiunt, videlicet : *aut ex amore concupiscentiæ et delectabilium :* quod contingit quando dæmones tentant nos eo quod videant nos inclinari ad oblectamenta sensualitatis et pronos esse ad concupiscentias ; *aut ex superbia :* quod fit quando propter superbiam nostram tentari permittimur ; *aut ex invidia* dæmonum contra nos. Ad quas tres causas tentationum ceteræ reducuntur. *Et ultimi quidem,* qui ex sola dæmonum invidia impugnantur, *beati sunt* jam in spe ac merito abundan-
D te, quum sint multum virtuosi ; *primi vero,* qui tentantur ex amore concupiscentiæ, *inutiles sunt usque in finem,* utpote passionati, nisi emendent se ; *medii autem,* qui ex superbia impugnantur, *sunt omnino miserrimi,* quum sint filii infelicissimæ elationis : cui si restiterint et Deo auxiliante prævaluerint, incipiunt beatificari.

[illegible]

amplius formidabit aut aliquem dolorem avertet. Sensus iste dolorosus, qui potius dici potest affectio, est habitualis atque assidua recordatio passionum et omnium quæ Salvator pro nobis sustinuit, dolorosa quoque ac jugis consideratio divini judicii, futuri supplicii, præsentis exsilii, imo et peccatorum nostrorum, itemque periculorum et laqueorum quibus expositi sumus. Iste sensus est « portator doloris » et « amator » ipsius, quoniam facit nos omnem salubrem dolorem, afflictionem ac gemitum æquanimiter ferre, imo et affectare : « a quo » sensu qui « captus » est, id est qualificatus ac habituatus, non timebit de cetero aspera et adversa, nec ullum pium « dolorem » repellet a se. *Animæ martyrum tentæ,* id est repletæ, *eodem sensu, sempiterne,* hoc est indesinenter ac jugiter in hac vita opportune, *contempserunt cruciatus,* eos non metuendo nec fugiendo.

Aliud est custodia cogitationum, et aliud observantia mentis. Quantum distat ortus ab occidente, in tantum secunda, videlicet observantia mentis, *laboriosior et altior est priore,* id est custodia cogitationum. Quid ergo est horum utrumque ? Dicendum, quod « custodia cogitationum » est cogitationes illicitas evitare et bonis cogitationibus stabiliter immorari ; « observantia » autem « mentis » est ipsam mentem ab omni inordinato affectu et evagatu servare immunem per jugem elevationem et defixionem ejus in Deum, ita ut nec formas nec species impertinentes admittat sive recipiat.

Aliud est orare contra cogitationes, et aliud est contra respondere et loqui eis, et aliud est eas vilipendere et superponi. « Contra cogitationes orare » est Dominum invocare pro gratia et virtute fugiendi et abjiciendi cogitationes illicitas : quod est infirmorum et incipientium. Porro cogitationibus « contra respondere et loqui » est eas rationabiliter confutare et eas abjicere considerando indecentiam earumdem : quod est proficientium. « Eas » autem « vi-
A lipendere et superponi » est eas prompte ad libitum ad primum earum pulsum repellere, dominarique eis per amorosam atque celerrimam elevationem ac stabilitionem mentis in Deo : quod est perfectorum.

*Et primo quidem modo testimonium
perhibet dicens, Deus, in adjutorium me- Ps. LXIX, 2.
um intende, et his similia :* hoc est, Propheta orando prætactum versiculum attestatur primo modo, utpote orationi contra cogitationes, ita quod in persona infirmorum Propheta hoc orat, quamvis oratio illa
B secundum variam expositionem possit proficientibus ac perfectis competere. *Secundo vero ait,* id est, Propheta in persona respondentis et loquentis cogitationibus
pravis, dicit : *Respondebo exprobrantibus* Ps. CXVIII,
mihi, verbum contradictorium; et iterum, 42.
Posuisti nos in contradictionem vicinis Ps. LXXIX, 7.
nostris. Tertio testis est, hoc est, idem Propheta testatur tertio modo, *melodizans,* id est, psallens in persona vilipendentis co-
gitationes inutiles : *Obmutui et non ape-* Ps. XXXVIII,
rui os meum ; et, Posui custodiam ori 10; Ibid. 2.
C *meo, quum consisteret peccator adversum
me ; et rursus, Superbi inique agebant us-* Ps. CXVIII,
quequaque, a tua vero contemplatione non 51.
declinavi.

Et medius horum, qui cogitationes pravas confutat respondendo eis, *frequenter utitur primo modo,* id est, sæpe orat contra hujusmodi cogitationes, *propter præparationis carentiam,* hoc est, quia sine præparatione cordis cœpit orare aut alia bona opera facere : propter quod pravæ cogitationes incidunt ei, quas non potest
D ita faciliter sicut oportet repellere ; ideoque Dei subsidium invocat. Hinc hortatur
Scriptura : Ante orationem præpara ani- Eccli. XVIII,
mam tuam. *Primus vero,* qui orat contra 23.
cogitationes, *nondum prævalet secundo modo inimicos,* id est nocivas cogitationes, *repellere,* respondendo eisdem modo prætacto : imo per hoc incideret distractionem majorem. *Tertius autem,* qui cogitationibus dominatur, *dæmones recurvavit et humiliavit ex toto,* id est, perfecte eos devicit.

Naturaliter difficile est incorporeum a corpore terminari; omnia vero possibilia sunt Deo creanti. Non est hoc ita intelligendum quasi unio animæ rationalis immortalis et incorporalis cum corpore suo sit miraculosa aut innaturalis; sed verum est quod spiritus incorporeus, scilicet anima seu angelus, non terminatur circumscriptive a corpore, sed definitive.

Quemadmodum qui sani et bene dispositi sunt in sensu odoratus, cognoscere possunt tenentem latenter aromata, quem odorando adesse percipiunt; *ita et anima munda suavitatem et bonum odorem gratiarum sentit, quem et ipsa possedit ante ex Deo.* Talis etenim anima interiori experitur sapore quam dulce sit virtutibus occupari atque divinis charismatibus adimpleri. *Fœtorem vero vitiorum exsistentem in aliis, a quo ipsa commutata et liberata est* per pœnitentiam et gratiam Dei, *cognoscere habet naturam,* id est, ex sua proprietate et gratia noscit, vel quia et ipsa fuit aliquando tali fœtore infecta, vel quia contrariorum est una notitia eademque scientia, *insensibiliter dispositis aliis,* id est, ipsis vitiosis hominibus non sentientibus nec attendentibus propriam fœditatem, quum palatum cordis eorum infectum sit. Imo nonnulli Sancti exteriori etiam odoratu perceperunt fœtorem vitiorum in aliis.

Nempe non universos impassibiles fieri possibile est, id est, fieri non valet ut omnes perfecti sint. Quod utique secundum quemdam modum impossibile est, utpote stante et durante solito cursu, processu ac ordine vitæ humanæ. Alio autem modo
I Cor. VII, 7. possibile est, quum dicat Apostolus : Volo omnes esse sicut me ipsum. *Omnes vero viatores salvari et Deo reconciliari non est impossibile,* absolute loquendo quum
I Tim. II, 4. et Deus velit omnes salvari. Veruntamen ex suppositione impossibile est, quum in-
Matth. XX, 16. fallibiliter dictum sit : Multi sunt vocati, pauci electi.

Neque dominabuntur [illegible] *te,* puta hæretici alieni a fide non per trahant te ad suos errores, *qui scrutari curiose et inquirere volunt arcanas et ineffabiles Dei dispensationes aut visiones in hominibus factas,* hoc est secretas operationes, revelationes et illuminationes quas pietas Dei in quibusdam peregit per infusionem multiplicem suorum charismatum, quorum corda variis modis tetigit, compunxit, immutavit, inflammavit, edocuit, exhilaravit, rapuit et implevit, *et latenter supponunt Deum esse acceptorem personarum : qui sunt et esse noscuntur progenies,* id est filii, *propriæ reputationis et arrogantiæ :* quia superbe præsumunt discutere incomprehensibilia Dei, et quare hunc trahat et illum relinquat, et huic gratiosius adsit quam alteri, ac variis modis in hominibus operetur; non contenti nec territi ac reprehensi verbo Omnipotentis dicentis in Exodo : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Exod. XXXIII, 19

Dæmon avaritiæ est plerumque humilitatem simulans : sicut dum aliquis cupidus suggerente diabolo excusat se ab eleemosynarum elargitione, ne videatur eleemosynas dare propter laudem humanam. *Est et dæmon vanæ gloriæ ad eleemosynam exhortans* eos quos videt pronos ad gloriam vanam, non ut eleemosynam dent, sed ut eam dando vana intentione gravius peccent, *quemadmodum et dæmon amoris carnalis concupiscentiæ,* id est, spiritus fornicationis interdum instigat quosdam dare indigentibus feminis, quatenus sibi in malo consentiant. *Si ergo fecimus emendationem amborum,* id est, si purgavimus corda nostra a vana gloria et carnali concupiscentia, *non cessemus misereri,* id est compati atque succurrere indigenti pro posse, [illegible] ad hoc opportuno.

[illegible]

[illegible] Quod verum est in particulari aliquo loco et materialiter; nam unus eorum instigat aliquando ad aliquod opus a quo retrahit alter. In communi tamen forma libenter concordant quoniam omnes una

nimiter quærunt nostram damnationem. Ideo subditur : *ego vero cognovi omnes* dæmones *nostram damnationem exquirere.*

Omnem spiritualem operationem, visibilem et invisibilem seu intellectualem, hoc est omnem actum virtuosum, interiorem et exteriorem, seu occultum et manifestum, *antecedit propositum proprium et desiderium virtuosum cum cooperatione Dei factum,* id est ex inspiratione divina conceptum. Sed quum ipsum propositum tale et desiderium virtuosum sint quidam actus virtuosi, quomodo præcedunt omnem actum virtutum ? Et respondendum, quod auctor loquitur de operatione spirituali quæ præsupponit propositum ac desiderium ex quibus causatur : actus quippe humanus vere intentus, ex deliberatione atque proposito voluntatis desiderio oritur ac procedit. *Prioribus autem non suppositis et submissis, secundum non habet naturaliter subsequi,* id est, naturale et ordinarium non est ut opera virtuosa exerceantur, nisi propositum ac desiderium faciendi ea præcedant.

Eccle. III, 1. *Si tempus est omni rei sub cœlo, quemadmodum ait Ecclesiastes* (quod tamen de mixtis præcipue dictum est, quibus præfixa est certa periodus), *in omnibus vero et negotia sanctæ nostræ conversationis exsistunt,* hoc est, in omni tempore exercitia sanctæ vitæ fieri debent, et quælibet actio bona fieri debet tempore opportuno; *intendamus igitur, si videtur,* id est, quid agere debeamus consideremus : quod utique perutile nobis videri debet; *et in unoquoque tempore, tempori propria quæramus,* hoc est, solliciti simus ut in omni tempore faciamus quod in eo agendum est, et unumquodque opus agamus tempore opportuno.

Tempus enim est penitus libertatis et emundationis vitiorum, id est impassibilitatis, in agonizantibus, hoc est, ipsis laborantibus in via ac profectu virtutum competit et præfixum est tempus in quo merito debent esse liberi et purgati a vi-

A tiis, quod est tempus « impassibilitatis », id est plenariæ reformationis ab immoderationibus passionum ; *est et tempus passibilitatis pugnæ vitiorum propter agonizantium parvitatem,* hoc est, certum est tempus quo passiones adhuc excitantur in homine, per quas homines impugnantur a vitiis propter ipsorum hominum in Dei servitio laborantium imperfectionem. Et hoc est tempus propinquum abrenuntiationi et conversioni, in quo reliquiæ vitiorum motusque passionum et tentationum
B adhuc durant et vigent in homine.

Tempus lacrimarum, et tempus obdurationis cordis, in quo homo juste a Deo relinquitur, ita quod induratur ; *tempus subjectionis et obedientiæ, et tempus præcipiendi et subordinandi :* qui enim aliquibus præest et aliquibus subest, opportuno tempore debet subditis suis præcipere, et aliquos sibi subordinare, et sicut vult sibi obediri a subditis, ita et ipse debet superioribus suis obtemperare ; *tempus jejunii, et tempus refectionis; tempus præ-*
C *lii inimici corporis,* id est, tempus est quo caro animam ipsam impugnat, juxta illud, Caro concupiscit adversus spiritum, *et tem-* Galat. v, 17. *pus mortis ignitionis et calefactionis motus,* hoc est tempus mortificandi ignitos stimulos inflammationesque motuum carnis ; *tempus hiemis,* id est tempus tribulationis et inquietudinis animæ, *et tempus quietis mentis,* id est internæ tranquillitatis ; *tempus tristitiæ cordialis, et tempus gaudii spiritualis; tempus doctrinæ, et tempus auditionis,* hoc est, tempus est
D instruendi alios, et tempus est audiendi informationem ab aliis ; *tempus inquinationum æque,* id est, tempus est quo juste incidimus varias inquinationes, *propter propriam reputationem* et elationem, *et tempus purgationis et munditiæ propter humilitatem,* hoc est, tempus est in quo purgamur a Deo, quia humiliter consideramus et confitemur nostros excessus ; *tempus certaminis et luctæ* contra invisibiles atque visibiles adversarios animæ, *et tempus quietis certæ* a præliis illis ; *tem-*

pus tranquillæ remotionis, id est solitariæ abstractionis, *et tempus non occupantis occupationis,* hoc est contemplationis, quæ occupando non occupat, quia dulcissime et sine inquietudine ac libertatis minoratione actuat mentem; *tempus orationis sine intermissione, et tempus ministrationis sine simulatione.*

Non ergo quæ sunt temporis quæramus ante tempus, id est, quæ certo tempore sunt agenda aut quærenda non agamus nec inquiramus ante hoc debitum tempus, *seducti ex superba promptitudine,* hoc est, indiscreto fervore seu alacritate elationi admixta. *Non quæramus in hieme quæ sunt æstatis, non in semine quæ sunt manipulorum,* id est, tempore seminationis non quæramus mox fructum percipere: *quoniam tempus est seminandi labores et dolores,* hoc est occupandi se in exercitiis pœnitentialibus, laboriosis ac dolorosis, atque in præliis contra dæmones ac peccata, *et tempus metendi gratias ineffabiles et arcanas,* id est obtinendi a Deo in vita hac charismata copiosa, visitationes, inflammationes, illuminationes gratiosissimas et secretas, imo inexpertis prorsus ignotas. *Alioqui neque in tempore reportabimus propria tempori,* hoc est, nisi ita egerimus, non acquiremus a Deo in aliquo tempore quod in eo fuerat acquirendum.

Quidam ante labores, quidam in laboribus, quidam post labores, quidam in morte, sanctas remunerationes a Deo, secundum secretam dispositionem, de propriis fatigationibus portaverunt. Difficultatem intelligendi hæc facit additio ista: « de propriis fatigationibus ». Quis enim ante labores fatigatur, aut de propriis fatigationibus remunerationem sortitur? Idcirco quod dicitur, « de propriis fatigationibus », non est referendum ad primam differentiam horum, puta ad eos qui ante labores remunerantur; vel si refertur ad eos, sensus est, quod Deus interdum dat aliquibus munera gratiosa propter futuras eorum meritorias fatigationes. Itaque Deus

A secundum dispensationem suam « secretam », id est incomprehensibilem dispensationem et erogationem, donat aliquibus « sanctas remunerationes », utpote piissimas visitationes, inflammationes, consolationes, illustrationes, spirituales profectus, antequam pro his laborent: quos gratiosissime prævenit, et per talia allicit sibi. Quibusdam vero dat ista in ipsis eorum exercitiis virtuosis ac laboriosis; aliis, « post » diuturnos eorum « labores » propter ista obtinenda exhibitos; ceteris, in B ipsa hora mortis, vel ante vel post egressum: nam quidam durante ægritudine mortis mirabiliter visitantur et exhilarantur, imo et perficiuntur a Deo, vel post egressum optatam consolationem adipiscuntur. Quidam etiam toto tempore vitæ suæ adspirant ad eam, nec tamen experiuntur eam unquam in vita præsenti.

Quærendum quis altero est magis humilis, hoc est, quis inter hos omnes exstat humilior. Quæ quæstio hoc inquirit: quænam remunerationum istarum sit ex sua C natura occasio seu incitamentum humilitatis majoris. Ad quod quidam respondent, quod illa quæ est post labores. Qui enim sic consolantur quod præveniuntur a Deo, habent occasionem sentiendi aliquid plus de se, quam qui tam difficulter aut tam tarde visitantur et exhilarantur a Domino: quamvis aliunde possit aliter evenire, præsertim quum et hi qui præveniuntur, possint etiam majori humilitate præveniri, seque tanto plus humiliare ac Deo subjicere gratesque agere, quanto minus talia D meruerunt, quanquam raro contingat hoc ipsum.

Est desperatio [illegible] dine peccatorum, et pondere conscientiæ, [illegible] supernimie, id est valde permaxime, *sub-* [illegible] est culparum [illegible] *fundum.* Desperatio ista directe contingit ex hoc quod peccator enormitatem suorum excessuum intuetur ac ponderat abs-

que respectu ad immensitatem pietatis divinæ. *Et est desperatio ex superbia et elatione nobis contingens, quum æstimamus nos ipsos quasi indignos eo lapsu et eventu qui accidit,* hoc est, dum majora sentimus de nobis ipsis quam licet, ita quod arbitramur nos quasi Dei amicos aut ceteris meliores, ideoque condignos præservatione divina, qua defendamur a malo culpæ ac pœnæ; quumque oppositum accidat nobis, propter falsam superbiam nostram incidimus in desperationem, incipientes de Deo diffidere, qui ita reliquit nos inopinate.

Qui istud observat, id est, diligenter considerat, *proprietatem inveniet in ambobus,* id est, amborum desperantium horum qualitatem ac modum investigando cognoscet. *Illius quidem obstinatæ insufferentiæ se ipsum tradere,* id est, hoc advertet quod se ipsum sponte tradere impatientiæ induratæ, proprietas sit ejus qui ex superbia cadit in desperationem. Ex sua enim ruina et adversitate, qua se putat indignum, ita contra Dominum indignatur, aut in se ipso tam impatiens redditur propria sponte, quod incipit desperare. *Istius vero virtuosam exercitationem in desperationem habere,* hoc est, id quoque cognoscet quod proprietas hujus qui ex consideratione peccatorum suorum desperat, sit quod exercitationem in se ipsa laudabilem vertit ad desperationem. Propria namque peccata acute inspicere, vehementer exaggerare, et ex eis gravari ac contristari, est exercitatio commendanda; sed sic ei immorari ut negligat quis abyssum misericordiæ Dei attendere, et per consequens desperare cogatur, est « virtuosam exercitationem in desperationem habere ». *Quod est inconveniens.* Quod fecit et Judas, qui pensans quam impiissime egit Christum tradendo, dixit, Peccavi tradens sanguinem innocentem; et non attendens quam infinita sit misericordia Omnipotentis, ex desperatione se ipsum occidit.

Matth. XXVII, 4. — Ibid. 5.

Sed et illum abstinentia et bonæ spei A *fiducia mederi naturam habet,* hoc est, naturale est ut « abstinentia » corporalis a cibis et potibus, seu « abstinentia » spiritualis a pristinis culpis, atque « fiducia » ex divina pietate concepta, curet desperationem illius qui ex consideratione enormitatis suorum vitiorum desperat; *istum vero,* utpote ex superbia desperantem, *curat humilitas et neminem judicare,* hoc est se ipsum rite attendere atque in omnibus humiliare, sicque reputare se ipsum omni tribulatione et derelictione condignum.

B *Non oportet nos turbari aut peregrinari, videntes eos qui mala opera exsequuntur et agunt, bonos vero sermones proferunt,* hoc est, non debemus immoderate mirari, perturbari, aut a via virtutis ac veritatis recedere, ex hoc quod videmus quosdam impie conversari, et tamen bona ac salubria edocere ac loqui; *quoniam in paradiso æque perdidit illum serpentem exaltans elatio et propriæ reputationis confidentia.* Si hoc intelligatur de paradiso cœlesti, certum est quod ibi elatio et confidentia vana C ex sui ipsius reputatione procedens, perdidit et dejecit maximum illum serpentem diabolum; si vero intelligatur de paradiso terrestri, ibi quoque infernalis ille serpens ex sua superbia et confidentia impia tentans ac vincens, se ipsum gravius perdidit.

In omnibus tuis conatibus, commissionibus, id est actionibus, *et conversationibus, subjectis et non subjectis,* hoc est in statu obedientiæ sive in statu præsidentiæ factis, vel « subjectis » Deo et rationi « et D non subjectis » eisdem, *visibilibus et intellectualibus,* id est exterioribus et interioribus, *ista sit tibi forma et regula* investigandi, *an illa sint vere complacentia Deo, an non. Dico autem : Quando exsequentes aliquam commissionem aut advenientes studium,* id est aliquem conatum, seu introducti ad aliquid agendum, et ex hujusmodi operatione seu conatu *non assumimus,* id est, non acquirimus, *humilitatem in anima amplius quam an-*

tea possidebamus, non videtur mihi nos A *esse exsecutos illud opus secundum Deum,* id est veraciter virtuose, *sive parvum exstiterit sive magnum.* Verumtamen agnoscendum, quod sicut non oportet habitum caritatis augeri per quemlibet actum virtuosum ac meritorium, ita nec habitum humilitatis; sed quilibet actus secundum Deum exhibitus, auget caritatem et humilitatem dispositive aut completive.

Nempe in nobis magis parvulis est ista certificatio dominicæ voluntatis : hoc est, nos adhuc multum pusilli, incipientes et B imperfecti, per modum tactum certificamur de hoc, an actiones nostræ sint consonæ ac placentes voluntati divinæ. Sed Eccle. IX, 1. quum pro certo non possimus agnoscere an simus in caritate et humilitate prout sunt virtutes infusæ, nisi ex revelatione superna, quomodo possumus per modum prædictum certificari quod actiones nostræ sint placitæ voluntati divinæ, et quod in humilitate crescamus ? Et respondendum, quod ista sunt intelligenda de certificatione multum probabili, de qua ait C II Petr. I, 10. gloriosissimus princeps Apostolorum, Per bona opera certam faciatis vocationem vestram; non de certificatione simpliciter absoluta.

In mediis vero, impugnantium æque et pugnarum recessus, id est, in proficientibus certificatio ista accipitur ex hoc quod dæmones impugnantes tentationumque pugnæ vincuntur, fugiunt et elongantur ab ipsis ; *in his qui perfecti sunt, additamentum, depositum et superabundantia divini luminis* sunt ex quibus D certificantur quod actus eorum secundum Deum sint. Dum enim ex actibus suis experiuntur se abundantissime illuminari, inflammari et locupletari a Deo, advertunt quod secundum Deum sint conversantes. Porro additio et abundantia ista vocatur « depositum », quum sit donum a Deo collatum, quod custodire et de quo rationem dare tenemur.

Quæ parva sunt apud magnos, non sunt utique parva. Hoc dupliciter potest intelligi. Primo sic : « Quæ parva sunt apud magnos », id est opera virtuosa a viris perfectis peracta, quæ tamen eorum reputatione sunt imperfecta et modica, « non sunt » absolute et omnifarie « parva ». Ipsi enim opera sua permaxima parvi pendunt ac reputant quasi pannum menstruatæ. Is. LXIV, 6. Secundo sic : « Quæ parva sunt apud magnos », id est opera bona perfectis facilia, et inter eorum opera quasi minima aut minora, « non sunt » penitus « parva ». *Quæ autem sunt magna apud parvulos,* hoc est opera reputatione incipientium magna, seu ab ipsis incipientibus facta, et inter opera eorum majora, *non sunt penitus perfecta :* imo sunt defectuosa communiter.

Aer purgatus a vaporibus, clarum demonstravit solem ; anima vero a suis præsumptionibus liberata, et digna effecta peccatorum suorum remissione, lumen divinum omnino vidit, id est, increatam lucem, quæ Deus est, clare per fidem illuminatam et sapientiæ donum est contemplata, lumen quoque gratiæ sibi infusum cognovit.

Aliud est peccatum, et aliud otiositas, et aliud negligentia, et aliud vitium, et aliud lapsus. Qui potest in Domino quærere, id est, qui vere et per Dei gratiam valet horum distinctionem investigare et assignare, *quærat* hoc ipsum *prudenter.* Quocirca sciendum, quod auctor brevitati studens et aliis occasionem fructuosæ exercitationis relinquens, non ponit distinctionem istorum. Præterea, in communi modo loquendi, unum horum pro alio frequenter accipitur : imo peccatum est quasi genus ad cetera omnia. Nihilo minus appropriate loquendo possunt distingui formaliter, quamvis materialiter interdum et secundum quamdam distinctionem coincidant : ut peccatum dicatur culpa illicitæ commissionis; otiositas vero, culpa omissionis; negligentia, culpa proveniens ex ignorantia aut infirmitate; vitium, culpa procedens ex pravo proposito aut certa malitia; lapsus autem, culpa in consuetu-

dinem versa. Iterum, possunt ista distingui penes subjecta peccati : ut negligentia dicatur culpa rationis seu intellectus non considerantis efficaciter ea quæ impeditiva sunt culpæ; vitium autem dicatur culpa voluntatis; lapsus vero, culpa appetitus sensitivi concupiscibilis, ad quem pertinent desideria voluptatum gustus et tactus, quorum opera proprie ac specialiter lapsus vocantur, ut fornicatio et crapula; peccatum vero referatur ad opera passionum appetitus irascibilis, otiositas ad culpas oris. Rursus, peccatum potest sumi pro culpa originali, vitium pro mortali, lapsus pro personali, otiositas pro veniali, negligentia pro consuetudinali. Postremo, peccatum est legis divinæ transgressio; otiositas, non laborare in vinea Dei; negligentia, ea quæ bona sunt agere cum irreverentia et torpore; vitium, publice malefacere, seu alios scandalizare; lapsus autem, in profundum per consuetudinem mergi.

Quidam beatificant, id est, laudant ac reputant, *operationem miraculorum, et quod videtur in spiritualibus charismatibus,* utpote dona et opera quædam gratiæ gratis datæ sensibiliter apparentia, ut donum linguarum et prophetatio, *super omnia,* id est præ donis et actibus gratiæ gratum facientis, *commendant, ignorantes quia multa charismata sunt superiora isto* dono miraculorum seu charismate sensibiliter apparente, ut sunt caritas, contemplatio, et ceteræ virtutes infusæ, ac dona Spiritus Sancti caritati inseparabiliter annexa. *Quæ etiam sunt occulta,* quia non sciuntur pro certo inesse; *propter quod manent non valentia cadere,* hoc est, charismata ista gratiæ gratum facientis sunt magis fixa stabiliusque inhærent difficilius quoque tolluntur quam charismata illa gratiæ gratis datæ.

Qui perfecte mundatus est, ipsam (quamvis non ipsam) animam proximi videt in quolibet adjacet et afficitur : id est, vir heroicus et perfectus cognoscit ac deprehendit faciliter aut aliqualiter animam proximi sui in quacumque passione seu dispositione exsistat et afficiatur, quamvis eamdem animam proximi non agnoscat perfecte, intuendo quidquid in corde ipsius voluntateque lateat, quum hoc sit proprium Deo. Agnoscit autem qua passione afficiatur, quodam occulto instinctu, aut inspiratione, aut superioritatis suæ vigore. Unde in Proverbiis dicitur : Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. (Prov. XXVII, 19.) *Qui vero adhuc proficit, eamdem per corpus arbitrio conjicit,* hoc est, ei qui adhuc constitutus est in gradu proficientium proprie competit judicando conjicere conjecturaliterque cognoscere animam proximi, qualiter sit intus disposita, per dispositiones et apparatus relucentes in corpore, juxta illud Ecclesiastici : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo. (Eccli. XIX, 26, 27.) Unde et Salomon : In facie (inquit) prudentis lucet sapientia. (Prov. XVII, 24.)

Modicus ignis multoties totam materiam expurgavit, quemadmodum et parvum foramen sæpe totum laborem disperdidit, id est, amitti fecit totam laboris mercedem sive pecuniam ex sacculo pertuso aut bursa modicum perforata.

Est requies quæ mentis virtutem inimicitia evigilat, hoc est, quandoque contingit quod corporalis repausatio sua diuturnitate excitat cordis fervorem ad aspernationem ipsius repausationis ex « inimicitia » seu contrarietate quam habet virtus et fervor mentis ad repausationem carnalem, quam utique detestatur tanquam valde nocivam atque inutiliter temporis consumptivam ac vilem, *et motuum carnis ignitionem non excitat,* id est, repausatio illa, quamvis diuturna, interdum non causat stimulum inflammationemque corporis : quod aliquando accidit procurante diabolo, ut securius quiescamus carnaliter. *Est et multa maceratio carnis similiter motum movens,* hoc est, quandoque contingit ut stimulos carnis sentiamus, dum corpus

affligimus magnis jejuniis atque vigiliis : quod item procurante diabolo solet accidere, ut cessemus ab exercitiis illis, vel ex debilitate naturæ. *Ut non simus confidentes in nobis,* id est in exercitiis, viribus aut industriis nostris, *sed in Deo, qui viventem carnem incognite mortificat*, hoc est, carnem animatam et calidam a vitiosis concupiscentiæ motibus eripit rationique subdit per occultos effectus ac modos pietatis ac gratiæ suæ. — *Quando videmus quod aliqui diligunt nos secundum Deum, ad illos permaxime habeamus nos reverenter, et fugiamus audaciam et præsumptionem : nihil enim habet naturaliter ita dissolvere caritatem et introducere odium, sicut confidentia præsumptionis et audacia.*

II Cor. I, 9.

Optimus intuitus intellectualis est valde, id est, cognitio intellectualis multum præeminet omni alteri cognitioni, *et omnem ideam post incorporeas superexcedens substantias,* hoc est, cognitio illa intellectualis transcendit omnem formam creatam post angelos sanctos, quia attingit usque ad formas rerum omnino incorporalium. *Hinc est quod vitiosi sensus,* id est intellectus, *qui* * *sunt in animabus aliorum, potuerunt cognoscere,* id est ad veram ac salutarem notitiam excitari, *ex caritate multa ad eos,* hoc est ex caritativis verbis et actibus exhibitis sibi copiose ab aliis, ex quorum intellectuali intuitu frequenter conversi sunt; *et magis quando sub cœno sordidati non demerguntur,* id est, quando non penitus absorbentur turpitudine vitiorum, præsertim carnalium, et obdurationum.

* quæ

Si nihil ita opponitur et resistit immateriali naturæ, ut materiale : habent enim proprietates diversas; *qui legit intelligat,* id est, sapienter hæc penset ac penetret. Quasi dicat : Sic caro resistit spiritui, et carnalis affectio impedit intellectualis cognitionis puritatem atque acumen. *Nam observationes in his qui in mundo sunt,* id est superfluæ occupationes, procurationes et sollicitudines hominum mundanorum, *resistunt providentiæ Dei :* non quod eam impediant a suo effectu aut fallant, sed quia ex quadam diffidentia aut inadvertentia divinæ providentiæ oriuntur. Si enim adverterent Deum habere paternalem providentiam super eis, non tam immoderate sollicitarentur de temporalibus rebus. Propter quod ait Salvator : Nolite solliciti esse, etc.; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. *In nobis vero observationes illæ resistunt intellectuali scientiæ :* nam multum impediunt illuminationem mentis a Deo, et spiritualium rerum contemplationem.

Matth. VI, 31, 32.

Illi quidem anima infirmi, id est homines imperfecti et sæculares, *recognoscunt supernam visitationem Dei circa eos ex seditionibus atque periculis corporis tentationibusque exterioribus,* id est, ex præliis, infirmitatibus et persecutionibus exterioribus advertunt se visitari pro suis peccatis a Deo; *perfecti vero, adventu Spiritus,* id est copiosa infusione Spiritus Sancti, *et additamento charismatum,* hoc est ex augmento cœlestium gratiarum et profectu virtutum.

Quando in stratu reclinamur, est dæmon qui venit ad nos, et sordidis recordationibus ac malignis cogitationibus nos sagittat, quatenus detenti pigritia non surgamus ad orationem neque contra eum armemur, sed in immundis meditationibus obdormientes, sordida etiam somnia habeamus, ex quibus pollutiones nascuntur. Huic ergo dæmonio resistamus, ponentes nos in lecto quasi in monumento, et dominicæ passionis memoria ac aliis recordationibus saluberrimis occupantes fortiter mentem nostram, obdormiamus in illis.

Est spiritus [illegible], id est, quidam est dæmon impugnans nos ante alios dæmones, et præparans illis viam tentandi ac superandi nos, *[illegible],* id est, ad vana allicit ac invitat, *magis vero suscipit nos,* id est, invidiose apprehendit, ut ei jungamur ad vitia. *[illegible]*

gentiam, hoc est primam considerationem A mentis nostræ quam concipit post somnum, *coinquinat,* ut vel ipsa consideratio seu intelligentia sit mala in se, vel si bona est, protinus maculetur per distractionem et admixtionem cogitationum pravarum.

Da primitias diei tui Domino, hoc est, exordia dierum tuorum offer et consecra
Matth. VI, 33. Deo, primum quærendo regnum Dei et justitiam ejus, atque a virtuosis actibus diem incipiendo. *Etenim præanticipantis erit,* id est, exercitium tale est hominis boni prævenientis præfatum diabolum præcur- B sorem spirituum. *Operarius virtuosus dixit mihi sermonem dignum auditu : Ex ipso (inquiens) mane scio cursum diei mei,* hoc est, ex qualitate actionum et occupationum mearum quæ mihi occurrunt in diei principio, elicio et conjicio qualiter mihi succedet per diem.

Multæ quippe sunt viæ pietatis et perditionis, tot utique quot sunt actus virtutum et vitiorum. *Quocirca aliquid plerumque alteri oppositum et resistens, alteri decenter prospere cedit et convenit,* hoc C est, frequenter contingit ut aliquid uni motivum sit et peccati occasio, quod tamen alteri cedit in prosperum. Tentatio namque quæ unum vincit, alium coronat;
Rom. VIII, 28. diligentibus quoque Deum, præsertim perfectis, omnia cooperantur in bonum. *Nihilo minus tamen amborum intentio beneplacens est apud Deum:* nam et imperfecti, qui aliquando tentationi succumbunt, a principio piam et rectam habent intentionem, quamvis in processu vincantur.

Certant contra nos quidem dæmones, D *suggerentes in tentationibus quæ accidunt nobis, dicere aut agere inconveniens aliquid; aut quando non potuerint aut non prævaluerint* nos ad hoc inducere, *tranquille instantes, supponunt et immittunt nobis superbam gratiarum actionem agere ante Deum,* hoc est, cum quieta
Luc. XVIII, 11, 12. suggestione instigant nos ut cum Pharisæo illo superbo regratiemur Deo cum vana gloria reputationeque propria de excellentia gratiæ nobis ab ipso collatæ.

Equidem qui sunt superna sapientes, id est contemplativi et spirituales viri, qui sapiunt ea quæ Dei sunt, *segregati* loco aut merito a carnalibus, *sursum particulariter regrediuntur,* hoc est, ad divina per frequentes renovationes se elevant; *qui vero sapiunt ea quæ deorsum,* videlicet carnalia et terrena, *deorsum iterum pergunt,* id est, ad eadem appetenda, amplectenda seu exercenda multoties redeunt. *Segregatorum enim nihil de cetero medium statutum est,* hoc est, nullum est medium horum ita ab invicem « segregatorum », in quo possint se indifferenter occupare : aut enim superna sapiunt, seu ad debitum finem referunt ea quæ agunt, et sic meritorie operantur; aut ad inferiora inordinate flectuntur, et ita peccant. Vel « segregatorum », hoc est a corpore separatorum per mortem, « nihil de cetero » constitutum est « medium », id est, nulla est hora in qua amplius possint mereri et demereri.

Unum creatorum accepit esse in altero et non in ipso. Hoc creatum, est anima rationalis, quæ creando infunditur et infundendo creatur, et ita incepit et sumpsit esse in corpore. *Et mirum quomodo habet naturam consistere præter illud in quo esse suscepit,* hoc est, magnum et mirum exstat, quod anima naturaliter manet subsistens et immortaliter vivens, corpore suo in quo esse suscepit, per mortem corrupto.

Pias filias matres parturiunt, matres vero Dominus. Per « matres » possunt intelligi animæ rationales, seu virtutes, quæ producunt operationes virtuosas tanquam « filias », per quas merentur post vitam hanc coronari. Dominus autem produxit et creavit has matres, quia virtutes infundit sicut et animas. *Et non erit imprudens,* id est insipientiale seu indiscretum, *similiter definire et prædicta regula uti in contrariis,* asserendo videlicet, quod habitus vitiosi et animæ pravæ producunt filias impias, id est actus iniquos, per quos damnari in æternum merentur. Dia-

bolus quoque est pater talium animarum quantum ad esse culpæ, quemadmodum Christus dixit Judæis incredulis : Vos ex patre diabolo estis. (Joann. VIII, 44.)

Moyses, magis vero Dominus per Moysen, jussit ut formidolosus non egrediatur ad prælium : (Deut. XX, 8.) quod ad litteram jussum est de prælio corporali; spiritualiter vero intelligitur ut passionibus subditus non A exponat se ipsum periculo tentationum, neque se ingerat tentamentis. *Nequando fiat novissimus animæ error super primum corporis lapsum vel ruinam,* hoc est, ne ultra corporale peccatum anima tandem gravius pereat per immansionem et obdurationem in culpa : quod in vitiis carnis frequenter contingit. *Et rationabiliter* Dominus jussit hoc.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO PARTIS SECUNDÆ GRADUS HUJUS VICESIMI SEXTI : DE DISCRETIONE BENE DISCRETA, ID EST RATIONABILI ET RECTE DISCERNENTE SEU ORDINATE EXHIBITA.

QUEMADMODUM cervus flammans, B id est siti ardens ac æstuans, *desiderat aquarum fluenta, ita comprehensio,* hoc est cognitio ac adimpletio, *divinæ et bonæ voluntatis desideratur a monachis veris; non solum autem, sed et cognitio commixti, insuper et contrarii,* id est, monachi veri non solum ardentissime cupiunt scire quid Deo complaceat, sed item quid ei displiceat, et quid aliquid habeat de ratione boni ac complacentis, et quid de culpa ac displicente, ut sunt opera bona defectuositati ac evagationi admix- C ta. (Hebr. V, 11.) *De quibus multus nobis sermo occurrit, et difficiliter interpretabilis,* hoc est difficulter exponibilis. *Nimirum scire* oportet, seu difficile est, *quænam sunt res secundum nos exsistentes,* id est, quæ sint actiones nobis convenientes, *quæ omni mora excepta, irretardabiliter et velocius fieri debent, juxta dicentem* in Ecclesiastico : (Eccli. V, 8.) *Væ differenti de die in diem, et de tempore in tempus. Quæ vero cum mansuetudine, beneficentia et circumspectione,* id est cum bona et matura provisi- D one, mititate et benefica erogatione, utpote sine rigore, *sicut hortatur qui ait,* videlicet Salomon : (Prov. XX, 18; XXIV, 6.) *Cum gubernaculis geritur bellum; et iterum* Paulus : (I Cor. XIV, 40.) *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.*

Non est enim indifferentium, id est quorumcumque, *cognoscere celeriter, bene clare et distincte hæc talia gravia ad discernendum : quoniam et David Dei lator,* id est, qui Deum portavit in corde suo per fidem, caritatem gratiamque multiplicem, *et Spiritum Dei habens in se ipso loquentem, videtur hoc ipsum plerumque exorans.* (II Reg. XXIII, 2.) *Et quandoque ait : Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus;* (Ps. CXLII, 10.) *quandoque vero : Dirige me in veritate tua;* (Ps. XXIV, 5.) *et iterum : Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te animam meam levavi et exaltari ab omni sollicitudine vitæ præsentis ac vitio.* (Ps. CXLII, 8.)

Quicumque volunt voluntatem et beneplacitum Dei addiscere, tenentur et debent prius mortificare voluntates et complacentias proprias; fide autem et simplicitate columbina absque malignitate exorantes pro consilio et informatione *animas Pa-* [illegible] id est.

falli permittat, *animas humiliantes se ipsas fide ac innocentia, consilio atque judicio proximi* quem inquirunt, et cujus informationi ac judicio se inclinant ac subdunt. *Nempe si et hi qui interrogantur irrationabiles essent, sed qui loquitur immaterialis atque invisibilis est :* hoc est, Deus intus inspirans ad loquendum, incircumscriptibilis incomprehensibilisque exsistit, qui dispensat verba et responsa interrogatorum, quamvis juxta sinceritatem, dispositionem ac merita interrogantium.

Qui magna humilitate repleti fuerunt peramplius, exstiterunt ambulantes inhæsitanter secundum prædictam regulam, id est doctrinam nunc datam. *Si enim* [Ps. XLVIII, 5.] *psalterio quis propositionem suam aperuit,* [IV Reg. III, 15-19.] hoc est, quia Eliseus propheta regibus dedit responsum psalte coram ipso canente, ad cujus melodiam et sonum a Deo tactus et informatus est, *quantum arbitrandum est rationalem mentem intellectualemque animam differre ab inanimata soni responsione?* quasi dicat : Multo plus Deus inspirabit cordi interrogati quid dicat, propter humilem, piam et simplicem interrogationem ejus qui per verba coram Deo sapienter prolata quærit salutis suæ consilium.

Multi autem ex arrogantia et complacentia sui necdum apprehendentes hoc perfectum et leve bonum, id est, nondum acquiescentes huic documento compendioso quo diximus taliter esse obtemperandum responsionibus Patrum ac Fratrum, *sed conantes apprehendere beneplacitum Dei ex se ipsis, subinduxerunt nobis de hoc valde diversas ac plurimas auctoritates atque judicia,* id est contra hanc nostram doctrinam, allegando adversus eam verba et jura seu determinationes Sanctorum et quædam exempla. Et certe Cassianus ex ore sanctorum Patrum, et quidam sanctissimi Patres, asseruerunt magnum esse periculum interrogare et consulere imperitos, inexpertos, indiscretos. Quod et ego arbitror verum. Verumtamen quando quis quærit cum tanta fide, simplicitate et A humilitate sicut nunc dictum est, pie dici potest cum auctore, quod Deus non permittit interrogantem periclitari.

Quidam exquirentium talia, id est, aliqui cupientes scire quid in istis esset agendum et observandum, *fecerunt cogitationem suam recedere ab omni vitiosa ad aliquid affectione super duabus voluntatibus,* id est duobus actibus voluntatis, *ipsius animæ, dico autem, super affirmante et contradicente,* hoc est, de obtemperatione et resistentia voluntatis id B dico, ita quod ex propria voluntate nec acquieverunt nec contradixerunt, sed juxta alterius informationem ac voluntatem fecerunt vel agere omiserunt. Vel sensus est, quod servaverunt se immunes in « duabus voluntatibus animæ » aliorum, ita quod uno illorum aliquid affirmante, et alio contradicente, isti nulli illorum vitiose affecti sunt, sed Deo ac sapientioribus potius commiserunt judicium. *Et suam mentem exhibentes Domino nudam a propria voluntate, participantes adepti sunt* C *cognitionem voluntatis Dei in statutis diebus,* utpote tempore præordinato a Deo, *aut mente intellectuali intellectualiter colloquente menti nostræ,* hoc est per inspirationem et allocutionem internam mentis angelicæ seu divinæ ad mentem nostram, *aut una intentione perfecte exterminata ex mente ipsorum,* id est, per hoc quod in solo Deo spem suam fixerunt, et fluctuationem animi abjecerunt, non intendentes inniti in aliquo sibi ipsis : sicque una intentio qua fuerunt ad se vel ad aliquid D extra Deum reflexi, conversi sive intenti, fuit perfecte exstirpata ab ipsis, nec claudicaverunt in duas partes.

Alii ex tribulatione et dissipatione quæ conamina subsequitur et animum ipsum, comprehenderunt esse divinum, id est, per multas tribulationes et dissipationes seu vulnerationes aut fatigationes subsequentes conatum « et animum » pertingendi ad salubrem veritatis notitiam, adepti sunt cognitionem Dei et voluntatis divinæ, *secundum dicentem,* hoc est, se-

I Thess. II, 18. cundum quod Paulus ait : *Voluimus venire ad vos et semel et bis, et impedivit nos Satanas.* In quibus verbis Apostolus innuit, quod per tribulationes et dissipationes sibi ab infidelibus diabolo procurante inflictas, impeditus fuit ab exsecutione voluntatis quam secundum Deum concepit. Ex tribulationibus quoque illis advertit salubre et Deo placitum exstitisse ut visitaret suos discipulos, ex quo inimicus omnis boni diabolus impedivit hoc ipsum tam studiose.

Alii iterum contra econverso, id est vice versa seu modo a prædictis contrario, *se habentes, ex inexspectata in re cooperatione hoc Deo beneplacitum esse senserunt,* hoc est, per hoc quod Deus cooperabatur eis inopinate seu præter eorum exspectationem et spem in aliquo facto, cognoverunt opus illud Deo complacuisse, *dicentes* Rom. VIII, 28. *illud* quod ait Scriptura : *Omni præeligenti bonum cooperabitur Deus.*

Qui possidet Deum in se ipso per illuminationem, nequaquam naturam habet certificari infra tempus secundo modo, utpote per exstirpationem perfectam unius intentionis, juxta sensum nunc introductum, *in rebus suprainductis et non exspectatis,* hoc est in negotiis aut eventibus quæ accidentaliter et fortuitu superveniunt sibi : id est, homini copiose illuminato a Spiritu Sancto, non competit nec consuetudinarium est certificari a Deo in rebus et causis ambiguis post tempus certum. Quod intelligendum videtur de rebus necessariis ad salutem. In aliis enim leguntur Sancti in novo ac veteri Testamento informationem accepisse a Domino post Dan. X, 2 et seq. tempus præfixum : ut patet de Daniele, et Andrea apostolo, quando oravit pro Nicolao peccatore antiquo, atque Macario, qui per unam hebdomadam jejunavit et Dominum exoravit ut sibi ostenderet conversationem duorum discipulorum suorum, et completa hebdomada fuerat exauditus. Unde de talibus necessariis ad salutem subjungitur : *non hæsitare in judicio,* id est dubitare quid judicandum sit de certis rebus et actibus, *et plurimum,* hoc est diu vel in multis, *permanere absque certificatione, argumentum* (id est signum) *est animæ non illuminatæ, sed amatricis vanæ gloriæ. Non est Deus injustus ut excludat a pia exauditione pulsantes cum humilitate.*

Intentio recta in omnibus est quærenda a Domino, et in exsequendis et in his quæ debent retardari, hoc est tam in his quæ oportet fieri cito quam in his quæ expedit differri ad tempus. *Nempe omnia quæ a vitiosa affectione atque ab omni inquinamento propriæ voluntatis sunt munda, utpote facta propter Deum, non propter aliud, et si omnino non sunt bona in se, attamen reputabuntur nobis bona,* id est, Deus adjudicabit nobis illa ad meritum, ut sunt opera indifferentia, et quæ prima facie irrationabilia aut inutilia esse videntur, qualia sancti Patres frequenter præceperunt suis discipulis : quæ excusantur et bonificantur, quia ex bona radice seu obedientia processerunt. *Inquisitio enim quæ est super nos, non possidet tutum finem,* hoc est, periculosum est scrutari ea quæ nostram capacitatem excedunt, aut discutere præcepta et judicia superiorum nostrorum.

Judicium Dei de nobis est ineffabile et arcanum. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis scit an prædestinatus exsistat? *Deus plerumque vult dispensative,* id est ex certa ratione, *voluntatem suam abscondi a nobis, sciens quod eam addiscentes,* [illegible] *ipsam, et ita plures plagas suscipiemus,* hoc est, ideo vult Deus ut ignoremus quid fieri velit, quia si illud sciremus, non impleremus, sed majorem incideremus damnationem.

[illegible] *tate,* id est ab instabilitate, duplicitate et simulatione [illegible], hoc est per actus et merita innocentiæ tendens ad portum salutis, *sine periculo.* Qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Nec vidi justum derelictum, ait Psalmista.

Sunt animæ viriles, quæ ex amore divino et humilitate admittuntur ad operationes quæ sunt super se ipsas, id est, quidam sunt homines virtuosi quos Deus propter ipsorum ferventem amorem et humilitatem confortat ad faciendum opera proprias eorum vires excedentia, ita quod admirabiles abstinentias, vigilias, disciplinas, orationum et contemplationum protractiones exserunt; *et sunt superba corda id ipsum peragentia* quantum ad corporalia exercitia. Quidam enim instigante diabolo, ex desiderio laudis humanæ aut proprii commodi seu honoris, mirabiles abstinentias et consimilia aliqua servaverunt : quos digitus aluit. *Intentio enim est inimicis nostris* dæmoniis *suggerere nobis plerumque quæ sunt super virtutem,* id est aliqua quæ vires nostras excedunt in corporalibus exercitiis, *ut propter illa anxiati acedia,* hoc est, ut præ horrore, difficultate aut impossibilitate adimplendi talia, incidamus acediam, aut etiam impotentiam ad ea quæ obligamur implere, sicque *decidamus ab his quæ sunt secundum nostram virtutem,* negligendo talia observare ad quæ extendunt se vires nostræ, *et de nobis ipsis risum maximum faciamus inimicis nostris,* id est dæmonibus.

Vidi infirmas animas et corpora, id est debilitatos homines, *facientes conatum in institutis et conversationibus quæ erant super se ipsas, propter multitudinem offensionum,* ita quod propter gravitatem culparum nitebantur servare statuta et exercitia vires eorum transcendentia, *et non valentes sufferre talia. Quibus dixi ego, pœnitentiam,* id est satisfactionem pœnitentialem, *apud Deum judicari quantitate humilitatis et non laborum,* hoc est, quod Deus reputaret satisfactionem ipsorum sibi esse acceptam, juxta mensuram et vehementiam humilitatis ipsorum, qua judicaverunt se tantum peccasse quod satisfacere non valerent, et non secundum mensuram laboris eorum, imo supra hoc.

Est quando enutritio exsistit causa ultimorum malorum, id est, quandoque superflua educatio corporis trahit hominem ad mala turpissima : quod etiam de spirituali enutritione qua quis nutrit cor suum per gloriam vanam intelligi potest; *est vero quando conversatio et consocietatis mora,* hoc est, interdum homo inducitur ad peccata præcipua ex aliorum conversatione scandalosa et societate perversa. *Verum plerumque perversa anima sufficit sibi ipsi ad perditionem,* id est, ex propria adinventione atque malitia incitatur ad vitia.

Recedens a duobus, id est, præfatam enutritionem ac pravam societatem devitans, *a tertio similiter liber exsistit,* id est, ad tantam iniquitatem non venit ut ex propria malitia peccet ac pereat. *Tertium vero habens, in omni loco improbus erit,* hoc est, dum homo ad tantam devenit ruinam ut ipse sibi sufficiat ad perditionem, tunc ubique aget inique et vix pœnitebit. *Nullus enim est cœlo firmior aut solidior,* id est angelo primo, qui in cœlo corruit ex se ipso : ergo et iste sic vitiatus, erit ubilibet improbus.

Ab his infidelibus aut male credentibus, puta hæreticis, *qui mala voluntate impugnant nos,* ut eorum erroribus consentiamus, *cessemus post primam et secundam admonitionem,* sicut ait Apostolus, Hæreticum hominem post unam et (*Tit.* III, 10.) secundam correptionem devita ; *eis vero qui volunt addiscere veritatem, non deficiamus benefacere usque in æternum : verum ad confirmationem nostri cordis ambobus utamur,* videlicet incredulis atque credentibus. Quod fit dum ex incredulorum obstinatione magis veremur occulta ac metuenda Dei judicia, atque in fidei veritate per illos exercemur, et probati innotescimus aliis : nam teste Apostolo, oportet hæreses esse, ut qui probati (I *Cor.* XI, 19.) sunt, manifesti fiant in nobis. Ex studiositate quoque et bonitate credentium ædificamur, eis quoque benefaciendo vitam meremur æternam.

Irrationabilis est valde qui virtutes su-

per naturam, id est supernaturales et excedentes, *audiens esse in Sanctis,* non solum in comprehensoribus, sed etiam in viatoribus, *et desperans perdit se ipsum,* quum merito debeat exemplo Sanctorum qui ejusdem secum naturæ sunt, confortari in spe, et inflammari ad proficiendum in omni virtute. *Magis enim de uno duorum virtuosi te corrigant,* id est, sancti homines suo exemplo faciant in te correctionem alterius horum duorum, seu in uno horum duorum te corrigant : ut scilicet *aut per suam sanctam fortitudinem sint excitantes te ad æmulationem,* id est ipsorum imitationem, *aut per ter sanctam humilitatem,* id est humilitatem ter sanctissimam, *convertant te ad multam condemnationem sui ipsius,* id est, ad hoc quod valde reprobes et accuses te ipsum : sicque quod ait « condemnationem sui ipsius », tantum est dicere sicut ad condemnationem qua quis damnat se ipsum ; *et ad manifestationem infirmitatis et fragilitatis tibi unitæ,* id est, ad hoc quod advertas et recognoscas defectuositatem fragilitatemque propriam ex consideratione fortitudinis et perfectionis Sanctorum illorum : quia opposita juxta se posita ac invicem comparata clarius innotescunt.

Sunt malignorum maligniores dæmones, hoc est, quidam sunt dæmones maligniores malignis, *qui peccatum nos consulunt non solos operari,* id est, instigant ut peccemus non soli, *sed volunt nos habere et alios communicatores in malum,* hoc est, suggerunt ut habeamus alios socios atque participes in peccatis, alliciendo eos ad mala quæ agimus, vel ut consentiant nobis in malo, aut alio modo nobiscum in culpa participent, *ut nobis* [illegible] *pœnam amplius operentur,* id est, ad graviorem damnationem nos pertrahant.

Vidi alterum addiscentem consuetudinem malignam ex altero ; et tamen qui docuit verbo aut facto consuetudinem pravam, *ad sensum rediens, cœpit pœnitentiam agere,* [illegible] *pœnitentia ejus fuit sine* [illegible], id

A est inefficax et infirma, *propter operationes discipuli,* hoc est propter peccata ejus qui didicit consuetudinem malam ab ipso, a qua non cessavit. Hoc non est intelligendum quasi ille qui pœnitet non possit salvari et salubriter pœnitere nisi discipulus ejus pœniteat, quum hoc non sit in potestate sua ut pœniteat ille ; sed pro tanto pœnitentia hujus dicitur « sine fortitudine », quia non sufficit ei de culpis propriis pœnitere, nisi pro posse laboret pro emendatione illius quem male instruxit, B scandalizavit, corrupit : laboret (inquam) orando, hortando, exemplum bonum præbendo. Ecce quam periculosum est alium verbo aut exemplo corrumpere.

Multa autem, multa et difficulter comprehensibilis est malignitas spirituum, id est dæmonum, *et perpaucis visibilis,* hoc est, valde paucis agnoscibilis est, quibus discretio spirituum data est ; *arbitror vero quia nec perpaucis universa,* hoc est, tota dæmonum malitia in speciali est nota perpaucis, imo forsitan nemini in hac vita. C *Quomodo autem deliciantes,* id est, laute viventes, *et saturati, vigilamus plerumque alacrius,* etiam in divino obsequio, *jejunantes autem et miseria* pœnæ *aut debilitate* corporali *affecti, somno miserabiliter submergimur?* Hoc interrogative legendum est, quasi dicat : Mirum est qualiter id contingat. Juxta quem sensum subjungit : *famescentes et extenuati abstinentia, tentamur in somnis* per diversa somniorum phantasmata, per terrores et alias afflictiones, *et repleti* per saturita- D tem, *permanemus sine tentatione* in somno? *indigentia* refectionis *et penuria* necessariorum ad vitam *obscuri,* id est afflicti, [illegible] et aridi, [illegible] *vero vini efficimur hilares et devoti ac faciles ad compunctionem?*

Ad ista, hoc est ad intelligendum causas et modos istorum eventuum, *illuminet* [illegible], id est sine ho- rum agnitione [illegible] [illegible], hoc est plenarie non cognoscunt

horum causas. *Verum illud dicimus, quia hæc talis commutatio et vicissitudo,* id est varietas et alternatio ista, *non fit ex dæmoniis semper, sed est quandoque ex complexione colligata,* hoc est inseparabiliter juncta, *et data mihi nescio quomodo labenti sordida et carnali grossitie,* id est mihi qui cado grosse ac viliter et nescio plenarie qualiter.

De concidentia seu casu prædictorum evenienti, ad discernendum difficili, deprecemur Dominum humiliter et sincere, ut causas ejus nobis revelet, atque ut auferat eum a nobis quantum ad id quod habet de culpa ; *et si post tempus hujusmodi orationis invenerimus tentationem,* præsertim eamdem, *similiter nobis contingere et operari in nobis quod fiebat in nobis ante orationem prætactam, cognoscemus quod non omnino ex dæmoniis est, sed natura,* id est, ex naturali causa et dispositione nostræ complexionis contingit, et quantum ad hoc excusatur a culpa. *Plerumque autem et divina dispensatio nos tanquam ingratos præveniens, sua benignitate vult visitare in contrariis,* hoc est per ista contraria : ita quod deliciantibus, saturatis et vinum potantibus dat quamdam alacritatem devotionum, compunctionumque facilitatem ; abstinentibus vero, indigentibus et in operibus pœnitentiæ fatigatis permittit accidere ariditatem, indevotionem, torporem, et tentationes in somnis. *Et per omnia hæc, excludit a nobis elationem et propriam reputationem,* ita quod in exercitiis et laboribus nostris inaniter gloriari et confidere non valeamus.

Durum quippe et crudele est, curiose scrutari profunditatem judiciorum Dei : curiosi etenim navigant in navi elationis et arrogantiæ, hoc est, in sua præsumptione et audacia et superbia ambulant, ac vehuntur in fluctibus periculorum suorum quasi in navi. *Tamen propter multorum infirmitatem aliquid dicendum.*

Interrogavit quis quemdam videre valentium, hoc est, quidam interrogavit virum contemplativum et illuminatum : *Quidnam est,* id est, cur contingit, *quod Dominus prænoscens et præsciens lapsus quorumdam, ornavit hos quandoque,* videlicet ante ruinam eorum, *charismatibus* gratiæ gratum facientis *atque prodigiis? Qui respondit : Ideo Dominus fecit hoc, ut ceteros spirituales muniret certitudine* fidei per talia signa, *et veritate firmaret* catholica, *et liberum arbitrium ostenderet* per hoc quod de bonis fiunt mali, sicut econtra de malis boni, *et cadentes faceret inexcusabiles in judicio,* eo quod post tanta Spiritus Sancti charismata corruerunt.

Etenim lex Moysis *tanquam imperfecta ait,* in Deuteronomio scilicet : *Attende tibi ipsi. Dominus vero* Christus Jesus *tanquam superperfectus mandavit nobis et fratris directionem,* ut scilicet proximum peccantem corripiamus, *dicens, Si peccaverit frater tuus, et quæ sequuntur.* (Deut. v et seq. Cf. Eccli. xxix, 27. — Matth. xviii, 15.)

Si correctio tua qua corripis fratrem peccantem, *est munda et humilis, magis vero si est revocatio ejus quod est Domini,* id est divini præcepti, *ad memoriam* tuam ; vel « si est revocatio ad memoriam », hoc est commemoratio culpæ fratris, ut ipse culpam suam attendat et vitet ; *quod est Domini facere non devitabis,* hoc est, non omittes implere Christi præceptum de correctione fraterna, *et præsertim in his qui recipiunt,* hoc est, eos qui gratanter accipiunt correptionem potissime increpabis. *Si vero nondum ad hoc pervenisti* ut correptio tua sit munda ac humilis et commemoratio culpæ fratris, *saltem servitutem exerce legalem,* id est, præceptum legis observa attendendo tibi ipsi : quæ lex fuit lex timoris et servitutis.

Non mireris et tuos conspiciens amicos inimicantes tibi super reprehensionibus tuis, id est, adversantes et indignantes tibi eo quod reprehenderis eos. *Nempe magis vacui et leviores,* hoc est homines magis vani, pusilli passionibusque subjecti, *sunt instrumenta operum dæmoniorum, et maxime in inimicis eorum :* quia per homi-

nes tales dæmonia tentant ac tribulant homines alios, et maxime virtuosos, qui sunt dæmonum inimici.

Super uno exsistentium in nobis valde mihi advenit admirari, id est, grandis admiratio orta est mihi de una re exsistente in nobis, *quomodo scilicet nos qui habemus Deum omnipotentem et angelos et sanctos* homines in cœlo et in terra exsistentes, *ad cooperationem in virtutibus,* id est in auxilium ad virtuose agendum, *solum vero malignum diabolum habemus instigatorem in contrariis,* hoc est in vitiis, *velocius et proclivius incurvamur ad vitia. De his ergo nec volo nec valeo dicere diligenter ad inquisitionem,* id est, ad prætactam quæstionem non volo nec possum plenarie nunc respondere. Verumtamen auctor aliqualiter solvit hanc quæstionem, subdendo :

Si universa habent quæ facta sunt quemadmodum facta sunt naturam, id est in prima et naturali institutione, *quomodo imago sum Dei, et luto commassatus sum ? sicut ait magnus Gregorius,* utpote Gregorius Nazianzenus : hoc est, si cuncta creata consistunt in ea integritate et proprietate in qua originaliter sunt plasmata, qualiter anima mea est imago Dei, et tamen conjuncta est carni immundæ, fragili ac mortali ? quasi dicat : Eo ipso quod anima rationalis, quæ Dei imago est, conjuncta est corpori tali, constat quod homo non mansit in tali dignitate et conditione in qua primo creatus est.

Si vero alicui rei creatæ aliquid inexsistit præter id quod factum est, quemadmodum homini originale peccatum innascitur, et fomes manet in eo, ac quatuor vulnera ex originali peccato secuta, *unumquodque tale penitus insatiabiliter appetit suam ipsius cognitionem* plenariam, qualiter scilicet primo creatum sit, et qualiter lapsum. In his verbis tangitur prædictæ quæstionis solutio. Natura enim rationalis eo ipso quo ex nihilo facta est, de se tendit ad nihil et ad defectum ac culpam, nisi conservetur a Deo. Denique

A ultra hoc, multiplicem pronitatem habet ad mala ex originali peccato et fomite atque vulneribus ejus; et corpus ipsum cor- *Sap.* ix, 15.
ruptibile aggravat animam, mundus quoque et objecta ipsius non mediocriter tentant ac trahunt ad vitia.

Unusquisque uti debet omni industria ac studio, ut sic loquar, quatenus lutum reducens ad thronum Dei inthronizet, id est, ut carnem suam virtuose regendo reducat eam ad immortalitatem et ad thronum cœlestem, ut constituatur post diem B novissimum in cœlo empyreo, sicut in Apocalypsi asserit Christus : Qui vicerit, *Apoc.* iii, 21.
dabo ei sedere in throno meo. *Igitur nemo occasionem causetur ad ascensum,* id est, nullus quærat occasionem excusandi se ab ascensu ad thronum gloriæ Dei. *Via enim et porta aperta est :* quoniam Christus per suam salutiferam passionem aperuit nobis aditum regni cœlestis, in sua quoque ascensione viam monstravit, fidem edocuit, spem firmavit ; jam quoque innumerabiles Sancti nos præcesserunt ad C patriam illam.

Auditio quidem virtutum et directionum, id est actuum virtuosorum, *spiritualium Patrum erigilat mentem et animam ad æmulationem,* id est ad amorem ipsorum Patrum ; *auditio autem doctrinæ eorum naturaliter habet æmulantes,* id est amantes, *deducere ad imitationem* Patrum seu completionem doctrinæ ipsorum.

D[illegible] [illegible] qui expellit tenebras ignorantiarum ac vitiorum, tenebrosasque mentes illustrat ; *re-* D *ductio errantium a via :* eos namque qui recedunt a via salutis reducit ad eam ; *illuminatio palpantium cæcitate :* illuminat enim eos qui præ cordis excæcatione ignorant quo eant. *D[illegible]tis inventor :* invenit quippe medium in quo ipsa virtus consistit, et animam ab immoderantiis ac defectuositatibus curat : ideo subditur, *et infirmitatis emundator :* purgat namque ab utroque extremo [illegible] so in quod fiat magis aut minus.

[illegible]

parvarum, solent hoc naturaliter pati, A hoc est, inducuntur ad hoc quod res seu actiones modice virtuosas mirantur et laudant tanquam eximias, *aut ultimæ ignorantiæ gratia,* hoc est, vel ex maxima ignorantia, quia tam imperiti sunt ut discernere nequeant inter magna et parva, *aut intentione humilitatis, quia quæ sunt proximi,* id est opera proximorum, *magnificant et extollunt,* ut comparatione illorum se ipsos amplius parvi pendant.

Agonizemus, id est studeamus, *non solum luctari cum dæmoniis, sed etiam* B *præliari.* Quamvis luctari ac præliari frequenter pro eodem accipiantur, nunc tamen distinctim sumuntur. Proprie enim contra se invicem luctari dicuntur, qui immediate cum manibus et brachiis se apprehendunt vel amplectuntur ut unus dejiciat alterum ; præliari vero, qui cum armis cædunt aut vulnerant hostem. Juxta similitudinem hanc admonet auctor ut non solum contra dæmonem luctemur, bona agendo cum quadam difficultate ac renitentia, aut exsistendo in statu incipien- C tium, seu profitentium qui adhuc dimicant contra passiones et vitia, et cetera suæ salutis obstacula ; sed cum omni alacritate, promptitudine ac fervore insistamus exercitiis virtuosis, et per ea prosternamus ac persequamur hostes, contra quos etiam mittamus sagittas verbi cœlestis ac lapides fundæ, ut dicere ex sententia valea-
Ps. xvii, 38. mus : Persequar inimicos meos, et comprehendam eos. *Ille enim,* puta luctator, *quandoque impellit eum,* luctando, *quandoque vero impellitur* ab eodem ; *isti vero* D qui præliantur *semper persequuntur inimicum,* gravando eum aliquo modo.

Qui vicit vitia, vulnerat dæmones, affligendo, contristando eos non parum ; *qui vero simulat vitia se habere, per hoc utique inimicos suos seducit, et non impugnatur ab eis* tam acriter ut impugnaretur si virtuosus esse sciretur. Ista est simulatio bona, si tamen veræ exemplaritati non contrarietur, nec scandalizet pusillos.

Deinde ponit exempla istiusmodi simulationis. *Quidam Frater affectus aliquando ignominia,* id est, injuriam passus, *et nihil omnino corde motus* per impatientiam, *gratias agens* Deo et injuriatori, *occulte secundum mentem oravit* pro persecutore, *deinde super ignominiis lamentari cœpit,* hoc est, plorare se finxit propter injurias sibi illatas, *abscondens suam impassibilitatem,* id est plenariam patientiam mansuetudinemque perfectam, per fictam impatientiæ passionem. *Alter Frater exsistens penitus sine appetitu præsidendi, simulavit se oppressum hoc ipso desiderio,* id est pro frustratione affectus sui ficti. *Quomodo tibi exprimam castitatem illius qui apparens ingressus in lupanari causa peccati* cum meretricula exercendi, *fornicantem ad virtutum studium traxit? Iterum, cuidam solitarie habitanti aliquis portavit botrum valde diluculo : qui post afferentis recessum celeri impetu devoravit eum absque omni appetitu, se ipsum ostendens quasi gulosum dæmoniis. Insuper, alius perdens folia parva palmarum, finxit se toto die dolentem,* quasi tam inordinate afficeretur ad folia illa.

Vigilia multa est necessaria talibus, hoc est, præcipua custoditio, circumspectio, humiliatio cordis opportuna est piis simulatoribus istis, *ne conantes illudere* dæmoniis, *subducant quandoque se ipsos in illusiones,* corruendo in spiritualem superbiam aut gloriam vanam ex tali confictione, quasi ex actu profundissimæ humilitatis. *Isti enim sunt vere illi de quibus Apostolus* Corinthiis scribens *ait : Ut se-* II Cor. vi, 8.
ductores, et veraces.

Si quis vult Christo castum exhibere corpus, et ultra hoc ostendere ei cor mundum, servet se ipsum integre inirascibilitate et abstinentia : omnis enim labor noster est inutilis absque virtutibus his.

Quemadmodum humana lumina sunt in hominibus differentia, ita quod unum est clarius alio, *ita multæ ac differentes sunt obumbrationes intelligibilis Solis,* hoc est illuminationes Dei, quæ fiunt in anima cum quadam umbrositate et obscuritate,

per quam proportionantur capacitati men-
I Cor. XIII, 12. tis humanæ : quia nunc videmus per speculum in ænigmate. Ideo « obumbrationes » dicuntur. *Nam alia* obumbratio *fit per lacrimas corporales :* id est, quandoque homo ex divina illuminatione considerat gravitatem suorum excessuum, et ita in exteriorem resolvitur fletum; *alia fit per lacrimas spirituales.* Hoc fit dum homo ex divina illuminatione considerat multiplicia beneficia Dei atque promissa ipsius, et ita ex pia devotione et amore ad fletum movetur saltem spiritualem. *Alia fit per oculos corporis,* quando videlicet ex corporali intuitu creaturarum, ad Creatoris contemplationem erigimur, quemadmodum
Is. XL, 26. Isaias hortatur. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc; *alia fit per oculos intellectuales,* quando ex cognitione intellectualium creaturarum, utpote angelorum ac propriæ animæ, elevamur ad Dei contemplationem, et item quando per occultam et anagogicam illustrationem contemplamur Altissimum; *alia ex auditu verbi,* quando ex aliorum prædicatione seu informatione, ad Dei contemplationem et eorum quæ fidei sunt intelligentiam excitamur. Potest quoque de interiori auditione Verbi æterni intelligi,
Ps. LXXXIV, 9. juxta illud : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Et alia est exsultatio in anima proprie a se mota.* Hoc est spirituale gaudium quod concipit anima ex contemplatione fidei ac sapientiæ exsistentium in se. *Alia exsultatio est ex remotione et quiete.* Hæc est spiritualis jucunditas solitariorum, qui in psallendo, orando, meditando ac diligendo exsultant in Domino. *Alia est ex obedientia.* Hæc est lætitia spiritualis cœnobitarum, qui exsequendo sibi injuncta, cordialiter delectantur in actibus obedientiæ sanctæ.

Ultra et super hæc omnia est [illegible] et illuminatio qua per [illegible] mentem Christo in [illegible] ineffabiliter et arcane. Hoc fit quando mens immediate per ferventissimæ caritatis ardorem a Deo tangitur, illuminatur, imo lumine quodam theorico copiosissime adimpletur, et tam clare ac proxime Deo unitur, quod prorsus deficit a se ipsa, et tota fertur et absorbetur in supersplendidissimi luminis fontem, atque in divitias gloriæ rapitur, sicque ineffabiliter ac tranquillissime in Creatore pacatur, quiescit, obdormit ac delectatur : in quo mystica theologia et sapientia flammigera unitiva consistit.

Sunt virtutes, et sunt matres virtutum. Omnes virtutes infusæ, a Deo sunt immediate quantum ad habitum atque essentiam; sed una virtus dicitur mater alterius in quantum actio ejus imperat, causat seu disponit vel excitat actum virtutis alterius : sicque virtutes theologicæ dicuntur matres virtutum (potissime caritas), obedientia quoque et humilitas, et virtutes cardinales. *Qui ergo habet prudentiam, magis agonizet super possessione matrum,* hoc est, qui veraciter prudens est, præcipue studeat possidere, augere et perficere in se illas virtutes quæ aliarum matres dicuntur, quia per hoc in aliis virtutibus facilius copiosiusque proficiet.

Deus autem est magister matrum in propria operatione, hoc est, Deo potissimum competit mentem instruere qualiter debeat se habere exercendo actus et exsequendo opera virtutum quæ aliarum sunt matres; *filiarum vero, plurimi,* id est, multi possunt esse magistri qualiter debeant exerceri virtutes quæ aliarum virtutum filiæ nuncupantur. Istud tamen per quamdam appropriationem est intelligendum : quia et Deus est principalis magister in omnibus actibus harum virtutum; homo quoque aliqualiter instruere potest alium in actibus virtutum quæ matres vocantur, utpote in actibus caritatis, humilitatis, prudentiæ, etc.

Attendamus nequando cibi indigentiam [illegible] hoc est, solerter maximeque cum diligentia custodiamus nosmetipsos, ne unquam demus nos ad somnum diuturnum atque superfluum, ne ex jejunio sentiamus affli-

ctionem, vel ut debilitationem naturæ quæ ex abstinentia accidit, reparemus per somnum immoderatum. *Istud enim est insipientium opus,* videlicet indigentiam cibi reparare per somnolentiam multam : nam plus damni homo incurrit per somnum hujusmodi, quam lucretur per indigentiam cibi; *quemadmodum et contrarium est econverso,* id est, sicut et vice versa contrarium hujus, utpote indigentiam somni restaurare per abundantiam cibi, est insipientium opus.

Vidi operarios secundum aliquam circumstantiam parum condescendentes ventri, hoc est, vidi quosdam ferventes in Dei obsequio, qui secundum habitudinem quamdam satis sobrii erant in cibo et potu; *ocius vero viriles per totius noctis vigiliam et orationis adsistentiam,* hoc est puram et prolixam orationem Deo sinceriter cordeque sincero præsentatam, *miseram carnem cruciaverunt, et satietatem de cetero avertere cum gaudio correxerunt,* hoc est, semetipsos sic exercendo et affligendo, didicerunt satietatem refectionis ac somni cum jucunditate spirituali vitare, et talibus vigiliis atque orationibus viriliter inhærere.

Dæmon avaritiæ luctatur acute cum professoribus paupertatis, ut trahat eos ad habendum aut appetendum aliquid proprium, vel ut immoderate afficiantur ad communia eorum usui deputata. *Quum vero non prævaluerit,* id est, succubuerit in tentatione, *tunc inducit et allegat pauperes in occasionem,* hoc est, egenos reducit ad memoriam religiosorum, *et immateriales,* id est contemplativos pauperes professores, *persuadet iterum fieri materiales,* instigando eos ad hoc ut relictis exercitiis vitæ contemplativæ, monachi iterum occupent se corporalibus actibus misericordiæ.

Contristati, hoc est, injuriam passi, et ex hoc aliquo modo mœrentes, *non cessemus ad memoriam revocare mandatum*
Matth. xviii, 22. *Christi ad Petrum, videlicet septuagies septies dimittere peccanti. Quod enim in* A *altero fieri mandavit, penitus et ipse multo amplius faciet,* id est, Christus qui aliis jussit ut tam sæpe, imo tam semper ignoscant peccantibus in se, multo plus ignoscet his qui in ipsum peccant quotidie, dummodo ipsi propter Christum semper indulgeant forefacientibus sibi. *Elati vero,* id est, dum motum superbiæ sentimus in nobis de patientia in adversis, sive ex alia causa, *rememoremur dicentis : Quicumque totam legem spiritualem* et evangelicam *perfecerit, offenderit autem in* Jacob. ii, 10.
B *uno vitio, puta in elatione, factus est omnium reus.*

Sunt quædam conditiones spirituum immundorum et malignorum a sanctis voluntarie discedentes, id est, quidam diaboli sponte cessant impugnare quandoque viros perfectos, *ut non fiant molestatis conciliatores coronarum super invictis præliis,* id est, ne viri illi tentatione gravati acquirant præmia gloriosiora pro hoc quod invicte restiterunt ac prævaluerunt tentationibus dæmonum.

C *Beati quidem pacifici, et nemo est contradicens* huic auctoritati; *ego vero vidi inimicitias facientes beatos,* id est, quosdam conspexi viros virtuosos qui ex industria fecerunt discordiam inter quosdam. *Duo quidam affectionem amoris fornicarii possidebant invicem,* id est, sensualiter ac temporaliter amabant se mutuo, vel concordes erant in fornicandi affectu. *Diaconus autem quidam, vir probatissimus scientia inter doctos, factus est seminator discordiæ inter utrosque : il-* Matth. v, 9.
D *lum quidem quasi detrahentem huic et maledicentem improperiis accusans, et similiter accusavit istum illi. Et prævaluit sapientissimus* diaconus *repulsare humana industria malitiam dæmonum et operari odium* inter illos, *solvens* per hoc *vinculum,* id est vitium, *fornicationis.*

Circa istud possent multa utiliter dici. Primo enim non debemus aliquo modo mentiri ; secundo, non debemus facere mortale peccatum ut eruamus alium a peccato mortali; tertio, non debemus ali-

um directe inducere ad minus peccatum A ut per hoc abstrahamus eum a peccato majori, quamvis inter duo mala minus malum sit eligendum. Istud itaque factum non est ad imitationem trahendum, licet excusetur et ab auctore isto laudetur, quia processit ex bona radice et factum est pia intentione. Sunt autem aliæ viæ multo meliores ad extrahendum alios a prava concordia et a carnali affectu ad invicem. Denique licet malam concordiam rumpere et bonam discordiam inter male unanimes
Act. XXIII, 6, 7. seminare, quemadmodum fecit Paulus inter Pharisæos et Sadducæos : verumtamen nunquam licet inter alios directe seminare odium caritati contrarium, nec licet aliquem mendaciter accusare. Hæc breviter tetigisse sufficiat, quæ ex dictis Sanctorum copiose atque faciliter possent probari.

Est qui mandatum per mandatum repulsat. Nunquam licet unum mandatum transgredi ut aliud observetur : est igitur sensus horum verborum, quod quidam videntur per similitudinem operis unum C mandatum infringere ne violent aliud. *Vidi enim juvenes invicem ligatos caritatis affectione secundum Deum : tamen certificantes se mutuo de integritate caritatis mutuæ inviolata, elongaverunt se ab invicem ad tempus propter aliorum læsionem* vitandam *et conscientiam suam* salvandam, ne per caritatem mutuo familiarem ponerent offendiculum aliis qui ferre non poterant hanc eorum mutuam caritatem; sicque se ab invicem elongando, videbantur quodammodo facere contra caritatem. D Isti fuerunt sapientissimi juvenes : qui in hoc ipso sunt imitandi in casu consimili.

Sicut contrariæ sunt nuptiæ et mortuorum [illegible] *tio sunt inconsonæ,* id est disconvenientes et improportionatæ ad invicem. Qui enim desperat, reputat se gravem peccatorem sive tam pronum ad mala aut impotentem ad bona ut non possit salvari : quæ reputatio videtur esse elationi contraria. *Est tamen ambas simul unanimiter videre ex dæmonum seductione :* id est, quandoque sunt vitia ista pariter in eodem, ex eo quod dæmones ad contraria vitia instigantes, simul tentant et vincunt eumdem, ita quod dæmon desperationis inducit hominem ad desperationem, et dæmon superbiæ inducit eum ad elationem, sic quod indurato corde extollat se, damnationem suam futuram penitus parvi pendens aut non advertens.

Sunt quidam immundorum dæmonum B *subimmittentes et narrantes nobis interpretationem Scripturarum divinarum in proœmiis,* id est in principio, dum tentare aut apparere incipiunt. *Sed libenter hoc faciunt in cordibus vane gloriosorum, et præsertim in cordibus exercitatis in doctrina extrinseca,* id est sæculari, scholastica, acquisita, seu litterali, *ut seducendo eos, paulatim in hæreses blasphemiasque inducant. Theologiam, magis vero machilogiam et vanilogiam dæmonum,* id est notitiam divinarum Scripturarum nobis a dæmonibus inspiratam, quæ potius dicenda est notitia practicativa mali atque vaniloqua, quam notitia vere affectiva, divina ac theologica : hanc (inquam) *cognoscemus,* id est, a vera theologica cognitione discernemus, *ex subinductione conturbationis gaudiique pereffusi ac irreverentis in anima,* id est, per hoc quod ex tali notitia vaniloqua faciliter oriuntur in anima motus indignationum et aspernationum contra alios, exhilarationes quoque penitus dissolutæ et irreverentiales.

Quidam habuerunt ordinem et principium, quidam vero finem factorum a faciente : id est, quidam receperunt a Deo omnium bonorum factore ordinatam inceptionem actionum bonarum, qui tamen non perseveraverunt usque in finem; alii autem acceperunt ultra hoc consummationem perseverantiamque bonorum quæ inceperunt [illegible] *nitum.* Hoc intelligi potest, vel quia Deus immensus est finis virtutum, vel quia æterna felicitas dicitur finis omnis virtuosæ

actionis, vel quia durante hac vita debemus semper crescere in virtute. *Ait enim hymnizator canticorum,* id est Psalmista : (Ps. CXVIII, 96.) *Omnis consummationis vidi finem; latum vero et infinitum mandatum tuum nimis.* Auctor iste consuetudinem habet quod allegando Scripturas aliquid addit et interponit, sicut et nunc. Dicitur autem « mandatum » Dei « latum nimis », quia ad omnes extenditur, et quia caritatis præceptum extendit se etiam ad inimicos. Porro idem mandatum dicitur « infinitum », vel quia durat usque ad finem mundi, vel quia caritatis præceptum in patria perfecte æternaliterque impletur.

(Ps. LXXXIII, 8.) *Si quidam boni operatores ibunt ex virtute activa in virtutem contemplationis,* proficiendo ex actibus virtutum moralium ad actus virtutum theologicarum atque donorum intellectualium, præsertim ad actus sapientiæ unitivæ ac mysticæ theologiæ et (I Cor. XIII, 8.) ardentissimæ caritatis; *et si caritas nunquam desinit,* quia non excidit, imo nunc inchoatur, et in futuro perficietur et con- (Ps. CX, 10.) tinuabitur sine fine, *et Dominus custodiet introitum timoris tui,* id est principium tuæ emendationis, quæ incipit a timore, *et exitum,* id est processum seu finem, *tuæ caritatis : vere infinitum est prædium finis ejus,* id est, merces seu opulentia sive possessio caritatis est infinita in cœlo, videlicet beatifica Dei fruitio, seu ipse Deus omnipotens, *in qua* caritate *proficientes nunquam desinemus aliquo fine, neque secundum præsens neque secundum futurum,* id est nec in præsenti vita nec in futura, *assumentes et addentes lumini lumen, et scientiam scientiæ.* In his verbis videtur auctor sentire, quod Sancti in patria proficiunt et crescunt in lumine atque scientia : quod quibusdam tempore suo non placuit. Ideo subdit :

Licet quod dictum est videatur multis quodammodo peregrinum, id est alienum a veritate, *tamen, o beate abbas* cui hæc scribo, *dicetur,* id est, dicendum est, *juxta determinationem a nobis præfatam : neque enim intellectuales substantias,* id

A est angelos, *utique dixerim absque profectu; magis vero determino eas sempiterne addentes gloriam gloriæ, assumentes cognitionem scientiæ super scientiam.*

Circa hæc advertendum, quod juxta doctrinam divini Dionysii et Sanctorum eum sequentium, angeli sancti usque ad diem finalis judicii proficiunt in cognitione quorumdam effectuum Dei, et de talibus supremi illuminantur a Deo, imo et a Christo secundum naturam assumptam, superiores quoque angeli inferiores purgant, illuminant atque perficiunt. (De Cœlest. hier. c. VII, X; De Eccl. hier. c. VI.) B Insuper in præmio accidentali proficere possunt usque ad diem judicii; sed in præmio essentiali, quod est beatifica et fruitiva visio Dei, seu in Deitatis cognitione clara per speciem, nullus Beatorum proficit nunc ante judicium, neque post illud : Beati enim non sunt in statu merendi aut demerendi. Post diem autem judicii cessabunt omnes profectus in cognitione effectuum Dei atque in præmio et gloria accidentali, mutua quoque angelorum purgatio, illuminatio C et perfectio : imo omnia erunt tunc plenissime in termino consummato, nec ullum meritum erit, sed præmium purum, et omnis potentialitas erit in Beatis plenissime reducta ad actum, sicut ex dictis Sanctorum et doctorum scholasticorum posset copiose probari. Idcirco opinio prætacta auctoris non censetur posse salvari. Imo multa continentur in ea quæ paterent calumniæ : nam inter cetera sequitur ex ea, quod in angelis esset capacitas infinita respectu divinorum charismatum.

D *Si dæmones plerumque subimmittunt et ingerunt nobis bonos sensus,* hoc est veras sententias, *et in his intellectualiter contradicunt,* id est, occulte suggerunt et instigant nos ad non credendum sententiis illis, *ne mireris* de hoc. *Intentio enim est inimicis nostris* dæmonibus *per hoc nos suadere* ad talia, *ut cognoscant intentiones et cogitationes in corde nostro latentes,* quatenus illis cognitis et exploratis, certius sciant qualiter acrius nos impugnent.

Noli esse amarus, id est districtus, *judex et exquisitor eorum qui sermone magnifice docent, videns eos circa practicam aliquantulum pigrius persistentes*, hoc est aliqualiter tardos; *utilitas enim verbi adimplerit plerumque defectum operis*, id est, meritum informationis aliorum supplevit frequenter imperfectionem conversationis. *Non possidemus omnes penitus æqualia dona : in aliquibus enim sermo magis abundat quam opus; in aliis vero opus abundat magis quam sermo.* Per hæc verba reprimitur quorumdam temeraria audacia, qui quum sint malevoli, indociles et perversi, semper acuti sunt et proclives reprobare informationem eorum a quibus salubriter edocentur aut corripiuntur, dicendo, Medice, cura te ipsum, aut aliquid tale. (Luc. iv, 23.)

Malum culpæ *Deus non fecit nec condidit; sed seducti sunt quidam, dicentes quædam vitia esse naturalia in anima, ignorantes quod suppositivas et substantivas proprietates naturæ*, hoc est vires et inclinationes innatas, fundamentales et firmiter inhærentes naturæ rationali, *nos ipsi transtulimus in vitia*, abutendo eisdem. *Quale ait*, id est, quale est quod quidam dicit, videlicet istud : *Generativum semen est in nobis propter filiorum propagationem; nos autem transportavimus*, id est convertimus, *illud in fornicationem et libidinosam concupiscentiam. Furor irascibilis natura*, hoc est ex naturali conditione et institutione Creatoris, *est in nobis contra serpentem et vitia*, id est, ut irascamur contra diabolum et peccata; *utimur autem furore seu ira contra proximum. In nobis est zelus*, id est naturalis dilectio, *ut æmulemur*, id est diligamus, *virtutes; nos vero zelum et æmulationem habemus super mala*, id est, ad vana et vitiosa afficimur. *Naturaliter inest animæ concupiscere gloriam*, non inanem, *sed supernam. Naturale est animæ non superbire, sed contra dæmones*, ut eis consentire ac subjici dedignemur. *Similiter et gaudium* naturaliter competit animæ, *sed* gaudium *in Domino et propter Dominum*, id est ad Dei honorem, *et propter bona opera proximorum. Suscepimus naturaliter memoriam malitiæ*, hoc est injuriæ nobis factæ, *sed contra animæ inimicos. Accepimus naturaliter desiderium alimenti, non autem comessationis et impudicitiæ.*

Anima quæ est sine pigritia excitavit dæmones contra se ipsam : quo enim quis exstat ferventior, eo plus incitatur diabolus impedire profectum ipsius. *Multiplicatis enim præliis tentationum, multiplicatæ sunt et coronæ*, id est præmia triumphorum his qui viriliter pugnaverunt.

Qui non est plagatus ab impugnatoribus, hoc est, qui a dæmonibus non est impugnatus et molestatus, *penitus non coronabitur; qui vero non fatigatur aut angustiatur super occurrentibus casibus*, id est, per impatientiam non lassatur nec trepidat in tentationibus et adversitatibus advenientibus sibi, *glorificabitur ab angelis* tanquam pugnator idoneus.

Tres quidem quis noctes in terra fecit in universo. Per quemdam istum qui « in universo fecit tres noctes in terra », potest intelligi Christus, qui per synecdochen tribus noctibus fuit in terra, id est sepultus in terra, sicut prædixit : Sicut Jonas fuit in ventre ceti, ita Filius hominis tribus noctibus erit in ventre terræ. (Matth. xii, 40.) Insuper nox dicitur tempus dormitionis, quo anima communiter cessat per somnum ab exercitiis rationis, quæ in dormiente ligatur. Quoniam ergo anima Christi nunquam cessavit ab actibus rationis per somnum in vita hac, sed in triduo sepulturæ corpus ejus dormivit in monumento, idcirco dicitur tres noctes fuisse in terra. Rursus per noctem intelligi potest adversitatis et tribulationis tempus. Quoniam ergo tota vita Salvatoris in mundo hoc persecutionibus et tribulationibus plena fuit, possunt per « tres noctes » intelligi tria tempora ætatis, videlicet infantiæ, pueritiæ ac juventutis, quibus tribulationes et persecutiones perpessus est.

Qui vero tres horas vicit, non morietur, hoc est, qui prævaluerit in hora qua tentatur a carne, et in hora qua tentatur a mundo, et item in hora qua a dæmonibus impugnatur, « non morietur » morte culpæ, nec morte damnationis æternæ. Vel tres horæ sunt tempus quo tentamur per prospera, tempus quoque quo tentamur per adversa, et tempus periculosissimæ tentationis in morte. Rursus tres horæ sunt principium bonæ actionis, et medium seu prosecutio ejus, et finis ipsius : in quibus qui prævaluerit, salvus erit.

Si secundum dispensativam correctionem, post ortum suum in nobis sol cognovit diluculo occasum suum in nobis. (Ps. CIII, 19-22.) Per solem intelligi potest sol materialis, et etiam Sol intelligentiæ, qui est Christus. Itaque « si sol post ortum suum in nobis », id est, mox postquam lucem suam super nos fudit, aut mentibus nostris lumen infudit, « cognovit diluculo », hoc est, mane seu cito nos cognoscere fecit, « occasum suum in nobis », id est recessum suum a nobis, « secundum dispensativam correctionem », qua interdum ad tempus relinquit nos dispensative, et tentari, tribulari ac contristari permittit, corrigens per hoc ingratitudinem, præsumptionem, et cetera vitia animæ nostræ, ita quod recognoscimus istud, sicque ad Deum rursus confugimus, *penitus posuit tenebras in latibulo suo,* id est, afflictiones, mœrores et animi obscurationes produxit in nobis eo tempore quo ita abscondit gratiosam ac dulcem præsentiam suam a cordibus nostris, *et facta est nox,* id est ariditas et excæcatio quædam in anima nostra interdum tam gravis ut cœlum videatur nobis æreum terraque ferrum, et passionum caligine involvamur, cogitationum strepitu confundamur, et suspicemur nos prorsus destitutos a gratia. *In ipsa ergo nocte pertransibunt ad nos mane recedentes catuli leonum silvestres et omnes bestiæ silvæ spinosorum vitiorum,* hoc est, durante tali caligine mentis, statim oriuntur in nobis et invadunt ac impu-A gnant nos motus leoninæ animositatis ac ferocitatis, et amarissimæ punctiones iræ, impatientiæ, indignationis, invidiæ, *rugientes,* id est, intra nos tumultuantes, *ut rapiant spem* perseverandi *in nobis, et quærentes a Deo,* id est, ipso Domino permittente, *escam vitiorum sibi,* hoc est fomentum et incrementum suæ malitiæ, ut scilicet hos motus foveamus in nobis, *aut per intentionem perversam et meditationem,* id est per cogitationem et considerationem rerum ex quibus hæ pessimæ B motiones et affectiones passionum generantur, continuantur, renovantur et invalescunt, *aut per actionem,* utpote opere exsequendo ea ad quæ incitant seu inclinant.

Iterum vero ortus est in nobis sol per obscuram humilitatem, id est, Christus sol justitiæ denuo visitavit, exhilaravit et adimplevit nos amorose ac gratiose, per hoc quod humiliter recognovimus proprias calamitates, defectuositates, præsumptiones et miserabiles pronitates ad omne malum, *et ad se ipsas iterum bestiæ congregatæ* C *sunt,* id est, præfati motus bestiales simul de cordibus nostris expulsi sunt ex luminosa et consolatoria visitatione Altissimi, *et collocabuntur in cubilibus suis, videlicet in amatoribus concupiscentiarum, et non in nobis. Tunc dicent inter dæmones,* id est, immundissimi dæmones invicem dicent : *Magnificavit Dominus iterum facere misericordiam suam cum eis.* (Ps. CXXV, 2.) *Nos vero dicemus ad eos : Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes, vos vero persecuti,* (Ibid. 3.) id est, D vos, o dæmones, estis nos persecuti tentando, et nos sumus vos persecuti resistendo ac prævalendo.

Ecce Dominus sedebit super nubem levem, videlicet animam ab universa concupiscentia terrena exaltatam, (Is. XIX, 1.) hoc est, in anima a pondere vitiorum et terrestreitate seu corpulentia passionum purgata sursumque elevata residebit ; *et veniet in Ægyptiacum cor et primo tenebrosum :* quia per hoc quod ita ingreditur animam, efficit eam illuminatam ac spiritualem,

quæ ante erat immunda ac obscurata; *et* A
commovebuntur manufacta idola et cogitationes mentis, id est, vana phantasmata et fœdæ imaginationes cogitationesque illicitæ abjicientur de corde quod Christus inhabitat. Mystica ista locutio sumpta est ex Isaia, quemadmodum præinducta ex Psalmo.

Matth. ii, 13. 14. *Si Christus ab Herode corporaliter fugit, quum esset omnipotens,* propter quod non fugit ex infirmitate, sed pro nostra ædificatione, *corrigantur audaces præsumptuosi non se ipsos in tentationes projicere,* B
id est, Christi exemplo se corrigant, ita ut de cetero non præsumant tentationibus se ingerere, sed fragilitatem
Ps. cxx, 3. suam advertant. *Non des in commotionem pedem tuum, ait* Psalmista, *et non dormitabit qui custodit te angelus :* ex quibus verbis ostenditur quantum indigeamus auxilio Dei et angeli sancti.

Complectitur fortitudinem tumor, hoc est, elatio sæpe adjungit et circumvolvit se fortitudini corporali ac spirituali, *quemadmodum rubus quidam dictus smilax se* C
conjungit cypresso. Opus perpetuum nobis sit, id est, indesinenter provideamus et observemus, *ut neque exili intentione recogitemus nos possidere qualecumque bonum,* id est, nullum bonum gratiæ et virtutum quantumcumque exiguum arbitremur nos habere quasi ex nobis, nec propriis id viribus adscribamus; *sed et diligenter intendentes et quærentes, inspiciamus proprietatem ipsius boni si in nobis sit, et intelligemus nos penitus esse deficientes ab ipso bono,* ita quod nec bo- D
num naturæ nec bonitas gratiæ ac virtutum sint in nobis sincere, perfecte ac pure, sed prorsus defectuose, permixte et obnubilate. Propter quod dixit Salvator :
Luc. xviii, 19; *Is.* lxiv, 6. Nemo bonus, nisi solus Deus. Nempe tot mala nobis admixta sunt, ut etiam universæ justitiæ nostræ comparentur panno menstruatæ, quo vix aliquid turpius exstat. Proprietas autem boni, est appetibile esse; proprietas vero virtutis, est habentem facere bonum.

Quære incessanter in te argumenta, id est signa et effectus, *vitiorum, et tunc intelliges multa ex vitiis in te esse. Quare bona possibilia homini agere aut nos ipsos cognoscere non valemus, exsistentes in infirmitatibus universis?* id est, cur nos exsistentes in defectuositatibus cunctis non possumus nos ipsos rite cognoscere, neque ad quæ extendat se possibilitas nostra? Et respondet : *Aut propter infirmitatem, aut propter relictionem profundam.* Quasi dicat : Excusationem non habemus de hoc quod non valemus ista, quia contingit ex nimia nostra pusillanimitate, tarditate et infectione, aut quia vehementer relicti sumus a Deo justo judicio, propter perversitates et ingratitudines nostras, ita quod excæcatio atque acedia possident nos.

Propositum judicat Deus, qui scrutatur corda et intentiones, et juxta interiora ju- I *Par.* xxviii, 9; I *Reg.* xvi, 7.
dicat hominem : quem si viderit esse boni propositi et facere quod in se est, impendit auxilium, et mentem illuminat. *In his autem quæ sunt secundum virtutem,* id est, in his quæ possibilia nobis sunt, *ipse Deus benignus exquirit et operationem,* ut talia faciamus secundum quod exigit vocatio nostra.

Magnus est qui nihil eorum quæ sunt secundum virtutem suam minuit vel relinquit, id est, perfecte observat quæ possibilia sibi sunt, non faciens opus Dei *Jer.* xlviii, 10.
fraudulenter aut negligenter : [illegible] *est qui in humilitate admittitur in his quæ sunt super virtutem,* hoc est, qui merito suæ profundæ humilitatis elevatur ad supernaturalia, et quanto minus de votis suis præsumit, tanto plus desuper adjuvatur, atque ad contemplationes sublimes et ad transformationem in Deum, ad raptum ecstasimque perducitur.

Plerumque dæmones prohibent, id est, dissuadent et pro posse suo, seu potius quantum admittuntur, impediunt, [illegible] *tilia,* ut sic efficiamur dupliciter rei, vide-

licet bona agenda omittendo, et inutilia faciendo.

Invenio illum Joseph patriarcham eximium, beatificum propter aversionem a peccato, qui renuit facere stuprum, *non propter ostensionem impassibilitatis,* id est, non ob hoc quod penitus caruit omni tentatione et motu, sed quia his gloriose prævaluit. Gen. XXXIX, 7 et seq.; Eccli. XXIX, 17.

Quærendum nobis in quibus et quot a peccatis aversio, id est a malo recedere, *possidet coronam.* Ad quod auctor non respondet : sed breviter dici potest, quod in omnibus aversio ista meretur vitam æternam, in quibus homo tentatur aut incitatur ad malum, et tamen ex caritate resistit, repugnat ac prævalet; aversio autem quæ est pura privatio, aut cessatio seu vacatio ab actu illicito, non meretur coronam. — *Aliud est avertere et devitare malitiam,* quod est recedere a malo, *et aliud atque sublimius occurrere Soli justitiæ,* id est bona aggredi solo intuitu et amore justitiæ.

Obscurari est causa offendendi, id est, excæcatio seu ignorantia mentis est occasio illicitæ appetitionis interioris et culpæ; *offendere vero est causa cadendi,* id est, prava et libidinosa affectio est causa exterioris peccati et actus obsceni; *cadere autem est causa moriendi,* id est æternaliter pereundi, secundum quod Jacobus ait : Peccatum quum consummatum fuerit, generat mortem. Quod non est intelligendum quasi obscuratio et offensio non sint causa moriendi, sed quod opus pravum additum illis, una cum eis magis sit causa mortis æternæ. Jacob. I, 15.

Obtenebrati ex vino, sobrie evigilarunt aqua, id est, post somnum lavando faciem et os aqua sobrii fiunt ; *obtenebrati vero vitiis evigilant lacrimis,* id est, peccata sua deflendo sobrii corde effecti sunt.

Aliud est conturbatio, aliud diffusio, et aliud cæcitas. Difficile esset hoc intelligere, nisi subjungeretur : *nam priorem,* utpote conturbationem, *sanat abstinentia humilis ; secundam,* puta diffusionem, A *sanat quieta remotio et oratio ; tertiam vero,* videlicet cæcitatem, *curat obedientia, et Deus incarnatus, factus obediens pro nobis usque ad mortem.* Ex quibus verbis elicitur, quod per conturbationem intelligat concupiscentiam gulæ et fornicationis, quæ humili abstinentia superatur; per diffusionem vero intelligit dispersionem mentis circa terrena et curiosa, quæ solitaria mansione et oratione exstinguitur; per cæcitatem demum intelligit propriæ voluntatis immansionem ac rebellionem, quæ B sanatur per obedientiam, et præsertim per considerationem obedientiæ Christi usque ad crucis patibulum. Philipp. II, 8.

Nos existimavimus duas egregias purgationes esse eorum qui superna sapiunt, exemplo duorum purgantium ea quæ sunt deorsum, id est juxta similitudinem locorum seu remediorum quæ corpora purgant. Deinde subjungit quæ sint istæ egregiæ purgationes spiritualium hominum. *Et dealbatorium ablutionis quasi in ænigmate,* id est metaphorice, *dicimus esse cœno-* C *bium quod est secundum Deum,* id est cœnobium in quo est observantia regularis, *quod est expurgans et removens sordes, hebetudinem crassitiei,* id est carnalitatem, *deformitatemque animæ. Tinctorium autem,* quod est secunda purgatio egregia, seu remedium spiritualiter purgativum, *sit recessus,* id est habitatio et observantia solitariæ vitæ, *his qui in cœnobio et congregatione deposuerunt luxum, gulam, memoriamque injuriæ et furorem,* imo et ceteras passionum immoderationes et cul- D pas, *et a cœnobio Fratrum transierunt de cetero ad quietem solitudinis.* Interea, quum vita solitaria anachoretarum perfectior sit conversatione cœnobitarum, hinc anachoretica vita recte vocatur « tinctorium », vita autem socialis claustralium dicitur « dealbatorium ablutionis » : in tinctorio namque res pulchrius coloratur quam in dealbatorio.

Quod eveniat aliquem corruere eisdem lapsibus, id est recidivare seu eadem peccata etiam post pœnitentiam iterare, *qui-*

dam dicunt esse ex defectu consonæ et A *convenientis pœnitentiæ,* id est, ex hoc quod peccator non egit pœnitentiam dignam, nec habuit contritionem multitudini ac magnitudini vitiorum suorum proportionatam, vel quia non habuit specialem et condignam contritionem de peccato in quo relabitur, *et ex defectu diminutionis,* id est minorationis et evacuationis reliquiarum peccati præteriti : « diminutionis », inquam, *resistentis* veræ emendationi *et non sinentis exquirere directionem,* id est reformationem et satisfactionem, *de* B *præteritis malis.* Resistit autem diminutio ista huic emendationi et satisfactioni, non in quantum diminutio reliquiarum peccati, imo sic confert ad eas, sed in quantum est defectuosa.

Quærendum quoque est, an omnis qui non corruit eadem specie lapsus, id est, qui non iterat post pœnitentiam idem peccatum quod commisit aut incidit ante pœnitentiam illam, *jam digne pœnituit.* Ad hoc auctor non respondet. Sed dici potest, quod condigne pœnituit, si vitavit post C pœnitentiam non solum illud peccatum, sed alia quoque, quantum permittit humana fragilitas : quia condigne pœnitere, est præterita mala deflere, et deflenda non iterare.

Ceciderunt quidam in eisdem aut prioribus lapsibus, hoc est, post pœnitentiam recidivaverunt, peccata confessa et ante habita seu commissa iterando, *sepulti in profundo oblivionis,* id est demersi gravi atque damnanda oblivione, qua obliti sunt attendere quam graviter ante peccaverint, D quam misericorditer Deus fecerit cum eis, quam ingrati sint de prioribus misericordiis suis tam viliter recidivando, *vel ex* [illegible] *Deum benignum,* id est ita misericordem et pium quod eos nequaquam relinquet finaliter, sed eorum recidivationi ignoscet, *aut propriam* [illegible] *tes* propriam perversitatem *et renuentes* ea quæ necessaria sunt saluti. *Si autem nullus futurus esset mihi querelam,* id est

reprehensionem, *imponere, dicerem utique, quod de cetero non valent inimicum istum ligare,* hoc est recidivationem præfatam frenare ac evitare, *tyrannide consuetudinis prævalente et vim eis pariter inferente,* hoc est, consuetudine prava instar tyranni trahente et quasi violentante ad vitia. Verumtamen consuetudo ista non cogit simpliciter, nec facit absolutam impossibilitatem ad bona agenda.

Scrutandum quomodo incorporea anima rationalis *non habet naturam videre peregrinantes,* id est angelos bonos ac malos vicissim accedentes ad ipsam, *consubstantiales,* id est ejusdem naturæ secum exsistentes, saltem in genere, utpote intellectualis : videre, inquam, illos *secundum naturam quam habent,* id est in propria eorum essentia seu secundum specificam rationem ipsorum. *Igitur nequando sit,* id est, ne anima ita videat et agnoscat spiritus illos incorporales, *propter conjugationem, quam solus ligans novit,* id est, hoc contingit ex conjunctione animæ cum carne mortali ac gravi, cui sic inviscatur, ut cognitio ejus a sensibilibus sumat exordium, atque intelligentem oporteat phantasma speculari : quam unionem intellectualis animæ cum corpore isto pingui ac sordido, novit plenarie solus Deus, qui animam sic ligavit cum carne.

Quidam volens discere, interrogavit me aliquando edisserere aliquid intelligentium, hoc est, ad hoc interrogavit me, ut exponerem sibi aliquid quod scire est sapientium. Itaque interrogavit [illegible] *rituum humilient, et qui habeant naturam extollere mentem super peccatis,* hoc est, qui dæmones extollant peccantem de suis peccatis, et qui humilient eum de suis excessibus. *Me quoque ad propositam quæstionem hæsitante, et ignoran-* [illegible] *paucis verbis me docuit, dicens :*

Fermentum, id est doctrinam, robur et saporem, *discretionis,* qua possis inter spiritus istos discernere (fermentum quippe

quandoque in bonum accipitur, sicut in Evangelio : Simile est regnum cœlorum fermento, etc.), *tibi dans, derelinquo quærere de aliis* rebus. *Spiritus fornicationis carnalis et iræ et gulæ, acediæ quoque et somni, non sunt usquequaque,* id est multum seu excessive, *extollentes cornu mentis,* hoc est libertatem et extollentiam cordis : quia hæc vitia continent in se evidentem vilitatem et defectuositatem. Quidam tamen adolescentes in quibus nihil prudentiæ est, solent de sua effrenata luxuria superbire. *Spiritus autem avaritiæ et ambitionis et vanitatis ac loquacitatis, et alii plures* spiritus maligni, *consueverunt malum malo coaptare,* id est, vitiis jam præfatis ad quæ inclinant, superbiam applicare et copulare. *Quocirca et spiritus judicii,* id est dæmon instigans ad judicandum temerarie de aliis, *inest istis pravis spiritibus proximus :* quia judicio stulto addit superbam sui ipsius reputationem aliorumque aspernationem.

Matth. XIII, 33.

Qui ad mundanos accessit, hoc est, qui sæculares homines visitavit, *aut eos recepit* venientes ad se, *et de eorum recessu concepit sagittam,* id est punctionem, *tristitiæ post horam vel diem* qua abierunt a se, *et non potius gaudium tanquam liberatus ab impedimento* spiritualis profectus *et laqueo* tentationis, *illuditur a dæmoniis vanæ gloriæ vel malignitatis,* id est carnalis amoris, qui est malus et pessimus ignis.

Quæramus ante omnia unde ventus perflat, id est, ex qua radice motus desiderii oritur, aut ex qua causa inspiratio seu cogitatio venit, *nequando inveniamur extendentes vela contrarie,* id est, perverse consentientes malo, aut inordinate dissentientes resistentesque bono, atque per hoc periculose navigemus per mare sæculi hujus.

Exora senes activos ex caritate, qui contriverunt corpora sua in exercitatione sancta : hos, inquam, « exora » ut orent pro te, teque informent, vel ut rigorem abstinentiæ temperent, *modicam requiem* A *exhibens eis* quousque te instruant. *Coge,* id est, instanter hortare, vel si prælatus es compelle per rigorem disciplinæ juxta censuram prudentiæ, *juvenes abstinere qui contriverunt,* id est, spiritualiter destruxerunt, *animas suas in peccatis, narrans eis memoriam pœnæ æternæ.*

Non est usquequaque contingentium vel possibilium, hoc est de numero rerum faciliter aut passim evenientium, *ut perfecte et ex toto expurgemus gulam et vanam gloriam in exordio nostræ con-* B *versionis, sicut et alibi,* id est supra in alio articulo, *diximus. Attamen non velimus vanam gloriam expugnare per delicias atque convivia,* utpote laute et abundanter edendo ne per abstinentiam videamur quærere gloriam propriam. *Nam talis victoria,* id est repulsio vanæ gloriæ, *vanam gloriam parit,* dum de tali repulsione ipsius inaniter gloriamur. *Dico autem incipientibus,* id est, de ipsis intelligo ista potissime, *qui sunt magis erudiendi* tanquam inexercitati ac rudes novitii. *Ma-* C *gis vero interpellemus Dominum* intercessione devota *adversus gloriam vanam per indigentiam atque penuriam,* id est abstinendo et paupertatem æquanimiter sustinendo. *Veniet enim hora, et nunc est, quando eamdem* vanam gloriam *subjiciet Dominus sub pedibus nostris,* si modo jam tacto invocaverimus Dei auxilium per orationes, abstinentias et paupertates.

Cf. p. 390 B', C'.

Non eisdem vitiis impugnantur juvenes et senescentes, id est, non semper et adæquate seu præcise incitantur ad eadem D vitia, quamvis frequenter senes ac juvenes tententur et superentur acedia, elatione, loquacitate, suspicione, gula, ira, contentione, ac aliis multis, *sed plerumque possident infirmitates* spirituales, imo et corporales, *ex toto contrarias,* ut Hippocrates ait. *Quapropter beata est vera humilitas, qua pœnitentia fit munita, certa, vera et firma in juvenibus ac senescentibus,* quia amborum infirmitates potest curare humilitas, una cum pœnitentia per ipsam munita et stabilita.

Raræ quidem sunt animæ rectæ et absque malitia, et liberæ a malignitate, hypocrisi et versipellitate, id est, pauci valde sunt homines justi atque immunes omnino a vitiis istis, *quibus apponatur,* hoc est, conveniens sit et incumbat, *cum hominibus conversari : quæ* animæ *possunt cum dirigente,* id est cum homine eas regente, *cœlum intrare quasi ex quodam portu solitariæ quietis; et non indigent supportare turbationes cœnobiticorum tumultuum ac scandalorum* quæ in congregationibus solent quandoque oriri, *quin imo indigent potius permanere expertes,* id est non participes, *talium,* ita quod magis expedit unicuique homini tali habitare cum uno Patre spirituali et experto et ei in omnibus obedire, quam in cœnobio, ubi inquietudines et tentationes diversas incurret. Iste autem modus habitandi scorsum cum uno aut paucis, fuit communis tempore hujus auctoris.

Luxuriosos quidem homines, malignos vero angeli, superbos autem Deus sanare potest, id est, homines boni possunt curare luxuriosos, angeli autem malignos, et Deus superbos. Quod cur dicatur, difficile reor, quum scriptum sit : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Denique, sicut homo bonus interdum convertit luxuriosum, ita et superbum. Quos autem vocet malignos obscurum est. Itaque per appropriationem quamdam intelligendum est istud, ut homo dicatur posse sanare luxuriosum ministerialiter et dispositive, loquendo ei ferventer de pœnis futuris et fœditate fornicationis et consimilibus, quæ specialiter valent ad detestationem luxuriæ. Angelus vero potest ministerialiter sanare malignum, id est malo igne cupiditatis ignitum, puta avarum, illuminando cor ejus ad contemplationem spiritualium : Deus autem directe et effective purgat superbum, imo et omnem veraciter pœnitentem. Sed cur homo dicitur sic posse sanare luxuriosum potius quam malignum aut superbum, et angelus malignum magis quam luxuriosum aut elatum, Deus quoque elatum magis quam luxuriosum sive malignum? Forte hoc est ad insinuandum ordinem gravitatis inter hæc vitia, ordinem quoque difficultatis in curatione ipsorum : nam et spiritualia vitia, loquendo in generali, sunt graviora quam carnalia.

Job xiv, 4.

Ista fuit plerumque quasi species caritatis, proximo ad nos venienti derelinquere potestatem faciendi in universis quæ vellet, ostendentibus nobis super hoc omnem hilaritatem. De hoc habetur exemplum in Vitaspatrum, quod senior quidam audiens duos fratres pariter habitantes esse præcipua humilitate et patientia decoratos, venit probare eos. Quumque fuisset ab eis caritative susceptus atque refectus, arrepto baculo destruxit omnia olera hortuli quem habebant : quod fratres illi cum omni patientia et humilitate intuebantur; dixeruntque seni : Vis, abba, ut simul gustemus eum qui remansit caulem? Quo audito, senex glorificavit Deum in humilitate et patientia fratrum duorum.

Quærendum est, quomodo et usquequo et quando et utrum pœnitentia sit resolutiva bonorum sicut malorum. Hanc quæstionem auctor non solvit. Ad quam arbitror respondendum, quod pœnitentia ex propria natura resolvit seu tollit et dissipat vitia; non est autem « resolutiva » seu destructiva « bonorum », utpote actuum virtuosorum, directe, sed incidentaliter, in quantum remissio, tepor seu incustodia cordis ei annectitur, et ita recidivatio eam comitatur, per quod peccata dimissa quodammodo redeunt, et bona commissa mortificantur, ingratitudo quoque augetur; vel in quantum magnis et arduis pœnitentiæ actibus spiritualis superbia et vana gloria se admiscent.

Multa [illegible], ut [illegible] quando debeamus stare in prælio contra aciem vitiorum. [illegible] hoc est fugere prælium. Quocirca sciendum, quod quædam sunt vitia in se ipsis pœnalia et

amara, aut afflictionem multiplicem sibi annexam habentia : ut sunt, ira, furor, impatientia, indignatio, amaritudo, contentio, tristitia, pigritia, invidia, et multa similia. Quando ergo tangimur aut tentamur de talibus vitiis, debemus stare, et contra eorum materias concertare, ac vitiorum istorum naturas diligenter attendere, quousque penitus superentur : quo enim diligentius attenduntur, eo plus displicent. Alia autem vitia in se ipsis delectabilia sunt, sicut præsertim venerea, deinde opera gulæ, ludi quoque, joci, confabulationes et repausationes carnales: quæ quanto plus considerantur, tanto amplius attractiva et oblectativa consistunt. Ideo quando de eis tentamur, debemus nos ab eorum consideratione, memoria, occasione, materiis seu objectis avertere : quod vocatur fugere seu « discedere ». Sic enim compendiosius superantur. Porro aversio illa fit per hoc quod strenue damus nos ad considerationem eorum quæ compunctionem et timorem incutiunt : ut sunt, passio Christi, memoria mortis, rigor judicii, acerbitas pœnarum purgatorii et inferni.

Est enim et fugam prædiscernere propter infirmitatem, ne moriamur, id est, quandoque contingit et expedit ut homo ex consideratione propriæ fragilitatis proponat etiam ante bellum fugere tentationem, quantum rationabiliter potest, ne vincatur in ea : quod præsertim agendum est in impugnatione quæ fit a vitiis in se delectabilibus.

Videamus et custodiamus in quo tempore et qualiter possumus evacuare fel per amaritudinem, hoc est, quando et qualiter valeamus animas nostras expurgare a vitiis in se amaris, afflictivis et pungitivis, « per » bonam « amaritudinem » contritionis, fletus, et operum satisfactoriorum laboriosorum.

Consideremus item, qui dæmones exaltant, et qui humiliant, hoc est, qui instigant ad vitia quibus annectitur sui ipsius extollentia, et qui instigant ad peccata quorum expletioni solet conjungi sui ipsius quædam dejectio : de quibus supra dictum est. p. 417 D'. *Et qui indurant, qui autem exhortantur et consolantur.* Quidam etenim dæmones incitant ad manifesta mala; quidam vero quasi in angelos lucis se II Cor. XI, 14. transformantes, suggerunt quædam bona, quamvis intentione perversa. Unde subjungitur: *qui quoque obtenebrant, qui vero iterum illuminationem simulant.* Aliqua namque dæmonia multitudine perstrepentium cogitationum tumultuantiumque desideriorum et immundorum phantasmatum mentem conturbant atque obtenebrant. Porro, quod additur, « iterum », potest referri ad eosdem dæmones, ut sit sensus, quod eadem dæmonia nunc obscurant, nunc quasi illuminant, ut saltem altero horum modorum prævaleant; vel ad verbum illud, « consideremus », ut sit sensus, quod utrumque horum pensandum est.

Consideremus etiam *qui* dæmones *segnes sunt,* ita quod tarde impugnare incipiant, ut minus præcaveantur et improvisius lædant, *qui autem versipelles,* id est singulariter callidi, qui sub colore et specie optimorum bonorum trahunt paulatim ad periculosissima mala, quæ tanto difficilius curantur quanto meliora putantur; *qui etiam faciunt nos tristes, et qui iterum efficiunt nos hilares :* quia dum nequeunt prævalere incitando ad inordinatam tristitiam, nituntur decipere per inanem lætitiam.

Quum viderimus nos ipsos magis vitiosos, id est magis tentatos ad vitia, *in procemiis* nostræ conversionis, *quam eramus in conversatione nostra mundana, non stupeamus,* hoc est, non admiremur superflue inde. *Oportet enim omnes causas moveri,* id est omnia quæ virtuti et gratiæ adversantur insurgere contra ipsas virtutes in conversionis primordio, quando reliquiæ pristinorum vitiorum adhuc manent in anima; tunc quoque dæmones magis insaniunt contra conversos, et ipsa novitas vitæ gravat, quum non sit facile consuetudinem permutare; *et ita demum*

oportet *sanitatem nobis advenire,* per expulsionem videlicet reliquiarum peccati, et dæmonum conculcationem, consuetudinumque alterationem. *Nam et bestiæ tunc usque quasi absconditæ, non videbantur,* hoc est, motus passionum bestiales qui ante conversionem regnabant in homine, non attendebantur ab eo tunc, quam scilicet detestabiles essent; sed post conversionem mente aliqualiter illuminata, incipiunt magis ponderari ac inspici, ita quod conversus videtur sibi tunc pejor quam erat in sæculo, eo quod adhuc sentiat in se hujusmodi motus, quos ante parvi pendebat.

Qui de cetero perfectioni approximant, si aliquando a dæmoniis vincuntur secundum aliquam contingentiam in aliquo exili, id est parvo peccato, hoc est, si contingat ipsos proficientes superari aliqua tentatione diaboli, *omni utantur industria hoc confestim ex eis rursus diripere centuplum,* id est, cum omni diligentia studeamus ut centies plus proficiamus quam per tentationem illam defecerimus, et tanto humilius atque ferventius, imo et cautius, inhæreamus spirituali profectui, quanto invidiosius impugnamur a dæmone. Quod et utique agendum est, si (quod absit) victi fuerimus a diabolo in aliquo magno peccato.

Quemadmodum venti habent naturam quandoque perflare superficiei tranquillum, id est leviter ipsam aquam in superficie sua, *interdum vero conturbare profundum maris propter vehementem importationem,* id est impulsum; *ita et mihi videtur de obscuris et tenebrosis ventis*

A *malignitatis,* id est dæmonibus, qui intellectu et voluntate sunt obtenebrati et omni malignitate repleti. *Nam quidam ipsorum habent naturam,* id est proprietatem sive officium, *facere fluctuare et hiemare,* id est tempestatibus passionum ac rigore vitiorum inquietare, *sensum,* hoc est intellectum et cognitionem, *cordis hominum vitiosorum; sed turbant,* id est, aliqualiter inquietant, *superficiem mentis eorum qui jam profecerunt.* Verumtamen quandoque turbant et vincunt profundum

B cordis etiam perfectorum, ut patet in David et Ezechia, quamvis raro id accidat. *Propterea isti* qui jam profecerunt, *propriam tranquillitatem permanentem protinus sentiunt inquinatam,* hoc est, dum aliqualiter corruunt et vincuntur, lapsum proprium mox advertunt, quoniam mente manent tranquilli et virtuosi, nec ordo et judicium rationis obruuntur in eis quamdiu non peccant mortaliter.

II *Reg.* XI, XXIV; II *Par.* XXXII, 25, 31.

Perfectorum est cognoscere semper in

C *anima propria quæ sunt conscientiæ, et quæ Dei,* hoc est, qualiter coram Deo disposita sit conscientia propria, et quæ Deo sint placita, *quæ etiam* exsistat *intentio dæmonum. Dæmones enim non supponunt nec ingerunt ex procemiis universa contraria,* id est, a principio suæ tentationis seu conversionis nostræ, non immittunt nec suadent cordibus nostris cuncta veræ saluti contraria, imo paulatim ad deteriora alliciunt. *Propterea propositio,* id est præsens inquisitio et doctrina, *vere est tene-*

D *brosa,* utpote non clara aut evidens, sed ad intuendum difficilis.

RECAPITULATIO PRÆDICTORUM

SUB COMPENDIO

FIDES firma, mater abrenuntiationis ; contrarium vero est manifestum. — Indeclinabilis spes est porta impassibilitatis ; contrarium vero est manifestum. — Caritas Dei est suppositio peregrinationis ; contrarium vero est manifestum.

Abnegatio et condemnatio et appetitus sanitatis pariunt obedientiam et subjectionem. — Intenta meditatio mortis et fixa memoria fellis et aceti regis nostri Jesu Christi, est mater abstinentiæ. — Tranquillitas mentis, oratio et remotio, est auxiliatrix continentiæ. — Humile jejunium est inflammationis carnis vulnerator. Contritio vero mentis est expugnatrix turpium cogitationum resistens.

Fides et peregrinatio est mors avaritiæ. Compassio vero et caritas tradunt corpus. — Oratio devota est exterminatio et interitus acediæ. Memoria autem judicii est conciliatrix promptitudinis, medicina furoris, et amor ignominiæ. — Canticum hymnorum, compassio et paupertas, est suffocatio iræ atque tristitiæ. Impropassio vero sensuum est contemplatio intelligibilium.

Silentium et requies est expugnatio vanæ gloriæ. Si vero in medio exsistis, ignominiam adinveni et persequere. — Seditiones contristantes contrariique eventus medentur visibilem superbiam, invisibilem vero medetur Deus ante sæcula invisibilis. — Cervus est interemptor bestiarum venenatarum, humilitas vero est interemptrix omnium intelligibilium bestiarum. — Unum exsistentium per ea quæ habet secundum naturam, efficaciter et manifeste nos instruit intelligibilia.

Quemadmodum impossibile est serpentem exuere suam antiquitatem nisi intrando per angustum foramen, ita et nos non abjiciemus antiquas præassumptiones inveterationemque animæ et veteris hominis tunicam, nisi pergamus per angustam et arctam viam jejunii, et mortificationis sensuum ac propriæ voluntatis, et injuriarum atque improperiorum. — Sicut impossibile est quædam volatilia grave corpus habentia volare in cœlum, ita et suam carnem nutrientes in deliciis impossibile est in cœlum ascendere. — Porcus amplius non curat cœnum siccatum, et dæmones non inquietabunt ulterius carnem mortificatam.

Quemadmodum humidorum lignorum multitudo faciens magnum fumum, plerumque suffocat et exstinguit flammam ignis ; ita tristitia immoderata et excessiva multoties efficit animam fumo plenam et tenebrosam, et aquam lacrimarum salubrium siccat. — Quemadmodum cæcus sagittator est reprobus, ita discipulus contradicens et litigans perdetur. — Sicut ferrum probatum valet acuere ferrum molle, ita Frater promptus ad ea quæ Dei sunt, salvavit frequenter negligentem.

Quemadmodum ova gallinarum in fimo fota vivificantur, ita et cogitationes non manifestatæ procedunt et prorumpunt in opus. — Quemadmodum equi currentes se mutuo cohortantur, ita congregatio et societas bona se ipsam excitat et exercet ad cuncta bona. — Quemadmodum nubes solem abscondunt a nostro intuitu, ita malignæ intentiones mentem obscurant et perdunt.

Quemadmodum qui sententiam mortis accepit et pergit ad locum supplicii, non loquitur de spectaculis; ita qui luget in veritate, non curabit de ventre aliquando. — Quemadmodum pauperes videntes thesauros regios, peramplius suam paupertatem cognoscunt; ita et anima legens aut audiens magnas Patrum virtutes, humilius sapit de se ipsa. — Quemadmodum ferrum per se pergit ad calamitam et obedit ei tractum vi secreta naturæ, ita et qualificati voluntatum suarum præassumptionibus tyrannizantur ab eis.

Sicut oleum mansuescere facit mare nolens, ita jejunium exstinguit inflammationes corporis non spontaneas. — Sicut aqua angustata currit in altum, sic anima sæpe sub periculis angustata, per pœnitentiam ascendit ad Deum et salvatur. — Sicut qui portat aromata, etiam nolens redarguitur ab odore; ita Spiritum Domini habens, ex suis verbis et humilitate fit notus.

Quemadmodum spiritus conturbant abyssum, ita et furor plus omnibus perturbat deliberationem et mentem. — Sicut homo minime cupit gustare quæ nec oculis suis vidit neque ex auditu cognovit, ita casti et corpore illibati possident ex hoc relevamina multa tentationum. — Quemadmodum fures videntes arma regia in aliquo loco sita, non ingrediuntur ibidem ut contingit; ita qui cordi suo orationem coaptat et jungit, non patitur prædationem ab intellectualibus latronibus ut contingit.

Sicut ignis non parit nivem, ita qui in præsenti quærit honorem, non fruetur jucunditate honoris futuri. — Sicut una scintilla frequenter combussit multam materiam silvæ, ita et unum invenitur bonum valens delere magnam multitudinem offensionum.

Sicut non est possibile sine armatura perdere bestiam fortem, ita non contingit inirascibilitatem possidere sine humilitate. — Sicut naturaliter non est possibile vivere diu sine esca, ita volenti salvari non convenit etiam per momentum usque ad mortem esse negligentem.

Quemadmodum radius solis ingrediens domum per foramen illuminat omnia, ita quod tunc possibile est videre tenuissimum pulverem volantem in aere; sic timor Dei ad cor veniens, ostendit ei omnia sua delicta atque peccata. — Quemadmodum cancri nequeunt velociter progredi, quia quandoque ante, quandoque retro gradiuntur, et ideo faciliter capiuntur; sic anima aliquando ridens, aliquando vero lugens, quandoque deliciis utens, quandoque pœnitentia se affligens, nihil proficere potest.

Quemadmodum dormientes solent leviter damna tentationis portare, ita qui exsequuntur virtutes et vitam religiosam juxta mundum similia patiuntur. — Quemadmodum qui cum leone pugnat, protinus perditur si alibi reflexerit oculum, ita qui contra carnem suam præliatur, si eamdem carnem foveri voluerit quietare.

Quemadmodum periclitantur qui ascendunt in scalam teredine putrentem et vetustate corruptam, ita sub honoribus et gloria et fama et prælationibus periclitantur qui diligunt ea, quæ omnia sunt veræ humilitati contraria, et habentem ea dejiciunt. — Sicut impossibile est esurientem non habere memoriam panis, sic eum qui festinat salvari impossibile est non memorari mortis judiciique æterni.

Quemadmodum aqua litteras delet, sic gratia lacrimarum delere potest offensiones et culpas. — Sicut sunt quædam litteræ quæ non possunt aqua deleri, sed modis aliis eas delent; ita sunt animæ quæ lacrimari et lugere non valent, sed per tristitiam et mœrorem contritionemque magnam atque suspiria diluunt et abstergunt peccata.

Quemadmodum multitudo stercoris multitudinem vermium facit, sic multitudo escarum multitudinem lapsuum et malignarum cogitationum ac somniorum producit. — Quemadmodum vinctus pedibus ambulare opportune non potest, sic qui pecunias thesaurizant, cœlum intrare non valent.

Sicut plaga recens et calida faciliter medicabilis sanabilisque consistit, ita vetusta et diuturna animæ vulnera patiuntur contrarium, et difficulter curabuntur, etiam quum curam medicamenti habuerint. — Sicut non est possibile morientem ambulare, ita et desperantem impossibile est salvari.

Qui rectam fidem habet et peccat, similis est vultui oculos non habenti. Qui autem fidem non habet et nihilo minus operatur aliqua bona, similis est haurienti aquam et mittenti eam in lagenam perforatam.

Quemadmodum navis habens bonum gubernatorem ingreditur portum, Deo cooperante, sine periculo; ita et anima habens bonum pastorem, etiam si plurima mala peregerit, cœlum faciliter intrat. — Quemadmodum non habens ductorem, licet sit valde prudens, in via leviter errat; ita qui præsumit viam monasticam pergere pro sua voluntate proprioque arbitrio, leviter perditur, quamvis omnem mundi sapientiam noverit.

Quando quis fuerit corpore infirmus et culpas crudeles perpetraverit, viam humilitatis et ejus itinera pergat, aliter salutem non consequetur. — Sicut non contingit de longa infirmitate in uno ictu sanitatem acquirere, ita passionibus infirmum non contingit repente vitiis superesse et superare peccata. — Omnis vitii et omnis virtutis signum quantitatem ejus habeto, et tui ipsius profectum aut defectum intelliges et cognosces.

Sicut damnum incurrunt qui aurum pro cœno commutant, sic damnificantur qui spiritualia dona et opera sua narrant et manifestant gratia corporalium. — Multi etenim confestim incurrunt remissionem; nemo vero repente possedit impassibilitatem, quia hæc indiget tempore multo, et Dei cooperatione atque auxilio gratiæ. — Quæramus quæ bestiæ seu volucres insidiantur nobis in semine, quæ vero in herba, quæ vero in messe, quatenus statuamus congruentes laqueos venationis.

Quemadmodum non est justum ut febricitans se ipsum occidat, ita non convenit

aliquem desperare usque ad mortem. — Quemadmodum inverecundum et irreverentiale est, eum qui patrem proprium sepelivit atque a sepultura revertitur ad nuptias pergere ; ita indecens et inexpediens exstat lugentibus et deflentibus peccata sua, in præsenti sæculo ab hominibus quærere honorem, requiem, aut præsidentiam seu fratrum ducatum.

Quemadmodum alia sunt habitacula civium et alia damnatorum, ita debita statio lugentium ad pœnam obligatorum debet esse penitus aliena et commutata ab innoxiis et non obligatis. — Quemadmodum rex non vult militem qui in sua præsentia recipit plagas crudeles ac duras expelli a militia, sed magis promoveri in ea ; sic Rex supercœlestis coronabit monachum multa tentamenta a dæmonibus sustinentem.

Sensus animæ proprietas ejus ; peccatum vero est colaphus hujus sensus. — Sensificatio generat mali cessationem, seu diminutionem ; ipsa vero est genimen conscientiæ. Conscientia autem est verbum, ratio, sermo et redargutio nostri custodis, nobis ex Baptismate traditi. Hinc est quod non tantum exsistentes sine illuminatione Baptismatis invenimus in animabus suis percussos et verberatos super actibus malis, sed multo magis obscurius. Diminutio autem mali parit abdicationem mali ; abdicatio vero mali est initium pœnitentiæ ; initium vero pœnitentiæ est initium salutis ; initium autem salutis est bonum propositum ; bonum quoque propositum est generator laborum et dolorum. Principium autem laborum et dolorum est initium ad virtutes ; principium autem virtutum est flos ; flos autem virtutis est principium operationis. Pullulatio virtutis est attentio et continuatio. Habitus autem est germen et fructus attentionis et continuatæ meditationis ; habitus vero partus est qualificatio boni ; qualificatio autem boni est genitrix timoris ; timor autem parit observantiam mandatorum Dei cœlestium et terrenorum. Mandatorum custodia est caritatis argumentum ; caritatis vero initium est humilitatis multitudo ; multitudo autem humilitatis est pullulatio impassibilitatis ; hujus vero possessio, caritatis est plenitudo, videlicet perfecta Dei inhabitatio in his qui per impassibilitatem sunt mundi corde : quoniam ipsi Deum Patrem videbunt. Cui gloria et honor et latria *Matth.* v, 8.
cum Filio ejus unigenito, et sancto et vivificante paracleto Spiritu, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ARTICULUS XXXII

HUJUS RECAPITULATIONIS EXPOSITIO.

FIDES *prima, mater abrenuntiationis* : qui enim firma formataque fide considerat bona futura, æternalia et divina, faciliter potest abrenuntiare præsentibus et terrenis, imo et se ipsum relinquere ; *A contrario* [illegible] *est manifestum*, utpote quod infidelitas mater sit proprietatis et cupiditatis, sollicitudinisque mundanæ.

Indeclinabilis spes futurorum bonorum, [illegible] id est causa non

habendi affectionem ad aliquid vitiose; *contrarium vero est manifestum,* videlicet quod diffidentia providentiæ Dei sit causa inordinatæ affectionis ad ista terrena.

Caritas Dei est suppositio peregrinationis, id est radix et causa derelictionis irreconversibilis omnium transitoriorum, incessabilisque tendentiæ ad paradisum cœlestem : qui enim fervide amat Deum, cetera parvi pendit, atque ad ipsum affectuose suspirat; *contrarium vero est manifestum,* puta quod improbus amor sui ipsius est causa amandi viam pro patria, exsilium pro regno, creaturam pro Creatore.

Abnegatio et condemnatio, id est humilis accusatio sui ipsius, *et appetitus sanitatis,* hoc est desiderium interioris puritatis ac reformationis, *pariunt obedientiam et subjectionem.*

Intenta meditatio mortis et fixa memoria fellis et aceti regis nostri Jesu Christi, utpote dominicæ passionis, et præsertim felleæ potationis Christi, *est mater abstinentiæ :* nempe qui ista vivaciter et profunde revolvit in animo, libenter abstinet ac jejunat. *Tranquillitas mentis, oratio et remotio,* id est solitudo, *est auxiliatrix continentiæ.*

Humile jejunium est inflammationis carnis vulnerator : nam minuit sanguinem, auget virtutem, et stimulos carnis debilitat. *Contritio vero mentis est expugnatrix turpium cogitationum resistens* eis.

Fides et peregrinatio ad patriam cœlestem *est mors avaritiæ. Compassio vero et caritas tradunt corpus,* quod exponunt morti pro veritate fidei et salute proximi.

Oratio devota est exterminatio et interitus acediæ. Memoria autem judicii est conciliatrix, id est causa et introductrix, *promptitudinis* ad opera bona, *medicina furoris, et amor ignominiæ :* qui enim inspicit et veretur divini rigorem judicii, abjicit omnem torporem, et proprium placat furorem, appetitque injurias pati, ut evadat districtionem tanti judicii. « Amor »

A quoque « ignominiæ » seu patiendi adversa, est « medicina » contra furorem ac iram.

Canticum hymnorum, id est psalmodia, *compassio et paupertas, est suffocatio iræ atque tristitiæ* inordinatæ. Propter quod Jacobus : Tristatur (inquit) aliquis vestrum? Oret æquo animo, et psallat. *Jacob. v, 13.* *Impropassio vero sensuum,* id est refrenatio exteriorum interiorumque sensuum ab inordinatis occupationibus circa sua objecta, *est contemplatio intelligibilium,* quia valB de ad eam disponit.

Silentium et requies est expugnatio vanæ gloriæ. Si vero in medio exsistis, id est, inter alios conversaris, *ignominiam adinveni,* hoc est, exquire et excogita qualiter eam sustineas, *et persequere,* id est, perfecte sequere eam.

Seditiones contristantes contrariique eventus medentur visibilem, id est carnalem, rudem et evidentem, *superbiam.* Taliter enim superbus videns alios contra se motos et multa sibi adversa accidere, inC cipit cor suum deprimere. *Invisibilem vero,* id est interiorem superbiam, *medetur Deus ante sæcula invisibilis. — Cervus est interemptor bestiarum venenatarum, humilitas vero est interemptrix omnium intelligibilium bestiarum,* id est irrationabilium vitiorum.

Unum exsistentium per ea quæ habet secundum naturam, efficaciter et manifeste nos instruit intelligibilia. Forte per unum hoc intelligit orbem cœlestem, ex cujus consideratione, motu, virtute, influD entia philosophi multa cognorunt de Deo et substantiis separatis. Vel per unum hoc intelligitur homo, qui est minor mundus, seu anima rationalis, ex cujus consideratione valde multa cognoscuntur de Deo et angelis seu intelligentiis, quum et Averroes dicat, quod si natura intellectus possibilis esset nobis ignota, non possemus distinctionem et differentias assignare inter substantias separatas. Nam inter omnia sensibilia ista solus homo ad Dei imaginem et similitudinem creatus est. Atque

ut asserit Augustinus in libro de Civitate Dei : Majus miraculum quod per hominem fieri potest, est ipse homo.

Quemadmodum impossibile est serpentem exuere suam antiquitatem, id est pellem vetustam, *nisi intrando per angustum foramen, ita et nos non abjiciemus antiquas præassumptiones,* id est consuetudines, *inveterationemque animæ* in peccatis, *et veteris hominis tunicam,* id est conversationem carnalem, *nisi pergamus per angustam et arctam viam jejunii, et mortificationis sensuum ac propriæ voluntatis, et injuriarum atque improperiorum.*

Sicut impossibile est quædam volatilia grave corpus habentia volare in cœlum, sicut est struthio, *ita et suam carnem nutrientes in deliciis impossibile est in cœlum ascendere :* quia nec modo ingrediuntur illud per contemplationem et sanctam dilectionem, nec postea per beatitudinis consecutionem. — *Porcus amplius non curat cœnum siccatum, et dæmones non inquietabunt ulterius carnem mortificatam.*

Quemadmodum humidorum lignorum multitudo faciens magnum fumum, plerumque suffocat et exstinguit flammam ignis ; ita tristitia immoderata et excessiva multoties efficit animam fumo plenam et tenebrosam, id est pusillanimem, desolatam, acediosam (nam sicut vermis ligno, ita tristitia nocet cordi), *et aquam lacrimarum salubrium siccat.*

Prov. xxv, 20.

Quemadmodum cæcus sagittator est reprobus, id est errans et vituperabilis ac fatue agens, *ita discipulus,* hoc est subditus, *contradicens et litigans,* id est inobediens et murmurans et contendens, *perdetur.*

Sicut ferrum [illegible] *ferrum molle,* utpote emollitum in igne, *ita Frater promptus ad ea quæ Dei sunt, salvat frequenter* [illegible] ædificando eum suo fervore, vel hortando, corripiendo, orando.

Quemadmodum ova gallinarum in [illegible] *fota vivificantur, ita et cogitationes non manifestata procedunt et* [illegible] *opus :* quod intelligi potest in bono et in malo. Cogitationes enim turpes et vitiosæ quæ non producuntur in confessione nec spiritualibus viris aperiuntur, frequenter procedunt in opera detestanda ; similiter cogitationes bonæ quæ non manifestantur inaniter et jactanter, sæpe erumpunt in actus virtutum.

Quemadmodum equi currentes se mutuo cohortantur, hoc est, suo cursu se invicem provocant ad currendum velociter, *ita congregatio et societas bona se ipsam excitat et exercet ad cuncta bona.* — *Quemadmodum nubes solem abscondunt a nostro intuitu, ita malignæ intentiones mentem obscurant et perdunt.*

Quemadmodum qui sententiam mortis accepit et pergit ad locum supplicii, non loquitur de spectaculis ; ita qui luget in veritate, non curabit de ventre aliquando sollicitudine immoderata aut voluptuosa. — *Quemadmodum pauperes videntes thesauros regios, peramplius suam paupertatem cognoscunt ; ita et anima legens aut audiens magnas Patrum virtutes, humilius sapit de se ipsa.*

Quemadmodum ferrum naturali inclinatione *per se pergit ad calamitam et obedit ei,* hoc est, influxui calamitæ subditur (calamita autem est quidam lapis attrahens ferrum), *tractum vi secreta naturæ ; ita et qualificati voluntatum suarum præassumptionibus,* id est usibus pravis, *tyrannizantur,* hoc est, violenter quodam modo vincuntur, *ab eis.*

Cf. Cangii Glossar.

Sicut oleum mansuescere facit mare nolens, id est, quasi resistens, *ita jejunium exstinguit inflammationes corporis non spontaneas.* — *Sicut aqua angustata currit in altum,* sicut fit in canalibus, *sic* [illegible] *pœnitentiam ascendit ad Deum et salvatur.* [illegible], hoc est ostenditur, [illegible]

Quemadmodum [illegible] *spiritus,* id est venti, aut etiam aliquando dæmones. [illegible]

abyssum, ita et furor plus omnibus, hoc A est præ ceteris passionibus, *perturbat deliberationem et mentem.* — *Sicut homo minime cupit gustare quæ nec oculis suis vidit neque ex auditu cognovit, ita casti et corpore illibati possident ex hoc relevamina multa tentationum.*

Quemadmodum fures videntes arma regia in aliquo loco sita, non ingrediuntur ibidem ut contingit, hoc est usitato ingressu; *ita qui cordi suo orationem coaptat et jungit,* id est, qui cordialiter et assidue orat, *non patitur prædationem ab* B *intellectualibus latronibus,* puta dæmonibus, *ut contingit,* id est, prout communiter aliis accidit. — *Sicut ignis non parit nivem, ita qui in præsenti quærit honorem, non fruetur jucunditate honoris futuri.*

Sicut una scintilla quæ excrevit in ignem *frequenter combussit multam materiam silvæ, ita et unum invenitur bonum valens delere magnam multitudinem offensionum.* Hoc bonum est ardor carita-
I Petr. IV, 8. tis, quæ operit multitudinem peccatorum. C

Sicut non est possibile sine armatura perdere, id est capere et necare, *bestiam fortem,* juxta communem cursum, quam-
Judic. XIV, 5, 6. vis Samson nihil in manibus habens occiderit catulum leonis sævissimum; *ita non contingit inirascibilitatem,* hoc est perfectam mansuetudinem, *possidere sine humilitate.* — *Sicut naturaliter non est possibile vivere diu sine esca, ita volenti salvari non convenit etiam per momentum usque ad mortem esse negligentem.*

Quemadmodum radius solis ingrediens D *domum per foramen,* id est fenestram aut januam, *illuminat omnia,* hoc est, visibilia facit contenta in domo, *ita quod tunc possibile est videre tenuissimum pulverem volantem in aere; sic timor Dei ad cor veniens, ostendit ei omnia sua delicta atque peccata.* — *Quemadmodum cancri nequeunt velociter progredi, quia quandoque ante, quandoque retro gradiuntur, et ideo faciliter capiuntur; sic anima aliquando ridens, aliquando vero lugens, quandoque deliciis utens, quandoque pœnitentia se affligens, nihil proficere potest.*

Quemadmodum dormientes solent leviter damna tentationis portare, quia non sentiunt ea, *ita qui exsequuntur virtutes et vitam religiosam juxta mundum,* hoc est inter homines sæculares vel juxta eos, *similia patiuntur,* hoc est, detrimenta spiritualis profectus sæpe incurrunt ex communione sæcularium hominum, nec tamen advertunt aut deflent, sed leviter ferunt.

Quemadmodum qui cum leone pugnat, protinus perditur, id est, a leone occiditur, *si alibi reflexerit oculum,* hoc est, si visum a leone parum averterit; *ita qui contra carnem suam prœliatur,* a passionibus et desideriis cito perimitur *si eamdem carnem fovens voluerit quietare,* id est ad ejus libitum satiare et repausare.

Quemadmodum periclitantur qui ascendunt in scalam teredine putrentem et vetustate corruptam, ita sub honoribus et gloria et fama et prælationibus periclitantur qui diligunt ea, quæ omnia sunt veræ humilitati contraria, et habentem ea dejiciunt. — *Sicut impossibile est esurientem non habere memoriam panis, sic eum qui festinat salvari impossibile est non memorari mortis judiciique æterni.* — *Quemadmodum aqua litteras delet, sic gratia lacrimarum delere potest offensiones et culpas.* — *Sicut sunt quædam litteræ quæ non possunt aqua deleri, sed modis aliis eas delent; ita sunt animæ quæ lacrimari et lugere non valent, sed per tristitiam et mœrorem contritionemque magnam atque suspiria diluunt et abstergunt peccata.* — *Quemadmodum multitudo stercoris multitudinem vermium facit, sic multitudo escarum multitudinem lapsuum et malignarum cogitationum ac somniorum producit.* — *Quemadmodum vinctus pedibus ambulare opportune non potest, sic qui pecunias thesaurizant, cœlum intrare non valent.*

Sicut plaga recens et calida faciliter medicabilis sanabilisque consistit, si tamen aliunde incurabilitatem non habeat,

ita vetusta et diuturna animæ vulnera patiuntur contrarium, et difficulter curabuntur, etiam quum curam medicamenti habuerint : nam reliquiæ talium vitiorum manent fortiter inhærentes, etiam vitiis ipsis quantum ad culpam dimissis. Interdum tamen Deus dat gratiam tantam quod totum inopinata facilitate curatur, prout in libro Confessionum S. Augustinus in se factum testatur. — *Sicut non est possibile morientem ambulare* propriis viribus, *ita et desperantem impossibile est salvari.*

Qui rectam fidem habet et peccat, similis est vultui oculos non habenti. Sed quum fides ipsa sit oculus animæ, quomodo talis comparatur vultui non habenti oculos, quum habeat fidem rectam ? Et respondendum, quod fides sine caritate et bona conversatione est similis oculo excæcato. *Qui autem fidem non habet et nihilo minus operatur aliqua bona* ex genere, quæ non sunt vere virtuosa ac meritoria in infideli aut mortaliter vitioso, *similis est haurienti aquam et mittenti eam in lagenam perforatam.*

Quemadmodum navis habens bonum gubernatorem ingreditur portum, Deo cooperante, sine periculo ; ita et anima habens bonum pastorem, etiam si plurima mala peregerit, cœlum faciliter intrat, si tamen exemplis et verbis sui pastoris vere pœniteat : alioqui dupliciter erit damnabilis. Aliqui enim tam duri et incorrigibiles exstant, quod sub optimis pastoribus pereunt, sicut et Judas sub Christo, et multi sub regimine Apostolorum.

Quemadmodum non habens ductorem, licet sit valde prudens, in via leviter errat ; ita qui præsumit viam monasticam pergere pro sua voluntate proprioque arbitrio, leviter perditur, quamvis omnem mundi sapientiam noverit. Quod potissime verum est de eo qui vivit sub Patre spirituali ; in solitariis quoque multoties accidit, nisi speciali gratia desuper dirigantur ac præserventur.

Quando quis fuerit corpore infirmus et A *culpas crudeles perpetraverit, viam humilitatis et ejus itinera pergat,* id est, suos excessus humiliter recognoscat, confiteatur, et satisfaciat pro eisdem. Hoc dicit, non quod actus isti sint differendi usque ad infirmitatem, sed ne quis in infirmitate desperet. *Aliter salutem non consequetur.* — *Sicut non contingit de longa infirmitate in uno ictu sanitatem acquirere, ita passionibus infirmum non contingit repente vitiis superesse,* id est prævalere, *et superare peccata.*

B *Omnis vitii et omnis virtutis signum quantitatem ejus habeto,* hoc est, quam bonus et malus sis perpende ex quantitate virtutum aut vitiorum, quam quantitatem habeas pro signo ad cognoscendum an in te sit virtus, an vitium : porro quantitatem virtutis ac vitii potissime pensa et accipe ex interioribus actibus ipsius vitii aut virtutis. *Et tui ipsius profectum aut defectum intelliges et cognosces.* — *Sicut damnum incurrunt qui aurum pro cœno commutant, sic damnificantur qui spiri-* C *tualia dona et opera sua narrant et manifestant gratia corporalium,* hoc est propter commoda, honores et laudes vitæ præsentis.

Multi etenim confestim incurrunt remissionem, id est teporem et cordis dissolutionem. Vel sensus est, quod multi confestim obtinent remissionem culparum suarum, videlicet statim quando veraciter pœnitent. *Nemo vero repente possedit impassibilitatem,* id est passionum plenariam reformationem, *quia hæc indiget tempore* D *multo, et Dei cooperatione atque auxilio gratiæ.* Verumtamen quanto omnipotens Deus aliquem gratiosius prævenit, tanto celerius citiusque acquirit reformationem hanc ipsam.

Quæramus quæ [illegible] : hoc est, prudenter examinemus nos ipsos, et inquiramus ab expertis et eruditis, quæ irrationabiles affectiones et motus carnalitatis, aut qui motus elationis et vanitatis adversen-

tur nobis atque impugnent nos in ipso bono proposito seu conceptu in exordio operis boni, et quæ in prosecutione, quæ item in fine ipsius. Vel per semen intelligitur status incipientium, per herbam status proficientium, per messem status perfectorum. *Quatenus statuamus congruentes laqueos venationis,* hoc est, ut per apta remedia ac spiritualia arma resistamus vitiosis motibus et tentationibus illis, et tanto ferventius exerceamus nos in certis virtutibus, quanto acrius impugnamur vitiis eis oppositis. — *Quemadmodum non est justum ut febricitans se ipsum occidat, ita non convenit aliquem desperare usque ad mortem. — Quemadmodum inverecundum et irreverentiale est, eum qui patrem proprium sepelivit atque a sepultura revertitur ad nuptias pergere; ita indecens et inexpediens exstat lugentibus et deflentibus peccata sua, in præsenti sæculo ab hominibus quærere honorem, requiem, aut præsidentiam seu fratrum ducatum.*

Quemadmodum alia sunt habitacula civium et alia damnatorum, id est morti adjudicatorum, qui in carceribus recluduntur, *ita debita statio,* id est mansio et institutio, *lugentium ad pœnam obligatorum,* hoc est monachorum qui excesserunt et recludi meruerunt, *debet esse penitus aliena et commutata ab innoxiis et non obligatis,* id est a mansione, loco et institutione seu conversatione monachorum qui ita non excesserunt neque incarcerari promeruerunt. — *Quemadmodum rex non vult militem qui in sua præsentia recipit plagas crudeles ac duras expelli a militia, sed magis promoveri in ea; sic Rex supercœlestis coronabit monachum multa tentamenta a dæmonibus sustinentem.*

Sensus animæ proprietas ejus. « Sensus animæ » dici potest intellectus aut cognitio intellectualis, juxta illud S. Joannis : Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum. Hic sensus est « proprietas », id est naturalis vis, animæ, sumendo intellectum pro intellectiva po- (I *Joann.* v, 20.)

A tentia; si vero sumatur pro intellectuali notitia, tunc est « proprietas » animæ, id est propria ejus actio, vel etiam proprius habitus animæ, sumendo sensum pro sapientia habituali. *Peccatum vero est colaphus,* hoc est colaphizatio seu illusio, *hujus sensus.* Omnis enim peccans est errans atque illuditur, prout Salomon loquitur : Stultis illudit peccatum. (*Prov.* xiv, 9.)

Sensificatio generat mali cessationem, seu diminutionem, hoc est, spiritualis vivificatio sive illuminatio animæ facit cessare a vitiis, aut ea diminuit : facit enim omnino cessare a culpa mortali, quamdiu manet in anima. *Ipsa vero est genimen conscientiæ,* id est, sensificatio, vel certe cessatio a peccato, est effectus et fructus conscientiæ : quamvis enim principaliter sit a Deo, conscientia tamen cooperatur ad eam, detestando ac reprobando peccatum. Propter quod asserit Augustinus : Qui creavit te sine te, utpote sine tua cooperatione, non justificabit te sine te.

B

Conscientia autem est verbum, ratio, sermo et redargutio nostri custodis, nobis ex Baptismate traditi. Per custodem istum intelligitur sanctus angelus unicuique ad custodiam deputatus. Conscientia ergo dicitur « verbum » hujus « custodis », quia ex interna allocutione et inspiratione angeli sancti, bonitas conscientiæ in nobis communiter generatur ; dicitur quoque « ratio », id est rationabile dictamen ex illuminatione angelica ortum, et « sermo », quia interius dictat seu loquitur quid sit agendum aut evitandum, et « redargutio », quia redarguit mala culpæ. Verumtamen agnoscendum, quod angeli deputantur hominibus ad custodiam, non solum ab hora Baptismatis, quum et infideles habeant angelos, nec solum ab hora nativitatis ex utero, sed et ab hora conceptionis seu nativitatis in utero, ut S. Thomas et alii multi affirmant : nam et infanti in utero possunt adversa accidere, a quibus indiget ab angelo præservari. *Hinc est quod non tantum exsistentes sine illuminatione Baptismatis invenimus in animabus suis percussos*

C D

et verberatos super actibus malis, sed multo magis obscurius, hoc est, infideles et inbaptizatos « invenimus » remorsu conscientiæ intus cæsos de eorum peccatis « non tantum », sed multo imperfectius quam baptizati fideles repercutiuntur a conscientia sua. Fideles enim repercutiuntur a conscientia sua tanto amplius et clarius, quanto specialius diriguntur ac instigantur ab angelis. De hac percussione ait Apostolus : Peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. (I Cor. VIII, 12.)

Diminutio autem mali, id est peccati, *parit abdicationem mali :* peccatum enim paulatim eradicatur, et consuetudo prava successive evacuatur. *Abdicatio vero mali est initium pœnitentiæ :* ad pœnitentiam enim in exordio pertinet habere propositum abstinendi a culpa, exsecutionem quoque hujus propositi inchoare. *Initium vero pœnitentiæ est initium salutis. Initium autem salutis est bonum propositum,* sicut (p. 394 A.) jam tactum est. *Bonum quoque propositum est generator laborum et dolorum.* Bonum namque propositum, si vere et imperative bonum propositum est, procedit in actum laudabilem mox dum congrue potest : et ita bonum propositum inducit ad laborandum pro exstirpatione vitiorum et pro adeptione seu incremento virtutum, et ad dolendum salubriter de Dei offensione et propria defectuositate. *Principium autem laborum et dolorum* istorum *est initium ad virtutes,* quia disponit ad eas. *Principium autem virtutum est flos* spiritualis. *Flos autem virtutis est principium operationis.*

Pullulatio, id est fructificatio, *virtutis, est attentio,* id est diligentia, *et continuatio* operis boni. *Habitus autem est germen et fructus attentionis et continuatæ meditationis :* ex multis etenim actibus

A gignitur habitus. *Habitus vero partus,* hoc est « habitus » jam natus in anima, vel « partus », id est actus et fructus, ipsius « habitus », *est qualificatio boni,* hoc est prompta assuefactio animæ ad actus virtutum, ita quod anima est jam quasi conversa seu transformata in affectum boni honesti. *Qualificatio autem boni est genitrix timoris* illius perfecti de quo Salomon loquitur : Qui timet Deum nihil negligit. (Eccle. VII, 19.) Ideo subditur : *Timor autem parit observantiam mandatorum Dei cœlestium*

B *et terrenorum.* Per mandata cœlestia possunt intelligi tria prima præcepta Decalogi, quia versantur circa Deum; alia septem dicuntur terrena, quoniam circa proximum immediate versantur. Rursus, præcepta Dei cœlestia accipi possunt decem præcepta a Deo per angelos data de cœlo; præcepta vero vicariorum Dei a prælatis statuta, dici possunt terrena.

Mandatorum custodia est caritatis argumentum. Caritatis vero initium est humilitatis multitudo. Antequam enim pec-

C catori caritas infundatur, necesse est ut se ex intimo cordis accuset et valde coram Deo humiliet. *Multitudo autem humilitatis est pullulatio impassibilitatis :* quia per magnam humilitatem, ad plenam reformationem pertingitur; ex plena quoque reformatione, profundissima sui ipsius humiliatio originatur. *Hujus vero* impassibilitatis *possessio, caritatis est plenitudo, videlicet perfecta Dei inhabitatio in his qui per impassibilitatem,* qua immunes sunt a motibus illicitis passionum, *sunt*

D *mundi corde : quoniam ipsi Deum Patrem videbunt.* (Matth. V, 8.) *Cui gloria et honor et latria,* id est adoratio omnisque veneratio debita Deo, *cum Filio ejus unigenito, et sancto et vivificante paracleto Spiritu, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.*

GRADUS XXVII

DE SANCTA QUIETE CORPORIS ET ANIMÆ.

NOS tanquam perpetue exsistentes empticii servi spirituum immundorum et quasi sub fœdere eorumdem, ex hoc jam particulariter scimus dolos, fraudes, modos, atque jussiones, astutias horum spirituum dominantium miseræ animæ nostræ. Alii enim desuper illuminati, cognoverunt machinationes et industrias dæmonum, per operationem Spiritus Sancti et libertatem ab eis. Alius quidem conjiciens arbitratur requiem sanitatis, ex dolore qui est in infirmitate; alius ex bono animo et bona dispositione sanitatis comprehendit et conjicit affectionem tristitiæ inordinatæ et anxietatem exsistentem in infirmitate.

Nos ergo tanquam infirmi expavimus vobis philosophari in sermone hujus doctrinæ de portu quietis, scientes quemdam canem in mensa bonæ conventionis adstare, qui et panem, videlicet animam, ex eadem rapere probat, ut et hunc panem ori suo illatum, de reliquo abiens currendo, in quiete manducet. Propterea ne per nostrum sermonem demus locum huic cani, et occasionem obloquendi nobis his qui quærunt occasionem, non æstimavimus fas nunc disputare de pace his agonizantibus Christi regis nostri, qui cum bono animo in prælio sunt. Porro hoc solum dicimus, quia coronæ pacis et tranquillitatis sunt potenter præliantibus circumplexæ. Nunc vero dicamus pauca quædam, si videtur, quasi in typo et forma discretionis, itaque ne forte contingat aliquos contristari, si inexercitatum admodum sermonem de hoc relinquamus in medio.

Quies quidem corporis est consistentia ac scientia morum ac sensuum; quies autem animæ est scientia cogitationum, imprædabilisque intentio. Amicus quietis istius, est cogitatio aliqua virilis, fortis et dura, et inflexibiliter justa, semper stans vigil in porta cordis, non dormitans, sed repellens et occidens cogitationes advenientes. Qui in sensu cordis quiescit, cognoscit quod dictum est; qui vero adhuc parvulus est, sine gustu et absque notitia est de hoc. — Quiescens intellectualis non indigebit sermonibus : etenim sermones operibus illuminat.

Initium quietis internæ est scire amovere atque repellere strepitus et fragores, tanquam perturbantes profundum mentis; finis vero ejusdem quietis est non timere tales tumultus, sed in his esse sine sensu. — Amator quietis extra progrediens, non est verbo progrediens, totus verbo mansuetus, domus caritatis, difficulter ad verbum invitabilis, immutabilis ad furorem habens naturaliter esse. Contrarium vero est manifestum. — Quiescens incorporeum in corporali domo circumterminare contendit : quod est supergloriosum.

Venatrix et captrix observat murem vel talpam; intentio vero quiescentis observat

intelligibilem murem. Exemplum istud non sit tibi dejectum : si quominus, necdum cognovisti quietem. — Non sic quippe erit monachus, sicut monachus contendens, coadstans et conjunctus monacho. Monachus vero indiget vigilia et multa sobrietate, et mente irrecurva sine omni elatione. Equidem priori plerumque auxiliatus est alter, angelus vero cooperatur secundo. — Intellectuales virtutes simul ministrant et cohabitare amant in spirituali quiescente ; contrarium vero tacebo tibi.

Altitudo dogmatum est profundissimum pelagus ; mens vero quiescentis non exsiliet in ea absque periculo. — Non est tutum cum veste natare in pelago, neque vitium habentem tangere theologiam. — Cella quiescentis circumscriptio corporis, intrinsecus habens donum scientiæ.

Qui adhuc infirmus est spiritualibus vitiis, et cœnobium relinquens conatur ad quietem, similis est ei qui ex navi saliens, in pelagus se immergit, et putat cum tabula ad terram pertingere sine periculo. — Quicumque voluntates proprias vincunt et cum luto fortiter præliantur, istis in tempore proprio quies adveniet, si tamen possident ducem dirigentem. Etenim desolatum esse, et tamen ita proficere, indiget angelica fortitudine. Mihi vero sermo est de quiescentibus corpore et spiritu.

Quiescens negligens loquetur mendacium : exhortans homines vacare quieti per ænigmata indicat. Derelinquens cellam, inculpabit dæmones ; latet vero eum se ipsum esse factum dæmonem sibi ipsi. — Vidi quiescentes, per multam quietem insatiabiliter replentes concupiscentiam suam ferventem ac suspirantem ad Dominum, gignentes et augentes ignem igni, amorem amore, desiderium desiderio. — Quiescens est typus terrestris angeli, orationem suam liberans a pusillanimitate et negligentia, charta desiderii et litteris festinantiæ. Quiescens est qui per opera virtuosa manifeste et efficaciter clamat : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps.* LVI, 8.
Quiescens est ille qui dicit : Ego dormio, et cor meum vigilat. *Cant.* V, 2.

Claude portam cellæ corpori, portam vero linguæ claude eloquio, et ostium intrinsecum spiritibus. — Tranquillitas maris et sol meridianus arguit patientiam nautæ, et penuria necessariorum ostendit sufferentiam quiescentis : ille quidem tristitia anxius natat in aquis ; iste vero tristitia agitatus confunditur atque multitudinibus commiscetur. — Ne timeas strepitum et ludos tumultuum sive fragorum : luctus enim non conturbatur neque formidinem novit.

Quorum mens vere orare didicit, hi ante Dominum facti, coram ipso loquuntur sicut qui ad aurem regis. Quorum os orat, isti comparantur his qui coram omni convocatione procidunt ei. Quicumque in mundo degunt, isti in medio tumultus omnis populi regem exorant. Si artem scienter et regulariter didicisti, non ignorabis quod dictum est.

Sedens super altitudinem observa te ipsum, si nosti, et tunc apparebit et videbis quomodo et quando et unde et quot fures veniunt intrare, et quales latrones furari intendunt. — Quum mens et intentio fuerit fatigata, surgens orabit ; et sedens, rursus resumet viriliter operationem priorem. Quidam ista expertus voluit de his diligenter atque subtiliter loqui ; sed timuit ne forte faceret Fratres hæc audientes sive legentes

negligere suas operationes, et strepitu ac fragore verborum dejiceret eos qui elegerunt hæc destinatione. — Qui narrat de quiete subtiliter et cum scientia, exponens notificative, facit dæmones insurgere contra se : nullus enim ita potest propalare inhonestates deformitatesque dæmonum sicut iste.

Qui quietem apprehendit, cognovit mysteriorum abyssum. Non enim pervenit
ad istud nisi qui prius vidit et audivit ventos fluctuum ac tumultus spirituum, et
æque adspersus fuerit. Magnus apostolus Paulus ratum fecit quod dictum est : nisi
II Cor. XII, 4. enim raptus fuisset in paradisum quasi in requiem, non utique potuisset audire
verba arcana. — Auris quietis suscipiet magna a Deo et excedentia sensum. Qua
Job IV, 12 ex re et ipsa dixit sapientissima in Job : Quando autem non suscepit auris mea ab
eo magna et excellentissima ? — Quiescens est qui ita fugit omnes homines sine
odio, sicut alius qui negligens est prompte occurrit.

Matth. XIX, 21; XVI, 24. Tu qui vis recipere excisionem dulcedinis Dei, vade, disperge celeriter universa
quæ habes, et vende, et da ea pauperibus, infirmis et indigentibus monachis, ut per orationem tibi ad quietem concurrant ; et tolle crucem tuam, portans eam per obedientiam, et fortiter sustine pondus decisionis tuæ voluntatis ; et veni de reliquo, sequere me ad coaptationem beatissimæ quietis, et docebo te visibilem operationem et conversationem intellectualium virtutum. Non satiabuntur istæ fastidio, in sæcula sæculorum laudantes in sempiternum Deum factorem ; neque qui venit in cœlum quietis cessabit laudare Creatorem. Immateriales non erunt solliciti de materialibus, neque de alimento materiales immateriales. Non edent priores cibum ; neque secundi indigebunt requisitione cujusquam hominum. Illi non erunt solliciti de possessionibus atque pecuniis, neque isti de afflictione spirituum. Non est in supernis desiderium et concupiscentia visibilis creaturæ, neque in inferioribus denuo concupiscentia sensibilis affectionis et speciei. Illi proficientes nunquam cessabunt a caritate ; neque isti cessabunt se illis quotidie cohortari. Apud illos divitiæ profectus et incrementi non sunt ignotæ ; neque amor ascensionis ignotus est his, neque stabunt quousque pertingant ad Seraphim, neque laborare cessabunt donec angeli fiant. Beatus qui sperat, ter beatus qui satagit, angelus qui apprehendit.

DE DIFFERENTIA ET DISCRETIONE QUIETUM.

Sunt in consistentiis omnium scientiarum (quod et omnibus notum est), modorum, opinionum, deliberationum et consiliorum differentiæ. Non enim omnium omnia sunt perfecta, propter indigentiam sollicitudinis et festinantiæ, et propter penuriam et imbecillitatem virtutis. Sunt ergo qui in portum hunc, magis vero in pelagus vel profundum, ingrediuntur propter infirmitatem oris eorum et præassumptiones corporis ; alii quia incontinentiam ad furorem habent, et ipsi miserabiles nequeunt cum multitudine hunc continere ; alii ex complacentia et regulatione propriæ voluntatis, atque ex confidentia sui, magis vero proprio ducatu, prævident

navigare ; alii quia non valent in medio materiæ a materiis abstinere ; alii ut ex singulari et remota vita fiant festini et solliciti ad se ipsos ; alii ut se ipsos incognite afficiant flagellis, contumeliis et plagis pro debitis pœnarum ; quidam vero ut adipiscantur sibi ipsis gloriam per eamdem. Sunt vero et alii (si forte Filius hominis veniens tales inveniet super terram) qui conjuncti et coaptati sunt huic propter delicias et sitim caritatis atque dulcedinis sanctæ, nec prius hoc facientes, quam omni acediæ dent libellum repudii : nam hujus contactus reputatur fornicatio apud primam.

Secundum imperfectam et exilem scientiam mihi datam, ut architectus non sapiens fabricavi scalam ascensionis. Unusquisque ergo conspiciat in quo gradu stet : an ex complacentia propriæ voluntatis et sufficientiæ, an propter gloriam hominum, an propter infirmitatem linguæ, an propter incontinentiam furoris, an propter multitudinem propassionis junctæ ad aliquid vitiose ; ut de se ipsis exigant vindictas et exsolvant ; an ideo ut fiant festini et satagentes, an ut ignem assumant. Erunt novissimi primi, et primi erunt novissimi. Septem ergo sunt operationes septimanæ sæculi nunc præsentis : quædam quidem acceptæ, quædam vero non acceptæ. Octava vero operatio quia significativa exsistit futuri sæculi manifestum est. *Matth.* XX, 16.

O monache desolate, observa horas bestiarum : alioqui non valebis statuere congruos laqueos. Si perfecte recessit et abest quæ libellum accepit repudii, superfluum est opus ; si vero adhuc præsumptuose audet, non cognosco quomodo quiescas.

Quid ergo ? nisi quia tot et tanta apud sanctos Tabennensiotas luminaria quot apud Scythiotas fuerunt. Qui intelligit intelligat : ego enim loqui non valeo, magis vero nolo. Nempe alii vitia dirimunt ; isti vero psallunt et in psalmodia plurimum perseverant ; hi autem contemplationi intendunt qui degunt in isto profundo. Secundum scalæ modum quæratur propositio. Qui capit, in Domino capiat.

Sunt negligentes animæ in cœnobiis commorantes, et in eisdem faciliter habere valentes materias negligentiæ suæ, qui ex hoc incurrerunt in perditionem perfectam. Et sunt iterum alii qui deponentes exuerunt negligentiam suam propter aliorum conversationem : hoc autem non solum in negligentioribus, sed etiam in festinis plerumque et sollicitis actum est. Eadem regula utamur super quiete : nempe probos multos suscipiens reprobavit propter complacentiam propriæ voluntatis et reputationem sufficientiæ suæ, arguens eos amatores concupiscentiarum ; alios vero sumens festinantes, ex timore et sollicitudine portationis sententiæ sui judicii fecit eos ferventes.

Nemo stimulatus a furore, ira, propria reputatione et elatione, hypocrisi, memoria injuriæ seu livore vindictæ, præsumat aliquando arripere principium quietis, nequando vexationem et amentiam inde lucretur. Si vero emundatus est a vitiis istis, ipse cognoscet de cetero expediens : arbitror autem quia neque ipse.

Ista sunt signa, studia et argumenta eorum qui ratione exsequuntur quietem : intellectus non elatus, mens non dormitans nec arrogans de propriis meritis, sanctificata intentio, raptus ad Dominum, pœnarum prælium, ostensio mortis, oratio

incessabilis, custodia imprædabilis, mortificatio fornicationis, ignorantia habendi affectionem ad aliquid passibiliter, mors mundi, privatio aviditatis gulæ et appetitionis omnium gulosorum, suppositio theologiæ, fons discretionis, lacrimarum libamen, multiloquii exstinctio, interitus quæstionum omnisque contentionis et litis, et si qua talium sunt quibus multitudines amant opponi et resistere. Eorum vero qui eamdem ratione non exsequuntur, sunt ipsa : spiritualium divitiarum penuria, incrementum iræ, depositum ultionis, apotheca memoriæ injuriæ, diminutio caritatis, assumptio timoris : et quod exinde sequitur tacebo.

Quoniam sermo iste subsequenter occurrit, necessarium duxi interponere aliqua de his qui sub obedientia vivunt, et præsertim quia ut plurimum sermo maxime extenditur, divulgatur ac defertur ad ipsos. Ista autem sunt et a Deiferis Patribus determinantur ac dicuntur esse argumenta illorum qui legitime et absque adulteratione et inquinatione se conjungunt et coaptant huic ornatui et decori, quæ tempore suo peracta, sed et quotidie superextensa, assumunt additamentum atque profectum : augmentum humilitatis institutivæ, furoris diminutio (quomodo enim non fiet eclipsis tenebræfactionum, felle evacuato ?), assumptio caritatis, alienatio vitiorum, redemptio odii ex arguitione, defectio luxus, ignorantia acediæ, additamentum festinantiæ, amor compassionis, peregrinatio a superbia, et directio universis optanda et paucis adveniens.

Aqua non exsistente in fonte, improprium erit nomen ; et quod inde consequens est, notum est habentibus intellectum.

Adolescentula non custodiens torum inquinat corpus suum ; anima vero non custodiens professionem et pactum compositionis, inquinat spiritum. Et illam sequuntur vituperium, odium, flagella, et separationes, quod miserabilius omnibus est. Istam vero sequuntur inquinationes : oblivio mortis, insatiabilitas ventris, apotheca inutilium cogitationum, depositum tumultuantium ratiocinationum, additamentum consensuum illicitorum, captivitas cordis, operatio conturbationis, contradictio, infrenabilitas, inobedientia, infidelitas certificationi eorum, privatum multiloquium, propassio, confidentia sui ipsius et propria reputatio omnium crudelior ; et quod omnibus miserabilius est, habere cor sine compunctione et contritione, ad quod sequitur salubris doloris privatio, præsertim in non attendentibus. Doloris hujus carentia est mater spirituum et ruinarum ac casuum.

Contra quiescentes quinque, contra subjectos tres ex octo concertant. — Quiescens et contra acediam pugnans, multoties damnum incurrit : tempus enim orationis et contemplationis consumet in studiis et præliis contra acediam.

Quum aliquando in cella negligenter residerem, et hanc fere relinquere cogitarem, viri quidam supervenientes cœperunt me sufficienter beatificare ut quiescentem ; et protinus cogitatio negligentiæ recessit depulsa a gloria vana. Et admiratus sum quomodo hic tribulus dæmon adversatur cunctis spiritibus.

Intuere singulis horis subreptiones et præreptiones, inflictiones et vicissitudinum alterationes conjugis tuæ, quomodo et ubi inclinatur et assensum possidet. Solus

qui per Spiritum Sanctum obtinet tranquillitatem, non ignorat hoc Dei verbum. Qui enim non possidet libertatem a sollicitudine, quomodo potest gerere curam orationis et cordialis accessionis?

Operatio quietis est privatio sollicitudinis : quæ est præposita omnibus rebus atque negotiis, rationabilibus et irrationabilibus. Qui enim prioribus aperit, omnino corruet in secundis. Oratio sit non pigra, devota, et sine intermissione. Et tertium est operatio cordis imprædabilis. Impossibile est eum qui non didicit litteras, naturaliter in libris meditari ; impossibile vero est eos qui primum non possederunt, duo secundum rationem exsequi.

Exsequens medium, in mediis factus sum, et illuminavit me sitientem. Et ecce iterum eram in illis. Quid quidem erat in eo ante visibilem formam, docere non poterat : neque enim sinebat Princeps. Interrogabam vero et obsecrabam mihi dici quomodo nunc exsistat. In propriis quidem, dixit, sed non in istis. Ego vero : Quæ est dextera, statio et cathedra in causa? Ait : Impossibile est aure ista doceri. Ad hoc autem me desiderium traxit, et dixi : Adduc me ad tempus illud. Qui effatus est nondum venisse horam illam propter defectum ignis incorruptibilitatis. Ista vero sive cum pulvere non novi, sive sine eo dicere non audeo.

Durum est meridianum somnum excutere et repellere, præsertim in æstivis temporibus. Tunc enim solum et æque non est abjiciendum opus manuum cum oratione.

Novi acediæ dæmonem præfabricantem et facientem viam dæmoni fornicationis, ut fortiter resolvens ac somno immergens corpus, operetur quasi manifeste inquinationes in quiescentibus. Si fortiter restiteris eis, pugnabunt contra te potenter, ut faciant te cessare ab agonibus tanquam nihil proficientem. — Nihil tam evidenter manifestare valet victoriam dæmonum sicut crudelis et dura pugna ab eis contra nos facta.

In progressibus congregata custodi : nam aves quæ erant reclusæ evolant porta aperta ; et tunc de cetero nihil profectus inveniemus de tranquilla quiete.

Modicus et parvulus pilus oculum turbat, et parva sollicitudo quietem mentis exterminat. — Quies est depositio intelligentiarum et sensuum, et abnegatio curarum bene rationabilium. — Qui quietem veraciter apprehendit, neque de sua carne curabit. Verax est enim qui evangelizavit et promisit. — Qui mentem mundam vult Deo exhibere, et curis ac sollicitudinibus vitæ se tradit, similis est ei qui pedes suos fortiter ligat et velociter currere tentat.

Rari quidem sunt qui disciplinati didicerint mundanam philosophiam ad summum ; ego autem rariores esse dico eos qui vere sciant philosophiam quietis secundum Deum. — Qui nondum novit Deum erit improbus ad quietem, et multa pericula sustinebit. — Quies inexpertos et indoctos suffocat : exsistentes enim sine gustu dulcedinis Dei, consumunt tempus in captivitatibus, et furtis, et anxietatibus, et acediis, et recurvationibus.

Qui orationis pulchritudinem tetigit, fugiet turbas ut onager. Quis enim dimisit hominem liberum ab omni conjunctione hominum, nisi oratio ista?

Qui circumvallatus est vitiis et in eremo commoratur, horum exercitationi attendit. Juxta quod et sanctus senex mihi dixit tale aliquid et docuit : Georgium dico Arsilaitem, quem et tu, honorande Pater, non ignoras. Iste Georgius aliquando ordinans et ad quietem adducens rudem animam, ait : Notavi in matutinis diluculo peregrinari quasi communiter dæmones vanæ gloriæ et concupiscentiæ, in meridie vero dæmones acediæ et iræ atque tristitiæ, in vesperis autem amatores stercorum et tyrannos miseri ventris.

Melior est pauper subjectus super occupatum quiescentem. — Qui ratione quietem exsequitur et non conspicit lucrum ejus quotidie, aut non rite quievit, aut ab elatione patitur furtum. — Quies est incessabilis latria Dei et adsistentia. — Jesu memoria tuo flatui uniatur, et tunc cognosces quietis utilitatem.

Propria voluntas est lapsus obedienti ; recessus vero et desistentia ab oratione est lapsus quiescenti. — Si gaudes de adventu Fratrum ad cellam tuam, agnosce te ipsum soli acediæ et non Deo vacare. — Exemplar perseverantiæ in oratione sit *Luc.* XVIII, 2-5. tibi vidua illa ab adversario læsa. Typus vero quietis sit tibi magnus et æqualis angelo Arsenius. Memento conversationis hujus angeli quiescentis in solitaria mansione, et vide quomodo plerumque quosdam ad se venientes remiserit, ne quod majus erat amitteret. Noverat quod dæmones frequentius persuadent irrationabilibus discursibus gyrovagorum accedere ad quiescentes secundum rationem, quatenus vel ad modicum possint impedimentum præbere operatoribus. Et tu, ut iste, non devites pie contristare tales similiter vagos et negligentes : forsitan enim ex tristitia cessabunt circuire. Vide ne forte gratia prædictæ intentionis, sine causa perturbes molestesque animam venientem ad te haurire ex siti. In omni vero re lucerna tibi opus est.

Vita quiescentium, magis vero monachorum exsistentium, fiat secundum conscientiam et sensum. — Qui ratione currit, adinveniens studia, cogitationes, locutiones, gressus et motus secundum Deum et propter Deum, exercet universa hæc in sensu animæ et in conspectu Altissimi. Si vero patitur furtum, nondum secundum virtutem conversatur.

Ps. XLVIII, 5. Quidam ait, Aperiam in psalterio propositionem meam et consilium meum, propter defectibile adhuc discretionis. Ego vero aperiam voluntatem meam per orationem, et inde certificationem recipiam.

Ps. XXXIV, 13. Fides est ala orationis. Si enim fidem non habuero, oratio mea in sinu meo iterum convertetur. Fides est statio animæ non hæsitans et secura, a nulla contrarietate turbata et fracta. Fidelis est, non qui credit Deum cuncta posse, sed qui *Luc.* XXIII, 42, 43. credit se omnium participem esse. Fides est insperatorum conciliatrix : quod et latro monstravit. — Gratia est mater fidei, fatigatio et cor rectum : et fatigatio facit constantem ; rectum vero cor est auctor ejusdem. — Fides est mater quiescentium. Nisi enim crediderit, quomodo quiescet ?

Vinctus in carcere, formidat a timore punientis, timor autem Dei parturivit quiescentem in cella. Prior non sic tormenta timet judicii sæcularis sicut secundus

judicium Judicis summi. — O admirabilis, magnus timor Dei necessarius tibi est in quiete, quia nihil ita persequi acediam potest.

Qui damnatus est, intuetur semper quando judex ad carcerem veniet ; qui autem vere operarius est, intuetur quando veniat Christus educens eum de custodia corporis hujus. Pondus tristitiæ colligatum est primo ; fons autem lacrimarum adest secundo.

Si possidens tenueris patientiæ virgam, canes protinus derelinquent tibi commisceri. — Patientia est implagabilis dolor et invincibilis labor animæ, ab irrationabilibusque tumultibus non commotus. Patientia est præceptum tribulationis quotidie exspectatum atque susceptum. Patiens est operator sine turbatione et lapsu, per casus et turbationes victoriam faciens. Patientia est excisio occasionum, est quoque propria accessio.

Nemo sic indiget cibo sicut operarius patientia : quia de defectu prioris coronam accipiet, sed de defectu secundæ interitum reportabit. — Vir patiens ante sepulcrum mortuus est, de cella sua sibi faciens sepulcrum. — Spes et luctus pariunt patientiam ; qui autem est absque duobus his, est servus acediæ.

Luctatorem Christi oportet cognoscere quos inimicos a longe persequatur, quos vero sinat contra se luctari. Quandoque lucta coronam adduxit, quandoque vero devitatio improbos fecit. Non est possibile talia verbo dicere vel doceri : non enim omnes eisdem dispositionibus aut habitibus qualificati sumus, neque similiter. — Unum spirituum malignorum observa vigilantius, quoniam incessanter repugnat homini bono in statione, et transmutatione, et sessione, et motu, et oratione, et reclinatione, et somno.

Eorum qui in via quietis resident, alii implent semper in se ipsis quod in Psalmo
scriptum est : Providebam Dominum in conspectu meo semper. Non enim universi Ps. xv, 8.
panes spiritualis et cœlestis alimenti sunt uniformes in operatione. Alii : In patientia [illegible]
vestra possidebitis animas vestras. Alii : Vigilate et orate. Alii : Para in exitum Matth. [illegible]
opera tua. Alii : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. [illegible]
Alii : Nequando rapiat et non sit qui eripiat. Omnes autem hi currunt, unus vero [illegible]
horum accipit bravium sine labore. Rom. viii, 18.

Qui proficit, operatur non solum vigilans, sed etiam dormiens : unde quidam in [illegible] ipsis somnis per dæmones ad se accedentes afficiuntur ignominiis, et de castitate admonent feminas incontinentes.

Provenientes ad te non exspectes, neque ante te præpares : consistentia enim quietis est tota simplex ac sine vinculo.

Nemo volens turrim aut cellam quietis ædificare conetur ad hoc, nisi sedens Luc. xiv, 28. prius per orationem computet et palpet an habeat proprietates necessarias ad consummationem, nequando post fundamenti positionem fiat inimicis suis in derisum, et aliis operariis impedimentum.

Intende et vide peregrinantem suavitatem, ne forte dolose admixta sit ab amaris medicis, magis vero insidiatoribus. — De nocte plurimum temporis da orationi, minus vero psalmodiæ ; de die vero iterum parum secundum tuam virtutem.

Lectio Scripturarum naturam habet illuminare et coadunare mentem non modice. Verba enim Scripturæ sunt sermones Spiritus Sancti, et regulant exsequentes eos. — Ea quæ leguntur sint activa tibi qui operarius es, quoniam operatio horum facit lectionem reliquorum superfluam. — Quære illuminari a sermonibus veritatis laboribus et doloribus magis, et non libris. — Ne sequaris venenativa mentis verba ante spiritualem virtutem : quum enim sint verba tenebrarum, impotentes obscurant.

Una phiala plerumque significavit gustum vini, et unus sermo quiescentis manifestavit sæpe gustare valentibus, omnem consistentiam et operationem ejus intrinsecam.

Irrecurvabilem oculum animæ possidebis contra elationem, quia non est quidpiam magis exterminans et occidens eamdem elationem in furtis. — Parce linguæ in processibus : novit enim celeriter multas fatigationes disperdere. — Exerce consistentiam tuam sine curiositate : curiositas enim inquinat quietem sicut aliquid aliud inquinare non potest. — Advenientibus appone necessaria, corpori dico et spiritui. Si autem sapientiores nobis exsistunt, ostendamus eis amorem sapientiæ per silentium ; si autem fratres sunt, secundum eamdem institutionem temperate portam aperiamus : sed utilius est putare quod omnes excedant nos in vita et sapientia.

Qui arenam portavit in pallio et tota nocte vigilavit, detinuit me volentem penitus prohibere exsistentibus adhuc parvulis in congregationibus opus corporis. — Quemadmodum rationi dogmatis sanctæ et increatæ et adorandæ Trinitatis opponuntur quæ sunt de dispensatione incarnationis unius personæ ejusdem semper laudandæ Trinitatis (quoniam ea quæ sunt ibi pluralia, in isto sunt singularia ; et quæ ibi sunt singularia, in his sunt pluralia), ita et alia studia sunt conventientia quieti, et alia obedientiæ.

Rom. XI, 34. Divinus Apostolus ait : Quis cognovit sensum Domini ? Ego autem dico : Quis cognovit mentem hominis corpore atque spiritu quiescentis ? — Fortitudo regi, divitiæ et multitudo ; imperium quiescenti, multitudo orationis.

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO PARTIS PRIMÆ GRADUS HUJUS VICESIMI SEPTIMI : DE SANCTA QUIETE CORPORIS ET ANIMÆ.

N*OS tanquam perpetue exsistentes empticii servi spirituum immundorum et quasi sub fœdere eorumdem, ex hoc jam particulariter scimus dolos, fraudes, modos, atque jussiones, astutias horum spirituum dominantium miseræ animæ nostræ.* Hoc auctor ait ex præcipua humi- A litate, quasi dicat : Sicut servi empticii hominum sciunt quales sint domini sui ex dominatione ipsorum super se, ita et nos scimus dæmonum proprietates ac pravitates, quia experimur eas in nobis. *Alii enim desuper illuminati, cognoverunt machinationes et industrias dæmonum, per*

operationem Spiritus Sancti et libertatem A *ab eis,* id est, per hoc quod liberi ac liberati sunt a jugo ipsorum.

Alius quidem conjiciens arbitratur, hoc est, cognoscit et judicat saltem conjecturaliter, *requiem sanitatis, ex dolore qui est in infirmitate,* id est, ex tribulatione quam patitur ex dæmonum impugnatione, conjicit quid sit esse sanum, quietum ac liberum a talibus. *Alius ex bono animo et bona dispositione sanitatis,* id est suæ interioris quietis ac integritatis, *comprehendit et conjicit affectionem tristitiæ inordinatæ* B *et anxietatem exsistentem in infirmitate,* id est tentatione et defectuositate aliorum.

Nos ergo tanquam infirmi expavimus vobis philosophari in sermone hujus doctrinæ de portu quietis, scientes quemdam canem in mensa bonæ conventionis adstare. Canis iste est spiritualis elatio seu vana gloria : qui adstat « in mensa bonæ conventionis », hoc est in propositione salubris doctrinæ, qua Fratres reficiuntur. *Qui et panem, videlicet animam, ex eadem* mensa *rapere probat,* id est, animam C instruentis conatur vanitate, loquacitate, ostentatione corrumpere et sibi incorporare : ideo subditur, *ut et hunc panem ori suo illatum, de reliquo abiens currendo, in quiete manducet.* Loquitur autem metaphorice de vitio isto juxta morem canum qui adstant mensæ, et rapto frusto panis cursim recedunt, ac panem quiescendo manducant.

Propterea ne per nostrum sermonem demus locum huic cani, et occasionem obloquendi nobis his qui quærunt occasionem, D *non æstimavimus fas nunc disputare de pace his agonizantibus,* id est laboratoribus ac pugnatoribus, *Christi regis nostri, qui cum bono animo in prælio sunt* contra hostes divini honoris atque humanæ salutis. *Porro hæc [illegible] pacis et tranquillitatis sunt potenter prævalentibus circumplexa*, hoc est, diadema seu præmium tranquillissimæ salutis æternæ omnino paratum est omni legitime decertanti.

Nunc vero dicamus pauca quædam, si videtur, quasi in typo et forma discretionis, id est velut in umbra et similitudine quadam juxta discretionis censuram, ut quasi non loquendo de ista materia, aliquid inde loquamur, et loquendo simus quasi non loquentes, *itaque,* id est ob hoc, *ne forte contingat aliquos contristari, si inexercitatum admodum sermonem de hoc,* id est de ista materia, *relinquamus in medio,* hoc est, si omiserimus in hoc loco, ubi ordo graduum scalæ requirit tractari de hac sancta quiete.

Quies quidem corporis est consistentia ac scientia morum ac sensuum, id est condecens habitudo ac disciplina exterioris apparatus et operationis, et sensuum corporis, ut homo in his facete ac ordinate se habeat. *Quies autem animæ est scientia cogitationum, imprædabilisque intentio,* hoc est, practica et idonea notitia habendi se virtuose et custodite in cogitationibus affectionibusque internis, atque intentio inviolabiliter sincera et recta.

Amicus, id est custos et conservator, *quietis istius, est cogitatio aliqua virilis, fortis et dura,* id est rigorosa, *et inflexibiliter justa, semper stans vigil in porta cordis,* puta in intellectu, *non dormitans, sed repellens et occidens cogitationes advenientes* vanas, illicitas. Denique cogitatio ista potest esse consideratio divinæ præsentiæ, cujus intuitu erubescit quis indecenter se habere seu peccare in Dei adspectu, dicens cum Elia, Vivit Dominus III Reg.
in cujus conspectu sto hodie ; vel medita- xvii, 1.
tio passionis dominicæ, aut consideratio novissimorum, quum scriptum sit, Memo- Eccli. vii,
rare novissima tua, et in æternum non 40.
peccabis.

Qui in sensu cordis quiescit, id est, internam exercitationem expertus est, et ea quæ Dei sunt sapit, atque in vera sapientia conquiescit, [illegible] experimentalem enim habet inde notitiam. *Qui [illegible]*, id est imperfectus et inexercitatus, [illegible], hoc est, verita

tem hujus dicti non sapit nec affective cognoscit.

Quiescens intellectualis, id est, homo internus in Deo sapienter exercens se, *non indigebit sermonibus,* hoc est multa aliorum instructione : *etenim sermones operibus illuminat,* id est, conversatione ostendit quod alii docent, et sua exercitatione meretur illuminationem et intelligentiam verborum salubrium, ita quod unctio docet eum de omnibus. (I Joann. II, 27.)

Initium quietis internæ est efficaciter *scire amovere atque repellere strepitus et fragores, tanquam perturbantes profundum mentis,* hoc est, exteriores sonos, clamores, pulsus et tumultuationes non advertere, sed dissimulare, eo quod inquietent intima cordis. *Finis vero ejusdem quietis est non timere tales tumultus, sed in his esse sine sensu,* id est eos non plus curare quam si omnino non fierent, quemadmodum abbas Theodorus dixit : Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidet. Beatissimus quoque abbas Macarius super calvariam dormiens, et dæmonem ex calvaria loqui audiens, non expavit, sed cum capite suo tundens calvariam dixit diabolo : Si aliquid potes, fac.

Amator quietis extra progrediens, id est, cellam corporaliter exiens, *non est verbo progrediens,* hoc est, per internam allocutionem intus manet, mentaliter Deum contemplando, laudando, orando, *totus verbo mansuetus, domus caritatis,* quæ manet in corde ipsius, *difficulter ad verbum invitabilis,* id est difficilis ad loquendum, *immutabilis ad furorem habens naturaliter esse,* hoc est, per gratiam ita mitis effectus est ut provocari ad iram non queat. *Contrarium vero est manifestum.* Contrarium hujus amatoris quietis, est homo adhuc quietis impatiens, passionibus nondum prædominans, qui etsi corpore quiescat in cella, mente tamen vagatur per multa, pronus ad iram et confabulationem.

Quiescens incorporeum in corporali domo circumterminare contendit, hoc est, vitam quietam et contemplativam ducens conatur incircumscriptibilem Deum jugiter sic secum habere et mente complecti, quasi alibi non esset. Vel sensus est, quod conatur proprium spiritum rationalem ab evagationibus per mundum reprimere, et soli Deo præsenti infigere. *Quod est supergloriosum,* id est valde præclarum.

Venatrix et captrix, videlicet muriceps, *observat murem vel talpam,* ut quum viderit eam, statim invadat. *Intentio vero quiescentis,* id est diligentia contemplativi, *observat intelligibilem murem,* puta diabolum, ne lædatur ab eo. *Exemplum istud non sit tibi dejectum,* id est vile sive ineptum. *Si quominus,* hoc est, si exemplum hoc despicis, *necdum cognovisti quietem* internam et vitam contemplativam per experientiam.

Non sic quippe erit monachus, id est, monachus professione et habitu « non erit monachus sic », hoc est conversatione, si juxta prætactam similitudinem non observat diabolum, *sicut monachus contendens,* id est, efficaciter certans, *coadstans et conjunctus monacho,* hoc est, vero religioso per sanctam conversationem communicans et collaborans spiritualiterque unitus. Unde per monachum ultimo expressum, potest intelligi quicumque perfectus monachus, qui est aliis vitæ exemplar. *Monachus vero indiget vigilia* mentis et corporis, *et multa sobrietate, et mente irrecurva,* hoc est, non reflexa ad propria commoda aut honores, sed in Deo simplificata ac recte erecta, *sine omni elatione. Equidem priori plerumque auxiliatus est alter,* id est, monachus virtuosus et fervens frequenter subvenit negligenti, oratione, exemplo et verbo, *angelus vero cooperatur secundo,* videlicet monacho vero religioso, quem multipliciter adjuvat ac tuetur.

Intellectuales virtutes simul ministrant et cohabitare amant in spirituali quiescente. Per intellectuales virtutes possunt intelligi angeli sancti, qui monacho spirituali et contemplativo piissima dignatione deserviunt, atque cum ipso libenter morantur ; habitus quoque virtuosi qui

quiescunt in eo. *Contrarium vero tacebo tibi,* quia satis elici potest ex isto, videlicet quod dæmones libenter cohabitant in monacho negligenti et passionato, cui et vitiorum fomenta ministrant.

Altitudo dogmatum est profundissimum pelagus per similitudinem. *Mens vero quiescentis non exsiliet in ea absque periculo:* quia periculosum est ei dogmata talia curiose scrutari, quemadmodum scriptum est : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Eccli. III, 22.

Non est tutum cum veste natare in pelago, neque vitium habentem tangere theologiam, hoc est, periculosum est ut homo vitiosus occupet se in theologia speculativa et alta, in qua posset multipliciter deviare.

Cella quiescentis circumscriptio corporis, hoc est, cella exterior manu facta circumscribit et continet in se corpus cellitæ; vel « circumscriptio corporis », id est corpus monachi circumscriptum, est « cella » animæ ejus : in qua cella debet Deo jugiter vacare, sive sit sola sive inter alios. *Intrinsecus habens donum scientiæ,* quæ est in mente, per quam potest Deo intendere.

Qui adhuc infirmus est spiritualibus vitiis, et cœnobium, id est Fratrum congregationem, *relinquens conatur ad quietem,* hoc est ad solitariam ire vitam, *similis est ei qui ex navi saliens, in pelagus se immergit, et putat cum tabula ad terram pertingere sine periculo.* Quemadmodum enim plura pericula sunt in mari quam navi, sic monachus nondum purgatus invenit graviores tentationes in solitudine quam in claustro seu congregatione.

Quicumque voluntates proprias vincunt et cum luto, id est contra propriam carnem, *fortiter præliantur, istis in tempore proprio quies adveniet,* hoc est, tempore opportuno pertingent ad mentis tranquillitatem contemplationisque gratiam, imo ad solitariorum perfectionem, *si tamen possident ducem dirigentem,* id est, si idoneum habent pastorem [illegible] *latum esse,* hoc est pastore carere, *et tamen ita proficere, indiget angelica fortitudine,* id est cœlesti mentis stabilitate, adsistentiaque et directione angelorum sanctorum præcipua. *Mihi vero sermo est de quiescentibus corpore et spiritu.*

Quiescens, id est monachus seu solitarius, *negligens loquetur mendacium : exhortans homines vacare quieti per ænigmata indicat,* id est, obscure seu implicite insinuat se Deo vacare et fructuose quiescere; sicque mentitur iniquitas sibi, quamvis verbo non mentiatur formaliter. Ps. xxvi, 12. *Derelinquens cellam, inculpabit dæmones,* id est, dæmonibus imputabit quod cellam suam inordinate relinquit sive apostatat; *latet vero eum se ipsum esse factum dæmonem sibi ipsi,* hoc est, non considerat quod ex propriis perversitatibus victus sit et de cella ejectus.

Vidi quiescentes, per multam quietem insatiabiliter replentes concupiscentiam suam spiritualem *ferventem ac suspirantem ad Dominum, gignentes et augentes ignem igni, amorem amore, desiderium desiderio.* Istud superius habitum est atque expositum. p. 46 A'. Omnes quoque veraciter monachi faciunt istud proficiendo quotidie in Dei ac proximi caritate, in desideriis sanctis, in suspiriis amorosis. Qui per exercitia interna « insatiabiliter » replent affectum suum ad Deum, quoniam quanto plus gustant dulcedinem Dei et in donis ejus proficiunt, tanto plus gustare et proficere cupiunt, juxta illud : Qui edunt me, [illegible] adhuc esurient. 29.

Quiescens est typus terrestris angeli, id est, contemplativus et vere solitarius est similis angelo et quædam figura ipsius : quoniam conversationem habet in cœlis, Philipp. III, et Beatorum exercitiis pro posse intentus est, utpote contemplationi, dilectioni ac laudibus Creatoris; *orationem suam libe-* [illegible] *ta desiderii et litteris festinantiæ,* id est, per hoc quod affectuose suspirat ad Deum et ardenter proficere cupit : per quod oratio sua expers est pusillanimitatis atque

ignaviæ, imo cum omni intentione, fiducia A ac magnanimitate invocat Deum.

Quiescens est qui per opera virtuosa, non per verba nuda, *manifeste et efficaci-*
Ps. LVI, 8. *ter clamat : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* ad omnia tibi placen-
Cant. v, 2. tia. *Quiescens est ille qui dicit : Ego dormio, et cor meum vigilat.* Talis enim quiescens, etiam in somno solet Deo vacare per somnia pura et orationes ac contemplationes. Imo frequenter illuminatur in somno sublimiter, quemadmodum scri-
Job XXXIII, 15, 16. ptum est : Quando sopor irruit super ho- B mines et dormiunt in lectulo, tunc Deus aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.

Claude portam, id est januam, *cellæ corpori,* ut non exeas cellam sine causa rationabili multum; *portam vero linguæ,* videlicet os, *claude eloquio,* silentium observando et omne verbum illicitum evitando; *et ostium intrinsecum spiritibus,* id est, aditum cordis præclude dæmoni-
Ephes. IV, 27. bus, juxta quod scriptum est : Nolite locum dare diabolo.

Tranquillitas maris et sol meridianus arguit, hoc est demonstrat, *patientiam nautæ* qui non contristatur immoderate de carentia venti quo posset juvari, neque de solis ardore quo æstuat; *et penuria necessariorum* ad vitam *ostendit sufferentiam quiescentis* qui in tanta paupertate non inquietatur per impatientiam. *Ille quidem tristitia anxius natat in aquis,* id est, nauta cum mœrore natat dum nequit procedere; *iste vero tristitia agitatus confunditur atque multitudinibus commiscetur,* hoc est, quiescens quando impatiens est, inordinato agitatus mœrore in se ipso deordinatur, nec solitudinem æquanimiter ferre potest, sed quærit humana solatia.

Ne timeas strepitum et ludos tumultuum sive fragorum. Luctus enim, id est, qui virtuose et salubriter luget, *non conturbatur neque formidinem novit :* est enim ad adversa cuncta paratus, nec putat se in vita præsenti posse sufficienter affligi pro suis peccatis.

Quorum mens vere orare didicit per formatam et efficacem scientiam, *hi ante Dominum facti,* id est, Deo se præsentantes, *coram ipso loquuntur sicut qui ad aurem regis,* hoc est, cum omni attentione ac reverentia invocant ipsum. *Quorum os orat,* id est, qui ore, non mente, Dominum deprecantur, *isti comparantur his qui coram omni convocatione,* id est toto populo, *procidunt ei,* videlicet regi : nam sicut isti honorant regem forinsecus, ita et illi qui Deum ore exorant. *Quicumque in mundo degunt, isti in medio tumultus omnis populi regem exorant,* id est, similes sunt his qui terrenum regem exorant in medio totius plebis tumultuantis : quemadmodum enim isti rogant regem animo inquieto, ita homines sæculares corde variis modis distracto Deum precantur. *Si artem* orandi et spiritualiter conversandi *scienter et regulariter didicisti, non ignorabis quod dictum est,* imo prædictorum veritatem agnosces per ea quæ in te ipso expertus es.

C *Sedens super altitudinem,* id est in consistorio ac solio rationis, *observa te ipsum, si nosti,* hoc est, universa quæ tibi eveniunt intuere pro posse, *et tunc apparebit* tibi *et videbis quomodo et quando et unde et quot fures veniunt intrare, et quales botros furari intendunt.* Fures isti sunt dæmones, qui diversis modis quærunt « botros » abscindere, utpote vineam animæ conculcare, et eam suis fructibus spoliare. Interdum quoque veniunt plures fures simul : sicut dum homo pariter impugnatur D spiritu elationis, spiritu iracundiæ spirituque acediæ.

Quum mens et intentio fuerit fatigata ex occupatione exteriori, *surgens orabit; et sedens,* oratione completa, *rursus resumet viriliter operationem priorem,* ita quod nunc spiritualia, nunc corporalia exercitia exsequetur ordine condecenti, ut dictum est plenius. *Quidam ista ex-* p. 235 A,
pertus voluit de his diligenter atque sub- 288C', 395A.
tiliter loqui; sed timuit ne forte faceret Fratres hæc audientes sive legentes ne-

gligere suas operationes, et strepitu ac fragore verborum dejiceret eos qui elegerunt hæc destinatione, id est, ex cordis proposito cum efficacia operum decreverunt apprehendere ac prosequi ista. Sæpe enim contingit ut mens vehementer occupata circa intelligentiam difficilium sensuum subtiliumque verborum, impediatur a profectu sanctæ affectionis et virtuosæ exercitationis.

Qui narrat de quiete subtiliter et cum scientia, exponens notificative, id est, qui multum doctrinaliter et affective tractat B de ea, *facit dæmones insurgere contra se,* quoniam multum irritat et provocat eos. Denique eo ipso quo quis de virtutibus et vitiis, de spirituali profectu, de alta perfectione præsumit profunde tractare, justum est ut permittatur tentari, sicque appareat an facta verbis concordent in eo, personaliterque observet quod edocet alios. *Nullus enim ita potest propalare inhonestates deformitatesque dæmonum sicut iste* qui de quiete taliter narrat.

Qui quietem apprehendit, id est, vitam C internam, tranquillam, contemplativam stabiliter obtinet et exercet, *cognovit mysteriorum abyssum,* hoc est multa divina
Ps. L, 8. secreta, quia incerta et occulta sapientiæ suæ Deus ei revelat. *Non enim pervenit ad istud nisi qui prius vidit et audivit ventos fluctuum ac tumultus spirituum,* hoc est turbulentias et inquietudines adversitatum, laborum, pugnarum, et tentationum diabolicarum, *et æque adspersus fuerit,* id est, etiam hæc ipsa æquanimiter tulerit, imo et vicerit. *Magnus apostolus* D *Paulus ratum fecit,* id est, exemplo con-
II Cor. XII, 4. firmavit, *quod dictum est : nisi enim raptus fuisset in paradisum quasi in requiem, non utique potuisset audire verba arcana.*

Auris quietis, hoc est auditus interior animæ quiescentis, *suscepit magna a Deo et excedentia sensum,* utpote revelationem et contemplationem divinorum et supernaturalium veritatum. *Quæ* [illegible] *ipsa* auris quietis præfata *dixit sapientissima* A verba *in Job.* Vel « ipsa » auris « sapientissima », utpote illuminatissima, « dixit in Job » : *Quando autem non suscepit auris mea ab eo magna et excellentissima?* Job IV, 12. Hoc in nostra translatione non continetur secundum formam verborum, sed quantum ad sensum.

Quiescens est qui ita fugit omnes homines sine odio eorumdem, imo ut Deo perfectius vacet, *sicut alius qui negligens est prompte occurrit* hominibus desiderio fabulandi aut propter commoda sua.

Tu qui vis recipere excisionem dulcedinis Dei, hoc est copiose acquirere divina charismata atque in ipsis gustare I Petr. II, 3. quam dulcis est Deus, *vade, disperge celeriter universa quæ habes, et vende, et* Matth. XIX, 21; XVI, 24. *da ea pauperibus, infirmis et indigentibus monachis, ut per orationem tibi ad quietem concurrant,* hoc est, suis orationibus tibi cooperentur ad obtinendum a Domino gratiam vitæ internæ ac quiescentis; *et tolle crucem tuam, portans eam per obedientiam, et fortiter sustine pondus decisionis tuæ voluntatis,* hoc est propriæ voluntatis abdicationem, quæ solet aliquibus gravis esse; *et veni de reliquo, sequere me ad coaptationem beatissimæ quietis,* id est, ad hoc ut applices te saluberrimæ huic quieti, *et docebo te visibilem operationem et conversationem intellectualium virtutum,* hoc est, qualiter virtutes mentis etiam foris evidenter exhibeas exemplariterque ostendas, vel qualiter angelorum vitam imiteris in carne et per exteriora exercitia quædam, videlicet Deum laudando, adorando et honorando forinsecus.

Non satiabuntur istæ, id est, intellectuales virtutes seu angelicæ mentes non replebuntur, *fastidio,* [illegible] *laudantes in sempiternum Deum factorem; neque qui venit in cœlum quietis,* id est, ad præfatam cœliformem seu angelicam quietem ac pectoris pacem pertingit, *cessabit laudare Creatorem,* quoniam in præsenti et in futuro appetit eum sine fine laudare.

[illegible]

terialibus : quod intelligi potest de angelis, qui de « materialibus », id est terrenis divitiis, non sollicitantur, quamvis de hominibus sibi commissis habeant curam; *neque de alimento materiales immateriales,* id est, homines spirituales, contemplativi, quiescentes, angelici, non erunt immoderate solliciti de refectione corporali. *Non edent priores cibum,* id est, angeli non manducabunt cibum corporeum, quantum ad cibi digestionem; *neque secundi,* videlicet homines quiescentes angelici, *indigebunt requisitione cujusquam hominum :* quia non indigebunt ab hominibus cibum requirere, vel quia necessaria laborando acquirunt, vel in desertis ea inveniunt, aut si opus fuerit, desuper providentur. *Illi,* videlicet angeli, *non erunt solliciti de possessionibus atque pecuniis, neque isti de afflictione spirituum,* id est, spirituales et quiescentes non formidabunt dæmonum tentamenta, et afflictiones temporales pati parati sunt.

Non est in supernis, id est civibus cœli, *desiderium et concupiscentia visibilis creaturæ,* hoc est sensualis ulla affectio ad terrena. Verumtamen Christi humanitatem, Virginem gloriosam corpore glorificatam, intellectualiter cupiunt et ardentissime diligunt ; insuper animæ beatæ cupiunt suis reuniri corporibus glorificandis. *Neque in inferioribus,* id est quiescentibus jam præfatis, manet *denuo concupiscentia sensibilis affectionis et speciei,* hoc est pulchritudinis corporalis.

Illi, scilicet angeli, *proficientes nunquam cessabunt a caritate.* Qualiter de angelo-

A rum profectu sit sentiendum, et quid inde senserit auctor, supra inductum est. *Neque isti* quiescentes *cessabunt se illis quotidie cohortari,* id est, indesinenter se admonent ad hoc ut ad angelorum societatem studeant pervenire, atque ut nunc illorum actibus se pro posse satagant conformare. p. 412 D.

Apud illos, utpote angelos, *divitiæ profectus et incrementi* spiritualis *non sunt ignotæ; neque amor ascensionis,* id est affectio spiritualis ascensionis desideriumque pertingendi ad regnum cœleste, *ignotus est his* quiescentibus, quoniam experiuntur ea quotidie in se ipsis. *Neque stabunt* quiescentes *quousque pertingant ad Seraphim.* Quidam homines tantum proficiunt in hac vita, quod ad ordines primæ ac summæ hierarchiæ angelicæ perducuntur : quod præfatis quiescentibus videtur potissime convenire, quum sint viri heroici; non tamen oportet asserere quod omnes pertingunt ad summum hierarchiæ illius chorum, quum inter viros heroicos perfectos et sanctos sit multiplex gradus. *Neque laborare cessabunt donec angeli fiant,* id est, a bonis operibus non desistent quousque morte interveniente ad angelorum perducantur consortia.

Beatus qui sperat, ter beatus qui satagit, id est, qui toto conatu et summo affectu sibi possibili nititur ad patriam Beatorum, *angelus qui apprehendit,* id est, qui Deum beatifice videt : talis enim aut angelus est, aut angelis similis seu æqualis. Et sumitur angelus nunc prout commune nomen est ad universos spiritus illos immateriales jugiter separatos.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO PARTIS SECUNDÆ GRADUS HUJUS VICESIMI SEPTIMI : DE DIFFERENTIA ET DISCRETIONE QUIETUM.

S*UNT in consistentiis omnium scientiarum (quod et omnibus notum est), modorum, opinionum, deliberationum et consiliorum differentiæ :* id est, quemadmodum omnibus constat, distinctiones seu « differentiæ » sunt in ipsis scientiis, ita

quod una scientia est altior, certior ac generalior alia; similiter distinctio est in modis, mensuris et opinionibus ac deliberationibus atque consiliis. *Non enim omnium omnia sunt perfecta,* hoc est, opera bona singulorum non sunt perfecte bona et virtuosa, *propter indigentiam sollicitudinis et festinantiæ,* id est, ob hoc quod non fiunt cum tanta sollicitudine spirituali et tanta alacritate seu agilitate ut decet, *et propter penuriam et imbecillitatem virtutis,* hoc est propter imperfectionem habitus virtuosi, ex quo actus elicitur et procedit. Itaque ex duobus contingit imperfectio actus boni : uno modo ex parte agentis, qui et si notabiliter virtuosus exsistat, aliquos tamen actus bonos exercet non tam timorate et diligenter ac expedite ut posset et expedit; alio modo ex parte virtutis, quæ quum adhuc sit imperfecta, non parit actus perfectos.

Sunt ergo qui in portum hunc, magis vero in pelagus vel profundum, ingrediuntur : hoc est, quidam arripiunt vitam hanc quiescentem, solitariam, contemplativam, quæ recte portus vocatur et est, sed ipsis de quibus nunc sermo, potius est pelagus et profundum, quia in ea merguntur et pereunt, quia arripiunt eam ex mala radice, nec ad eam sunt apti. Ideo subditur : *propter infirmitatem oris eorum,* id est linguæ irrefrenationem, quam inter fratres compescere nequeunt, et tantum excedunt in ea, quod solitariam vitam aggrediuntur quasi in ea minus casuri, *et præassumptiones corporis,* hoc est, ideo quoque vitam illam accedunt ut commoda corporis solita aut optata sive præsumpta liberius expleant, comedendo, dormiendo, surgendo, laborando ad placitum. *Alii quia incontinentiam ad furorem habent,* id est, proni sunt ad magnos iracundiæ motus, *et ipsi miserabiles nequeunt cum multitudine* fratrum vivendo *hunc continere,* hoc est furorem reprimere : ideo pergunt ad eremum aut solitudinis mansionem quasi non perturbandi ibidem. *Alii ex complacentia et regulatione propriæ voluntatis, atque ex confidentia sui, magis vero proprio ducatu,* hoc est juxta proprium magisterium et dictamen, *prævident navigare,* id est, præordinant aut disponunt per solitariam vitam quasi per navim ad beatitudinem proficisci et mare sæculi transfretare.

Alii ideo vitam quiescentem aggrediuntur *quia non valent in medio materiæ a materiis abstinere,* hoc est, affectum suum nequeunt refrenare ab objectis quæ habent præ oculis, sed excedunt in illis. *Alii ut ex singulari et remota vita,* id est, conversatione solitaria et abstracta, *fiant festini et solliciti ad se ipsos,* hoc est agiles ac diligentes circa suam salutem. *Alii ut se ipsos incognite,* id est occulte, *afficiant flagellis, contumeliis et plagis pro debitis pœnarum,* hoc est pro culpis suis, per quas meruerunt puniri, vel pro debitis pœnis, ad quas coram Deo sunt obligati pro suis peccatis. *Quidam vero ut adipiscantur sibi ipsis gloriam* temporalem humanam *per camdem* solitariam vitam.

Sunt vero et alii (si forte Filius hominis veniens tales inveniet super terram) qui conjuncti et coaptati sunt huic, id est, se ipsos mancipaverunt solitariæ vitæ, *propter delicias* spirituales *et sitim caritatis atque dulcedinis sanctæ,* hoc est ex puro desiderio proficiendi in sincerissima dilectione et gustandi increatam Creatoris suavitatem : scientes scriptum esse de gustantibus multitudinem dulcedinis Dei, Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, etc. Ps. xxx, 21. *Nec prius hoc facientes, quam omni acediæ dent libellum repudii,* id est, vitam solitariam aggredi non præsumentes, nisi ante devicerint omnem acediam. *Nam hujus contactus,* id est sola pulsatio seu minima particula aut consensus acediæ, *reputatur* [illegible], hoc est apud quietem, ita quod vere solitarius et quiescens reputat, abhorret et vitat solum contactum acediæ tanquam crimen mortiferum.

Secundo, imperfectionem [illegible]

tiam mihi datam, ut architectus non sapiens, id est minus perfecte sapiens : quod est verbum humilitatis ; *fabricavi scalam ascensionis,* hoc est, gradus et causas ascensionum descripsi. *Unusquisque ergo conspiciat in quo gradu stet,* hoc est, ex qua causa solitariam vitam aggressus sit aut aggredi velit, aut quid moveat eum ad operandum : *an* scilicet moveatur aut inceperit *ex complacentia propriæ voluntatis et sufficientiæ, an propter gloriam hominum* acquirendam, *an propter infirmitatem linguæ,* juxta expositionem prætactam, *an propter incontinentiam furoris, an propter multitudinem propassionis,* id est affectionis, *junctæ ad aliquid vitiose,* ita quod in medio materiæ nequit a materiis abstinere, sicut expositum est. Deinde ad pluralem numerum auctor se vertit. *Ut de se ipsis exigant vindictas et exsolvant,* hoc est, an ideo solitariam vitam aggressi sint, ut in ea libere se flagellent et proprias iniquitates vindicent in se ipsis ; *an ideo ut fiant festini et satagentes,* hoc est alacres, expediti et efficaces ; *an* ideo *ut ignem assumant,* id est, in caritate plenius inardescant.

Matth. xix, 30. *Erunt novissimi primi,* hoc est, qui idcirco solitariam vitam aggressi sunt ut in Deo plus ardeant, qui ultimo loco expressi sunt, « erunt primi » et summi in gloria ; *et primi,* qui scilicet propter linguæ irrefrenationem, etc., quiescentem aggressi sunt vitam, qui primo loco expressi sunt, *erunt novissimi.* Vel « primi » sunt qui propter propriam gloriam faciunt istud, qui expressi sunt immediate ante novissimos istos ultimo nominatos : qui primi merentur specialiter deprimi propter hanc vanitatem.

Septem ergo sunt operationes septimanæ sæculi nunc præsentis, hoc est, septem sunt actiones juxta numerum dierum hebdomadæ temporis nunc currentis : quæ actiones diversos diversimode movent ad vitam solitariam, quiescentem. *Quædam quidem acceptæ, quædam vero non acceptæ,* id est, harum actionum aliquæ placent Deo, aliquæ vero non. Qui enim aggrediuntur hanc vitam ut fiant solliciti et expediti ad ea quæ sunt suæ salutis, et qui ut pro suis peccatis districtius se affligant, bene moventur. Alii moventur vel prava intentione, vel ex mala radice, ut elici potest ex dictis. *Octava vero operatio quia significativa exsistit futuri sæculi,* id est beatitudinis electorum in patria, *manifestum est.* Octava quippe et ceteris melior operatio, est actio horum qui solitariam vitam arripiunt ut fiant ardentiores, et Deo suavius, familiarius atque vicinius uniantur : quod est inchoatio, prælibatio ac figura felicitatis futuræ. Itaque, si bene computemus, auctor expressit octo operationes quæ movent ad solitariam vitam : quarum septem pertinent ad cursum et exercitium sæculi hujus ; octava est typus vitæ cœlestis.

O monache desolate, id est humano solatio destitute, sicut est solitarius, *observa horas bestiarum,* hoc est irrationabilium motuum passionum, et diabolicarum tentationum, considerando quando et qualiter impugneris ab eis ; *alioqui non valebis statuere congruos laqueos,* id est, intueri non poteris per quæ exercitia poteris bestias illas convenientius capere, exstirpare ac vincere. *Si perfecte recessit et abest quæ libellum accepit repudii,* id est acedia seu alia quæcumque culpa aut passio quam detestatus es et cui renuntiasti, *superfluum est opus* contra eam statuere laqueos seu pugnare ; *si vero adhuc præsumptuose audet* invadere et tentare, *non cognosco quomodo quiescas,* hoc est, non intelligo quod ducas vitam vere quiescentem, solitariam, contemplativam.

Quid ergo ? quasi dicat : Quid sequitur ex his ? *Nisi quia tot et tanta apud sanctos Tabennensiotas luminaria quot apud Scythiotas fuerunt.* Tabennensiotæ dicebantur monachi ordinis S. Pacomii, præsertim qui habitaverunt in primo cœnobio quod ipse fundavit. Scythiotæ autem erant solitarii qui habitaverunt in solitudine Scythi, quæ erat arduissimus locus omni hu-

mano solatio destitutus, in quo sanctissimi A Patres habitaverunt. Videtur itaque auctor insinuare, quod inter monachos cœnobitas ordinis S. Pacomii fuerunt tot et tanti viri perfecti, quot et quanti fuerunt inter solitarios Scythi : nisi forte fiat vis in eo quod ait, « nisi quia tot », etc., et non dicat nisi « quia tot » ; sicque passus iste legatur interrogative, non assertive. Verumtamen nullum est dubium quin per specialem gratiam Dei aliqui possint in cœnobio, imo et in sæculo, pertingere ad omnem perfectionem ad quam perfectissi- B mi anachoretæ perducti sunt, ut patet de beatissimis Dei electis, Servatio, Martino, Bernardo, Francisco.

Qui intelligit intelligat. Quasi dicat : Deus omnipotens atque liberrimus diversimode agit in suis electis. *Ego enim loqui non valeo, magis vero nolo.* Tanquam dicat : Ego non volo nec expediens reor omnia prosequi. Ac si dicat : Quamvis per gratiam specialem quidam in congregatione æquales facti sint sanctis anachoretis, regulariter tamen communiterque loquen- C do, vita solitaria anachoretica præfertur vitæ cœnobiali, quamvis non velim illud exprimere propter pusillos, ne forte inconsulte se ingerant ad solitariam vitam. Hinc subditur :

Nempe alii vitia dirimunt, utpote incipientes, qui a vitiis quotidie se expurgant ; *isti vero,* videlicet Tabennensiotæ, *psallunt et in psalmodia plurimum perseverant ; hi autem,* puta Scythiotæ solitarii et anachoretæ, *contemplationi intendunt,* quod præclarius est, *qui degunt in isto* D *profundo,* hoc est in contemplationis sublimitate ; vel « in isto profundo », id est secretiori et remotiori eremi parte quæ Scythi vocatur. *Secundum scalæ modum quæratur propositio,* id est, intellectus horum verborum investigetur et accipiatur secundum quod quisque proficere obligatur juxta exigentiam suæ vocationis aut professionis. *Qui capit, in Domino capiat,* hoc est, veraciter ista intelligat.

Sunt negligentes animæ, id est monachi, sumendo partem principalem pro toto, *in cœnobiis commorantes, et in eisdem faciliter habere valentes materias negligentiæ suæ,* utpote occupationes infructuosas aut leves, aut negligentium Fratrum societates, *qui ex hoc incurrerunt in perditionem perfectam,* id est, inexcusabiliter peccaverunt ac perierunt. *Et sunt iterum alii qui deponentes exuerunt negligentiam suam propter aliorum conversationem,* id est, exemplo Fratrum ferventium ac diligentium se emendaverunt et facti sunt fervidi. *Hoc autem non solum in negligentioribus, sed etiam in festinis plerumque et sollicitis actum est,* id est, non solum Fratres multum negligentes emendaverunt se meliorum exemplo, sed et agiles atque solliciti Fratres frequenter profecerunt in sublimiora, accensi perfectorum exemplis.

Eadem regula utamur super quiete, id est circa quiescentes et solitarios, dicentes quod etiam in solitaria vita quidam negligenter se habent. *Nempe probos multos suscipiens reprobavit,* hoc est, quidam ad solitudinem venientes, in principio probi fuerunt, et tamen paulatim defecerunt et reprobi facti sunt in ea, *propter complacentiam propriæ voluntatis et reputationem sufficientiæ suæ,* ita quod solitudo fuit *arguens eos amatores concupiscentiarum :* quoniam vani facti sunt, et ad pro- Jer. priorum commodorum atque honorum desideria sunt prolapsi. *Alios vero sumens* solitudo *festinantes,* id est, festinanter tendentes ad incrementa virtutum, *ex timore et sollicitudine portationis sententiæ sui judicii,* quia pensabant quod scriptum est, Hebr. x Horrendum est incidere in manus Dei viventis, *fecit eos ferventes,* ita quod a timore et sollicitudine ista profecerunt ad spiritualem libertatem ac ferventissimam caritatem.

V[illegible] *[illegible] reputatione et elatione, hypocrisi, memoria injuriæ seu livore vindictæ, præsumat* [illegible] hoc est solitariæ vitæ, [illegible]

nem et amentiam inde lucretur, hoc est, A ne per id incurrat majorem tentationum molestiam et cordis insaniam. *Si vero emundatus est a vitiis istis, ipse cognoscet de cetero expediens,* id est, quid sibi vere expediat, utpote solitudinem introire, an in congregatione manere. *Arbitror autem quia neque ipse,* hoc est, potius reor quod ipse nondum pro certo cognoscet quid inter hæc magis expediat sibi, sed securius sibi est credere sapientiorum et majorum suorum consilio, nisi forte adhuc altius creverit, et exercitatior fuerit factus. B

Ista sunt signa, studia et argumenta eorum qui ratione exsequuntur quietem, id est, solitariam vitam sapienter ac discrete prosequuntur atque continuant. *Intellectus non elatus, mens non dormitans* per torporem, *nec arrogans de propriis meritis, sanctificata intentio,* qua omnia ad Dei honorem et gloriam purissime referunt, *raptus ad Dominum,* quo mens a sensuum usu alienata absorbetur in Deum, *pœnarum prœlium,* id est afflictio castigativa propriæ culpæ, *ostensio mortis,* hoc C est salubris mortificationis sui ipsius, *oratio incessabilis, custodia imprædabilis,* id est inauferibilis custoditio proprii cordis, *mortificatio fornicationis* non solum corporalis, sed etiam spiritualis, quæ est aversio mentis a Deo, *ignorantia habendi affectionem ad aliquid passibiliter, mors mundi,* hoc est omnium mundanarum affectionum, *privatio aviditatis gulæ et appetitionis omnium gulosorum,* id est lautorum alimentorum, *suppositio theologiæ,* hoc est non perscrutari sed præsupponere D tanquam verissima ea quæ fidei sunt, *fons discretionis, lacrimarum libamen, multiloquii exstinctio, interitus quæstionum omnisque contentionis et litis :* verumtamen de pertinentibus et necessariis ad salutem facere quæstionem congruit solitario; *et si qua talium sunt quibus multitudines amant opponi et resistere,* hoc est, quibus communes hominum turbæ libenter opponunt se ac resistunt, ut sunt, detractio, susurratio, etc., horum (inquam) interitus seu plena vitatio, signum est solitarii sapientis.

Eorum vero qui eamdem ratione non exsequuntur, hoc est, signa, studia et argumenta eorum qui in solitudine non vivunt rationabiliter et condigne, *sunt ipsa : spiritualium divitiarum penuria, incrementum iræ, depositum ultionis,* id est reservatio vindictæ usque ad tempus opportunum, *apotheca memoriæ injuriæ,* hoc est tenax recordatio illatæ injuriæ, *diminutio caritatis, assumptio timoris* inordinati ac puerilis. *Et quod exinde sequitur tacebo.* Ex his equidem sequitur tædium professionis, reditus in Ægyptum, et apostasia ab Ordine.

Quoniam sermo iste subsequenter occurrit, id est, congruenter se offert, *necessarium duxi interponere aliqua de his qui sub obedientia vivunt, et præsertim quia ut plurimum sermo maxime extenditur, divulgatur ac defertur ad ipsos,* id est, scripta doctrinalia magis deveniunt ad eos eisque se manifestant, quam ad solitarios. *Ista autem sunt et a Deiferis Patribus determinantur ac dicuntur esse argumenta,* id est signa et opera, *illorum qui legitime et absque adulteratione et inquinatione se conjungunt et coaptant huic ornatui et decori,* id est pulchræ ac splendidæ conversationi monasticæ sub obedientia regulatæ : *quæ* argumenta seu opera *tempore suo peracta, sed et quotidie superextensa,* id est sæpius iterata, *assumunt additamentum atque profectum,* ita quod successive perfectius exercentur. Quæ sunt : *Augmentum humilitatis institutivæ.* Humilitas namque ad omne bonum instituit ac disponit. *Furoris diminutio.* Iram frequenter nominat et designat per furorem, quum ira sit quædam mentis insania, et ut eam amplius detestemur. *Quomodo enim non fiet eclipsis tenebræfactionum,* id est subtractio aut minoratio vitiorum obtenebrantium animam, *felle evacuato,* id est elatione, quæ mentem intoxicat, expulsa per humilitatem, quum superbia sit origo et radix ceterarum cul-

parum? *Assumptio caritatis, alienatio vitiorum, redemptio odii ex arguitione,* id est præservatio cordis ab odio quod concipi solet ex reprehensione unius ab alio, *defectio luxus,* id est lasciviæ, *ignorantia acediæ,* id est acediam non habere, *additamentum festinantiæ,* id est alacritatis et agilitatis augmentum, *amor compassionis, peregrinatio,* id est recessus, *a superbia, et directio universis optanda et paucis adveniens :* per quam directionem discretio designatur, quæ est virtutum omnium directiva, quam pauci habent perfecte.

Aqua non exsistente in fonte, improprium erit nomen, id est, non amplius dicitur proprie fons, dum aquam non habet; *et quod inde consequens est, notum est habentibus intellectum.* Inde enim mox sequitur, quod simili ratione dicitur cœnobita improprie aut monachus obedientiarius, in quo non sunt argumenta seu signa et opera jam præfata. Sequitur quoque inde, quod improprie monachus appellatur, in quo non est aqua lacrimarum
p. 30 C. piarum : quia ut dictum est supra, monachus est mœrens et lugens anima indesinenti mortis memoria.

Adolescentula non custodiens torum, id est, fidem conjugalem marito suo non servans, *inquinat corpus suum; anima vero non custodiens professionem et pactum compositionis* factæ cum Deo, ut ceteris cunctis renuntians, ei soli pure inhæreat, *inquinat spiritum,* id est se ipsam quantum ad vires suas superiores. *Et illam,* videlicet adolescentulam adulteram, *sequuntur vituperium, odium, flagella, et separationes, quod miserabilius omnibus est,* quoniam non obstante quod matrimonium sit insolubile vinculum, tamen propter adulterium separantur conjugati ab invicem. *Istam vero,* scilicet animam violantem suam professionem, *sequuntur inquinationes* sequentes, quæ sunt : *oblivio mortis, insatiabilitas ventris, apotheca,* id est conservatio, *inutilium cogitationum, depositum tumultuantium retentationum,* id est tenax repositio ac abundantia

A perturbantium argumentationum discursuumque vanorum, *additamentum consensuum illicitorum,* quibus dæmonibus consentitur, *captivitas,* id est districtio, *cordis,* seu subjectio ejus sub jugo diaboli, et constrictio per vincula vitiorum, juxta quod scriptum est, Iniquitates suæ capient impium, *operatio conturbationis,* Prov. v, 22. *contradictio, infrenabilitas, inobedientia, infidelitas certificationi eorum,* hoc est violatio fidelitatis cum assertione factæ inter animam talem et Sponsum cœle-
B stem. Anima enim cum solenni promissione protestata est Deo se totam ei in holocaustum per monasticam conversationem offerre : quod non implet fideliter. *Privatum multiloquium, propassio,* hoc est vitiose ad aliquid ligari per affectionem, *confidentia sui ipsius et propria reputatio omnium crudelior,* id est præfatis vitiis sævior; *et quod omnibus miserabilius est, habere cor sine compunctione et contritione, ad quod sequitur salubris doloris privatio, præsertim in non atten-*
C *dentibus,* id est, in his qui non considerant ea quæ salutarem dolorem, compunctionem, devotionem custodiamque incutiunt cordi, ut sunt : pericula quibus sumus expositi et laquei nobis extensi, et quoniam ignoramus an simus amore digni an odio et quid finaliter fiet de nobis, quatuor quoque novissima, passio Christi, quotidiana peccata, Dei beneficia ac promissa, bonitas et excellentia Creatoris. *Doloris* Eccle. ix, 1. *hujus carentia est mater spirituum,* id est indignationum seu elationum, *et rui-*
D *narum ac casuum.*

Contra quiescentes quinque, contra subjectos tres ex octo concertant. Sensus hujus verbi mihi esse videtur, quod quinque ex octo principalibus vitiis impugnant solitarios, tria vero seu tres excessus aut tres spiritus ceterorum trium principalium vitiorum impugnant eos qui sub obedientia vivunt; quod totum per appropriationem quamdam intelligi certum est, quum constet tam solitarios quam subjectos frequenter tentari de unoquoque vitio princi-

pali. Porro quinque vitia quibus specialius et appropriatius solitarii impugnantur, esse videntur, superbia, vana gloria, acedia, avaritia, gula. Tria autem quibus specialiter impugnantur subjecti in congregatione viventes, sunt, ira, invidia, luxuria : habent enim majorem occasionem ad ista ex his quæ sibi occurrunt quotidie. Quandoque tamen aliorum præsentia magis incitat ad gloriam vanam quam solitaria vita : quæ nihilo minus ratione eminentiæ suæ ad inanem provocat gloriam. Qualiter etiam avaritia quædam tentet et vincat solitarios, in secundo Collationum habetur. *Cf.* t. XXVII, p. 361 C' et s.

Quiescens et contra acediam pugnans, multoties damnum incurrit, quia deberet altioribus actibus occupari. Propter quod subditur : *tempus enim orationis et contemplationis,* id est, quo orationibus contemplationibusque vacaret, *consumet in studiis et præliis contra acediam.*

Quum aliquando in cella negligenter residerem, et hanc fere relinquere cogitarem, viri quidam supervenientes cœperunt me sufficienter beatificare ut quiescentem, id est tanquam solitarium et contemplativum; *et protinus cogitatio negligentiæ recessit depulsa a gloria vana. Et admiratus sum quomodo hic tribulus dæmon,* id est molestissima vana gloria seu spiritus ejus, *adversatur cunctis spiritibus,* id est cunctis animabus devotis, vel omnibus « spiritibus » malis, puta dæmonibus, in quantum homo amore vanæ laudis et gloriæ vitat peccata ad quæ alii dæmones incitant, et aliqua ex genere bona facit, imo et quasi fervens agilisque efficitur.

Intuere singulis horis subreptiones et præreptiones, inflictiones et vicissitudinum alterationes conjugis tuæ. Per conjugem intelligitur caro, quæ socialiter atque inseparabiliter durante hac vita conjuncta est animæ, quemadmodum uxor marito : imo ad hoc caro conjuncta est animæ, ut pariter per opera bona fructificent. Hujus carnis « subreptiones » sunt motus primi qui ex aliqua imaginatione procedunt, et dicuntur motus secundo primi. « Præreptiones » vero carnis sunt motus primo primi, utpote penitus naturales et ex sola naturali causa exorti : qui in se ipsis non exstant culpabiles; sed nisi adhibeatur diligentia, culpa se miscet. Porro « inflictiones » sunt graves et intensæ impulsiones carnalium motuum ad peccandum quibus quis immoratur. « Alterationes » vero « vicissitudinum » sunt motus passionum contrarii inter se, quibus quis una hora tristatur, alia jucundatur; una hora appetit alimenta, quæ alia hora detestatur; nunc lassatus cupit dormire, nunc somno recreatus appetit vigilare. Intuenda ergo sunt omnia ista, *quomodo et ubi* conjux seu caro tua *inclinatur et assensum possidet,* hoc est, qualiter appetit hoc aut illud, et qualiter invalescit contra spiritum, ut omnis illicita motio ejus vitetur, et motus ejus pure naturalis infra limites suos arctetur, ne excedendo fiat culpabilis.

Solus qui per Spiritum Sanctum obtinet tranquillitatem, id est reformationem internam et pectoris pacem, *non ignorat hoc Dei verbum,* id est, talis perfecte dumtaxat et per experientiam in se ipso habitam intelligit verba ista. *Qui enim non possidet libertatem a sollicitudine,* hoc est, qui non est liber et expurgatus a sollicitudine sæculari atque carnali, *quomodo potest gerere curam orationis et cordialis accessionis?* quasi dicat : Non potest, quoniam sollicitudo illa pœnalis, inordinata, distractiva et anxia impedit hominem a sollicitudine spirituali intendendi sinceriter, devote et quiete orationi, et item ab accessu cordiali ad Deum.

Operatio quietis est privatio sollicitudinis, id est, actio pertinens ad vitam quiescentem et solitariam excludit sollicitudinem sæcularem carnalem : de qua Salomon, Spes (inquit) sollicitorum peribit. *Quæ* operatio quietis *est præposita omnibus rebus atque negotiis, rationabilibus et irrationabilibus.* Hæc namque operatio est potissime contemplatio divinorum, quam solitarius et quiescens præponit et præfert universis creatis. Unde et Sapiens ait : Præ- *Prov.* XI, 7. *Sap.* VII, 8.

posui illam regnis et sedibus, etc. *Qui enim prioribus aperit,* id est, qui temporalibus et carnalibus per sollicitudinem reserat ostium cordis sui, *omnino corruet in secundis,* id est, deficiet a spirituali cura orationis et internæ accessionis ad
Ps. xxxiii, 6. Deum : de qua fertur, Accedite ad eum, et
Hebr. iv, 16. illuminamini; et, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Insuper tangit qualis debeat esse oratio ista. *Oratio sit non pigra, devota, et sine intermissione. Et tertium est operatio cordis imprædabilis,* hoc est, tertius actus ad solitarium quiescentemque pertinens, est occupatio mentis in Deo per ardentissimæ caritatis amplexum, tam fortis et fixa ut nulla tentatione possit auferri.

Impossibile est eum qui non didicit litteras, naturaliter in libris meditari, id est legendo cogitare et intelligere ea quæ scripta sunt. Idcirco Judæi dixerunt de
Joann. vii, 15. Christo : Quomodo hic scit litteras, quum non didicerit? *Impossibile vero est eos qui primum non possederunt,* utpote libertatem et expurgationem a sollicitudine illa mundana, *duo secundum rationem exsequi,* hoc est alios duos actus ad solitarium pertinentes sapientialiter exercere : qui actus sunt oratio pura et contemplatio fixa.

Exsequens medium, id est, orationi et contemplationi insistens : quæ oratio seu contemplatio est medium per quod mens in via hujus exsilii Deo conjungitur. Hoc itaque « medium exsequens », *in mediis factus sum,* id est ad angelicum chorum raptus per mentis excessum : qui chorus est medium inter Deum et viatores. *Et illuminavit me sitientem,* hoc est, Deus illustravit me ardentissime cupientem desuper illustrari. *Et ecce iterum eram in illis,* id est, angelis sanctis eram intentus. *Quid quidem erat in eo ante visibilem formam, docere non poterat.* Locus iste est maxime intricatus, et plura verba subintelligere hic oportet, ut sit sensus : Eram in » mediis « illis » (sicut expositum est): et factus in spiritu, interrogavi angelum me specialiter dirigentem; « quid erat in eo », id est, quid aut qualiter Verbum increatum æternum fuit subsistens, « ante visibilem formam », hoc est ante naturæ humanæ assumptionem; et hoc angelus dicere mihi non potuit : non quia nescivit, sed quoniam Verbum Dei Patris non permisit. Ideo subditur : *neque enim sinebat Princeps.*

Interrogabam vero et obsecrabam mihi dici ab angelo *quomodo nunc exsistat,* id est, qualiter Verbum nunc incarnatum subsistit. *In propriis quidem, dixit, sed non in istis :* hoc est, angelus respondit mihi ad istud, quod Verbum incarnatum subsistit « in propriis » : quod sic intelligi potest, quod subsistit in vera Divinitatis natura, atque in esse hypostatico seu personali increato, estque in sinu (hoc est in corde) Patris, et sedet in throno gloriæ ejus; « sed non in istis » : id est, Verbum incarnatum super omnium angelicorum ordinum hierarchias, mansiones et altitudines exaltatum est, regnat ac residet, ideo non est in istis secundis, nec est de numero purarum creaturarum. Joann. i, 18.

Ego vero interrogavi : *Quæ est dextera, statio et cathedra in causa?* Per causam intelligitur Verbum æternum, per quod facta sunt omnia : quod in Evangelio ait, Ego principium; atque in Apocalypsi, Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus. Interrogavit ergo quid sit in Christo « dextera », et « statio », et « cathedra ». *Ait : Impossibile est aure ista doceri,* hoc est, de his plene edoceri non potes ad aurem et quamdiu solo auditu exteriori aut interiori de istis instrueris. Ibid. viii, 25. [illegible] 13.

[illegible] id est, audita hac responsione, magis accensus sum desiderio cognoscendi quod interrogabam [illegible] *illud,* hoc est, fac ut vitam hanc corporalem nunc finiam, quatenus a corpore dissolutus perducar ad horam in qua clare per speciem contempler Verbum Dei in semetipso et sicuti est. [illegible] hoc

est, angelus a me interrogatus mihi respondit, *nondum venisse horam illam propter defectum ignis incorruptibilitatis,* hoc est, nondum esse impletum tempus meum ut pertingam ad tantam contemplationem, eo quod « ignis incorruptibilitatis », utpote Spiritus Sanctus (de quo in Deuterono-
Deut. IV, 24. mio scriptum est : Deus noster ignis consumens est), seu fervor divini amoris, nondum sit in me ad hoc ut nunc finiam cursum meum, quoniam nondum decrevit hoc, vel quia ego necdum satis purus et sanctus sum ad suscipiendum illam tam præclaram ac beatificam visionem. *Ista vero sive cum pulvere non novi, sive sine eo dicere non audeo :* hoc est, ego ipse aut ista ignoro, quum sum in corporali carne subsistens; aut in carne ista consistens, non habeo ista exponere.

Interea circa hæc introducta possent plura nunc dici, utpote de Verbo Dei, quid et qualiter erat ante incarnationem, et qualiter sit incarnatione peracta, quid item sit dextera et statio ac cathedra in hoc Verbo æternaliter genito, prolato ac subsistenti : quæ alibi plenius dici habent. Modicum tamen tangendo, constat quod Verbum æternum sit Patri consubstantiale et prorsus invariabile, intellectualiterque productum a Patre se in se plenissime intelligente, et se intra se exprimente. Hoc Verbum assumpsit humanam naturam invariabiliter perseverans, suppositando ipsam humanitatem in suo esse personali increato æterno. Dextera hujus Verbi, est æqualitas sua ad Patrem; statio ejus, est sempiterna ipsius permansio in corde Patris, a quo inegressibiliter et immanenter emanat, profertur ac gignitur. Cathedra quoque Verbi hujus, est judiciaria sua potestas ac summa auctoritas secundum quod Deus est; porro in quantum homo, habet potestatem judiciariam ministerialem et exsecutivam, et solium ejus est in supremo cœli empyrei.

Itaque his sublimibus breviter tactis, auctor ad moralia et humana revertitur.

Durum (id est laboriosum) *est meridianum somnum excutere et repellere, præsertim in æstivis temporibus. Tunc enim solum et æque non est abjiciendum opus manuum cum oratione,* hoc est, quidquid tunc intermittatur, tamen opus manuale simul cum oratione est tunc præcipue exercendum, ut per hoc somnus ille vincatur, qui solo spirituali exercitio non posset jam congrue superari, nisi per gratiam valde intensam præcipuumque fervorem.

Novi acediæ dæmonem præfabricantem et facientem viam dæmoni fornicationis, ut dæmon acediæ *fortiter resolvens ac somno immergens corpus, operetur quasi manifeste inquinationes in quiescentibus,* id est, ipsos dormientes somniis turpibus illudat et fragilitate commaculet. *Si fortiter restiteris eis,* contra hanc carnalem repausationem et illusionem bellando oratione, sobrietate, vigilia ac labore, *pugnabunt contra te potenter,* hoc est, valide te tentabunt, quia succumbere superbissimi ac immundissimi erubescunt, *ut faciant te cessare ab agonibus,* id est virtuosis exercitiis, pugnis atque laboribus tuis, *tanquam nihil proficientem.*

Nihil tam evidenter manifestare valet victoriam dæmonum, hoc est dejectionem eorum qua superantur a nobis, *sicut crudelis et dura pugna,* id est tentatio, *ab eis contra nos facta,* quando prævalemus in ea : quo enim gravius nos impugnant, tanto apertior est eorum dejectio dum succumbunt.

In progressibus congregata custodi, hoc est, in omni spirituali profectu et quocumque progrederis sive exstiteris, cave ne per vanam gloriam, hypocrisim, præsumptionem, jactantiam, aut alio modo, dispergas et amittas spirituales divitias quas diu ac laboriose congregasti. *Nam aves quæ erant reclusæ evolant porta aperta.* Quasi dicat : Simili modo pereunt et mercede privantur bona opera quæ incaute inaniterque panduntur. *Et tunc de cetero nihil profectus inveniemus de tranquilla quiete,* hoc est de vita nostra solitaria quiescente præterita.

Modicus et parvulus pilus oculum turbat, dum cadit in oculum, *et parva sollicitudo* carnalis *quietem mentis exterminat,* id est, aliqualiter lædit et paulatim aufert, nisi abjiciatur.

Quies est depositio intelligentiarum et sensuum, et abnegatio curarum bene rationabilium. Hoc intelligendum est de quiete interna seu solitaria vita secundum suum præmium, ut sit sensus, quod « quies », id est exercitatio contemplativa transformans et absorbens mentem in Deum, excludit operationes intellectus ac sensuum circa creata : quia in tali contemplatione mystica et sublimi mens supergreditur et relinquit se ipsam creataque omnia; deserit quoque curas bene rationabiles, quia nequaquam sollicitatur de necessariis vitæ præsentis. Ideo subditur : *Qui quietem veraciter,* id est perfecte, *apprehendit,* utpote in solo Deo pure quiescens, *neque de sua carne curabit. Verax est enim qui evangelizavit et promisit,* utpote Christus, qui in Evangelio ait : Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis; itemque : Scit Pater vester quia his omnibus indigetis. Matth. VI, 33. Ibid. 32.

Qui mentem mundam vult Deo exhibere, et curis ac sollicitudinibus vitæ se tradit, similis est ei qui pedes suos fortiter ligat et velociter currere tentat. Quemadmodum enim ligatio pedum impedit cursum, sic sollicitudo cordis munditiam.

Rari quidem sunt qui disciplinati didicerint mundanam, id est humanam, *philosophiam ad summum; ego autem rariores esse dico eos qui vere sciant philosophiam quietis secundum Deum,* hoc est, qui per gustum et experientiam noscant quietem internam, perfectam ac deiformem, qua mens solitarii integre et pure et supernaturaliter conquiescit et obdormit in Deo.

Qui nondum novit Deum per fidem formatam ac sapientiæ donum, *erit improbus ad quietem,* id est ineptus ad hanc tranquillissimam vitam, *et multa pericula tentationum sustinebit* antequam ad eam pertingat.

Quies inexpertos et indoctos suffocat. Certum est quod quies ista sit saluberrima atque salvificans; sed dicitur inexpertos et indoctos suffocare, quoniam usurpatio seu aggressio qua tales se ingerunt ad vitam hanc quiescentem, opprimit eos, ita quod a propria infirmitate, inexperientia et insipientia suffocantur, quia ignorant qualiter contra invisibiles hostes ac propriam carnem pugnandum sit, nec unctio Dei docet eos de omnibus. *Exsistentes enim sine gustu dulcedinis Dei, consumunt tempus in captivitatibus,* id est distractionibus cordis, quibus retrahuntur a Deo et a dæmonibus detinentur, *et furtis,* hoc est privationibus quibus occulte spoliantur donis gratiæ sibi concessis : dæmones enim faciliter ac multipliciter fallunt atque seducunt eos; *et anxietatibus,* id est pœnis ac tædiis, servili et inordinato timore, *et acediis.* Homo enim piger est ad opera in quibus non delectatur. Quum igitur non gustent dulcedinem Dei, neque in ejus cultu ac honorificentia delectentur, acediis opprimuntur. *Et recurvationibus,* id est reflexionibus ad se ipsos : non enim feruntur in Deum pure atque directe, nec in ipso radicitus figuntur, sed undique evagantur, et oblique (imo et in circuitu) ambulant. I Joann. II, 27. Ps. XI, 9.

Qui orationis pulchritudinem tetigit, id est, ad puram et perfectam orationem devenit, et eam expertus est in qua mens orantis ita intenta est Deo ut neque se ipsam neque aliquid aliud creatum advertat, *fugiet turbas et* [illegible], quia præsentia hominum impeditiva est talis orationis. *Quis enim dimisit hominem liberum* [illegible] *tio ista?* id est, desiderium sic orandi, potissime abstrahit hominem a præsentia hominum aliorum.

Qui [illegible], id est, undique impugnatur ab eis, [illegible] *dit,* hoc est, vigilanter considerat qualiter vitiis istis resistat, et qualiter exercitetur ab eis. [illegible]

dixit tale aliquid et docuit : Georgium A *dico Arsilaitem, quem et tu, honorande Pater* cui hæc scribo, *non ignoras. Iste Georgius aliquando ordinans et ad quietem adducens rudem animam,* id est, hominem inexercitatum et simplicem instruens qualiter in vita eremitica ac solitaria se habere deberet, *ait : Notavi in matutinis diluculo peregrinari quasi communiter dæmones vanæ gloriæ et concupiscentiæ :* hoc est, observavi quod solitarii potissime invadantur et oppugnentur de mane a dæmonibus vanæ gloriæ et car- B nalis concupiscentiæ; *in meridie vero dæmones acediæ et iræ atque tristitiæ; in vesperis autem* notavi *amatores stercorum et tyrannos miseri ventris,* id est dæmones gulæ et carnalitatis, qui instar tyranni tunc tentant crudeliter : quod dictum est juxta morem eorum qui refectionem totius diei differebant usque ad vesperam.

Melior est pauper subjectus super occupatum quiescentem, hoc est, humilis Frater sub obedientia vivens, virtuosior est solitario exterioribus rebus aut curis C intento. — *Qui ratione quietem exsequitur,* id est, solitariam vitam exercere se æstimat sapienter, *et non conspicit lucrum ejus quotidie,* hoc est, profectum ejus omni die non experitur; *aut non rite quievit,* id est, non veraciter conversatus est juxta exigentiam contemplativæ ac solitariæ vitæ, *aut ab elatione patitur furtum,* hoc est, propria elatione occulte decipitur, et per hoc quotidiano profectu privatur.

Quies est incessabilis latria Dei et ad- D *sistentia.* Latria proprie dicitur virtus quæ Deo cultum cærimoniamque impendit; nunc autem accipitur pro ipso cultu et honorificentia Creatoris. « Quies » igitur, hoc est vita solitaria et quieta, « est incessabilis » cultus « Dei, et adsistentia » mentis coram eo, quæ se in Dei conspectu constituit ac præsentat, habens se pure et reverenter, imo et irreprehensibiliter, coram majestate tam infinita.

Jesu memoria tuo flatui uniatur, id est, tam incessabiliter recole Christum et ejus mysteria atque virtutes, quam indesinenter respiras, *et tunc cognosces quietis utilitatem,* hoc est, solitariæ vitæ fructum experieris, mirabiliter proficiendo quotidie.

Propria voluntas est lapsus obedienti, quoniam propriam voluntatem sequendo ab obedientia cadit; *recessus vero et desistentia ab oratione est lapsus quiescenti,* intelligendo per orationem etiam meditationem et contemplationem.

Si gaudes de adventu Fratrum ad cellam tuam, agnosce te ipsum soli acediæ et non Deo vacare. Hoc intelligendum est, quando cellita lætatur de adventu aliorum ad se in quantum visitatio illa est sibi repausatio seu recreatio quædam aut absque rationabili causa fit.

Exemplar perseverantiæ in oratione sit tibi vidua illa ab adversario læsa, quæ Luc. XVIII, 2-5. scilicet judicem importune et incessabiliter interpellabat, prout in evangelica parabola plenius continetur.

Typus vero, id est forma et figura, *quietis sit tibi magnus et æqualis angelo Arsenius,* qui quam singulariter solitudinem et quietem secutus sit, in Vitaspatrum continetur. Denique quod Arsenius sit nunc in cœlis æqualis angelis, imo ad sublimem aliquem angelorum ordinem elevatus, exstat certissimum; sed in hac vita adhuc subsistens, non erat absolute æqualis, sed multum similis angelo. *Memento conversationis hujus angeli quiescentis in solitaria mansione; et vide quomodo plerumque quosdam ad se venientes remiserit,* eos ad colloquium suum non admittendo, *ne quod majus erat amitteret,* hoc est, ne exercitia suæ altissimæ contemplationis, devotissimæ orationis, ac ipsius psalmodiæ, ardentissimæ quoque dilectionis, interrumpere cogeretur. *Noverat quod dæmones frequentius persuadent irrationabilibus discursibus gyrovagorum,* id est ipsis gyrovagis irrationabiliter circumcurrentibus, *accedere ad quiescentes secundum rationem,* hoc est ad solitarios fru-

ctuosos, *quatenus vel ad modicum possint* A *impedimentum præbere operatoribus,* utpote solitariis illis veraciter operariis. *Et tu, ut iste* Arsenius, *non devites pie contristare tales similiter vagos et negligentes,* non admittendo eos ad colloquendum. *Forsitan enim ex tristitia cessabunt circuire.*

Vide ne forte gratia prædictæ intentionis, sine causa perturbes molestesque animam venientem ad te haurire ex siti, hoc est audire verba vitæ a te ex desiderio sui profectus, ut rivos doctrinæ accipiat ex B fonte sapientiæ tibi concessæ. *In omni vero re lucerna tibi opus est,* id est, discretione, imo et directione Spiritus Sancti, in omnibus indiges, ut penses quos recipere et quos remittere debeas.

Vita quiescentium, magis vero monachorum exsistentium, fiat secundum conscientiam et sensum, hoc est, solitarii et præsertim monachi in congregatione viventes, conversationem suam in omnibus dirigant juxta dictamen conscientiæ, ac sensum cordis internum seu intimum gu- C stum virtutum.

Qui ratione currit, id est, discrete festinat ad patriam, *adinveniens studia,* hoc est conatus, *cogitationes, locutiones, gressus et motus,* id est profectus et opera, *secundum Deum,* id est, secundum quod Deo placet, *et propter Deum,* omnia scilicet ordinando ad ejus honorem et gloriam, *exercet universa hæc in sensu animæ et in conspectu Altissimi :* omnia enim agit cum ingenti reverentia et gustu interno. *Si vero patitur furtum,* hoc est, si a dæ- D monibus aut propriis motibus vanitatis decipitur, et suo profectu clam spoliatur, *nondum secundum virtutem conversatur,* quoniam necdum perfectus est in exercitio virtuoso.

Ps. xlviii, 5. *Quidam ait,* puta Psalmista : *Aperiam in psalterio propositionem* [illegible] *consilium meum, propter* [illegible] *discretionis.* Consilium namque est inquisitio de agendis, et ita in consilio est « adhuc » defectus « discretionis », seu in

perfectum judicium de faciendis : ad quod insinuandum ita locutus est ipse Psalmographus. *Ego vero aperiam voluntatem meam per orationem :* id est, antequam dicam quid velim, Dominum invocabo ut dirigat me in volendo, ne mea voluntas a voluntate divina discordet. Quod intelligendum est de iis in quibus sumus incerti quid magis placitum sit Deo. *Et inde certificationem recipiam,* hoc est, orando certificabor per inspirationem internam quid placeat Omnipotenti.

Fides est ala orationis, quoniam levat ac dirigit eam ante Deum. *Si enim fidem non habuero, oratio mea in sinu meo iterum convertetur,* id est, ad Deum ascendere non valebit, sed deprimetur ac inefficax erit. Ps. xxxiv, 13.

Fides est statio, id est collocatio, fundatio seu stabilitio, *animæ non hæsitans et secura, a nulla contrarietate turbata et fracta.* Istud intelligendum est de fide secundum statum suum perfectum, prout caritate formata est, et rationibus credendorum ornata, atque purificatæ mentis intelligentia stabilita. Dicitur quoque fides « statio animæ », quia est prima virtus per quam homo collocatur in Ecclesia Dei.

Fidelis est, non qui credit Deum cuncta posse, id est, non qui hoc solummodo credit, *sed qui credit se omnium participem esse,* hoc est, qui credit quod per caritatem fieri possit ut exsistat particeps meritorum omnium in caritate exsistentium. Talis quippe credit quod tota Ecclesia sit unum mysticum corpus caritate connexum, in quo omnia bona fiunt per caritatem communia : quod directe cadit sub fide ; sed Deum esse omnipotentem, ratione probatur.

Fides est insperatorum conciliatrix, id est procuratrix bonorum quæ quis vix speravit se posse impetrare antequam habuit tantam fidem. Unde Salvator : Omnia (inquit) possibilia sunt credenti. *Quod et* [illegible], qui in cruce consecutus est gratiam aliquando insperatam. Marc. ix, 22. [illegible]

[illegible] « Gratia » gra

tum faciens dicitur pullulare et ramificare in virtutes et dona, et ita « est mater fidei » quantum ad actum fidei. « Gratia » quoque spiritualis « est mater fidei », id est certitudo ipsius fidei : quæ certitudo (Galat. v. 22, 23.) vocatur ab Apostolo fructus spiritus. *Fatigatio et cor rectum.* Hæc duo dicuntur fidei mater, quia disponunt ac promerentur fidei certitudinem et perfectionem ipsius. *Et fatigatio facit constantem.* Homo enim se ipsum in virtutibus assidue usque ad corporis fatigationem exercitando, acquirit assuefactionem virtuosam, quæ efficit eum valde « constantem » et promptum. *Rectum vero cor est auctor ejusdem,* videlicet fatigationis, sive constantiæ. Justitia namque movet et incitat ad fortem atque assiduam exercitationem in bono.

Fides est mater quiescentium, id est origo quietæ vitæ eorum, quia ex fide arripuerunt solitariam vitam. Ideo sequitur : *Nisi enim crediderit, quomodo quiescet ?*

Vinctus in carcere, formidat a timore punientis, hoc est, districtionem et pœnam judicis seu tortoris veretur; *timor autem Dei parturivit quiescentem in cella,* quia induxit eum ad vitam hujusmodi, sicque peperit eum in illa vita. *Prior,* videlicet vinctus in carcere, *non sic tormenta timet judicii sæcularis sicut secundus,* puta solitarius, timet *judicium Judicis summi. — O admirabilis,* id est, o admirande solitarie et cellita, *magnus timor Dei necessarius tibi est in quiete,* hoc est in vita abstracta, *quia nihil ita persequi acediam potest* ut timor.

Qui damnatus est, utpote reus incarceratus, *intuetur semper quando judex ad carcerem veniet; qui autem vere operarius est, intuetur quando veniat Christus educens eum de custodia corporis hujus,* (Philipp. i. 23.) ita quod cupit dissolvi et esse cum Judice. *Pondus tristitiæ colligatum est primo,* puta incarcerato; *fons autem lacrimarum adest secundo,* utpote quiescenti in cella.

Si possidens tenueris patientiæ virgam, A hoc est, si omnem tribulationem, quæ instar virgæ corrigit culpam patientiamque exercet, æquanimiter, patienter firmiterque pertuleris, *canes protinus derelinquent tibi commisceri,* hoc est, impudentissimi dæmones fugient a te.

Patientia est implagabilis dolor, hoc est virtus sine mentis læsione tolerans omnem adversitatem et læsionem inflictam, *et invincibilis labor animæ,* hoc est omnem laborem insuperabiliter sustinens, *ab irrationabilibusque tumultibus* B *non commotus,* imo in omni tumultu hujuscemodi tranquillitatem conservans.

Patientia est præceptum tribulationis quotidie exspectatum atque susceptum, hoc est virtus qua impletur præceptum quod datum est de tribulationibus patienter ferendis : per quam virtutem est homo semper exspectans adversa, ut pie sustineat ea.

Patiens est operator sine turbatione et lapsu, peccati scilicet mortalis, *per casus et turbationes victoriam faciens,* hoc est, aliorum ruinas et inquietudines et turbu- C lentias laudabiliter ferens, atque per hoc virtuosam impatientiæ victoriam obtinens semetipsumque superans.

Patientia est excisio occasionum : quia per eam ita se habet homo, quod non quærit ullas occasiones turbationum, nec facta aliorum sic interpretatur aut recipit quasi ad suam turbationem sive injuriam facta sint. *Est quoque propria accessio :* quia per veram patientiam homo non solum hortatur alios ad sustinenda adversa, sed ipsemet etiam se offert ad ea.

D *Nemo sic indiget cibo sicut operarius patientia,* hoc est, homo virtuosus magis est patientia indigens, quam corporali cibo esuriens : *quia de defectu prioris coronam accipiet,* id est, homo qui æquanimiter tolerat corporei cibi defectum, æternam gloriam promeretur; *sed de defectu secundæ interitum reportabit,* hoc est, qui patientiam non habuerit, pro ejus carentia damnationem incurret.

Vir patiens ante sepulcrum mortuus est, hoc est, ante mortem corporalem spiritua-

liter atque vitaliter mortuus est sibimet- A ipsi ac propriæ voluntati, ita quod instar defuncti adversa non sentit, *de cella sua sibi faciens sepulcrum,* quia in cella quasi in tumulo se recludit ac mundo abscondit.

Spes et luctus pariunt patientiam. Qui enim futuram beatitudinem adipisci confidit, et propria mala deflet ac quanta pro eis tormenta promeruit ponderat, ad patientiam in omni adversitate se ipsum accingit seu præparat. *Qui autem est absque duobus his,* puta sine spe et luctu, *est servus acediæ.* Spes enim præmii provocat B ad operandum idonee, et qui peccata sua deplorat, ad opera pœnitentialia inflammatur.

Luctatorem, id est militem, *Christi oportet cognoscere quos inimicos a longe persequatur,* ita ut si ab ipso diffugerint, nihilo minus insequatur eosdem, quemadmodum
Ps. xvii, 38. in Psalmo scriptum est : Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; *quos vero sinat contra se luctari,* ita ut eorum impugnationes dissimulet, non insistendo conside- C rationi eorum quæ suggerunt, sed inde avertat se, et ad salutaria se convertat.
p. 410 D et s. De ista materia dictum est supra, quemadmodum vitia aliqua melius superantur resistendo eis directe, et insistendo considerationi eorum; alia vero per hoc quod materia eorum vitatur, et consideratio ab eis avertitur : et dictum est quæ sint ista aut illa.

Quandoque lucta, id est impugnatio, *coronam adduxit,* quando videlicet vincitur ipsa tentatio; *quandoque vero devitatio* D *improbos fecit :* hoc est, aliqui cadunt et pereunt ex eo quod certamen tentationum devitant, vel quia exercitari a superiore seu Fratribus renuunt : per quod in suis passionibus perseverant, nec discunt se ipsos mortificare ac frangere. *Non est possibile talia verba dicere vel doceri,* hoc est, non potest de his generalis regula dari, quæ omnes indifferenter concernat, seu ad omnes æqualiter spectet : quia homines diversimode exstant dispositi, et quod uni salubre est, alteri nocet. Ideo subditur : *non enim omnes eisdem dispositionibus aut habitibus qualificati sumus, neque similiter.*

Unum spirituum malignorum observa vigilantius, quoniam incessanter repugnat homini bono, videlicet *in statione, et transmutatione,* hoc est quacumque variatione de una dispositione in aliam, *et sessione, et motu, et oratione, et reclinatione, et somno.* Per spiritum istum intelligi potest dæmon vanæ gloriæ, ut patet ex dictis. p. 303 B'.
Sed quæri potest qualiter repugnet in somno. Et respondendum, quod dupliciter : primo, per illusiones phantasticas, quæ et post evigilationem interdum vix cessant; secundo, inducendo ad immoderatam somni subtractionem.

Eorum qui in via quietis resident, id est, solitariam et contemplativam vitam exercent, *alii implent semper in se ipsis quod in Psalmo scriptum est, Providebam* Ps. xv, 8.
Dominum in conspectu meo semper : id est, jugiter Dei præsentiam contemplantur ac ponderant. *Non enim universi panes spiritualis et cœlestis alimenti sunt uniformes in operatione.* Panes isti sunt diversa dona Spiritus Sancti, quæ mentem reficiunt, et in diversis diversimode operantur. In uno quoque magis abundat hoc donum, in alio illud : et juxta hoc, sunt diversa exercitia solitariorum et aliorum religiosorum. Idcirco subjungitur : *Alii* implent peculiariter quod scriptum est : *In patientia vestra possidebitis animas* [illegible]
vestras. Alii implent istud : *Vigilate et* Matth. xxvi, 41.
orate. Alii semper intendunt illud : *Para* Prov. xxiv
foris opus tuum, hoc est, ad mortem [illegible]
dispone te per opera bona. *Alii* pensant illud Apostoli ad Romanos dicentis : *Non* Rom. viii,
sunt condignæ passiones hujus temporis [illegible]
ad futuram gloriam. Alii istud Psalmistæ mente revolvunt : [illegible] ad patriam. [illegible] Non utique penitus sine labore sed ideo dicuntur accipere præmium absque labore, quia cum minori labore

salvatur quam alii : ille videlicet qui contemplationi divinæ præsentiæ, imo et Dei præceptis, assidue vacat. Contemplationi namque grandis suavitas est annexa.

Qui proficit, operatur non solum vigilans, sed etiam dormiens : unde quidam in ipsis somnis per dæmones ad se accedentes afficiuntur ignominiis, id est turpibus illusionibus aut molestis somniis, *et de castitate admonent* in somno *feminas incontinentes :* quod angeli sancti facere solent. Itaque, quia proficiens intense occupatus est exercitiis virtuosis, frequenter habet fortes occupationes in somno, et sæpe inquietatur in somno atque illuditur a spiritu malo.

Provenientes ad te non exspectes, hoc est, non sis corde suspensus aut præstolans aliquorum adventum ad te, quia hoc non parum impedit mentis quietem, *neque ante te præpares* ad illorum adventum. *Consistentia enim quietis,* id est solitaria quies, *est tota simplex,* id est directe fixa et simplificata in Deo, et est sine plica duplicitatis et simulationis, *ac sine vinculo* inordinatæ affectionis ad aliquid.

Luc. xiv, 28-30. *Nemo volens turrim aut cellam quietis ædificare,* id est obtinere ac possidere virtutum perfectionem, quæ per turrim quidem significatur, et contemplativæ vitæ dulcedinem, quæ significatur per cellam quietis, *conetur ad hoc,* assumendo monasticam aut eremiticam vitam, *nisi sedens prius per orationem,* id est, orando quiescens, *computet et palpet an habeat proprietates necessarias ad consummationem* talis ædificationis, hoc est, an aptus sit ad hujuscemodi vitam; *nequando post fundamenti positionem,* id est post acceptam professionem aut inchoationem, *fiat inimicis suis* dæmonibus *in derisum, et aliis operariis impedimentum,* eos gravando aut scandalizando per suam ruinam.

Intende et vide peregrinantem suavitatem, hoc est delectationem exercitiis tuis bonis interdum et interpolatim annexam, *ne forte dolose admixta sit ab amaris medicis, magis vero insidiatoribus,* puta dæ-

A monibus, qui interdum hoc faciunt ut ad vanam gloriam, præsumptionem elationemque trahant, vel ut homo suavitate allectus, indiscrete immoretur actui bono.

De nocte plurimum temporis da orationi, minus vero psalmodiæ. De die vero iterum parare secundum tuam virtutem, id est, quantum potes in bonis exerce te, atque ad orandum et psallendum dispone te; vel sensus est, ut in die magis instetur psalmodiæ.

Lectio Scripturarum naturam habet il-
B *luminare et coadunare,* hoc est recolligere, *mentem non modice. Verba enim Scripturæ sunt sermones Spiritus Sancti, et regulant exsequentes eos. — Ea quæ leguntur sint activa tibi qui operarius es,* id est, ad bene agendum te excitent, nec tibi sufficiat scire ea; *quoniam operatio horum facit lectionem reliquorum superfluam :* hoc est, is qui opere implet ea quæ in Scripturis legit esse agenda, superfluam et inanem reputat lectionem ceterorum quæ sibi ædificationem non præ-
C stant. — *Quære illuminari a sermonibus veritatis laboribus et doloribus magis, et non libris,* id est, intellectum Scripturarum stude acquirere potius per pios labores virtuososque actus et per contritiones atque compunctiones salubres, quam per lectiones librorum, quanquam et lectio juvet.

Ne sequaris venenativa mentis verba ante spiritualem virtutem, id est, antequam spiritualis effectus es per virtutum exercitationem, non præsumas de virtuti-
D bus prædicare per verba inania, quæ magis sunt infectiva propriæ mentis, quam sint audientium ædificativa; sed sequere eum qui cœpit facere et docere. *Quum* Act. i, 1.
enim sint verba tenebrarum, impotentes obscurant, hoc est, quum verba hujusmodi ex præsumptione, jactantia et gloria vana procedant, magis excæcant infirmos qui proferunt ea, imo et sæpe scandalizant pusillos qui audiunt et reprehensibilem loquentis vitam cognoscunt.

Una phiala plerumque significavit gu-

stum vini, id est, potatio modici vini ex A uno scypho permodico, facit sæpe cognoscere saporem totius vini quod est in vase magno aut penu; *et unus sermo quiescentis,* utpote veraciter solitarii et quieti, *manifestavit sæpe gustare* (id est intelligere cum gustu interno) *valentibus, omnem consistentiam et operationem ejus intrinsecam,* id est totam ipsius perfectionem.

Irrecurvabilem oculum animæ possidebis, id est, omnino habere debes inavertibilem atque rectissimam mentis considera- B tionem, *contra elationem,* ne ei consentias, *quia non est quidpiam magis exterminans et occidens eamdem elationem in furtis,* hoc est, quæ accidit homini in occultis subreptionibus et suggestionibus diabolicis, per quas privatur quis spiritualibus suis divitiis : nil, inquam, magis exterminat elationem, quam inavertibilis consideratio mentis præfata, qua homo considerat ea quæ ad humilitatem inflammant.

Parce linguæ in processibus, hoc est, in spiritualibus profectibus cohibe linguam C tuam a vana ostentatione. *Novit enim celeriter multas fatigationes disperdere,* hoc est, lingua scit per verba inania cito ac facile evacuare multa opera bona et laboriosa a sua mercede.

Exerce consistentiam, vel ut aliqui habent, *obsistentiam tuam,* id est, vitam tuam prosequere, et hostibus tuæ salutis summo conamine resiste, *sine curiositate : curiositas enim inquinat quietem sicut aliquid aliud inquinare non potest,* hoc est, plus quam aliud aliquod vitium D valeat maculare eamdem. Ideo ait S. Gregorius : Grave curiositatis est vitium, quod dum homini vitam proximi sui discutiendam proponit, propriam vitam ei abscondit.

Advenientibus appone necessaria, corpori dico et spiritui, hoc est, non tantum exhibe eis refectionem corporalem, sed etiam spiritualem, instruendo, hortando, aut si opus fuerit, corripiendo. *Si autem sapientiores nobis exsistunt, ostendamus eis amorem sapientiæ per silentium,* id est, tacendo pandamus quod sumus sapientiæ amatores, cupientes potius informari ab eis, quam eos instruere præsumentes. *Si autem fratres sunt,* id est nobis æquales, et non Patres famosi ac eminentes, *secundum eamdem institutionem,* utpote humilitatis et discretionis observantiam, *temperate portam aperiamus,* hoc est, cum moderamine reseremus os ad loquendum. *Sed utilius est putare quod omnes excedant nos in vita et sapientia,* nisi forte oppositum evidenter appareat.

Qui arenam portavit in pallio et tota nocte vigilavit, detinuit me volentem penitus prohibere exsistentibus adhuc parvulis in congregationibus opus corporis : hoc est, senior ille qui ut somnum vinceret « portavit » de nocte « arenam in pallio », me repressit ne « in congregationibus » prohiberem « parvulis » ætate aut virtute « opus » corporale, quoniam exemplo senioris illius constat quod corporalis exercitatio aliquando prosit. Denique, quum S. Pacomius adhuc juvenis habitaret cum B. Palæmone abbate, et nocturnis horis inciperet somno gravari, eduxit eum Palæmon et fecit arenam portare, ut assuesceret vigilare.

Quemadmodum rationi dogmatis sacræ et increatæ et adorandæ Trinitatis opponuntur quæ sunt de dispensatione incarnationis unius personæ ejusdem semper laudandæ Trinitatis : quoniam ea quæ sunt ibi pluralia, in isto sunt singularia; et quæ ibi sunt singularia, in his sunt pluralia. Verba hæc intricata caute admodum sunt exponenda. Porro in superessentiali et superincomprehensibili et supergloriosissima Trinitate sunt tria supposita, quamvis nomen personæ atque hypostasis magis proprie habeat ibi locum quam nomen suppositi. In tribus vero suppositis illis est una numero essentia. In Verbo autem incarnato est una persona et trinitas quædam essentiarum : quia in eo sunt, deitas, anima, caro, et tres istæ essentiæ concurrunt ibi in unam personam. Ex iis

patet aliqualiter textus, ut sit sensus : Ea A « quæ sunt de dispensatione incarnationis unius personæ semper laudandæ Trinitatis », id est catholica documenta pertinentia ad incarnationem Filii Dei, qui Filius est una in summa Trinitate persona, « opponuntur rationi dogmatis sanctæ et increatæ et adorandæ Trinitatis », hoc est, in modo loquendi se habent modo opposito ad rationem et proprietatem documenti quod datur de superdignissima Trinitate : « quoniam ea quæ ibi », scilicet in Trinitate, « sunt pluralia », utpote supposita B quæ ibi sunt tria, « in isto sunt singularia », hoc est, in Verbo incarnato est unum dumtaxat suppositum ; « et quæ ibi sunt singularia », id est divina essentia et quidquid absolute dicitur in divinis (quæ sunt quod est in Trinitate quid singulare seu unum numero, eo modo quo nomina ista locum in divinis possunt sortiri), « in his » quæ conveniunt Verbo incarnato, « sunt pluralia », quia in Christo sunt tres essentiæ modo prætactæ. *Ita et alia studia sunt convenientia quieti, et alia obedien-* C *tiæ,* hoc est, alii actus pertinent ad solitarios, et alii ad cœnobitas sub obedientia stantes : quod quidem ex dictis, atque in p 450 Bets. secundo Collationum volumine, edocetur. *Cf.*l.XXVII, Solitarius namque tanto purius et inces- p.345 Acts. sabilius atque ferventius debet Deo vacare, uniri, immergi, quanto plus ab hominibus separatur ; obedientiarius autem nihil præfert iis quæ sibi injunguntur a præsidente.

Divinus Apostolus Romanis scribens *ait: Quis cognovit sensum Domini ? Ego au-* Rom.xi.34. *tem dico : Quis cognovit mentem hominis corpore atque spiritu quiescentis,* utpote perfecte tranquillati et reformati ac recollecti et fixi in Deo ? quasi dicat : Nemo nisi ipsemet ita quiescens, quum et idem testetur Apostolus scribens ad Corinthios, Ea quæ sunt hominis, seu quid agatur in I Cor.ii,11. homine, nemo scit nisi spiritus hominis.

Fortitudo regi, divitiæ et multitudo, hoc est, regem decent potestas, opulentia et multitudo servorum ; *imperium quiescenti, multitudo orationis,* id est, solitario contemplativo competit dominium super corpus et sensualitatem, multitudo quoque orationis, imo ut oret assidue.

GRADUS XXVIII

DE SANCTA ET BEATA MATRE VIRTUTUM ORATIONE, ET DE INTELLECTUALI ATQUE SENSIBILI ADSISTENTIA QUÆ EST IN EA.

ORATIO secundum qualitatem suam est conjunctio et unio hominis cum Deo. Porro oratio secundum operationem est consistentia mundi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lacrimarum mater et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, medius murus tribulationum, præliorum contritio, opus angelorum, alimentum omnium incorporeorum, futura jucunditas, infinita operatio, fons virtutum, conciliatrix charismatum divinorum, invisibilis profectus, deliciæ animæ virtuosæ, illuminatio mentis, securis desperationis, demonstratio spei, tristitiæ solutio, divitiæ monachorum, thesaurus quiescentium, furoris diminutio, speculum profectus, declaratio mensurarum, bonæ conscientiæ manifestatio, revelatio

futurorum, clementiæ signatio. Oratio est ei qui orat, curia sententiæ et condemnationis, auditorium judicii, et tribunal Domini ante futurum tribunal.

Surgentes audiamus hanc sanctam reginam virtutum clamantem ac dicentem ad nos voce exili : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris, et peccatis vestris sanitatem : jugum enim meum suave est, et sanativum culparum vestrarum.

Matth. XI. 28-30.

Quicumque accedimus coram stare et colloqui regi et Deo nostro, non faciamus iter impræparati, nequando a longe intuens nos non habentes arma et stolam regiæ adsistentiæ, injungat suis ministris et servis tradi nos ligatos exsilio alicubi longe a facie ejus, et obsecrationes nostras econtra diruptas denuo projici in faciem nostram. — Tunica animæ sit tibi accedenti adsistere coram Deo tota contexta filo, imo potius exterminio ultionis et memoriæ injuriæ : alioqui ex oratione nihil proficies. Tota orationis textura sit tibi sine varietate, quoniam publicanus et impudicus uno verbo reconciliaverunt sibi Deum.

Adsistentia orantium una est, multam vero varietatem et differentiam possidet : quoniam quidam interpellant Dominum ut amicum et regem, offerentes ei hymnum et supplicationes causa opitulationis aliorum, et non sui ipsorum ; alii sunt inquirentes a Deo divitias et gloriam ampliorem et confidentiam ; alii petunt perfecte liberari ab adversario suo in finem ; aliqui vero deprecantur accipere aliquam dignitatem ; quidam petunt perfectam solutionem debiti sollicitudinis ; alii petunt liberationem a carcere ; alii petunt solutionem accusationum et culpationum.

Præ omnibus subordinemus et ponamus in charta obsecrationis nostræ sinceram gratiarum actionem, in secundo autem versu, confessionem et contritionem animæ in sensu ; ita deinde notificabimus petitionem nostram Regi universorum. Prædictus autem modus orationis perfectus est, secundum quod cuidam Fratrum manifestatum fuit ab angelo.

Si fuisti aliquando ante visibilem judicem condemnatorem tanquam obnoxius pœnis, non indiges typo in adsistentia tuæ orationis. Si vero non adstitisti, neque vidisti alicubi exactos pœnis, disce facere talem orationem coram Christo medico animarum, saltem ex supplicatione infirmantium fusa ad medicos quum ab eis exurendi sunt vel incidendi.

Noli in oratione tua esse multum prudens verbis, quoniam verba puerorum balbutientia et simplicia et sine varietate prolata placaverunt plerumque Patrem eorum qui in cœlis est. — Ne coneris multum loqui in oratione tua, ut mens tua non dissipetur a sua devotione ad quæsitionem verborum. Unum verbum publicani Deum ad misericordiam flexit et propitium fecit, et unum verbum fidele salvavit latronem. Multiloquium in oratione plerumque pereffudit phantasticavitque mentem ; soliloquium vero habet naturam congregare mentem. — Delectatione tactus vel compunctus in verbo orationis, permane in ipso : tunc enim custos noster angelus sanctus adest nobiscum orans.

Noli confidere vel fiduciam habere in temetipso, etiam si munditiam possides, sed magis accede ad multam humilitatem, et fiducialius ages : nam et si ascendisti omnem scalam virtutum, adhuc tamen pro remissione peccatorum exora. Audi Paulum de peccatoribus clamantem : Quorum primus ego sum. *I Tim.* I, 15.

Sal quidem et oleum naturaliter habent condire pisciculos ; lacrimæ autem et castitas faciunt orationem esse pennatam. — Si omnem mititatem et inirascibilitatem comparaveris, non in multis laborem pones liberare mentem tuam a captivitate. — Quamdiu non possidemus orationem activam et efficacem, similes sumus his qui in principio exercitant pueros ad ambulandum. — Stude meditationem tuam sursum ferre. Magis vero conare mentem recludere in verbis orationis ; et quamvis attonita propter puerile cadat, iterum eam sursum erige : quoniam proprium mentis instabile, sed possibile est universa corda stabilire in Deo.

Si agonem possideas indesinenter, peregrinabitur in te qui terminat et circumscribit mare mentis, et in oratione tua dicet ad ipsum : Hucusque venies, et non procedes amplius. — Impossibile est spiritum ligare ; ubi vero est Spiritus creator, omnia sunt subjecta. *Job* XXXVIII, 11.

Si Solem vidisti secundum quod ad rem pertinet, poteris et ei colloqui condecenter ; si vero non, quomodo quem non vidisti, sine mendacio interpellare valebis ? — Principium orationis est soliloquio persequi rationabiliter insultus ex eorum procemiis ; medietas vero est in dictis et intellectis mentem libere esse ; finis vero est raptus mentis ad Dominum.

Altera exsultatio quæ evenit in oratione habitantibus in congregatione, et altera quæ advenit orantibus secundum quietem : illa enim patitur modicum apparentes imaginationes, ista vero tota repletur humilitate. — Si semper studueris mentem tuam non elongare a Deo, prope te erit etiam in mensæ appositione ; si autem sine prohibitione errorem aliquem non spontaneum aut voluntarium, sed fortuitum aut (ut ita dicam) casualem incidis, nunquam tecum permanere valebit.

Etenim ille magnus et maximæ atque perfectissimæ orationis operator Paulus apostolus in hunc modum Corinthiis loquitur, Magis volo dicere quinque verba sensu meo, et cetera quæ sequuntur. A magis autem parvulis hoc tale est alienum. Quare nos tanquam imperfecti obsecramus cum qualitate et multitudine quantitatis : nempe secundum est prioris conciliativum. Ait enim quidam : Da orationem mundam sine pigritia ei qui orat sordide et oppresse. *I Cor.* XIV, 19.

Aliud est sordes orationis, aliud exterminatio, aliud furtum, et aliud querela. Sordes orationis est coram Deo stare et cogitationes atque intentiones inconvenientes imaginari ; exterminatio orationis est curis inutilibus occupari ; furtum spirituale est intentionem et mentem insensibiliter recurvare ubi non decet ; querela est qualiscumque insultus nobis orantibus appropinquans.

Si eo tempore quo oramus, solitarie non manemus, intrinsecus reformemus supplicationis nostræ figuram. Si vero ministri laudum non sunt præsentes, etiam in ore extrinseco formemus orationem : mens enim plerumque corpori configuratur in

imperfectis. — Omnes, et maxime qui vadunt ad regem accipere debiti remissionem, indigent inenarrabili contritione.

Si adhuc in carcere sumus, audiamus dicentem Petro : Præcinge linteum obe- *Act.* XII, 8.
dientiæ, et proprias exue voluntates, et his nudus accede ad Dominum in tua oratione, solam ipsius invocans voluntatem ; et tunc accipies Deum detinentem gubernacula animæ tuæ et gubernantem te sine periculo.

Resurgens ex amore mundi et ex amore concupiscentiæ ac delectationum, projice a te curas, tuæ mentis cogitationes et intentiones exspolia, abnega corpus : nihil enim aliud est oratio nisi mundi visibilis et invisibilis alienatio. Quid enim mihi est *Ps.* LXXII, 25.
in cœlo ? Nihil. Et a te, Domine, quid volui super terram ? Nihil, sed tibi tantummodo sempiterne adhærere in oratione absque occupatione. Alii concupiscunt divitias, alii honorem et gloriam, alii possessionem. Mihi vero adhærere Deo bonum *Ibid.* 28.
est, et desiderabile mihi est ponere in eo spem impassibilitatis meæ. Fides enim fecit orationem habere alas, quia sine ipsa volare non potest.

Nos qui sumus vitiosi et passionabiles, Dominum perseveranter rogemus, quoniam omnes qui a vitiis sunt mundati, ex passibilitate ad impassibilitatem atque munditiam profecerunt. — Quamvis Judex nondum timeatur tanquam Deus, tamen *L. c.* XV[illegible]
propter laborem et molestiam quos ei infert anima viduata ab ipso per peccatum et lapsum, Deus faciet ei ultionem de adversario ejus, videlicet proprio corpore, et de impugnatoribus ejus dæmonibus.

Bonus nostri negotiator rationabiliter et prudenter animas trahit ad suam caritatem per celerem exauditionem petitionis earum. Imprudentes vero animas parat sibi adstare per orationem, instar canum, propter famem et sitim petitionis : quia et canis inutilis pane accepto protinus a dante recedit. — Dum in oratione diu permanseris et moram perseveranter contraxeris, non dicas te nihil direxisse : jam enim direxisti. Quid enim sublimius bonum est quam Deo adhærere et apud eum in unione indesinenter perseverare ?

Qui condemnatus est, non sic timet sententiam suæ pœnæ sicut studiosus exsecutor orationis timet in ejusdem adsistentia. Unde si quis sapiens sit et acutæ intelligentiæ, ex illius memoria potest a se avertere omnem maledictionem, iram, sollicitudinem, evagationem, tribulationem, satietatem, tentationem et cogitationem.

Præanticipa præparare te ipsum per continuam in anima orationem ad adsistentiam tuæ supplicationis, et confestim proficies. — Vidi quosdam in obedientia fulgentes et non negligentes memoriam Dei virtute qua poterant secundum mentem, qui in oratione protinus adsistentes, excedebant mentem et lacrimas effundebant affluenter, quia per sanctam obedientiam parati ante fuerunt.

Captivitates, vanitates et recurvationes prosequuntur psalmodiam quæ fit cum multitudine ; psalmodiam autem quæ fit singulariter, non sic, sed acedia : fervor autem et promptitudo cooperantur ei. — Prælium quidem demonstrat amorem militantis ad regem ; caritatem vero monachi ad Deum ostendit tempus orationis et præsens adsistentia coram Deo.

Oratio tua manifestabit tibi consistentiam tuam. Theologi quoque docuerunt, orationem esse speculum monachi. — Quodcumque negotium quis exsequitur, et hora orationis apprehendente vacat ab oratione et studet in eo, a dæmonibus talis illuditur : intentio namque latronibus est horam ex nobis deprædari.

Obsecratus orare pro anima, ne devites hoc facere, etiam si non possides orationem : quia plerumque fides petentis salvavit etiam orantem cum contritione. — Obsecrans et exauditus pro aliis, ne extollaris : quia illorum fides operata est et prævaluit.

Puer quippe de omni sapientia quam didicit a præceptore suo atque magistro, exquiretur quotidie ab ipso magistro ; mens vero omnem virtutem quam ex Deo accepit in omni oratione, juste repetetur. Quocirca attendendum est.

Quum vigilanter oraveris, celerius in iras impugnaberis : iste enim conatus est et intentio inimicorum nostrorum. — Omnem virtutem, et maxime orationem, faciamus semper in multo sensu. Tunc anima nostra orat in sensu, quum melior superiorque efficitur furore et ira. — Dona gratiæ quæ acquiruntur per multas supplicationes et labores et per tempora diuturna, sunt firma et permansiva.

Qui Dominum possidet in oratione, non narrabit ultra fabulam sibi ipsi, nec
Rom. VIII, 26. subinducet intentionem meditationis suæ : Spiritus enim tunc interpellat pro eo gemitibus inenarrabilibus. — Ne suscipias in oratione sensibilem phantasiam, ut non excessum sustineas amentiamque incurras, et phantasticus factus cadas a recta regula fidei. — In oratione manifestatur certificatio et consummatio omnis petitionis. Certificatio est liberatio ab hæsitatione ; certificatio est certa et incommutabilis commutatio incerti.

Stude esse valde misericors, tu qui es studiosus et curam gerens orationis : quia
Matth. XIX, 29. in ipsa monachi accipient centuplum ; quod vero est inde, est in eo quod est exinde.

Ignis suscitavit in anima orationem ab ea peregrinantem ; eadem vero suscitata ad orationem et in cœlum assumpta, factus est descensus ignis in cœnaculum animæ. — Dicunt quidam orationem esse utiliorem memoria mortis ; ego vero unius personæ duas laudo substantias.

Equus probatus habet naturam calescere et ad motum addere secundum progressum. Cursum intelligo hymnologiam, equum autem mentem virilem. Hic talis
Job XXXIX, 25. homo a longe odoratur bellum, et de cetero præparatus, manet penitus invictus.

Crudele est aquam rapere ex ore sitientis ; crudelius vero est quod anima cum compunctione orans, privet et retrahat semetipsam ab adsistentia multum concupiscibili et desideranda, ante terminationem et finem ejusdem compunctionis. Ne resilias quousque videris ignem et aquam dispensative recedere et cessare : forte enim non accipies tale tempus ad remissionem culparum tuarum in omni vita tua. — Qui gustavit orationem, inquinavit sæpe intellectum ex uno verbo veniente in mentem, et stans in oratione, non invenit desideratum et concupitum.

Aliud est in corde frequentius visitari, et aliud est visitare cor per mentem principantem et principem pontificem rationabiles hostias Christo offerentem. Ut

ait unus eorum qui acceperunt nomen theologiæ, sanctus et supercœlestis ignis peregrinans inflammat illos propter defectibile purgationis; istos vero rursus illuminat propter mensuram perfectionis. Nimirum quoniam idem nominatur ignis consumens et lux illuminans. Unde et quidam exeuntes ab oratione, exeunt quasi a camino ignis, sentientes in se alleviationem sordis et fæcis; alii vero exeunt tanquam illuminati a lumine copiosissimo, et induti diploide humilitatis et exsultationis. Qui autem egrediuntur ab oratione præter istas duas operationes, orant non spiritualiter, sed corporaliter, ut non dicam quod orent Judaice. — Si corpus corpori copulatum alienatur ab operatione, quomodo non alienabitur qui manibus innocentibus ingerit se corpori Dei? *Deut. IV, 24; Joan. I, 9.*

Juxta similitudinem regis terreni contingit videre nostrum Regem semper bonum et superbonum. Nam rex terrenus elargitur dona sua suis militibus quandoque per se ipsum immediate, quandoque per amicum sibi familiarem, quandoque per servum, interdum vero incognite : hæc autem, secundum tunicam humilitatis præexsistentis in nobis. — Quemadmodum abominabilis est regi terreno qui ei adsistit, et vultum proprium a rege avertit et inimicis ejus colloquitur; ita abominabilis est Deo qui ei in oratione adsistit et immundas cogitationes suscipit.

Advenientem canem armatura persequere, et quoties congreditur ne cedas ei. Pete adjutorium Dei per luctum, quære per obedientiam, pulsa januam pietatis divinæ per longanimitatem. Ita enim petens, accipit; et quærens sic, invenit; et pulsanti taliter, aperietur. — Custodi te ne forte in oratione tua ores indifferenter pro femina, ne forte a dextris deprædationem sustineas. — Ne velis corporales actiones in oratione particulariter confiteri, ut non fias spontanee tibi ipsi insidiator. — Tempus orationis tuæ non fiat tibi hora provisionum visitationumque necessariarum atque spiritualium negotiorum : si quominus, sustinebis furtum melioris et utilioris. *Matth. VII, 7.*

Qui incessanter tenet orationis baculum, non offendet : quod si contigerit, non tamen cadet in finem. Oratio enim est pia tyrannis Dei. — Argumentemur et consideremus utilitatem orationis ex dæmoniacis impedimentis quæ accidunt Fratribus in tempore collectarum sive Horarum. Fructum vero ejusdem orationis pensemus ex inimici victoria. In hoc enim cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me in tempore prælii. — Psalmista ait, Clamavi in toto corde meo, hoc est in oratione, anima et spiritu. Ubi enim sunt duo ultimi congregati, ibi est Deus in medio eorum. *Ps. XL, 12. Ps. CXVIII, 145. Matth. XVIII, 20.*

Omnia omnium non sunt similia, neque quæ secundum corpus sunt, neque quæ secundum spiritum. Nempe quibusdam quoque in psalmodia convenit abbreviatum et velox, quibusdam autem rarum et tardum : illi quidem dicunt se pugnare contra captivationem; isti vero dicunt se pugnare contra indisciplinabilitatem.

Si indesinenter interpellaveris ad Regem contra inimicos tuos, quando veniunt contra te confide in Domino : non laborabis, quoniam ipsi a se ipsis discedent velociter a te. Immundi etenim dæmones non volunt te singulis horis coronam accipere

ex certamine per orationem : nam et aufugient ab istis quasi castigati et flagellati ab igne orationis.

Omnem posside fortitudinem, et Deum habebis magistrum orationis tuæ. Nam videre, non est per verbum addiscere : naturæ enim inest et cohæret. Neque est orationis pulchritudinem addiscere per doctrinam alterius : ipsa enim a se ipsa
Ps. XCIII, 10. Deum habet magistrum, qui docet hominem scientiam, et dat orationem oranti, insuper et benedicit annos justorum. Amen.

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI OCTAVI.

O*RATIO secundum qualitatem suam* A essentialem *est conjunctio et unio hominis cum Deo.* Est enim ascensus mentis in Deum ; et oratio ipsa exterior, est nuntius seu interpres interioris orationis seu intimæ appetitionis, qua mens Deo conjungitur, quum circa ipsum directe versetur hic actus.

Porro oratio secundum operationem, id est secundum effectum quem habet, *est consistentia mundi :* quia orationibus meritisque sanctorum mundus subsistit, in quo omni momento tot crimina perpetrantur B ; *ornatus collectio :* quia orando impetramus a Deo interiorem cordis decorem ; *reconciliatio Dei; lacrimarum mater et iterum filia :* orando quippe impetramus a Deo gratiam lacrimarum, et iterum lacrimando provocamur ad orationem ; *propitiatio peccatorum ; pons tentationum :* quoniam per orationem tanquam per pontem transimus secure ad Deum in medio tot tentationum ; *medius murus tribulationum :* quia per orationem tanquam per interpositum murum resistimus tribulationibus C, ne penetrent et prosternant interiora animæ nostræ, videlicet rationem et rationalem voluntatem, sed potius ut per patientiam prævaleamus eisdem ; *præliorum contritio :* quia virtute orationis vincimus bella quibus a carne et mundo atque dæmonibus impugnamur ; *opus angelorum :* quia et angeli sancti orant pro nobis ; *alimentum omnium incorporeorum,* hoc est spirituum devotorum, quos spiritualiter reficit ; *futura jucunditas :* quia futuræ jucunditatis prægustatio est, et perducit ad illam plenarie obtinendam ; *infinita operatio :* quia usque ad finem vitæ est exercenda ; *fons virtutum :* quia earum incrementum ac perfectionem meretur, oratio quoque peccatoris aliquo modo disponit ad infusionem virtutum ; *conciliatrix,* hoc est procuratrix, *charismatum divinorum ; invisibilis profectus :* quoniam interiorem auget profectum ; *deliciæ,* hoc est spiritualis delectatio, *animæ virtuosæ,* quam reficit dulci quadam atque ineffabili affectione in Deo ; *illuminatio mentis ; securis,* hoc est excisio, *desperationis ; demonstratio spei :* oratio namque ostendit se habere spem exauditionis a Domino ; *tristitiæ solutio :* quia orando meremur consolationem divinam, quæ repellit inordinatam tristitiam ; *divitiæ monachorum ; thesaurus quiescentium,* hoc est solitariorum ; *furoris diminutio ; speculum profectus :* nam quanto quis devotius atque instantius orat, tanto plus profecisse videtur ; *declaratio mensurarum :* quia ex qualitate orationis innotescit ad quantam perfectionis mensuram orans ex-

creverit; *bonæ conscientiæ manifestatio :* quia si oratio fuerit talis qualem eam esse oportet, utpote pura, fiducialis, assidua, patet per eam quod orans conscientiam habeat bonam atque sinceram; *revelatio futurorum :* viri enim perfecti in orationibus suis frequenter percipiunt futurorum revelationem ac secretorum; *clementiæ signatio :* est enim probabile signum impetrandi misericordiam Dei, qui ait :
Matth. vii, 8. Omnis qui petit, accipit.

Oratio est ei qui orat, curia sententiæ et condemnationis. Orans enim in sua oratione se ipsum sæpe accusat atque dijudicat, ut accusationem et condemnationem coram Deo evadat : ideo subditur, *auditorium judicii,* quia orando audit conscientiam accusantem, et discutit causam ejus, *et tribunal Domini ante futurum tribunal,* id est justa discussio seu judicatio sui ante futurum judicium.

Surgentes a torpore ad diligentiam, *audiamus hanc sanctam reginam virtutum,* puta orationem, quæ vocatur regina virtutum, in quantum omnes virtutes tuetur, auget ac perficit, *clamantem ac dicentem ad nos voce exili,* hoc est modesta ac hu-
Ibid. xi, 28-30. mili : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris, et peccatis vestris sanitatem : jugum enim meum suave est, et sanativum culparum vestrarum.*

Quicumque accedimus coram stare, hoc est nos ipsos præsentare, *et colloqui regi et Deo nostro, non faciamus iter imparati,* hoc est, accessum istum ad adstandum et orandum coram Altissimo non attentemus sine debita mentis dispositione, purgatione et recollectione, *nequando* rex et Deus noster *a longe intuens nos non habentes arma* spiritualia *et stolam regiæ adsistentiæ,* id est splendidam vestem interioris munditiæ, per quam homo fit dignus adsistere Deo tanquam amicus
Ibid. v, 8. ipsius (Beati enim, inquit Christus, mundo
Prov. xxii, 11. corde; et ut Salomon in Proverbiis ait, Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem), *injungat suis ministris et servis tradi nos ligatos exsilio alicubi longe a facie ejus, et obsecrationes nostras econtra diruptas denuo projici in faciem nostram.*

Tunica animæ sit tibi accedenti adsistere coram Deo tota contexta filo, imo potius exterminio ultionis et memoriæ injuriæ, ita ut nullus affectus ultionis, nulla recordatio injuriæ tibi illatæ inhæreat tibi quantum ad hoc ut velis vindicare eamdem. *Alioqui ex oratione nihil proficies.*

Tota orationis textura, id est tenor seu series, *sit tibi sine varietate,* hoc est absque superflua multiplicatione et exornatione verborum et absque commixtione culparum; *quoniam publicanus,* de quo in Evangelio legitur, *et impudicus,* videlicet David, qui in quantum adulter, exstitit impudicus, *uno* (id est admodum brevi) *verbo reconciliaverunt sibi Deum :* unus, videlicet publicanus, dicendo, Deus, propitius Luc. xviii, 13.
esto mihi peccatori; et alius, videlicet David, Peccavi Domino. Verumtamen non II Reg. xii, 13.
virtute verborum sed contritionis internæ fuit reconciliatio illa facta.

Adsistentia, hoc est dispositio, *orantium una est* in genere : quoniam omnes præsentant se Deo ut indigentes aut aliquid obtinere optantes. *Multam vero varietatem,* id est distinctionem, *et differentiam possidet* in specie. *Quoniam quidam interpellant Dominum ut amicum et regem, offerentes ei hymnum,* hoc est laudem, *et supplicationes causa opitulationis aliorum, et non sui ipsorum.* Isti sunt qui orant pro aliis. [illegible] *Deo divitias et gloriam ampliorem et confidentiam.* Si hoc intelligatur de spirituali opulentia et gloria æternali humilique in Deo fiducia, bona est talis oratio; si vero de terrenis divitiis humanaque gloria et confidentia virium propriarum, fatua exstat oratio talis. *Alii petunt perfecte liberari ab adversario suo in finem,* videlicet ab invisibili aut visibili hoste. *Aliqui vero* [illegible] hoc est præsidentiam sive officium : quod est ambitionis.

Quidam petunt perfectam solutionem debiti sollicitudinis, hoc est debiti ad quod solvendum a creditoribus sollicitantur : sicque rogant Dominum ut eis de necessariis ad solvendum debita providere dignetur. *Alii petunt liberationem a carcere,* sive a carcere exterioris captivitatis, sive a carcere propriæ carnis, dicen-
Ps. CXLI, 8. tes illud Psalmistæ : Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. *Alii petunt solutionem accusationum et culpationum,* hoc est, ut Deus det eis sapientiam respondendi idonee ad crimina eis objecta aut in extremo divino judicio objicienda.

Præ omnibus subordinemus et ponamus in charta (hoc est in tenore et forma) *obsecrationis nostræ sinceram gratiarum actionem,* quatenus de præteritis beneficiis regratiando mereamur futura optata suscipere ; *in secundo autem versu,* id est particula orationis, ponamus *confessionem* propriæ culpæ *et contritionem animæ in sensu,* hoc est internum dolorem in recognitione vitiorum nostrorum. *Ita deinde notificabimus,* id est, præsentabimus et acceptam reddemus, *petitionem nostram Regi universorum. Prædictus autem modus orationis perfectus est :* quia in tali oratione Deum de sua pietate et liberalitate laudamus, atque nos ipsos de propria perversitate et ingratitudine accusamus.
Ps. XVII, 4. Ideo scriptum est : Laudans invocabo Dominum. Est ergo hic modus orandi perfectus, *secundum quod cuidam Fratrum manifestatum fuit ab angelo.*

Si fuisti aliquando ante visibilem judicem condemnatorem tanquam obnoxius pœnis, non indiges typo, id est exemplo alterius, *in adsistentia tuæ orationis,* id est ad hoc ut scias qualiter debeas te habere in tuis orationibus coram Deo : hoc enim discere potes ex proprio facto, videlicet ex adsistentia illa formidolosa, verecunda, humili ac supplici, qua coram judice temporali stetisti. Si enim coram homine mortali taliter stabas ex timore transitoriæ pœnæ, quanto magis coram
A summo et infallibili Judice debes formidolosius, verecundius, humilius atque supplicius stare ex consideratione tuarum culparum ac divinæ justitiæ, et præ timore damnationis æternæ? *Si vero non adstitisti* sic coram judice temporali, *neque vidisti alicubi exactos pœnis,* id est reos supplicio deputatos ; *disce facere talem orationem coram Christo medico animarum, saltem ex supplicatione infirmantium fusa ad medicos quum ab eis exurendi sunt vel incidendi.* Tunc enim
B lacrimabiliter postulant sibi parci : sic ergo et tu lacrimose et compunctissimo corde invoca Christum, a quo petis spiritualiter circumcidi, curari et inflammari.

Noli in oratione tua esse multum prudens verbis, quasi ex curiositate magistraliter orans et loquens, *quoniam verba puerorum balbutientia et simplicia et sine varietate prolata placaverunt plerumque Patrem eorum qui in cœlis est.*

Ne coneris multum, id est superflue, *loqui in oratione tua, ut mens tua non*
C *dissipetur a sua devotione ad quæsitionem verborum,* hoc est excogitando verba quamplurima quibus in oratione utaris.
Unum verbum publicani, videlicet, Deus, Luc. XVIII,
propitius esto mihi peccatori, *Deum ad* 13.
misericordiam flexit et propitium fecit virtute contritionis ex qua prolatum est ; *et unum verbum fidele salvavit latronem,*
videlicet verbum istud : Domine, memento Ibid. XXIII,
mei dum veneris in regnum tuum. Hinc 42.
ait Salvator : Orantes nolite multum loqui. Matth. VI,
Multiloquium in oratione plerumque 7.
D *pereffudit phantasticavitque mentem,* hoc est, fecit eam valde distractam, indevotam, et phantasiis vanis repletam ; *soliloquium vero,* id est compendiosa confabulatio cum Deo, *habet naturam congregare mentem,* hoc est recolligere atque in Deo figere eam.

Delectatione tactus vel compunctus in verbo orationis, permane in ipso verbo, orationi hujusmodi insistendo. *Tunc enim custos noster angelus sanctus adest nobiscum orans.* Istud superius plenius ac co- p. 297 D'.
piosius habitum est.

A *Noli confidere vel fiduciam habere in temetipso, etiam si munditiam possides, sed magis accede ad multam humilitatem, et fiducialius ages :* quemadmodum tertio quidem capitulo Ecclesiastici scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus. (Eccli. III, 20.) *Nam et si ascendisti omnem scalam virtutum, adhuc tamen pro remissione peccatorum,* saltem quotidianorum, *exora. Audi Paulum de peccatoribus clamantem : Quorum primus ego sum.* (I Tim. I, 15.) Multo plus quilibet nostrum exemplo tanti Apostoli debet semetipsum reputare primum (hoc est B maximum) peccatorem.

Sal quidem et oleum naturaliter habent condire pisciculos; lacrimæ autem et castitas faciunt orationem esse pennatam, hoc est ferventem et expeditam, ut quam ocissime volet in cœlum Deique aures pulset.

Si omnem, id est perfectam, *mititatem et inirascibilitatem comparaveris,* hoc est, orando, jejunando, et alia his similia bona agendo, obtinueris a Deo, *non in multis laborem pones liberare mentem tuam a* C *captivitate,* hoc est, non necessarium tibi erit laborare in multis ad hoc ut mentem tuam ab evagationibus aversionibusque præserves atque custodias, sed tam mansuetus, mitis humilisque effectus, tanta eris gratia plenus, quod istud faciliter ac sine magno labore, imo jucunde maximaque cum animi corporisque hilaritate implebis.

Quamdiu non possidemus, hoc est, in promptu non habemus, *orationem activam et efficacem,* hoc est bonis operibus D adornatam, meritoriam ac ferventem, *similes sumus his qui in principio exercitant pueros ad ambulandum.* Quemadmodum enim tales parum procedunt, sicut et ipsi infantes quos ducunt, ita nos quoque parum proficimus quamdiu orationem activam et efficacem non habemus ac possidemus.

Stude meditationem tuam sursum ferre, hoc est, summo conamine enitere ut tua meditatio in cœlum ad Dei aures dirigatur. *Magis vero conare mentem recludere in verbis orationis,* ita ut non excedas per pluralitatem verborum in oratione; vel « conare mentem recludere in verbis orationis », id est in sensu verborum, ut non cogites alia quam quæ verba designant. *Et quamvis attonita propter puerile cadat,* id est, quamvis cor tuum timoratum aut admiratione magna percussum, cadat interdum ad evagationes ex humana fragilitate, quæ puerilitati similis exstat, *iterum eam sursum erige : quoniam proprium mentis instabile,* id est, cordi humano naturale ac proprium est esse inconstans in cogitatione et appetitione ac consimilibus, quoniam intellectualitas ejus debilis valde est, eo quod anima rationalis sit ultima in ordine intellectualium creaturarum; *sed possibile est universa corda stabilire in Deo* per gratiam ejus; vel sensus est, quod Deo competit posse omnia stabilire.

Si agonem possideas indesinenter, hoc est, si jugiter efficaciterque laboras contra mentis distractionem et instabilitatem, *peregrinabitur in te qui terminat et circumscribit mare mentis,* hoc est, Deus qui per gratiam suam restringit cordis fluctuationes, visitabit cor tuum gratioso adjutorio suo, *et in oratione tua dicet ad ipsum* mare mentis : *Hucusque venies, et non procedes amplius,* (Job XXXVIII, 11.) id est, non disperges te latius, nec evagaberis magis.

Impossibile est spiritum ligare, id est, impossibile est per naturam spiritum rationalem humanum ab evagatione cogitationum plene reprimere. [illegible] *Spiritus creator, omnia sunt subjecta :* hoc est, ubi Deus Trinitas, qui est supersimplicissimus spiritus, commoratur per gratiam, potentiæ et operationes, cogitationes et affectiones Deo subjectæ sunt quantum est de necessitate præcepti; et quanto Deus gratiosius adest, tanto hæc omnia subjiciuntur perfectius.

Si Solem justitiæ Christum Dominum, [illegible] id est, per fidem formatam et sapientiam salutarem contemplatus es et cognoscis.

poteris et ei colloqui condecenter, id est, A orare et laudare eum cum omni reverentia debes et potes. *Si vero non* vidisti sic eum, *quomodo quem non vidisti, sine mendacio interpellare valebis?* quasi dicat : Non poteris eum vere ac sinceriter exorare.

Principium orationis est soliloquio persequi rationabiliter insultus ex eorum procemiis, hoc est, primus et infimus gradus orationis exordiumque perfectionis est per verba compendiosa sapienter abjicere tumultus et evagationes cogitationum sta- B tim dum oriuntur, eis non immorando; *medietas vero est in dictis et intellectis mentem libere esse,* id est, medius gradus ac profectus orationis est mentem stabiliter inhærere sensui verborum quæ audit, profert, intelligit; *finis vero,* id est perfectio orationis, *est raptus mentis ad Dominum :* quod fit dum mens orantis tam valde infigitur et absorbetur in Deum, quod obliviscitur omnium ceterorum.

Altera exsultatio quæ evenit in oratione habitantibus in congregatione, et altera C *quæ advenit orantibus secundum quietem,* hoc est, quæ datur solitariis taliter exorantibus ut spectat ad vitam omnino abstractam et contemplativam. *Illa enim,* videlicet exsultatio cœnobitarum, *patitur modicum apparentes imaginationes,* hoc est, admixta est aliquantulum evagationi et imaginationi : propter quod non est penitus pura in Deo. *Ista vero,* utpote exsultatio perfectorum solitariorum, *tota repletur humilitate,* id est, tam pura exstat in Deo quod ex intuitu majestatis suæ D immensæ repletur ac perficitur profundissima et quodammodo infinita sui ipsius humiliatione.

Si semper studueris mentem tuam non elongare a Deo, sed quantum possibile est, actualiter esse ei semper unitus, *prope te erit etiam in mensæ appositione,* id est corporali refectione, imo et in omni exteriori occupatione, et fiet tibi consue-
Ps. cxviii, 45. tudinarium, facile ac suavissimum ambulare cum Deo assidue in latitudine cordis tui, ipsumque jugiter intra te laudare, orare, contemplari et amplexari. *Si autem sine prohibitione errorem aliquem non spontaneum aut voluntarium, sed fortuitum aut (ut ita dicam) casualem incidis,* hoc est, si absque condigna renisione, refragatione, reluctatione ac resistentia permiseris cor illud tuum deviare ac deficere a Deo, distrahique per rerum diversitatem, *nunquam tecum permanere valebit,* id est, gratiosam ejus præsentiam ac contemplationem nusquam poteris obtinere, nisi ab illa negligentia resipiscas eamque prorsus postponas.

Etenim ille magnus et maximæ atque perfectissimæ orationis operator Paulus apostolus in hunc modum Corinthiis, epistola prima, capitulo quartodecimo, *loquitur, Magis volo dicere quinque verba sen-* I Cor. xiv, 19.
su meo, et cetera quæ ibi *sequuntur. A magis autem parvulis hoc tale est alienum,* hoc est, ab iis qui sunt apostolo Paulo multum minores et imperfectiores, remotum est implere quod ipse implevit dicendo, Magis volo dicere, etc. *Quare nos tanquam imperfecti obsecramus cum qualitate et multitudine quantitatis,* id est cum qualificatione, affectione sive dispositione nobis proportionata atque possibili, et cum pluribus verbis. *Nempe secundum est prioris conciliativum,* hoc est, orare cum qualitate et multitudine quantitatis secundum sensum nunc introductum, est medium pertingendi ad orationem illam compendiosissimam et perfectam de qua ait Apostolus verba præfata : ab imperfecto namque ascenditur ad perfectum. *Ait enim quidam : Da orationem mundam sine pigritia ei qui orat sordide et oppresse :* hoc est, orationem puram ac fervidam funde pro eo qui orat corde vago, impuro deorsumque inclinato, quatenus Deus det ei gratiam orandi pure ac libere; vel « da » ei « orationem mundam », id est, tuo exemplo excita eum ad orationem puram et affectuosam ac expeditam, ut ab imperfecto ad perfectionem deveniat.

Aliud est sordes, id est macula, *orationis, aliud exterminatio, aliud furtum, et aliud querela. Sordes orationis est coram Deo stare* corporaliter *et cogitationes atque intentiones inconvenientes imaginari.* Hæc est evagatio mentis : quæ maculat orationem, quoniam tempore quo oramus, nil aliud cogitare debemus nisi sensum verborum aut altius aliquid. *Exterminatio orationis est curis inutilibus occupari* hora orationis : quod pejus est quam cogitationibus tantum vagari. *Furtum spirituale est intentionem et mentem insensibiliter recurvare,* id est a Deo et æquitate deflectere, *ubi non decet. Querela est qualiscumque insultus,* id est tentatio irrisiva, *nobis orantibus appropinquans.*

Si eo tempore quo oramus, solitarie non manemus, id est, soli non sumus, sed in aliorum adspectu, *intrinsecus reformemus supplicationis nostræ figuram,* hoc est, in cordibus nostris clam renovemus ea quæ provocativa sunt fervoris et compunctionis in orando, absque notabilibus ac singularibus exterioribus signis ac gestibus. *Si vero ministri laudum,* id est homines a quibus possemus laudari, *non sunt præsentes, etiam in ore extrinseco formemus orationem,* orando vocaliter ac perceptibiliter, etiam cum corporali figuratione provocante ad devotionis fervorem, ut sunt, tunsio pectoris, genuflexio, prostratio, elevatio manuum, extensio brachiorum, adspectus cœlestium corporum atque imaginum. Quæ adminicula præcipue congruunt imperfectis, qui intus non ita abundant plenitudine charismatum ut inde sufficienter excitentur et accendantur. Ideo subditur : [illegible] *corpori,* id est corporali dispositioni ac situi, *configuratur in imperfectis.*

Omnes, et maxime qui vadunt ad regem accipere debiti remissionem, indigent inenarrabili contritione : hoc est, universi qui pergunt ad aliquem ad rogandum eumdem quatenus pie remittat eis quod sibi tenentur, indigent ut vehementer valde humilient se illi quem rogant pro gratiosa remissione; et istud potissime necessarium est accedentibus regem terrenum ad obtinendum ab eo hujusmodi remissionem. Quanto magis nos qui Regem regum, Deum cœli quotidie exoramus ut dimittat nobis debita nostra, indigemus inenarrabili contritione, humiliatione in accedendo et exorando majestatem ipsius? Ideo Moyses ait : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Deut. IV, 29.

Si (pro Quia) *adhuc in carcere sumus,* videlicet in carne hac gravi et corruptibili, *audiamus dicentem Petro,* videlicet Christum, qui verba sequentia dicit non formaliter, sed sententialiter : *Præcinge linteum obedientiæ,* id est, ad obediendum in cunctis exhibe te paratum, *et proprias exue voluntates, et his nudus accede ad Dominum in tua oratione, solam ipsius invocans voluntatem; et tunc accipies Deum detinentem gubernacula animæ tuæ et gubernantem te sine periculo.* Act. XII, 8.

Resurgens per pœnitentiam *ex amore mundi et ex amore concupiscentiæ ac delectationum* carnalium, *projice a te curas* carnales et sæculares; *tuæ mentis cogitationes et intentiones exspolia,* auferendo ab eis quod tuum est, ut sint solum divinæ; *abnega corpus : nihil enim aliud est oratio nisi mundi visibilis et invisibilis alienatio,* id est tanta conversio et attentio mentis in Deum ut obliviscatur visibilium et invisibilium creaturarum. *Quid enim mihi est in cælo? Nihil. Et a te, Domine, quid volui super terram? Nihil,* Ps. LXXII, 25.
[illegible] *in oratione absque occupatione,* id est, istud reputo mihi esse bonum tam principale ut sine eo nihil reputem alia. Et sumitur nunc oratio pro ascensu mentis in Deum : qui ascensus contemplationem laudemque Dei comprehendit. [illegible] zitatis mundialem. [illegible], id est proprium aliquid. [illegible]

in eo spem impassibilitatis meæ, hoc est spem obtinendi per gratiam ejus impassibilitatem seu reformationem passionum plenariam. *Fides enim fecit orationem habere alas, quia sine ipsa volare non potest.* Quod ait, « sine ipsa », potest referri ad fidem, et item ad spem : oratio namque indiget spe, ut penetret cœlos.

Nos qui sumus vitiosi et passionabiles, Dominum perseveranter rogemus, quoniam omnes qui a vitiis sunt mundati, ex passibilitate ad impassibilitatem atque munditiam profecerunt. — Quamvis Judex cœlestis *nondum timeatur tanquam Deus, tamen propter laborem et molestiam quos ei infert anima viduata ab ipso per peccatum et lapsum,* per quæ desiit esse sponsa ipsius, ita quod spiritualiter vidua facta est, *Deus faciet ei ultionem de adversario ejus, videlicet proprio corpore, et de impugnatoribus ejus dæmonibus :* hoc est, si anima talis Deum incessanter oraverit, dabit gratiam ei, per quam de cetero prævalebit tentationibus carnis ac dæmonum. Dicitur autem anima talis Deo laborem molestiamque inferre, non proprie, sed metaphorice tantum.

Luc. XVIII, 2-5.

Bonus nostri negotiator, videlicet Deus, qui nostram salutem pie procurat, imo qui et sanguine suo nos emit, *rationabiliter et prudenter animas trahit ad suam caritatem per celerem exauditionem petitionis earum. Imprudentes vero animas parat,* id est facit, *sibi adstare per orationem, instar canum, propter famem et sitim petitionis :* hoc est, quemadmodum canis stat ante mensam solo desiderio suæ annonæ, sic homines non illuminati, qui invocant Deum solo desiderio proprii commodi, quasi canes stant coram Deo ex fame et siti obtinendi quod postulant; et tantum vix tarde exaudiuntur, *quia et canis inutilis pane accepto protinus a dante recedit :* quod de cane alieno et non serviente ad aliquid præcipue verum est.

Dum in oratione diu permanseris et moram perseveranter contraxeris, non dicas te nihil direxisse, id est profecisse.

A *Jam enim direxisti* cor tuum ad Dominum. *Quid enim sublimius bonum est quam Deo adhærere et apud eum in unione indesinenter perseverare ?*

Qui condemnatus est ad mortem temporalem, *non sic timet sententiam suæ pœnæ sicut studiosus exsecutor orationis timet in ejusdem adsistentia,* id est præsentiali et actuali exsecutione coram Deo. Ex hoc perpendere possumus quales simus, qui tam intimorate oramus. *Unde si quis sapiens sit et acutæ intelligentiæ, ex*

B *illius memoria,* hoc est ex recordatione hujus, quod scilicet cum tanta formidine, sinceritate ac diligentia oporteat exorare, *potest a se avertere omnem maledictionem, iram, sollicitudinem, evagationem, tribulationem, satietatem, tentationem et cogitationem* iniquam sive extraneam.

Præanticipa præparare te ipsum per continuam in anima orationem ad adsistentiam tuæ supplicationis, id est, ante omnia festina te præparare ad adsistendum Deo in orationibus tuis debitis seu

C intentis, orando Deum in corde tuo assidue pro gratia exorandi eum condigne, *et confestim proficies.*

Vidi quosdam in obedientia fulgentes et non negligentes memoriam Dei virtute qua poterant secundum mentem, id est, ad actualem Dei memoriam se jugiter totis viribus extendentes, *qui in oratione protinus adsistentes, excedebant mentem* per raptum *et lacrimas effundebant affluenter, quia per sanctam obedientiam parati ante fuerunt.*

D *Captivitates, vanitates et recurvationes prosequuntur psalmodiam quæ fit cum multitudine,* hoc est, distractiones, illaqueationes et vanæ gloriæ motus ac reflexiones a Deo admiscent se psalmodiæ cordibusque psallentium cum conventu. *Psalmodiam autem quæ fit singulariter, non sic* impugnant hæc vitia, *sed acedia; fervor autem et promptitudo,* id est devotio sive alacritas, *cooperantur ei,* videlicet psalmodiæ, quia conservant et perficiunt eam.

Prælium quidem demonstrat amorem militantis ad regem : quia si pugnat viriliter contra adversarios regis, signum est quod diligit regem suum. *Caritatem vero monachi ad Deum ostendit tempus orationis et præsens adsistentia coram Deo :* si enim tempore orationis habet se timorate, reverenter et pure ac perseveranter in Dei præsentia, signum est quod diligit eum.

Oratio tua manifestabit tibi consistentiam tuam, id est, qualis sis in gradu virtutum : quo enim oratio tua sincerior, stabilior affectuosiorque exstiterit, eo virtuosior esse probaris. *Theologi quoque docuerunt, orationem esse speculum monachi,* quia in ea qualitatem interioris vultus sui inspicere potest, sicut nunc tactum est.

Quodcumque negotium quis exsequitur, et hora orationis apprehendente, id est, tempore divini obsequii jam præsente, *vacat ab oratione,* non exsequendo mox divinum obsequium, *et studet in eo,* hoc est, in exercitio exteriori laborat, aut etiam studio lectionis intentus est, *a dæmonibus talis illuditur : intentio namque latronibus,* puta dæmonibus, *est horam ex nobis deprædari,* hoc est, per inordinatam occupationem in una hora assumptam, privare nos fructu horæ ipsius, aut etiam horæ sequentis, dum in una agimus hora quod est agendum in alia : et ita per indiscretionem succumbimus, nec circumstantias actus virtuosi servamus unumquodque agendo suo loco et tempore.

Obsecratus orare pro anima hominis christiani, *ne devites hoc facere, etiam si non possides orationem,* id est, quamvis non habeas virtutem orandi tam pure ac fervide sicut decet ; *quia plerumque fides petentis salvavit etiam orantem sine contritione,* hoc est, credulitas ejus qui petit humiliter orari pro se, profuit sæpe ad salutem ei quem rogavit ut oraret pro se. — *Obsecrans et exauditus pro aliis, ne extollaris : quia illorum fides operata est et prævaluit,* id est, merito fidei illorum pro quibus orasti, es auditus. Denique, etsi constaret oranti quod proprio merito esset exauditus pro aliis, non tamen merito deberet extolli, sed tanto plus Deo regratiari ac subjici.

Puer quippe de omni sapientia quam didicit a præceptore suo atque magistro, exquiretur quotidie ab ipso magistro, id est, magister exiget a discipulo suo ut gratus sit et sibi adscribat hoc ipsum quod scit. *Mens vero omnem virtutem quam ex Deo accepit in omni oratione, juste repetetur,* id est, Deus juste requiret ab homine gratitudinem et obsequium pro virtutibus quas ei donavit oranti : sicut ait Salvator, Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Dominus quoque positurus est rationem cum his quibus talenta largitus est. *Quocirca attendendum est.* Luc. XII, 48. Matth. XXV, 14 et seq.

Quum vigilanter oraveris, celerius in iras impugnaberis, id est, citius irasceris, vel ad irascendum tentaberis. *Iste enim conatus est et intentio inimicorum nostrorum,* hoc est, dæmones id intendunt et implere nituntur, ut quo ferventius damus nos ad bene agendum, eo acrius nos impugnent. Verumtamen interdum accipimus tantam in oratione exuberantiam gratiæ, quod postmodum sentimus fructum inde mirabilem, tranquillitatem, patientiam, mititatem, alacritatem atque fervorem, ita ut vix moveri possimus ad iram aut similem passionem.

Omnem virtutem, et maxime orationem, faciamus semper in multo sensu, hoc est cum ingenti attentione et interno sapore. *Tunc anima nostra orat in sensu, quum melior superiorque efficitur furore et ira,* id est, quum ad tantam mentis libertatem pertingit, quod passionibus dominatur. — *Dona quidem quæ impetrantur per orationes supplicationesque* [illegible] *diuturna, sunt firma et permansiva.*

Qui Dominum possidet, id est, Deo intentus est, *in oratione* stabiliter, ita quod quasi ad libitum elevatur ac figitur per orationem in Deo, *non* [illegible] *fabulam sibi ipsi,* hoc est, non sedebit ad se ipsum fabulans ore aut intus imagi-

narie recitans fabulosa, ut faciunt quidam phantastici, *nec subinducet intentionem meditationis suæ,* id est, meditationibus suis bonis non admiscebit intentiones no- Rom. VIII, 26. vas, impertinentes ac vanas. *Spiritus enim tunc interpellat pro eo,* hoc est, interpellare eum facit, *gemitibus inenarrabilibus.*

Ne suscipias in oratione sensibilem phantasiam, id est imaginationes phantasticas, *ut non excessum sustineas* irrationabilem, utendo speciebus seu similitudinibus rerum pro ipsis rebus, ut faciunt taliter excedentes, *amentiamque incurras, et phantasticus factus cadas a recta regula fidei,* incidendo errores fidei sanctæ contrarios, sicque et gloria seu præmio fidei destituaris.

In oratione manifestatur certificatio et consummatio omnis petitionis, id est, Deus per orationem perseverantem certificat ipsum orantem de dubiis, et implet quæ petit: talis quippe oratio meretur illuminationem et exauditionem a Domino. *Certificatio est liberatio ab hæsitatione; certificatio est certa et incommutabilis commutatio incerti,* id est ab incertitudine ad certitudinem. Quæ commutatio est ipsa veritatis revelatio, qua mens ab incerto mutatur ad certum. Quæ etiam commutatio « incommutabilis » dicitur, quantum est ex parte ipsius veritatis, sive ex parte revelantis, quamvis ex parte subjecti possit mutari.

Stude esse valde misericors, tu qui es studiosus et curam gerens orationis: quia Matth. XIX, 29. *in ipsa monachi accipient centuplum,* hoc est, per præcordialem et abundantissimam misericordiam monachi obtinebunt a Deo copiosissima dona gratiæ in præsenti, deinde præclarissima dona gloriæ in futuro. Quemadmodum enim quis facit proximo, ita fit sibi a Deo: qui ergo toto corde compassivus atque beneficus est proximis, et opera misericordiæ corporalia aut spiritualia liberalissime eis impendit aut cupit impendere, iste munificentissime visitatur et impletur a Deo. *Quod vero est inde,* id est centuplum istud gratiæ quod per orationem et misericordiam obtinetur, A *est in eo quod est exinde,* id est, consistit etiam in plenitudine gloriæ, quæ obtinetur per centuplum seu copiam gratiæ.

Ignis suscitavit in anima orationem ab ea peregrinantem. Ignis iste est Spiritus Sanctus, qui anima ab oratione cessante, resuscitat eam ad orandum: nam et actuali motione seu excitatione Spiritus Sancti indigemus in omni meritorio actu. Iterum ignis iste est caritas, quæ imperat actum bonum, et suo fervore specialiter movet ad orationem « peregrinantem », id B est, recedentem ab anima nisi per caritatem resuscitetur. *Eadem vero,* videlicet anima, *suscitata ad orationem et in cœlum assumpta* per mentis elevationem, *factus est descensus ignis in cœnaculum animæ,* hoc est, Spiritus generosius descendit in mentem orantis.

Dicunt quidam orationem esse utiliorem memoria mortis; ego vero unius personæ duas laudo substantias, id est, ambas commendo. Verumtamen absolute loquendo, oratio multas excellentias præ mortis C habet memoria, et magis attingit ad Deum, contemplationi quoque vicinior est, et multa impetrat quæ memoria mortis non impetrat: nisi forte in mortis memoria includatur consideratio divini judicii retributionis quoque futuræ.

Equus probatus habet naturam calescere et ad motum addere secundum progressum: progrediendo namque paulatim fit calidior atque velocius currit. *Cursum intelligo hymnologiam, equum autem mentem virilem.* Quasi dicat: Sicut quod dixi D verificatur in equo, sic spiritualiter cor virile quanto plus procedit in via Dei, tanto amplius inflammatur velociusque festinat ad perfectionem et gloriam, et Deum devotius laudat. Abundanti etenim datur, Matth. XIII, 12; XXV, 29. et profectus parit profectum. Porro hymnologia est canticum laudis divinæ. *Hic talis homo a longe odoratur bellum,* id Job XXXIX, 25. est, pugnas tentationum prævidet sapienter; *et de cetero præparatus* ad talia bella, *manet penitus invictus:* imo resistendo fit victoriosior.

Crudele est aquam rapere ex ore sitientis; crudelius vero est quod anima cum compunctione orans, privet et retrahat semetipsam ab adsistentia, id est oratione per quam Deo adsistit, *multum concupiscibili et desideranda, ante terminationem et finem ejusdem compunctionis. Ne resilias* a tali oratione *quousque videris ignem* fervoris *et aquam* plorationis, seu rorem divinæ consolationis, *dispensative,* hoc est ex moderamine Spiritus Sancti, sine negligentia tua, *recedere et cessare* a te : *forte enim non accipies tale tempus ad remissionem culparum tuarum in omni vita tua.* Verumtamen, secundum quod scribit Cassianus, omnino est providendum ut orationem cum fervore et sinceritate terminemus, hoc est saltem cum diligentia et sine torpore.

C. l. XXVII. p. 28 D.

Qui gustavit orationem, id est, dulcedinem ejus expertus est, *inquinavit sæpe intellectum ex uno verbo veniente in mentem,* hoc est ex recordatione, consensu aut delectatione unius verbi aut facti; vel « ex uno verbo » interiori, videlicet ex una cogitatione aut imaginatione seu evagatione; *et stans in oratione, non invenit desideratum et concupitum,* id est, Deum super omnia præoptatum contemplari et invenire non potest more solito. Ideo indigemus summa circumspectione in oratione ad vitandum tale ac tantum dispendium.

Aliud est in corde frequentius visitari, et aliud est visitare cor per mentem principantem et principem pontificem rationabiles hostias Christo offerentem. Hanc diversitatem auctor non prosequitur, neque declarat, nisi forsan obscure. Est ergo dicendum, quod « frequentius visitari in corde », est gratiose præveniri, illuminari, accendi et consolari a Deo; porro « visitare cor per mentem principantem », est se ipsum aut proximum per mentis examinationem, correptionem, informationem, aut similem actionem salubrem, accendere et purgare seu erudire. Dicitur autem mens principans, quum sit supremum in homine : propter quod dominatur ac præcipit ceteris viribus animæ. Quæ etiam mens appellatur princeps pontifex, quum sit principalis vis animæ « rationabiles » spiritualesque « hostias » Deo offerens, utpote orationem ferventem, dulcem devotionem, laudem, honorem et gloriam, et sui ipsius abnegationem Deo gratissimam.

A

Ut ait unus eorum qui acceperunt nomen theologiæ, hoc est, secundum quod unus theologorum ait, *sanctus et supercœlestis ignis peregrinans,* id est, Spiritus Sanctus corda hominum aliquando visitans, interdum relinquens, *inflammat illos propter defectibile purgationis,* hoc est, eos qui frequentius visitantur in corde, accendit, et igne amoris culpam quam habent consumit et aufert, quia adhuc aliquid purgabile ac « defectibile » est in eis. *Istos vero* qui visitant cor, *rursus illuminat propter mensuram perfectionis,* id est, quoniam sua perfectione qua et alios visitant et expurgant et spirituales hostias immolant, promeruerunt sic iterum illustrari a Domino. *Nimirum quoniam idem,* videlicet Spiritus Sanctus, *nominatur ignis consumens,* juxta illud : Deus noster ignis consumens est; *et lux illuminans.*

B

C

Deut. IV, 24.

Joann. I, 9.

Unde et quidam exeuntes ab oratione, exeunt quasi a camino ignis, videlicet validissime inflammati, *sentientes in se alleviationem sordis et fæcis,* id est relevationem et purgationem a culpa et carnalitate; *alii vero exeunt tanquam illuminati a lumine copiosissimo, et induti diploide humilitatis et exsultationis,* hoc est profundissima humiliatione et abundanti lætitia eos spiritualiter vestiente, ornante et operiente instar diploidis. *Qui autem egrediuntur ab oratione* [illegible] *rationes,* ita quod nec inflammati sunt neque illuminati, [illegible] *daice,* id est infideliter, vel cum reproba vita : propter quod nec succendi nec illuminari meruerunt.

D

[illegible], id est, sic alteratur ab alio corpore quod impeditur a pro-

pria operatione, ut patet de igne et aqua, quæ calefit igne, et de magnete et ferro, *quomodo non alienabitur qui manibus innocentibus ingerit se corpori Dei,* hoc est, qui corpus Christi in Sacramento digne conficit, tractat et sumit? quasi dicat: Talis utique vehementissime alienatur a [se] corpore Christi, ita quod concupiscentias carnales et opera sordida abjicit, et spiritualis efficitur, ac Christo per virtutum imitationem aliqualiter conformatur, sursumque trahitur, quemadmodum ferrum a magnete.

Juxta similitudinem regis terreni contingit videre nostrum Regem semper bonum et superbonum, hoc est, considerare possumus quod Rex noster cœlestis ita se habet ad suos ministros, quemadmodum rex terrenus ad suos. *Nam rex terrenus elargitur dona sua suis militibus quandoque per se ipsum immediate, quandoque per amicum sibi familiarem, quandoque per servum, interdum vero incognite,* id est secreto. Sic facit et Deus: nam virtutes et dona Spiritus Sancti per se immediate largitur hominibus, quia creando ea infundit; aliqua vero donat per angelos, quædam per beatissimam Virginem et per sanctos Apostolos ac ceteros cives cœlestes, aliqua quoque dat per homines. *Hæc autem, secundum tunicam humilitatis præexsistentis in nobis:* hoc est, Deus tam diversimode dona sua largitur hominibus, secundum quod videt eos magis aut minus vestitos ac decoratos humilitate, per quam aptantur ad divinorum susceptionem charismatum.

Quemadmodum abominabilis est regi terreno qui ei adsistit, et vultum proprium a rege avertit et inimicis ejus colloquitur ex amicitia et favore ad eos; *ita abominabilis est Deo qui ei in oratione adsistit et immundas cogitationes suscipit,* immorando aut consentiendo eisdem, vel cum proposito eas admittit sive assumit. Attendamus et formidemus jugiter verbum hoc, et emendemus nos fortiter.

Advenientem canem armatura persequere, id est, dæmoni ad tentandum te accedenti per arma virtutum resiste, *et quoties congreditur,* te impugnans, *ne cedas ei. Pete adjutorium Dei per luctum, quære per obedientiam, pulsa januam pietatis divinæ per longanimitatem. Ita enim petens, accipit; et quærens sic, invenit; et pulsanti taliter, aperietur.* Matth. VII, 8.

Custodi te ne forte in oratione tua ores indifferenter, hoc est inconsiderate, *pro femina,* considerando eam ut feminam, vel cum tali proprietate aut actione ipsius quæ faciliter ad concupiscentiam incitat aut indecentem cogitationem adducit, *ne forte a dextris deprædationem sustineas,* id est, ne occasione operis boni cito lædaris. Orandum est ergo pro femina considerando eam ut hominem seu quamdam personam.

Ne velis corporales actiones in oratione particulariter confiteri, hoc est, dum oras Deum pro remissione culparum tuarum, non recites ore nec corde revolvas in particulari et cum circumstantiis singularibus corporalia vitia quæ egisti, *ut non fias spontanee tibi ipsi insidiator.* Quasi dicat: Si egeris illud, ingeres cordi tuo distractiones periculosas imaginationesque fœdas, ex quibus faciliter sequerentur stimuli carnis, nisi cursorie fieret recordatio talis.

Tempus orationis tuæ non fiat tibi hora provisionum visitationumque necessariarum atque spiritualium negotiorum: hoc est, eo tempore quo orare teneris aut debes, vel quando actualiter oras, non admittas cogitationes aut curas de provisionibus pro necessariis vitæ præsentis, neque de visitationibus hominum, imo nec de negotiis exterioribus spiritualibus. Quanto magis vitanda est in oratione cura et cogitatio inutilium et rerum illicitarum? *Si quominus,* id est, si ita non feceris, *sustinebis furtum melioris et utilioris,* hoc est, fructu orationis privaberis, qui fructus præeminet bonis illis præfatis.

Qui incessanter tenet orationis baculum, non offendet, id est, qui orationi quasi baculo semper innititur, non pec-

cabit : quia in quantum hoc facit, non peccat. *Quod si contigerit* eum offendere, *non tamen cadet in finem,* id est, non perseverabit in vitiis, quoniam assiduis precibus suis obtinebit gratiam Creatoris et pœnitebit. *Oratio enim est pia tyrannis Dei,* hoc est, oratio videtur Deum quasi violentare ad exaudiendum et extorquendum ab eo quod petit, si tamen usque ad finem opportune et importune continuetur.

Argumentemur et consideremus utilitatem orationis ex dæmoniacis impedimentis quæ accidunt Fratribus in tempore collectarum sive Horarum. Quum enim dæmones tam incessabiliter studeant corda Fratrum a devotione impedire quando in ecclesia congregantur vel Horas persolvunt, constat quod ineffabilis sit devotarum orationum utilitas. *Fructum vero ejusdem orationis pensemus ex inimici victoria,* id est, ex hoc quod per eam
Ps. xl, 12. prævaleamus diabolo et peccatis. *In hoc enim cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me in tempore prælii.*

Ps. cxviii, 145. *Psalmista ait, Clamavi in toto corde meo, hoc est in oratione, anima et spiritu,* id est, in oratione clamavi, te invocando viribus meis superioribus ac inferioribus, seu intellectivis ac sensitivis, in quantum pars sensitiva et caro rationi obe-
Matth. xviii, 20. diunt et cooperantur. *Ubi enim sunt duo ultimi,* scilicet anima et spiritus, *congregati,* ita quod inferiores et superiores vires invicem concordant in bonis, *ibi est Deus in medio eorum* per gratiam, quæ facit talem concordiam.

Omnia omnium non sunt similia, neque quæ secundum corpus sunt, neque quæ secundum spiritum, id est, homines non habent per omnia eadem sive æqualia dona, corporalia aut spiritualia. Propter
I Cor. vii, 7. quod ait Apostolus : Unusquisque donum suum habet a Deo. Imo tam in donis naturæ quam in gratiæ ac fortunæ magna exstat diversitas, et unus homo alio aptior est ad virtutes ex naturali dispositione, unus quoque aptior est ad hanc virtutem, alter ad illam.

Nempe quibusdam quoque in psalmodia coadvenit abbreviatum et velox, quibusdam autem rarum et tardum : hoc est, aliquos in decantatione psalmorum accidit frequenter seu breviter itemque velociter seu faciliter illuminari, compungi et elevari ad Dominum; aliis autem contingit elevatio, compunctio seu illuminatio ista raro ac tarde. Ex quo patet donorum diversitas in ipsis psallentibus. *Illi quidem,* quibus videlicet contingunt hæc sæpe ac facile, *dicunt se pugnare contra captivationem,* id est evagationem, ne devotionem cito et inopinate contemptam mente abducta faciliter perdant; *isti vero,* quibus hæc raro contingunt, *dicunt se pugnare contra indisciplinabilitatem,* id est indecentiam morum, ne scilicet ex devotionis carentia, id est difficultate pertingendi ad eam, fiant indisciplinati, tædiosi et graves.

Si indesinenter interpellaveris ad Regem, id est, adjutorium Dei invocaveris, *contra inimicos tuos, quando veniunt contra te* ad tentandum te *confide in Domino: non laborabis* ad expellendum eos a te, *quoniam ipsi a se ipsis,* id est proprio motu, *discedent velociter a te. Immundi etenim dæmones non volunt te singulis horis coronam,* id est triumphum, *accipere* et gloriam promereri *ex certamine per orationem,* hoc est ex victoriosa resistentia qua prævaleres aut prævales contra eos « per orationem » et per alia quoque remedia. *Nam et aufugient ab istis,* id est qui taliter contra eos armati sunt, *quasi castigati,* id est correpti, *et flagellati ab igne,* hoc est fervore, *orationis* ipsorum devotorum Dei servorum, quorum ignitæ orationes et amorosæ affectiones vehementer affligunt et incendunt dæmonia.

Omnem posside fortitudinem, id est, perfectam mentis constantiam habe, *et Deum habeto [illegible],* ita quod ipse per suam unctionem te instruet qualiter debeas exorare. *Nam [illegible] non est per [illegible],* hoc est,

quod clare quis videet, non addiscit ab A alio : sicut qui videt parietem esse album. *Naturæ enim inest et cohæret,* id est, vis visiva seu operatio ejus, puta videre, naturaliter competit homini. *Neque est orationis pulchritudinem addiscere per doctrinam alterius,* hoc est, unus homo alium non potest docere puritatem, efficaciam ac perfectionem orationis, nisi et ipse qui informatur experientiam habeat eorum quæ audit. *Ipsa enim* oratio *a se ipsa,* id est ex sua natura, *Deum habet magistrum.* Verumtamen, quamvis B Deus sit principalis atque perfectus magister orationis, attamen vir exercitatus ac virtuosus potest imperfectum dispositive et aliqualiter informare quid sit sincera et pulchra oratio, et qualiter possit ad eam pertingere Deo auxiliante. *Qui docet ho-* Ps. xciii, 10. *minem scientiam, et dat orationem oranti :* nam supplicandi præstat affectum, et adspirando prævenit vota nostra. *Insuper et benedicit annos justorum,* id est, ipsos justos benedicit in annis quibus hic vivunt, infundendo eis dona gratiæ suæ et multiplicando ea in ipsis. *Amen.*

GRADUS XXIX

DE TERRENO CŒLO IMPASSIBILITATIS IMITATIVÆ DEI, ET PERFECTIONIS RESURRECTIONISQUE ANIMÆ ANTE COMMUNEM RESURRECTIONEM.

Ecce nos qui positi sumus in lacu profundissimo ignorantiæ et vitiis tenebrosis et in umbra mortis corporis hujus, incipimus de cetero ex quadam audacia philosophari de cœlo terreno.

Firmamentum quippe habet pulchritudinem stellas ; impassibilitas vero habet ornatum ipsas virtutes. Ego enim apprehendi, nil aliud esse impassibilitatem quam cordiale cœlum mentis cogitans et arbitrans de cetero astutias dæmonum quasi ludos. Proprie ergo est et esse cognoscitur impassibilis, qui carnem incorruptibilem fecit, mentem autem a creatura sursum exaltavit, subjiciens menti omnes sensus, et animam suam exhibens præsentem vultui Dei, superextendit eam ad Deum in sempiternum supra suam virtutem. — Denique quidam dixerunt impassibilitatem esse resurrectionem animæ ante resurrectionem corporis ; alii vero dixerunt impassibilitatem esse perfectam Dei cognitionem secundam ab angelis.

Ista ergo est perfecta perfectio imperfectorum, secundum quod quidam factus gustator ipsius impassibilitatis mihi narravit : quando post relictionem portus cœlestis, mens de cetero est sanctificata et a materiis sursum rapta, tunc contemplatio effert et superextollit ipsam mentem factam ecstaticam plurimum vitæ quæ est in carne, super cœlum. De quo pulchre ait in quodam loco, qui expertus hæc fuit :
Ps. xlvi, 10, juxta LXX. Quoniam Dei fortes terræ vehementer elevati sunt. Talem fuisse cognovimus Ægyptium qui quando cum aliquibus orabat supermultum, manus suas in oratione extentas non relaxabat.

Est impassibilis, et est impassibili impassibilior. Etenim ille fortiter odit mali-

gna; hic autem insatiabiliter et irreplebiliter ditescit virtutibus. — Et castitas dicitur impassibilitas : et convenienter, quoniam prœmium est communis resurrectionis et incorruptibilitatis corruptibilium.

Impassibilitatem ostendit qui dixit : Sensum Christi possideo. Impassibilitatem *I Cor. II, 16.*
ostendit Ægyptius qui dixit se Dominum non timere. Impassibilitatem ostendit qui econtra oravit passiones convertere retro. — Quis ante futuram claritatem quæ erit in regno cœlorum, efficitur dignus impassibilitate sicut Syrus ille? Nam David inter Prophetas famosus dixit ad Dominum : Remitte mihi ut refrigerer. Iste vero cantor *Ps. xxxviii, 14.*
Dei locutus est Deo : Remitte undas gratiæ tuæ.

Impassibilitatem habet anima quæ ita qualificatur virtutibus sicut vitiosi concupiscentiis. Si ista est terminatio gulæ, quod quis se ipsum violentat ad gulam quum non appetit; hæc erit penitus determinatio abstinentiæ, quod quis famelicus atque esuriens contineat se a sumptione cibi usque ad tempus, natura exsistente innocua. Si ista est definitio luxuriæ, etiam super brutis et inanimatis vexari insania; hæc est definitio castitatis, quod sensus et etiam appetitivæ potentiæ afficiantur in omnibus tanquam super inanimatis et insensibilibus. Si iste est avaritiæ terminus, nunquam cessare a studio cumulandi, et satiari non posse terrenis divitiis; iste erit terminus paupertatis, proprio corpori non parcere in penuria necessariorum, sed se ipsum odire, et in necessariis corpori de se penitus non curare. Si iste est impatientiæ terminus, quod quis exsistens in omni requie, tamen impatientia agitetur atque in nulla re patientiam servet; iste erit patientiæ terminus, quod in omni tribulatione quis exsistens, arbitretur et reputet requiem se habere. Si istud est pelagus iræ, nemine irritante aut adsistente turbari more ferarum; iste erit portus longanimitatis, ipso maledicente absente et præsente, similiter esse pacificum in se ipso et tranquillitatem in omnibus immobiliter conservare. Si ista est vanæ gloriæ altitudo, quod quis non desinat figurare et fingere opera vanæ gloriæ atque hypocrisis, nemine adsistente qui possit laudare; ista erit species privationis vanæ gloriæ, quod mens aut intentio nunquam sustineat furtum in præsentia et adventu eorum qui laudant nos. Si ista est species damnantis superbiæ, in vili et contemptibili habitu a figura extolli; hoc erit signum salutaris humilitatis, habere semper humile sapere in altis commissionibus et annisibus atque directionibus.

Si istud est argumentum plenæ et omnimodæ vitiositatis, festinanter consentire et velociter obedire universis quæ dæmones seminant in cordibus nostris; ego cognovi hoc sanctam munditiam et impassibilitatem, dicere posse efficaciter et aperte : Declinantem a me malignum non cognoscebam, neque qualiter aut cur venit ad me *Ps. c, 4.*
vel qualiter abiit; sed ad talia prava totus insensibilis de cetero factus sum, totusque Deo unitus exsistens, cum ipso jugiter ero. Qui tali consistentia dignus effectus est, adhuc vivens in carne habet Spiritum Dei habitantem in se et gubernantem se in universis sermonibus, operibus, intellectibus, intentionibus et deliberationibus suis. Unde de cetero sumit per illuminationem intrinsecus quasi vocem quamdam divini consilii, et opitulationem beneplaciti ejus; et altior factus omni humana doctrina,

Ps. xli, 3. dicit : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? Non enim amplius fero operationem et efficaciam desiderii et æternæ concupiscentiæ, sed quæro pulchritudinem illam immortalem quam mihi dedisti bene et pulchre ante lutum.

Galat. ii, 20. Impassibilem oportet dicere multa : vivit etenim jam non ipse, vivit vero in II Tim. iv, 7. ipso Christus, ut ait qui et bonum agonem agonizavit, cursum consummavit, et fidem servavit. — Diadema regis non consistit ex uno lapide pretioso, sed multæ gemmæ consistunt in eo : sic et impassibilitas non perficitur, si neglexerimus unam minimamque virtutem.

Impassibilitatem intelligere debes esse palatium Regis nostri qui est in cœlis ; Joann. xiv, 2. multas vero mansiones palatii hujus intellige habitationes quæ sunt intra civitatem Apoc. xxi, 12. eamdem ; murum autem hujus cœlestis Jerusalem intellige remissionem culparum.

Curramus, o fratres, curramus, ut intra palatium participemus ad Sponsi introitum. Si vero præanticipamur aliquo vitio præassumptionisve pondere (proh dolor !) ex eventu aut tempore, præoccupemus saltem aliquam mansionem circa regionem Sponsi. Si autem fatigamur adhuc et sumus hæsitantes atque remissi, satagamus omnino ad minus fieri intra murum : quoniam qui ante finem vitæ suæ ingressus non fuerit intra illum, magis vero transgressus, commorabitur in solitudine. Pro- Ps. xvii, 30. pterea quidam orabat : In Deo meo transgrediar murum. Et alter dicit quasi ex Dei Is. lix, 2. persona : Nonne peccata vestra sunt quæ diviserunt inter vos et me ? Dissolvamus, Ephes. ii, 14. o amici, medium maceriæ parietem quem per inobedientiam male ædificavimus. Accipiamus solutionem debiti inde, quoniam non est in inferno qui possit sanare aut dimittere debita. Vacemus ergo, fratres, et studeamus : quoniam omnes sic vacantes et studentes usque in finem, descripti sumus in libro vitæ. Non est lapsum, Joann. i, 12. non est tempus, non est onus quandoque causari querelis. Quotquot enim receperunt Dominum per lavacrum regenerationis, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Ps. xlv, 11. dicens : Vacate, et videte et cognoscite quoniam ego sum Deus. Impassibilitas quoque est libertas a vitiis. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

Ps. cxii, 7, 8. Suscitat quidem beata impassibilitas inopem mentem a terra, et a stercore vitiorum et a cordis immunditia erigit pauperem ; superlaudabilis vero caritas collocat pauperem spiritum cum principibus populi Domini, et facit eum sedere cum principibus angelis.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO HUJUS GRADUS VICESIMI NONI.

ECCE nos qui positi sumus in lacu profundissimo ignorantiæ et vitiis tenebrosis et in umbra mortis corporis hujus, incipimus de cetero ex quadam audacia philosophari, id est tractare et loqui, *de cœlo terreno.* Quid autem sit cœlum terrenum, infra in isto dicetur articulo.

A *Firmamentum quippe habet pulchritu-*

dinem stellas, hoc est, ipsas stellas habet pro ornamento; *impassibilitas vero,* id est immunitas et invulnerabilitas mentis a passionibus, utpote plena reformatio animæ ab inordinatis motibus passionum. *Habet ornatum,* videlicet *ipsas virtutes :* imo virtutes animi purgati, seu virtutes secundum esse completum et statum perfectum, sunt ornamenta animæ taliter reformatæ.

Ego enim apprehendi, nil aliud esse impassibilitatem quam cordiale cœlum mentis, id est intimam animæ tranquillitatem; pacem et imperturbabilitatem, seu ipsam mentem plenarie reformatam et tranquillatam : quod cœlum est *cogitans et arbitrans de cetero astutias dæmonum quasi ludos.* Hoc ergo est cœlum terrenum : cor humanum tam impassionabile et tam tranquillum effectum, ita quod sicut impressiones meteorologicæ et peregrinæ quæ fiunt in aere, attingere nequeunt cœlestia corpora, nec fieri possunt in eis, sic motus sensualitatis et impetus passionum, qui solent in sensitiva animæ parte oriri, mentem reformatam non valent inquietare nec maculare.

Proprie ergo est et esse cognoscitur impassibilis, qui carnem incorruptibilem fecit, id est, proprium corpus tam plene redegit in animæ servitutem et rationi sic subdidit, quod concupiscentiis et motibus carnalium vitiorum corrumpi non potest; *mentem autem a creatura sursum exaltavit,* id est, in Deum fixit contemplando ac diligendo tam intense ut omnem creaturam transcendat, parvi pendat aut obliviscatur, *subjiciens menti omnes sensus,* non utendo sensibus nisi juxta rationis censuram; *et animam suam exhibens præsentem vultui Dei, superextendit eam ad Deum in sempiternum supra suam virtutem,* id est ultra suam naturalem potentiam, quia per supernaturalem virtutem gratiæ contemplationis ita se elevat et infigit Altissimo.

Denique quidam dixerunt impassibilitatem esse resurrectionem animæ ante resurrectionem corporis : quod verum est

A intelligendo per animæ resurrectionem, reformationem et invulnerabilitatem præfatam. *Alii vero dixerunt impassibilitatem esse perfectam Dei cognitionem secundam ab angelis,* id est, post angelorum cognitionem immediate sequentem, ita quod impassibilitas ista est perfectissima cognitio quæ haberi potest de Deo in vita præsenti : quæ cognitio sicut inferior est cognitione beatifica quam angeli habent de Deo, ita eam mox sequitur in ordine perfectionis. Quum ergo cognitio ista reforma-

B tionem plenariam præsupponat, includat et finis ipsius exsistat, impassibilitas dici potest.

Ista ergo est perfecta perfectio imperfectorum, utpote viatorum, qui quantumcumque in hac vita perfecti dicantur, tamen imperfecti sunt non solum comparatione incircumscriptibilis Dei, sed etiam omnium civium supernorum, *secundum quod quidam factus gustator ipsius impassibilitatis mihi narravit. Quando post relictionem portus cœlestis,* id est cœnobii,

C quod dicitur portus cœlestis in quo a naufragiis et tumultibus mundi quiescitur : quando ergo relicto hoc portu per ingressum ad solitariam et eremiticam vitam *mens de cetero est sanctificata, et a materiis,* utpote sensibilibus omnibus, *sursum rapta, tunc contemplatio effert et superextollit ipsam mentem factam extaticam plurimum* (id est valde) *vitæ quæ est in carne,* ita quod mens extra se in Deum translata per raptum, non percipit se esse in carne, nec sentit vitam carnalem : « tunc », in-

D quam, « contemplatio effert » et elevat eam *super cœlum,* ita quod contemplando unitur ecstatice creatori cœlorum.

De quo pulchre ait in quodam loco, qui expertus hoc fuit : Quoniam Dei fortes Psal. XLVI, 10, *terræ vehementer elevati sunt* per con- juxta LXX. templationem. *Talem ipse cognovimus Ægyptium,* id est quemdam Patrum Ægypti, *qui quandoque cum aliquibus orabat sic permultum,* id est valde multum, *manus suas in oratione extentas non relaxabat,* quia videlicet diu mansit in raptu. Legitur

autem in Vitaspatrum de beatissimo ab- A bate Sisoi, quod quando manus in oratione extendit cum aliis, mox eas retraxit ne raperetur.

Est impassibilis, et est impassibili impassibilior, hoc est, in impassibilitate sunt gradus, sicut in sanctitate et perfectione : non enim omnes sancti sunt æque sancti. Unus ergo impassibilis est perfectior alio in impassibilitate. *Etenim ille fortiter odit maligna,* id est, « impassibilis » nondum de numero perfectorum impassibilium factus, toto corde vitia detestatur; *hic autem* B qui « est impassibili impassibilior », utpote unus perfectorum exsistens, *insatiabiliter et irreplebiliter ditescit virtutibus :* quia quanto est ferventior, tanto plus auget suam perfectionem; et quanto plus facit hoc, tanto plus appetit eam augere.

Et castitas dicitur impassibilitas : et convenienter, quoniam prooemium est communis resurrectionis, hoc est inchoatio quædam resurrectionis futuræ, *et incorruptibilitatis corruptibilium,* id est mortalium hominum. Per castitatem namque C corpus incorruptibilitatem quamdam sor-
p. 480 A, C, 257 in fine titur, sicut jam dictum est; et corporibus glorificatis aliqualiter assimilatur, quamdam puritatem, spiritualitatem et agilitatem participando.

Impassibilitatem ostendit qui dixit, Sensum Christi possideo : id est, Paulus qui
1 Cor. II, 16. ait, Nos autem sensum Christi habemus, ostendit se impassibilitatem hanc esse adeptum. *Impassibilitatem ostendit Ægyptius qui dixit se Dominum non timere.* Iste fuit abbas Antonius, qui aliquando fidu- D cialiter dixit : Ego jam non timeo Deum, sed diligo. *Impassibilitatem ostendit qui econtra oravit passiones convertere retro,* hoc est, qui exoravit ut passiones converterentur post eum, ita ut impugnaretur, quatenus materiam triumphandi haberet.

Quis ante futuram claritatem quæ erit in regno cœlorum, efficitur dignus impassibilitate sicut Syrus ille, videlicet S. Ephrem? Quasi dicat : Valde pauci ad tantam impassibilitatem pertingunt ut ille. *Nam David inter Prophetas famosus dixit ad Dominum : Remitte mihi ut re-* Ps. xxxviii, 14.
frigerer. Iste vero cantor, id est laudator, *Dei,* videlicet Syrus præfatus, *locutus est Deo : Remitte,* id est, contine, suspende, seu minue, *undas gratiæ tuæ.* Quasi dicat : Tantam gratiæ exuberantiam mihi infundis, quod sustinere non valeo. Ex isto tamen concludi non debet, nec consequens est, quod Ephrem iste fuerit major quam David, qui in personis diversorum locutus est.

Impassibilitatem habet anima quæ ita qualificatur virtutibus sicut vitiosi concupiscentiis, hoc est, quæ tam copiose impletur spiritualibus affectionibus, quam copiose aliquis libidinosus impletur affectibus carnalibus.

Si (pro Quia) *ista est terminatio,* id est plenitudo et consummatio, *gulæ, quod quis se ipsum violentat ad gulam quum non appetit,* hoc est, vehementer et impetuose incitat se ad appetendum accipiendumque alimenta dum saturatus est; *hæc erit penitus determinatio,* id est ratio et perfectio, *abstinentiæ, quod quis famelicus atque esuriens contineat se a sumptione cibi usque ad tempus, natura exsistente innocua,* hoc est, ita id faciat cum discretione, ut naturam non lædat periculose.

Si ista est definitio luxuriæ, etiam super brutis et inanimatis vexari insania; hæc est definitio, id est ratio et completio, *castitatis, quod sensus et etiam appetitivæ potentiæ afficiantur in omnibus tanquam super inanimatis et insensibilibus,* id est, non magis libidinose aut turpiter afficiantur circa sua objecta animata carnalia, quam si objecta illa essent prorsus inanimata et omni sensu aut sensibilitate carentia.

Si iste est avaritiæ terminus, hoc est complementum, *nunquam cessare a studio cumulandi, et satiari non posse terrenis divitiis; iste erit terminus paupertatis, proprio corpori non parcere in penuria necessariorum, sed se ipsum odire, et in*

necessariis corpori de se penitus non curare sollicitudine carnali aut sæculari. Non tamen licet sibi necessaria omnino abstrahere, aut non accipere ea : quia hoc esset se ipsum occidere, vel Deum tentare.

Si iste est impatientiæ terminus, quod quis exsistens in omni requie, ita quod nullam sustinet injuriam sive molestiam, *tamen impatientia agitetur atque in nulla re patientiam servet; iste erit patientiæ terminus,* id est plenitudo et finalis perfectio, *quod in omni tribulatione quis exsistens, arbitretur et reputet requiem se habere.*

Si istud est pelagus, id est profundum et maximum flumen, *iræ, nemine irritante aut adsistente turbari more ferarum; iste erit portus longanimitatis,* id est quies et perfectio mansuetudinis, *ipso maledicente absente et præsente, similiter esse pacificum in se ipso et tranquillitatem in omnibus immobiliter conservare.*

Si ista est vanæ gloriæ altitudo, quod quis non desinat figurare et fingere opera vanæ gloriæ atque hypocrisis, nemine adsistente qui possit laudare; ista erit species, id est decor et complementum, *privationis,* hoc est exstirpationis seu carentiæ, *vanæ gloriæ, quod mens aut intentio nunquam sustineat furtum,* id est aliquod spirituale damnum, *in præsentia et adventu eorum qui laudant nos.*

Si ista est species damnationis superbiæ, in vili et contemptibili habitu a figura extolli, hoc est de ipsa figuratione seu forma monastici habitus superbire; *hoc erit signum salutaris humilitatis, habere semper humile sapere,* id est humiliter de se sentire, *in altis commissionibus et annisibus atque directionibus,* hoc est in præclaris officiis, studiis virtuosisque actibus.

Si istud est argumentum plenæ et omnimodæ vitiositatis, festinanter consentire et [illegible] [illegible] seminant [illegible] cognovi hoc sanctam munditiam et impassibilitatem, dicere posse efficaciter et aperte : Declinantem a me malignum non Ps. [illegible] *cognoscebam, neque qualiter aut cur venit ad me vel qualiter abiit; sed ad talia prava totus insensibilis de cetero factus sum, totusque Deo unitus exsistens, cum ipso jugiter ero.*

Qui tali consistentia, id est tam virtuosa dispositione, *dignus effectus est,* ita quod eam veraciter habet, *adhuc vivens in carne habet Spiritum Dei habitantem in se et gubernantem se in universis sermonibus, operibus, intellectibus, intentionibus et deliberationibus suis. Unde de cetero sumit per illuminationem intrinsecus quasi vocem quamdam divini consilii, et opitulationem beneplaciti ejus* : id est, in omnibus supernaturaliter dirigitur, edocetur et adjuvatur a Deo, audiens quid loquatur in se Dominus Deus. *Et altior factus omni humana doctrina,* utpote eruditus a Spiritu Sancto, *dicit : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Non enim amplius fero operationem et efficaciam desiderii et æternæ concupiscentiæ,* id est, diutius æquanimiter sustinere non valeo impetum et fervorem spiritualis ac connaturalis appetitionis qua cupio plenarie reformari ac Deo uniri ac perfrui, *sed quæro pulchritudinem illam immortalem quam mihi dedisti bene et pulchre ante lutum,* hoc est, antequam huic carni lutosæ conjungerer. Quod si intelligatur de pulchritudine increata aut de pulchritudine gloriæ, quod ait, « quam dedisti mihi », exponendum est : Dare præordinasti. Si autem intelligatur de naturali pulchritudine animæ, quæ ex unione cum corpore aliqualiter maculatur, sensus est, quod « illam pulchritudinem » dedit Creator ipsi animæ « ante lutum » non tempore, quia anima creando infunditur, sed ordine naturæ : quam pulchritudinem appetit vir perfectus in se plenissime reformari per gloriam, quia tunc plenissime erimus similes Deo quum videbimus eum [illegible] sicuti est.

Impassibilitas [illegible] id est multa in Scripturis contenta et de

Ps. LXXXIV, 9.

Ps. XLI, 3.

viris perfectis prolata conveniunt impas- A
Galat. II, 20. sibili et ab eo possunt proferri. *Vivit et-*
enim jam non ipse, vivit vero in ipso
II Tim. IV, 7. *Christus, ut ait qui et bonum agonem ago-*
nizavit, hoc est, salubre certamen certavit,
cursum consummavit, et fidem servavit.

Diadema regis non consistit ex uno la-
pide pretioso, sed multæ gemmæ consistunt
in eo : sic et impassibilitas non perficitur,
id est, eam non habemus veraciter, *si ne-*
glexerimus unam minimamque virtutem.

Impassibilitatem intelligere debes esse
palatium Regis nostri qui est in cœlis : B
Deus enim moratur in mente impassibi-
litatem habente quasi in cœlesti palatio.
Joann. XIV, 2. *Multas vero mansiones palatii hujus in-*
tellige habitationes quæ sunt intra civita-
tem eamdem, id est virtutum inhæsiones
quæ sunt in impassibili anima : quæ ani-
ma est civitas spiritualis, in qua est con-
cors inhabitatio bonarum cogitationum et
affectionum sanctarum, virtutum, donorum
ac fructuum, tanquam civium pacificorum.
Apoc. XXI, 12. *Murum autem hujus cœlestis Jerusalem,*
Philipp. III, 20. utpote animæ talis, cujus conversatio est C
in cœlis, *intellige remissionem culparum,*
per quam tanquam per murum fortissi-
mum anima contra omnia munitur ac de-
fensatur adversa : quia nulla nocebit ad-
Is. XXVII, 9. versitas, si nulla dominetur iniquitas. Hic
quoque est omnis fructus, ut auferatur
peccatum.

Curramus, o fratres, curramus, id est,
per cordis fervorem et operum prompti-
tudinem festinemus ad patriam, *ut intra*
palatium participemus ad Sponsi intro-
itum, hoc est, ut intra præfatam impassibi- D
litatem Christo jungamur, occurramusque
ei et participemus amplexum ipsius.

Si vero præanticipamur, id est, præ-
venimur et capimur, *aliquo vitio præas-*
sumptionisve pondere (proh dolor!) ex
eventu aut tempore, hoc est ex aliquo
casu accidentali aut temporis qualitate, ita
quod ab impassibilitate deficimus, *præoc-*
cupemus saltem aliquam mansionem circa
regionem Sponsi, hoc est, festinemus im-
passibilitati, quæ est regio Sponsi, appro-
ximare, et saltem in statu proficientium
inveniri.

Si autem fatigamur adhuc et sumus
hæsitantes atque remissi, deficiendo a spi-
rituali profectu, *satagamus omnino ad mi-*
nus fieri intra murum, hoc est, remissi-
onem peccatorum accipere, et saltem in
statu salutis ac numero incipientium re-
periri. *Quoniam qui ante finem vitæ suæ*
ingressus non fuerit intra illum, videlicet
murum præfatum, qui est remissio pec-
catorum, *magis vero transgressus,* id est,
potius dico quod qui non fuerit progres-
sus ultra murum istum per spatium ali-
quod (quia non sufficit malum non facere,
sed oportet et bona peragere : siquidem
omnis arbor quæ non facit fructum bo- Matth. III, 10.
num excidetur), *commorabitur in solitu-*
dine, id est sterilitate et derelictione vi-
tiorum ac dæmonum. *Propterea quidam*
orabat : In Deo meo transgrediar murum. Ps. XVII, 30.
Et alter, videlicet Isaias, *dicit quasi ex*
Dei persona : Nonne peccata vestra sunt Is. LIX, 2.
quæ diviserunt inter vos et me?

Dissolvamus, o amici, medium maceriæ Ephes. II, 14.
parietem, id est, pœnitendo tollamus ma-
lam structuram qua distamus a Deo, *quem*
parietem *per inobedientiam male ædifi-*
cavimus. Accipiamus, id est, per pœni-
tentiam acquiramus, *solutionem debiti in-*
de, hoc est remissionem peccati, *quoniam*
non est in inferno qui possit sanare aut
dimittere debita. Vacemus ergo, fratres, et
studeamus, id est, Deo simus intenti, et
a malis cessemus atque virtutibus insista-
mus ; *quoniam omnes sic vacantes et stu-*
dentes usque in finem, descripti sumus
in libro vitæ. Non est lapsum, non est
tempus, non est onus quandoque causari
querelis, hoc est, excusare nequaquam nos
possumus, nec culpam nostram imputare
impossibilitati, necessitati, difficultati aut
tempori. *Quotquot enim receperunt Do-* Joann. I, 12.
minum per lavacrum regenerationis, de-
dit eis potestatem filios Dei fieri, dicens :
Vacate, et videte et cognoscite quoniam Ps. XLV, 11.
ego sum Deus. Impassibilitas quoque est
libertas a vitiis : idcirco impassibilitas

ista possibilis est, quia a servitute vitiorum liberi esse valemus. *Ipsi gloria in sæcula. Amen.* Æterna etenim gloria datur impassibilitati pro præmio.

Ps. cxii, 7, 8. *Suscitat quidem beata impassibilitas inopem mentem a terra, et a stercore vitiorum et a cordis immunditia erigit pauperem ; superlaudabilis vero caritas,* quæ dicitur « superlaudabilis » quia præ ceteris virtutibus exstat laudabilis, *collocat pauperem spiritum,* videlicet humilem, *cum principibus populi Domini,* hoc est cum præcipuis hominum electorum in cœlo, *et facit eum sedere cum principibus angelis,* id est cum angelis sanctis, qui modo sunt principes nostri.

GRADUS XXX

DE COMMUNIONE ET CONJUNCTIONE AC VINCULO VIRTUOSÆ TRINITATIS IN VIRTUTIBUS, SCILICET FIDEI, SPEI ET CARITATIS.

NUNC itaque post omnia præinducta manent tria hæc perstringentia atque tenentia conjunctionem omnium prædictorum, videlicet, fides, spes, caritas. Major autem inter hæc est caritas : Deus enim nominatur. At ego primam video esse radium, secundam autem lumen, tertiam vero gyrum vel cyclum. Omnia autem sunt unus splendor et una claritas. Etenim prima facere et condere omnia potest ; secunda misericordiam Dei circumgyrat, et inconfusum facit ; tertia autem nunquam excidit, nec currere desistit, neque de cetero sinit quiescere plagatum beata insania. I Cor. xiii, 13. I Joann. iv, 8. Marc. ix. Rom. v, 5. I Cor. xiii, 8.

Volens loqui de caritate Dei, loqui conatur de Deo. Porro de Deo exsequi narrationem sermonibus, est periculosum ac dubium non attendentibus. Sermo de caritate notus et obvius est angelis etiam ipsis ; et illis quidem notus et cognitus perfectusque bene est secundum operationem illuminationis : propter quod falli nullo modo queunt. Caritas ipse Deus est ; et qui manet in caritate, in Deo manet. Hujus vero descriptionem et determinationem dicere volens ac studens, quum sit cæcus in abysso mensurat arenam. I Joann. iv, 16.

Caritas secundum qualitatem est similitudo Dei quantum hominibus possibile est. Porro caritas secundum operationem suam est ebrietas animæ. Secundum autem proprietatem suam est fons fidei, abyssus longanimitatis, mare humilitatis. Caritas proprie est omnimoda depositio universæ contrariæ intentionis et meditationis : siquidem caritas non cogitat malum. Caritas et impassibilitas et adoptio filiorum solis nominibus distinguuntur. Quemadmodum lumen et ignis et flamma in unam operationem concurrunt, ita intelligatur a me de [illegible]. Secundum mensuram dilectionis illuminationis [illegible] timor. Qui enim [illegible] timoris est, aut caritate repletus est, aut animam mortuam habet. Ex caritate enim perfecta gignitur verus et sanctus timor Domini ; ex sancto vero Dei timore [illegible] nascitur amor. I Cor. xiii, 5.

Nihil inconveniens est aut adversum ab humanis, proponere imagines desiderii et amoris et festinantiæ et zeli et servitutis et timoris Dei. Beatus qui possidet talem amorem ad Deum qualem habet insanus amator ad suam amatam. Beatus qui ita timet Deum sicut qui rei sunt et morte damnandi timent judicem et exactorem. Beatus qui factus est ita sollicitus et festinans ea festinatione quæ vere festinantia est, sicut prudentes servi solliciti et festinantes sunt ad dominum suum. Beatus qui fuerit sic zelator in virtutibus sicut qui ex zelo pervigilant circa suas uxores. Beatus qui in oratione adsistit sic Deo sicut ministri adsistunt coram rege. Beatus qui ita laborat Deum placare sicut conatur placare homines.

Mater non habet naturam ita adhærere lactenti filio suo quemadmodum filius caritatis habet naturam adhærere jugiter Deo : quoniam qui diligit vere, semper imaginatur faciem dilecti, et ex nimia dilectione amplexatur eam intrinsecus. Hic talis non potest deinceps neque in somnis quiescere ab amore desiderati, sed exercitatur ibi cum domino concupito. Sicut in corporeis fit, ita et in incorporeis fieri
Cant. v, 2. habet. Quidam plagatus hac sagitta, dixit de semetipso : Ego dormio propter necessitatem naturæ, et cor meum vigilat propter multitudinem caritatis.

Notandum est tibi, o fidelis et admirabilis homo, quia post interitum bestiarum a cervo anima factum, tunc ipsa anima desiderat, concupiscit et deficit ad Dominum, vulnerata et sagittata igne caritatis quasi a sagitta. — Præterea operatio famis non est manifestativa neque significans ; sitis vero suppositiva et manifestativa et omnino significativa est flammæ. Quocirca Deum desiderans :
Ps. XLI, 3. Sitivit, inquit, anima mea ad Deum fortem, vivum. — Si facies dilecti manifeste et efficaciter nos transmutat, et claros ac hilares facit, quid utique vultus et præsentia regis ac Dei nostri peregrinantis et hospitantis in anima munda non faciet in eadem ?

Etenim timor quum fit in sensu animæ, naturaliter habet liquefacere ac devo-
Ps. CXVIII, 120. rare sordida. Ait enim Psalmista : Confige timore tuo carnes meas. Sancta vero
Cant. IV, 9. caritas consuevit quosdam vulnerare, secundum eum qui dixit : Vulnerasti cor meum, vulnerasti cor meum. Quosdam autem facit exsultare, et eos clarificat ac
Ps. XXVII, 7. illustrat. Nam ait Propheta : In ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea. Corde enim epulante, vultus hilarescit et pullulat. Quando ergo totus homo caritati Dei quodammodo coaptatur ac jungitur, tunc ostendit exterius in corpore tanquam in speculo claritatem animæ. Ita clarificatus est Moyses ille Dei contemplator. — Qui accipiunt talem gradum angelis æqualem, multoties obliviscuntur sumere cibum corporalem. Arbitror autem quod non appetunt eum frequenter. Nec mirum : quoniam si contraria concupiscentia plerumque repulit escam, existimo gustatorem incorruptibilium horum, super naturam factum, non infirmari vel lædi de cetero in corpore per famem, sitim, aut consimilia indifferenter, ut contingere solet, quoniam corpus ejus sanctificatum est et quasi incorruptibile factum per flammam castitatis rescindentem concupiscentiæ flammam. Arbitror autem quia nec ipsum cibum corporalem quem sumunt, de cetero cum delectatione accipiunt.

Nam aqua rigat subterraneam plantæ radicem ; horum vero animas nutrire et alere habet ignis cœlestis.

Augmentum timoris est initium caritatis ; finis vero et perfectio castitatis, theologiæ suppositio. — Qui sensus suos unit Deo perfecte, sermones ejus desursum lati ab eo, ab ipso mystice docentur : his enim non coaptatis et cognitis Deo, durum et periculosum est homini de Deo asserere et sermocinari. — Verbum unius substantiæ cum Patre perficit castitatem, adventu suo mortificans mortem ; hac autem morte mortificata, discipulus theologiæ illuminatur. — Verbum Domini ex Domino castum permanet in sæcula sæculorum. Qui enim Deum non cognoscit, conjecturando de eo loquitur quæ non novit ; castitas discipulum facit theologum, asserentem et firmantem dogmata Trinitatis per ipsum.

Qui diligit Dominum, prædilexit et fratrem suum : ostensio enim prioris est secundum. Qui proximum diligit, detrahentem nunquam sustinebit, sed magis fugiet ab eo quasi ab igne. Qui irascitur fratri suo et dicit se Deum diligere, similis est ei qui currit in somnis.

Spes est imperium castitatis *, quia per hanc exspectamus et suscipimus mercedem et retributionem caritatis. Spes est locupletatio incertarum et occultarum divitiarum. Spes est thesaurus absque hæsitatione ante thesaurum. Spes est requies laborum ; ipsa porta est caritatis. Spes desperationem occidit, estque imago bonorum absentium. — Defectus spei est exterminatio caritatis ; spei illuminatio est caritatis manifestatio. Spe ligantur dolores, suspenduntur labores. Spem gyrat et circumdat misericordia. Monachus bene sperans est occisor acediæ, et triumphat de illa in gladio ejus. Experientia donorum Dei spem parit : qui enim inexpertus est, sæpius fluctuat nec est firmus in spe. Furor spem solvit : spes quippe non confunditur ; vir autem furibundus est inhonestus.

* caritat.

Rom. v.

Caritas est ministratrix philosophiæ ; caritas est exhibitrix et operatrix prodigiorum ; caritas est illuminationis abyssus. Caritas fons ignis, quanto sursum emanaverit, tanto plus sitientem inflammabit. Caritas est mater pacis ; est quoque fons sapientiæ, et radix immortalitatis et gloriæ. Caritas est statio angelorum, profectus sæculorum.

Annuntia nobis, o caritas pulchra in virtutibus, ubi pascas oves Christi, ubi habites in meridie. Illumina nos, pota nos, deduc nos, manu duc nos : quia de cetero jam volumus ascendere ad te. Tu enim dominaris universis ; nunc vero animam meam cordialiter vulnerasti, et flammam tuam continere non possum. Laudans te quo ibo ? Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas atque mortificas. Tu humiliasti sicut vulneratum cogitationem superbam : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos, et sine prælio et impugnatione facis tuos amatores. Igitur adveni docere qualiter Jacob contemplatus est te innixam et firmatam super scalam. Precor, edissere amanti quæ vere est species hujus viæ superni regressus, quis sit modus et collectio constructionis et compositionis illorum graduum quos amator tuus disposuit in corde suo tanquam ascensus salubres. Sitivi

Cant. i.

item cognoscere quis sit numerus eorum, quantum vero utique est tempus cursus : quoniam qui didicit tuam luctam, annuntiavit manuductoribus visionem ; sed nil aliud quam visionem hanc voluit illuminare, magis autem non potuit plus quam hoc.

Ipsa autem tanquam regina de cœlo apparens, visa est mihi hoc dicere propius (quod in unione spirituali colloquens animæ meæ dixit) : O amator, nisi obliviscens obliviscaris hebetudinem et grossitiem insipientiæ, discere non vales qualis est visio mea et adspectus ; sed scala te doceat spiritualem constructionem et compositionem virtutum. Porro in vertice scalæ ego innixa sum et firmata, secundum quod magnus
I Cor. XIII, 13. meus doctor ait : Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc ; major autem horum est caritas.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO HUJUS GRADUS TRICESIMI.

I Cor. XIII, 13. *Nunc itaque post omnia præinducta manent tria hæc perstringentia atque tenentia conjunctionem omnium prædictorum, videlicet, fides, spes, caritas. Major autem inter hæc est caritas.* Denique tres istæ virtutes dicuntur perstringere et tenere « omnium conjunctionem » : nam ceteræ universæ virtutes ac dona ordinantur ad eas et uniuntur in eis, atque in actibus suis informantur, vivificantur ac diriguntur ab ipsis. Itaque « major » horum « est caritas » : *Deus enim nominatur,* quemadmodum scriptum est : Deus (I Joann. IV, 8, 16.) caritas est. Verumtamen non solum caritas increata, quæ dicitur Deus, est summa virtutum, sed et caritas creata infusa, quæ est theologica virtus.

At ego primam, videlicet fidem, *video esse radium :* fides namque est radius primæ et increatæ Veritatis, intellectum illuminans ad assentiendum his quæ credi jubentur, atque ad cognoscendum aliqualiter ea ; *secundam autem,* videlicet spem, video esse *lumen* quo cor illustratur ad exspectandum promissa divina ; *tertiam vero,* scilicet caritatem, video esse *gyrum vel cyclum,* quoniam ambit virtualiterque includit cunctas virtutes.

Omnia autem tria hæc, utpote tres istæ virtutes, *sunt unus splendor et una claritas,* non quod sint essentialiter unus splendor unave claritas, quia realiter ab invicem distinguuntur, sed quoniam in omni actu virtuoso meritorio pariter aliquo modo concurrunt. Nihil enim meritorium est nisi ex caritate procedat. Justus quoque ex (Rom. I, 17.) fide vivit ; impossibile est quoque sine ea (Hebr. XI, 6.) placere Deo. Et spe salvamur, et propter (Rom. VIII, 24.) futuram beatitudinem cuncta aguntur.

Etenim prima, scilicet fides, *facere et condere omnia potest :* omnia enim possi- (Marc. IX, 22.) bilia sunt credenti. *Secunda,* id est spes, *misericordiam Dei circumgyrat, et inconfusum facit :* (Rom. V, 5.) ex quo sequi videtur quod etiam spes possit gyrus vocari. Imo unaquæque harum virtutum dici potest radius, lumen, ac gyrus ; sed ea quæ dicta sunt, per appropriationem intelliguntur. Verum quum increata misericordia Dei sit infinita, quomodo spes potest eam circumgyrare ? Et respondendum, quod metaphorice intelligendum sit istud, sicut et caritas dicitur Deum amplecti. Potest quoque per « misericordiam Dei » intelligi effectus pietatis divinæ, quem spes intra se suscipit. *Tertia autem,* videlicet caritas,

I Cor. XIII, 8. *nunquam excidit, nec currere desistit, neque de cetero sinit quiescere plagatum beata insania*, id est vulneratum amoris furore seu excessivo fervore. Quæ omnia intelligenda sunt non quasi caritas semel habita non possit amitti, sed quoniam caritas quantum in se est, exstat fortissima, insuperabilis, atque idonea ad omnia ista.

Volens loqui de caritate Dei, loqui conatur de Deo, quum Deus sit caritas increata, et objectum immediataque causa caritatis creatæ. *Porro de Deo exsequi narrationem sermonibus,* id est diffuse loqui de Deo, *est periculosum ac dubium,* juxta eum qui dixit, etiam verissima verissime de divina potentia, hoc est de Deo optimo maximo, loqui periculosissimum, hoc est incertum ac dubium, minusque capacitati ac intellectui expositum atque obvium, *non attendentibus,* nec rem in animo bene secum considerantibus, atque
Rom. XI, 33. perpendentibus quam incomprehensibilis ac investigabilis sit Deus, et quam reverenter, pie et considerate animoque præsente ac circumspecte oporteat loqui de Deo.

Sermo de caritate notus et obvius est angelis etiam ipsis ; et illis quidem notus et cognitus perfectusque bene est secundum operationem illuminationis, hoc est, ex hoc quod ipsi angeli effectualiter ac perfecte diligunt Deum ex clarissima et beatifica visione ipsius. *Propter quod falli nullo modo queunt.*

I Joann. IV, 16. *Caritas ipse Deus est ; et qui manet in caritate, in Deo manet. Hujus vero,* Dei scilicet, *descriptionem et determinationem dicere volens ac studens, quum sit cæcus,* id est, describere, definire et exprimere volens ac cupiens quid sit Deus proprie, quum ipse sit comparatione Dei insipiens, *in abysso mensurat arenam,* hoc est, similis est ei qui conatur arenam maris mensurare seu numerare.

Caritas secundum qualitatem est similitudo Dei quantum hominibus possibile est. Per nullam enim virtutem mens creata tam sublimiter assimilatur Deo sicut per caritatem, et caritas ista est supernaturalis ac participata similitudo Spiritus Sancti. *Porro caritas secundum operationem suam est ebrietas animæ.* Dum enim caritas incipit perfici, dulciter ac sobrie inebriat mentem. *Secundum autem proprietatem suam est fons fidei, abyssus longanimitatis, mare humilitatis,* non quod sit causa aut fons harum virtutum quantum ad earum essentiam, sed quoad actum earum. Juxta quod Apostolus Corinthiis loquitur : Caritas enim omnia credit, omnia sperat. Summe etiam humiliat suum subjectum. Inducit namque ad actus hos, et impetrat eos.

Caritas proprie est omnimoda depositio universæ contrariæ intentionis et meditationis, id est, caritas est virtus quæ expellit omnem intentionem ac meditationem sibi contrariam, omnem scilicet culpam mortalem. *Siquidem caritas non cogitat malum.*

Caritas et impassibilitas et adoptio filiorum solis nominibus distinguuntur, præsertim loquendo de caritate perfecta.

Quemadmodum lumen et ignis et flamma in unam operationem concurrunt, ita intelligitur a me de iis, puta de caritate, impassibilitate et adoptione.

Secundum mensuram defectionis illuminationis inest timor, id est, secundum quod quis amplius deficit ab illuminatione divina, secundum hoc inest ei timor. Qui enim nihil habet de illuminatione gratiæ gratum facientis, seu fidei formatæ, aut doni sapientiæ, nihil habet de filiali aut initiali timore, sed potest habere timorem servilem : qui autem illuminatus est mediocriter, habet initialem timorem. *Qui enim sine timore est, aut caritate repletus est, aut [illegible].* « Qui enim est sine timore » servili, ita quod nihil de servilitate timoris habet, est in caritate perfectus, quia perfecta caritas foras mittit, contemnit et prorsus etiam abjicit timorem servilem. Vel est spiritualiter exstinctus et mortuus : quemadmo

A dum hi qui absque ullo timore, et pœna non considerata, sed neglecta prorsus, perpetrant mala, et in malitiis gloriantur, non perpendentes quam iniquum, quam etiam impium sit illud; quum nullo modo deberent sibi ipsis in suis malitiis perpetratis ac admissis placere, sed potius veram habere contritionem flagitiorum vereque pœnitere. Rursus, « qui est sine timore » initiali ac filiali, est in anima mortuus : imo et qui non timet nisi serviliter, vitam gratiæ non habet. *Ex caritate tamen perfecta gignitur verus et sanctus* B *timor Domini,* qui omnis sapientiæ, item omnis operationis nostræ, initium merito esse debet. *Ex sancto vero Dei timore iterum nascitur amor.* Timor enim filialis sicut ex caritate perfecta procedit, ita ad perfectiorem actum ipsius disponit.

Nihil inconveniens est aut adversum ab humanis, id est, ab humana informatione non discrepat, *proponere imagines,* hoc est similitudines quasdam humanas, et per similia quædam docere naturam, effectum et vim *desiderii et amoris et festinantiæ* C *et zeli et servitutis et timoris Dei.* Et hoc auctor facit nunc, consequenter subdendo:

Beatus qui possidet talem amorem ad Deum qualem habet insanus amator ad suam amatam, hoc est, qui diligit Deum spirituali amore tam fervide quam fervide lubricus amat suam dilectam carnali amore. Verumtamen loquendo de magnitudine apprehensionis, oportet ut diligamus Deum infinitum plus quam aliquis libidinosus p. 40 B. amat suam amicam, ut dictum est plenius supra. *Beatus qui ita timet Deum,* id est D tam intense, filiali aut saltem initiali timore, *sicut qui rei sunt et morte damnandi timent judicem et exactorem. Beatus qui factus est ita sollicitus et festinans ea festinatione quæ vere festinantia est,* utpote festinantia prudentiæ ac fortitudinis : quæ festinantia tendit ad profectum virtutum atque salutem; *sicut prudentes servi solliciti et festinantes sunt ad dominum suum,* utpote ad obediendum ejus præceptis.

Beatus qui fuerit sic zelator in virtutibus sicut qui ex zelo pervigilant circa suas uxores, hoc est, qui tanto zelo tantaque diligentia custodit virtutes et abhorret ac detestatur virtutum contraria, quanto zelo custodit maritus zelotypus conjugem suam et ejus adulterationem devitat. *Beatus qui in oratione adsistit sic Deo,* videlicet cum tanta reverentia atque custodia, *sicut ministri adsistunt coram rege* terreno. *Beatus qui ita laborat Deum placare* Cf. p. 40 B, C. *sicut conatur placare homines* quos offendit, præsertim si sint sibi alias valde dilecti aut utiles seu delectabiles, aut eo multum potentiores.

Mater non habet naturam ita adhærere lactenti filio suo quemadmodum filius caritatis, qui scilicet totus accensus est caritate, *habet naturam adhærere jugiter Deo : quoniam qui diligit vere,* hoc est perfecte, *semper imaginatur faciem dilecti, et ex nimia dilectione amplexatur eam intrinsecus. Hic talis non potest deinceps neque in somnis quiescere ab amore desiderati, sed exercitatur,* hoc est occupatur, *ibi cum domino concupito,* hoc est cum eo cujus amor ita prædominatur in ipso, puta cum Deo, si eum taliter amat. *Sicut in corporeis fit, ita et in incorporeis fieri habet.* Ideo amor spiritualis per proprietates et affectus amoris carnalis aptissime declaratur. *Quidam plagatus hac* caritatis *sagitta, dixit de semetipso : Ego dormio propter necessitatem naturæ,* Cant. v, 2. *et cor meum vigilat propter multitudinem caritatis.*

Notandum est tibi, o fidelis et admirabilis homo, quia post interitum bestiarum a cervo anima factum, hoc est, postquam anima virtuosa, quæ cervo assimilatur, occidit in se ipsa bestiales motus passionum, *tunc ipsa anima desiderat, concupiscit et deficit ad Dominum,* id est, præ caritatis fervore ac vehementia a se ipsa defluit suspirando ad Dominum, *vulnerata et sagittata igne caritatis quasi a sagitta.*

Præterea operatio famis non est mani-

festativa neque significans, hoc est, per A ipsam corporalem esuriem, seu actum quem facit in esuriente, non demonstratur nec declaratur aperte spiritualis dilectio et proprietates ipsius ; *sitis vero suppositiva et manifestativa et omnino significativa est flammæ,* hoc est, per corporalem sitim aperte, significative, designantur spiritualis dilectio ejusque fervor et ceteræ proprietates et actiones. *Quocir-*
Ps. XLI, 3. *ca* Propheta *Deum desiderans : Sitivit, inquit, anima mea ad Deum fortem, vivum.* Hinc anima fervens cervus vocatur, B quoniam per caritatis ardorem instar cervi velociter currit ad Deum, atque ad ejus beatificam fruitionem anhelat, quemadmodum cervus lassatus ad fontem aquarum.

Si facies dilecti, id est præsentia alicujus cari amici nos visitantis, *manifeste et efficaciter nos transmutat, et claros ac hilares facit, quid utique vultus et præsentia regis ac Dei nostri peregrinantis et hospitantis in anima munda,* id est, interdum gratiose visitantis et pie inhabitantis animam puram, *non faciet in ea-* C *dem ?* quasi dicat : Multo salubrius atque potentius eam transmutabit, et clariorem hilarioremque faciet eam.

Etenim timor quum fit in sensu animæ, hoc est, quum quis Deum perceptibiliter ac intime timet filiali aut saltem initiali timore, *naturaliter habet liquefacere ac devorare sordida,* id est, inordinatos passionum affectus et ceteras culpas quotidianas resolvit ac aufert vitarique
Eccli. I, 27. facit : quoniam timor Dei expellit peccata.
Ps. CXVIII, 120. *Ait enim Psalmista : Confige timore tuo* D *carnes meas. Sancta vero caritas consuevit quosdam vulnerare, secundum eum*
Cant. IV, 9. *qui dixit : Vulnerasti cor meum, vulnerasti cor meum. Quosdam autem facit exsultare, et eos clarificat ac illustrat.*
Ps. XXVII, 7. *Nam ait Propheta : In ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea. Corde enim epulante,* id est, spiritualiter deliciante ex Dei præsentia, contemplatione, amore, *vultus hilarescit et pullulat :* quia ex abundantia interioris ac spiritualis jucunditatis fit redundantia delectationis in corpus, in tantum quod in vultu exteriori jucunditas ipsa relucet et serenitas quædam refulget.

Quando ergo totus homo interior, utpote quantum ad vires intellectuales, *caritati Dei quodammodo coaptatur ac jungitur, tunc ostendit exterius in corpore tanquam in speculo claritatem animæ. Ita clarificatus est Moyses ille Dei contemplator,* cujus facies taliter radiabat, quod filii Israel eam intueri nequibant.

Qui accipiunt talem gradum angelis III, 13. *æqualem,* hoc est perfectionem tam altam, angelicæ puritati valde consimilem, *multoties obliviscuntur sumere cibum corporalem. Arbitror autem quod non appetunt eum frequenter. Nec mirum : quoniam si contraria concupiscentia plerumque repulit escam,* hoc est, si desiderium unius cibi frequenter exstinxit desiderium cibi ei contrarii, *existimo gustatorem incorruptibilium horum* donorum, videlicet contemplationum, consolationum inflammationumque divinarum, *super naturam factum,* id est per tam præclara gratiæ dona supernaturaliter elevatum ultra communem hominum proprietatem, *non infirmari vel lædi de cetero in corpore per famem, sitim, aut consimilia indifferenter, ut contingere solet,* hoc est solito modo juxta cursum naturæ, *quoniam corpus ejus sanctificatum est et quasi incorruptibile factum per flammam castitatis rescindentem,* id est, penitus auferentem, *concupiscentiæ flammam. Arbitror autem quia nec ipsum cibum corporalem quem sumunt, de cetero cum delectatione accipiunt. Nam aqua rigat subterraneam plantæ radicem ; horum vero animas nutrire et alere habet ignis cœlestis,* videlicet Spiritus Sanctus et ardor amoris; et quoniam in hujuscemodi spirituali refectione non mediocriter delectantur, in corporali refectione affliguntur frequenter magis quam delectentur.

[illegible] *tatis.* Timor enim servilis quanto plus crescit, tanto plus retrahit a peccato, et

ita disponit tenentem ad caritatis infusionem. *Finis vero et perfectio castitatis, theologiæ suppositio,* hoc est, castitas consummata est fundamentum theologicæ pertractationis, et inquisitionis ac studii divinorum. Qui enim a carnalibus affectionibus prorsus mundati sunt, ad theologicam hanc occupationem ac sapientiam mysticam sunt aptati. Quem enim docebit Dominus scientiam, et quem intelligere faciet auditum, nisi ablactatos a lacte, avulsos ab ubere? (*Is.* XXVIII, 9.)

Qui sensus suos interiores et intellectuales, omnem scilicet suam notitiam intellectivam, *unit Deo perfecte, sermones ejus desursum lati ab eo,* id est, verba quæ dicit aut scribit ex divina inspiratione concepta et prolata, *ab ipso mystice docentur,* id est, spiritualiter exponuntur, et occultam includunt scientiam. *His enim non coaptatis et cognitis Deo,* id est, quamdiu interiores et intellectuales sensus non fuerint Deo applicati atque per approbationem ab eo cogniti, *durum et periculosum est homini de Deo asserere et sermocinari.* Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? (*Ps.* XLIX, 16.)

Verbum unius substantiæ cum Patre perficit castitatem, hoc est, Verbum æternum Deo Patri consubstantiale dat castitatis perfectionem, *adventu suo mortificans mortem,* id est, mortiferam concupiscentiam penitus auferens per suam gloriosissimam visitationem. *Hac autem morte mortificata, discipulus theologiæ illuminatur,* id est, is qui loquitur, tractat ac studet Scripturas et ea quæ Dei sunt, desuper ungitur, irradiatur et edocetur, ita quod eo spiritu Scripturas intelligit quo sunt scriptæ.

Verbum Domini ex Domino, id est Verbum Patris natum ex Patre, *castum permanet in sæcula sæculorum.* Vel « verbum Domini ex Domino castum » permanens, est sacra Scriptura divinitus inspirata, immobiliter permanens vera. *Qui enim Deum non cognoscit* fide formata et salutari scientia, *conjecturando de eo loquitur quæ non novit,* hoc est sine sapore interno et certitudinali illuminatione, quæ habentur per dona Spiritus Sancti. *Castitas discipulum facit theologum,* quia disponit mentem ipsius ad præclaras illustrationes Spiritus Sancti : « discipulum », inquam, *asserentem et firmantem dogmata Trinitatis,* trium videlicet divinarum Personarum : quæ tres Personæ superdignissimæ, sunt ipsa Trinitas supergloriosa. Itaque documenta catholica ad hanc superbenedictam Trinitatem pertinentia asserit et affirmat discipulus theologiæ *per ipsum* theologum, id est per se ipsum (seu proprio ore) in quantum theologus est.

Qui diligit Dominum, prædilexit et fratrem suum, id est, proximum diligit plus quam exteriora bona terrena, imo plus quam proprium corpus. (I *Joann.* IV, 21.) *Ostensio enim prioris est secundum,* hoc est, caritas proximi est signum caritatis Dei. *Qui proximum diligit, detrahentem nunquam sustinebit, sed magis fugiet ab eo quasi ab igne.* Attendamus et impleamus hoc saluberrimum documentum, ne detrahentem audiendo aut sustinendo, involvamur transgressioni et damnationi ipsius. Unde et Salomon in suis Proverbiis dixit : Ventus Aquilo dissipat nubes, et facies tristis linguam detrahentem. (*Prov.* XXV, 23.) *Qui irascitur fratri suo,* loquendo de ira per vitium, *et dicit se Deum diligere, similis est ei qui currit in somnis,* id est, a se ipso decipitur, et vana inutilique æstimatione illuditur.

Spes est imperium castitatis. Exspectatio enim æternæ felicitatis incitat hominem ut corpus suum ab omni voluptate refrenet et castum immaculatumque custodiat : ideo subditur, *quia per hanc* spem *exspectamus et suscipimus mercedem et retributionem caritatis,* id est æternæ jucunditatis, quæ per caritatem principaliter obtinetur ac promeretur.

Spes est locupletatio incertarum et occultarum divitiarum : hoc est, spes est virtus per quam in præsenti vita meremur exaudiri a Deo, ac spiritualibus donis repleri ab eo, in futuro quoque salvari. Quis (*Eccli.* II, 11, 12.)

enim speravit in Domino et derelictus est? Denique spiritualia dona dicuntur incertæ et occultæ divitiæ, quia non solum latent alios, sed et ipsum habentem : quia ignorat homo an habeat caritatem illam veram et bona gratiæ ei annexa. *Spes est thesaurus absque hæsitatione ante thesaurum,* id est certa inchoatio et exspectatio divitiarum regni cœlestis antequam divitiæ illæ realiter possideantur : nunc enim per spem et meritum aliqualiter possidentur.

Spes est requies laborum. Qui enim in Dei servitute laborat ex confidentia divinæ remunerationis, respirationem et relevamen sortitur. *Ipsa porta est caritatis,* quia ad ejus incrementum perducit et eam accendit. *Spes desperationem occidit, estque imago bonorum absentium,* id est virtus repræsentativa eorum, quia ad eorum intuitum movet, atque ut tactum est, spes est inchoatio futurorum bonorum,
Hebr. XI, 1. quemadmodum fides est substantia rerum sperandarum.

Defectus spei est exterminatio caritatis. Spei illuminatio est caritatis manifestatio. Per hoc enim ostenditur homo caritatem habere, quod illuminatam, id est operibus decoratam et sapientiæ luce perfusam, spem habet.

Spe ligantur dolores, suspenduntur labores : quia ex spe infinitæ beatitudinis conferendæ, dolor omnis vitæ hujus mitigatur, et labor omnis quasi pro nihilo reputatur. *Spem gyrat et circumdat misericordia.* Circa principium hujus capituli
p. 490 B'. dictum est, quod spes « circumgyrat misericordiam »; nunc autem asseritur, quod « misericordia gyrat et circumdat spem »: ergo se invicem complectuntur, et misericordia Dei undique prævenit, ambit exauditque spem.

Monachus bene sperans, hoc est, spem suam condignis exornans operibus, *est occisor acediæ, et triumphat de illa in gladio ejus,* hoc est, ex consideratione proprietatis et impugnationis acediæ eam vehementius detestatur et abjicit, et quo importunius impugnatur ab ea, eo ferventius atque fiducialius resistit eidem.

Experientia donorum Dei spem parit. Quanto enim quis experitur se copiosius divinis charismatibus adimpleri, eo plus spes ejus augetur. *Qui enim inexpertus est* de donis et piis visitationibus Creatoris, *sæpius fluctuat nec est firmus in spe. Furor spem solvit,* id est, actum spei tollit aut minuit. *Spes quippe non confunditur,* id est, bono sperato non privatur, nec Rom. V, 5.
a Deo contemnitur; *vir autem furibundus est inhonestus,* quoniam ratio excæcatur in eo : ideo fatue agit, et instar bestiæ agitatur, nec tamen suam advertit insaniam.

Caritas est ministratrix philosophiæ, id est procuratrix et adductrix sapientiæ, quoniam illuminationem Dei meretur, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est :
Qui timetis Dominum, diligite illum, et Eccli. II, 10.
illuminabuntur corda vestra. *Caritas est exhibitrix et operatrix prodigiorum.* Viri namque in caritate perfecti faciliter obtinent ab Omnipotente tempore opportuno perpetrationem miraculorum. *Caritas est illuminationis abyssus,* id est copiosissima causa impetrandi illuminationem divinam, et ipsamet caritas tenebras vitiorum expellit, atque præ omni virtute mentem adornat.

Caritas fons ignis, hoc est spiritualis fervoris, *quanto sursum emanaverit,* id est, quanto plus creverit et Deo propinquaverit, *tanto plus sitientem inflammabit. Caritas est mater pacis,* quoniam facit voluntatem humanam concordare cum Deo et tranquillari in eo. Unde scriptum est :
Pax multa diligentibus legem tuam. *Est* Ps. CXVIII, 165.
quoque fons sapientiæ, et radix immortalitatis et gloriæ : nam inter omnes virtutes ipsa potissime promeretur hæc omnia, nec alicui virtuti competit promereri nisi per caritatem, quæ dicitur forma, vita et vertex universarum virtutum. *Caritas est statio angelorum,* quia per caritatem sunt confirmati et collocati in Deo, *profectus sæculorum,* id est omnium hominum ele-

ctorum, quorum profectus secundum caritatem semper attendebatur.

Cant. i, 6. *Annuntia nobis, o caritas pulchra in virtutibus,* id est virtutum pulcherrima, *ubi pascas oves Christi,* quæ caritate potissime reficiuntur : et hoc facit caritas in Ecclesia militante; *ubi habites in meridie,* id est in tuo summo fervore : quod maxime est in cordibus supernorum civium. *Illumina nos, pota nos, deduc nos, manu duc nos : quia de cetero jam volumus as-*
I Par. xxix, 12. *cendere ad te. Tu enim dominaris universis,* id est, voluntates omnium electorum B et virtuosorum subjicis tuæ inspirationi ac Deo ; *nunc vero animam meam cordialiter vulneravi, et flammam tuam continere,* id est occultare, *non possum. Lau-*
Ps. lxxxviii, 10, 11. *dans te quo ibo ? Tu dominaris potestati maris,* id est, motibus cordis amari et inquieti jubes ac prævales. Ideo subditur, *motum autem fluctuum,* id est tumultuantium desideriorum et evagationum, *ejus tu mitigas atque mortificas. Tu humiliasti sicut vulneratum cogitationem super-*
I Cor. xiii, 4. *bam,* eam prorsus abjiciendo : caritas enim C non inflatur. *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos,* id est, in eminentia potentiæ tuæ expulisti aciem vitiorum, quæ omnia te intrante diffugiunt. Vel inimici caritatis sunt omnes in mortali peccato exsistentes. De quibus subjungitur : *et sine prælio et impugnatione facis tuos amatores.* Mox enim ut caritate eorum corda tanguntur, acquiescunt atque obtemperant ei.

Igitur adveni docere, id est, veni ut
Gen. xxviii, 12, 13. doceas nos, *qualiter Jacob contemplatus* D *est te innixam et firmatam super scalam. Precor, edissere,* id est, mihi expone, *amanti, quæ vere est species,* id est decor et exsistentia, *hujus viæ superni regressus,* hoc est scalæ virtutum, per quam ad supernum paradisum reditur. Edissere quoque mihi *quis sit modus et collecta constructionis et compositionis illorum graduum,* hoc est, quæ sit qualitas, dispositio atque
Ps. lxxxiii, 6. connexio spiritualis structuræ virtutum et virtuosorum profectuum, *quos amator tu-* A *us disposuit in corde suo tanquam ascensus salubres,* per quos ad Deum deorum attingitur.

Sitivi item cognoscere quis sit numerus eorum, scilicet graduum prædictorum : et sicut jam patuit, triginta sunt gradus isti ; *quantum vero utique est tempus cursus,* hoc est, concupivi scire infra quantum tempus possit quis ad summum gradum hujus scalæ pervenire. Et constat quod in hoc non est regula generalis et certa, sed quanto quis magis aptaverit se ad gratiam Dei, et quanto gloriosius prævenitur a Deo, eo ceteris paribus citius proficit et pertingit. *Quoniam qui didicit tuam luctam,* id est, qui per experientiam novit, o caritas, qualiter homo debeat se exercitare in te et contra adversarios tuos, *annuntiavit manuductoribus visionem,* id est, edocuit alios quod ipse novit, et qualiter intelligenda sit mystice visio scalæ cui innixa es, declaravit « manuductoribus » aliorum, id est prælatis, aut etiam his qui per fidem et discretionem se dirigunt in ascensu virtutum ac graduum ; *sed nil aliud quam visionem hanc voluit illuminare,* id est aliis declarare, *magis autem non potuit plus quam hoc.*

Ipsa autem caritas *tanquam regina de cœlo apparens, visa est mihi hoc dicere propius (quod in unione spirituali colloquens animæ meæ dixit) : O amator, nisi obliviscens obliviscaris hebetudinem et grossitiem insipientiæ,* id est omnem carnalem, mundanam deceptoriamque prudentiam, quæ inimica est Deo et stultitia Rom. viii, 7; I Cor. iii, 19.
coram eo, *discere non vales qualis est visio mea et adspectus,* id est, qualiter sit intelligenda apparitio mea in scala Jacob. *Sed scala te doceat spiritualem constructionem et compositionem,* id est connexionem, *virtutum.* Et de hoc in exordio libri p. 18 in fine.
hujus facta est mentio. *Porro in vertice scalæ ego innixa sum et firmata, secundum quod magnus meus doctor,* videlicet Paulus, *ait : Nunc autem manent fides,* I Cor. xiii, 13.
spes, caritas, tria hæc ; major autem horum est caritas.

EXHORTATIO AD ASCENSUM

ASCENDITE, fratres, ascendite; prompte et firmiter perficite, disponentes in corde vestro ascensiones, audientes dicentem : Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei nostri, qui perfecit pedes nostros tanquam cervorum, et statuit nos super excelsa ut vincamus in via ejus. Curramus, precor, cum illo qui ait : Festinemus donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : qui baptizatus est quum esset triginta annorum ætate visibili; qui et in scala nostra intellectuali supercollocatus est in gradu tricesimo, quoniam caritas est Deus, qui est Christus. Cui hymnus, imperium, fortitudo; cui inest omnium bonorum causalitas : qui et erat ante mundi constitutionem, et erit per infinita sæcula. Amen.

Ps. lxxxiii, 6. Is. ii, 3. Ps. xvii, 34. Ephes. iv, 13. Luc. iii, 23.

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO EXHORTATIONIS AD ASCENSUM.

A *SCENDITE, fratres, ascendite; prompte*, id est expedite, *et firmiter perficite, disponentes in corde vestro ascensiones, audientes dicentem*, videlicet Isaiam : *Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei nostri, qui perfecit pedes nostros tanquam cervorum, et statuit nos super excelsa ut vincamus in via ejus. Curramus, precor, cum illo qui ait*, puta cum Paulo dicente : *Festinemus donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Omnia verba hæc sunt verba Scripturæ canonicæ, quæ suis locis exposita sunt : ideo brevitati studens, ea nunc non expono.

Ps. lxxxiii, 6. — Is. ii, 3. — Ps. xvii, 34. — Ephes. iv, 13.

Itaque taliter festinemus in occursum Christi, *qui baptizatus est quum esset triginta annorum ætate visibili*, id est corporali; *qui et in scala nostra intellectuali supercollocatus est in gradu tricesimo*, utpote in gradu supremo, tanquam innixus scalæ, *quoniam caritas est Deus, qui est Christus* : nam unaquæque divina et increata Persona est essentialiter caritas ipsa æterna, quæ est divina essentia. Interea sive caritas infusa creata, sive caritas increata, videlicet Christus, dicatur scalæ innixa, redit in idem. Caritas namque est finis ceterarum virtutum, ascensionum ac graduum formaliter inhærens : Christus autem ut Deus, est finis illarum objectalis, in quo salus consistit. *Cui hymnus, imperium, fortitudo; cui inest omnium bonorum causalitas*, id est potentia creativa, quum sit universorum prima causa, sicut in Apocalypsi testatur : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus. *Qui et erat ante mundi constitutionem, et erit per infinita sæcula. Amen.*

Luc. iii, 23. — Apoc. xxii, 13.

FINIS ENARRATIONUM IN SCALAM PARADISI

S. JOANNIS CLIMACI

SCALA PARADISI

AMBROSIO CAMALDULENSI INTERPRETE

VENERABILI DOMINO, MERITO AMATISSIMO PATRI MATTHÆO, AMBROSIUS HUMILIS MONACHUS SALUTEM.

HORTATUS es, Domine amantissime, et merito venerabilis Pater, ut Fratrum nostrorum commodis consulens, beatissimi viri Joannis (cui ob insignem, puto, eruditionem Climaci cognomen fuit) opus illud egregium in quo totius monasticæ perfectionis norma rectissime traditur, meo labore et studio in Latinum nova traductione converterem. Aiebas enim priorem illam interpretationem[1] *tibi parum satisfacere, viderique ad intelligendum difficillimam : difficultatis ipsius causam prudentissime conjiciens, quod is scilicet qui prior transtulit (quicumque tandem ille fuerit : nam temere id definire non audeo), nimium inhæsisset litteræ, atque contra veterum eruditorum præcepta, de verbo ad verbum transtulisset. Exspectabasque a me ut sensum illius viri apertius atque lucidius promerem. Id ego negotium, etsi præterquam erat laboriosum, plurimorum etiam patere morsibus non ignorabam (neque enim deerunt qui me superfluum quemdam, et quod gravius sonat, arrogantem et temerarium insimulent : qui post priorem illum interpretem, quem afflatum Spiritu Sancto id opus transtulisse, pertinacius fortasse quam consideratius asseverabunt, denuo transferre ausus sim); ne tamen reluctando diu, criminis in te fierem reus, neve Fratrum nostrorum, qui id tecum avidissime exspectant, quique mihi vita mea cariores sunt, votis deessem, fretus orationibus atque auctoritate tua, me totum ad obtemperandum contuli, ipsumque opus ex integro converti, prioris illius interpretis vestigia omnino deserens, sensum ejus lucide, quantum pro ingenii tenuitate licuit, exprimere conatus.*

Sane istiusmodi hominibus, qui laborem hunc nostrum, sive caritatis instinctu mihi a vanitate metuentes, sive stomacho suo servientes, inutilem

[1] Agitur de versione cujus auctor est [illegible]

et minime necessarium dicturi sunt, pro me ipso respondebis. Æquissimum enim (meo quidem judicio) videtur, ut tibi curam hanc totam respondendi permittam, qui me ad id opus vel jubentis imperio vel affectu blandientis hortatus es, ut scelus maximum existimarem votis tuis diutius reluctari. Sciant tamen qui erunt ad vituperandum proniores, me non sine ratione hoc fecisse. Quum enim sim (quod ingenue ac libenter confitebor) juris tui, quid mihi minus integrum esse potuit quam, non dicam jussioni, sed vel voluntati tuæ contradicere? Aut igitur isti quid sit virtus obedientiæ ignorant, aut calumniari irrationabiliter videntur. Præterea traductionem illam esse obscurissimam ne ipsi quidem negabunt : quod ergo crimen meum est, si quod ille obscurius transtulit, apertius ipse et aliquanto etiam Latinius convertere conatus sum? Porro quam fuerit ille interpres eruditus, quid attinet dicere? Contendant isti peritissimum in utraque lingua exstitisse; ego ab illis longe dissentiens, in neutra satis peritum fuisse veraciter asseverabo : nam Græca pleraque non recte intellexisse, cuilibet ejus linguæ vel mediocriter perito facile constabit; et Latina posuisse qui affirmat, sese imperitissimum esse haud obscure significat. Sanctissimum virum illum fuisse hi asserant : facile ac perlibenter consentiam. Non tamen quia sanctus fuerit, eruditum etiam fuisse sequitur, atque idoneum ad transferendum : aliud enim sanctitas est, atque aliud eruditio. Imo vero si sanctus fuit, ne id quidem tentare debuit quod commode implere non posset, neque id onus subire quod virium suarum excederet modum. Facit enim injuriam doctissimo viro, qui illum imperite ac rustice loquentem reddit. Sed hæc fortasse liberius quam verecundiæ meæ conveniebat, necessario tamen, ut reor, a me dicta sunt, ne sine causa me transtulisse homines existiment.

Habes, Pater optime, quid hujusmodi hominibus, quantum ego arbitror, recte respondere possis. Tibi enim, ut dixi, curam istam delegavi. Reliquum est ut nos sicut verbis instruis, ita orationibus juves, quo pelagus istius sæculi undosum ac procellis sævientibus invium, precum tuarum remigio, tuto trajicere possimus. Sanctam venerandamque canitiem tuam Christus Dominus noster ævo longiori tranquillam tueatur, domine venerabilis ac merito desiderabilis.

NOTA. — Sequens Vita Joannis Climaci ab Ambrosio quoque ex Græco versa est.

VITA JOANNIS CLIMACI

SUB COMPENDIO A DANIELE HUMILI MONACHO CONSCRIPTA.

QUÆNAM hunc virum divinum civitas tulerit, atque ante cœlestis militiæ gloriosam exercitationem educaverit, non facile dixerim, quum id mihi non satis diligenter exploratum sit. Quænam vero modo ipsum ferat, æternisque et immortalibus deliciis pascat, longe ante nos Paulus expressit. Est enim et ipse penitus cœlestis illius Jerusalem effectus municeps, in qua Ecclesia primitivorum est, quorum *Hebr.* xii, 23.
(inquit) conversatio in cœlis est; ubi spiritu purgatissimo atque ab omni materia re- *Phil.* iii,
moto divina insatiabiliter hauriens, pulchritudines invisibiles contemplans, digna sudo- 20.
rum præmia recipit, laborumque mercedem quietissimam refert. Nam cœlestis regni hereditate potitus, cum illis jam in æternum tripudiat, jungitque lætitiam cum iis quorum pes stetit in directo. Quonam vero modo beatitudinem istam sibi comparavit, jam *Ps.* xxv, 12.
dicere instituam.

Hic quum per ætatem corpoream sedecim ferme esset annorum, se ipsum obtulit Christo sacrificium gratum atque acceptabile, monasticæ vitæ jugo colla subjiciens in monte Sinai, eo puto consilio, ut ipsa visibilis loci commoratione admonitus, ad invisibilem Deum facilius dirigeretur et aptius perduceretur. Atque peregrinationem ut intellectualium adolescentularum magistram in primis adamavit, per quam turpi et noxia confidentia omni rejecta, humilitate honestissima assumpta, dæmonem illum a quo nonnunquam ut nobis ipsis placeamus nobisque confidamus inducimur, a se penitus eliminans, ab ipso quoque cordis aditu rejecit. Inclinans vero cervicem, et confidens in Domino, ac ei qui se susceperat Patri veluti optimo cuidam gubernatori se totum submittens, altissimos atque sævissimos vitæ præsentis fluctus sine periculo trajiciebat. Adeo vero perfecte mundo propriisque voluntatibus mortuus erat, ut inexpertem rationis ac voluntatis animam quamdam habere videretur, atque proprietate naturali omnino liberatam : idque, quum ante hanc cœlestem simplicitatem, mundanæ sapientiæ non fuerit imperitus, sane mirabilius est. Philosophiæ enim tumor, a Christi humilitate, ut plurima alia, longe remotus est. Decem igitur et novem annis ita conversatus est, ac beatæ subjectionis exemplar omnibus factus.

Quum is qui se exercuerat senior sanctus migrasset ad Christum, et ipse ad vitæ solitariæ studium egreditur, illius orationibus ut armis potentissimis fretus ad destru- *II Cor.* x, 4.
ctionem munitionum Satanæ. Quinto autem ab ecclesia lapide, palæstræ suæ domicilium constituit, loco cui Tholas nomen est; ibique quadraginta annos summa animi magnanimitate et alacritate transegit, ardentissimo amore ac divinæ caritatis igne semper æstuans. Jam vero quis possit quantos illic pertulit labores, digne aut verbis aut plausibus prosequi? Quomodo enim id efferri in lucem poterit, quum omnis ejus labor clam et sine arbitrio exactus sit? Verumtamen ex primitiis quibusdam et velut præviis oblationibus, beatissimi viri sanctum vitæ institutum audiamus.

Edebat quidem ex omnibus quæ sibi per professionis suæ votum edere licebat, sed modice omnino, ut et ex hoc fastum atque elationis cornu sapientissime dejiceret : brevitate quidem victus, insanam gulæ rabiem penitus affligens, atque illi per inediam clamans, Tace, obmutesce; et ex omnibus modice gustando, tyrannidem inanis gloriæ

sub jugum mittens. Solitudine præterea et raro hominum congressu, fornacis hujus flammam, luxuriam scilicet, adeo exstinxit, ut omnino obstructa sedaretur, nullasque
Coloss. III, 5. molestias irrogaret. Cupiditatem vero, quam idolorum venerationem Apostolus esse definivit, misericordia Dei rerumque exiguitate fortissime fortis iste superavit. Acediam vero animique desidiam, quam merito jugem animæ mortem dixerim, mortis memoria jugique pietatis exercitatione devitavit. Quumque nullius mortalis rei affectione teneretur, æternorumque solum sensu pasceretur, noxiæ tristitiæ liber evasit. Iracundiæ vero tyrannidem in se ipso per obedientiæ gladium occiderat. Raro præterea congressu corporis, rariorique usu sermonis, inanis gloriæ sanguisugam araneæ simillimam mortificavit. Quid octavi vitii supremam diligentissimamque emundationem, superbiæ scilicet, prosequar? Quam cœpit quidem per obedientiæ mansuetudinem novus hic Beseleel, perfecit vero cœlestis Jerusalem Dominus, præsentia sua adveniens, humilitatemque adversus illam exaltans, qua sine diabolum ejusque conformem classem destrui possibile non est. Ubi vero in hujus coronæ contextu ponam lacrimarum illius fontem, rem quidem raram, et quæ in multis non facile invenitur? Quarum hodie superest secreta officina, spelunca brevissima in extremitate quadam ad radicem montis posita, tantumque ab illius atque omni alia cellula remota, quantum ad obserandas gloriæ inanis aures satis esse videbatur; ad cœlum vero usque gemitibus, suspiriis, singultibus precibusque, et ejusmodi reliquis quæ ab his fieri solent qui gladiis cauteriisque punguntur et quibus effodiuntur oculi, pertingens. Somnique tantum capiebat quantum sufficere posse arbitrabatur ad servandam animi intellectusque substantiam, ne per enormitatem vigiliarum contabesceret. Ante somnum vero ut plurimum orationibus vacans, libellos etiam conscribere solitus erat, quo solo opere acediæ languorem ab se fugabat. Porro cursus ejus omnis perpetua erat oratio, amorque incomparabilis ad Deum : hunc enim die noctuque in mundissimo castitatis speculo intuens, satietatem ullam capere nolebat, imo vero, ut magis proprie eloquar, non poterat.

Hujus aliquando divini Patris vitam imitari cupiens, ejusque disciplinis imbui, atque ab eo veræ philosophiæ elementa percipere, quidam ex his qui vitam solitariam delegerant, Moyses nomine, plerosque sanctorum Patrum precatores exhibuit, per quos ut se in discipulum susciperet, summis precibus oravit. Igitur illorum precibus fretus, a sancto viro ut optaverat susceptus est. Huic aliquando sanctus Pater præceperat ut quodam ex loco pinguis glebæ materiam conveheret pro lætiori hortuli olerumque cultura. Perveniens igitur Moyses ad denotatum sibi locum, quod jussus fuerat impigre exsequebatur. Sed quum jam meridianum tempus adesset, et solis incendio, fornacis in morem locus ille ignesceret (erat enim mensis Augustus), victus Moyses et ex transvectione fatigatus, aliquantula requie opus sibi esse decrevit, atque sub immanis saxi umbra se ipsum dimittens, obdormire cœpit. Sed clementissimus Deus fideles servos suos in nullo contristari permittens, quum jam periclitaretur Moyses, consueta illum misericordia hoc modo præoccupat. Magnus hic pater noster Joannes quum in cellula sua degeret, sibi ipsi et Deo ut consueverat vacans, in somnum quemdam tenuissimum incidit, viditque per visum virum quemdam augustiori facie et habitu, se excitantem somnosque sibi exprobrantem, ac dicentem : Tune, Joannes, ita secure obdormis, et Moyses periculo proximus est? Citius itaque evigilans, oratione statim armatur, pro discipulo supplicans. Quem postmodum ad vesperam revertentem interrogat num aliquid sibi adversum atque insperatum contigisset. Tunc ille : Saxum (inquit) miræ magnitudinis parum abfuit quin me demoliretur et penitus contereret, quum sub illo profunde obdormirem, nisi vocem tuam me audire existimans, ex loco concito saltu timore plenus desilissem : quo facto, continuo saxum illud e ripa evulsum ac terræ

affixum conspexi. Quo audito, vir Dei vere mente humilis, nihilque ex his quæ viderat et audierat discipulo annuntians, occultis clamoribus et intimæ caritatis vocibus hymnum dicens, gratias uberrimas retulit Deo.

Erat etiam vir sanctus occultorum vulnerum medicus. Monachus enim quidam Isaac nomine, quum aliquando gravi carnis æstuaret incendio, cursu ad illum pervenit undique mœrore circumfusus, intestinumque bellum singultibus et lacrimis patefecit. Ejus itaque fidem et humilitatem vir Dei admiratus, blande his vocibus consolatur, dicens : Stemus (inquit) ambo ad orationem, fili, et omnino clemens et misericors Dominus preces non despiciet nostras. Quod quum factum fuisset, necdum oratione completa, adhuc prono in faciem infirmo Fratre prostrato, voluntatem servi sui Dominus fecit, ut ex hoc Prophetam suum vera dixisse ostenderet : serpensque carnis effugit, flagellis *Ps.* [illegible] intensissimæ orationis edomitus. Porro is qui hactenus fuerat æger, liberatum se ægri- [illegible]
tudine conspiciens omnique jam hujusmodi perturbatione curatum, obstupuit valde, Deoque et inclyto ejus famulo gratias retulit.

Quum vero præterea hic venerandus Pater verbo gratiæ ad se venientes affatim exsatiaret, ac doctrinæ fluenta largissime profunderet, maligni quidam homines invidiæ facibus inflammati, tantamque frugem quanta ex illius doctrina gignebatur cohibere molientes, loquacem illum ac nugacem vocare cœperunt. Quod ille animadvertens, cunctaque in eo qui se confortabat Christo posse edoctus, nec solum per sermonis [illegible]
exhortationem eos qui ad se utilitatis suæ causa veniebant erudire volens, sed multo [illegible]
potius per silentium et per operum philosophiam ; ut sicut scriptum est, abscinderet II *Cor.* x.
quærentium occasiones, usque ad certum tempus tacere instituit, mellifluumque do- 12.
ctrinæ fluvium compescere : satius esse et melius existimans, hoc interim detrimento affici studiosos bonorum amatores, quibus fortasse per silentium amplius profuturus erat, quam ingratos illos judices amplius irritari, ne ulterius eorum malitia et malevolentia excresceret. Quocirca et illi reveriti humilitatem ac modestiam viri, consciique quod sibi ejusmodi utilitatis fontem obturaverant, quantique detrimenti omnibus exstiterant, ad virum supplices adveniunt, doctrinæque sermonem communi voto cum aliis exposcunt. Cessit igitur statim, ut qui contradicere non norat, et denuo prioris status arripuit normam.

Quum igitur ita bonis omnibus excelleret ut similis inveniri non posset, uno simul omnes voto unoque affectu, tanquam novum quemdam Moysen, invitum illum ad Fratrum magisterium et regimen assumpserunt, lucernam (ut ita dixerim) super principatus candelabrum elevantes, optimi sane talium judices, nec spe sua frustrati sunt. Ascendit enim et ipse ad montem, sacratamque caliginem subiens, Dei manibus conscriptam legem suscepit ; Deique contemplatione fruens, et intellectualibus gradibus scandens, verbo Dei aperuit os suum, et spiritum attrahens, eructavit verbum bonum *Ps.* cxvii
de bono thesauro cordis sui. Sic igitur implevit finem visibilis vitæ in principatu 131. *Luc.* x
45.
Israelitarum monachorum, in hoc solum a Moyse differens, quod supremam Jerusalem summa facilitate conscendit : ille enim nescio quomodo etiam terrena frustratus sit.

Attestantur autem his quæ diximus, quotquot per eum Spiritus Sancti eloquiis et gratia potiti sunt ; plurimique ex his ejus gratia salvati sunt hodieque salvantur : testis optimus sapientis hujus salutis simulque sapientiæ novus David ; testis item et pastor noster optimus Joannes, a quo magnus ille exoratus, de Sinai monte ad nos usque animæ cognitione descendens, veluti novus aliquis Dei speculator suas a Deo tabulas inscriptas ostendit nobis, extrinsecus quidem activæ vitæ, intrinsecus vero contemplativæ doctrinam continentes.

EPISTOLA JOANNIS ABBATIS RAITHU

AD JOANNEM ABBATEM MONTIS SINAI, COGNOMINATUM CLIMACUM.

DOMINO singulariter mirabili, æquali angelis, Patri Patrum et doctori eximio, Joanni abbati montis Sinai, Joannes peccator, abbas Raithu, in Domino salutem. — Agnoscentes nos a perfectione longius remoti, tuam discussionis ignaram singularemque ac virtutibus ceteris ornatam obedientiam, in ea præsertim parte in qua te cum talento tibi a Deo tradito lucrari convenit, hujusmodi supplicatione utimur,
Deut. XXXII, 7. prophetici illius dicti memores : Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi. Quocirca tibi veluti communi omnium Patri, cunctisque in exercitationis lucta seniori, mentisque acumine ac virtutibus omnibus et perfectione doctrinæ prædito, per nostras litteras procidimus, virtutumque tuarum culmen exoramus ut nobis imperitis ac rudibus ea præscribas quæ in divina speculatione, sicuti ille olim Moyses, in hoc ipso monte vidisti, ac veluti tabulas quasdam divinitus scriptas, librum ad nos a te dimittas atque in doctrinam novo Israeli proponas, eis scilicet qui perfecte atque integre de spirituali Ægypto atque vitæ hujus mari exierunt. Sicut igitur deiloqua lingua instar virgæ fretus mirabilia in mari gessisti, ita nunc quoque exoratus, ne declines monasticæ perfectioni congruentia (ut es revera summus magister) impigre summaque cum moderatione describere, in salutem et consolationem omnium qui sanctam hanc atque evangelicam conversationem elegere. Neque assentandi gratia istud a nobis dici arbitreris : nosti quippe, o sanctum caput, istiusmodi adulationes alienissimas esse a proposito atque instituto nostro. Sed illud nos dicere existima, quod certissime omnes et vident et intelligunt et dicunt.

Idcirco confidimus in Domino cito suscipere atque complecti quod speramus, insculptos tabulis venerandos apices, quibus hi veraciter ducantur qui sine errore sequi eos cupiunt, ac veluti quamdam scalam usque ad cœli januas erectam, eosque qui cupiunt ascendere innocuos illæsosque perducentem, transcendentes libere et absque ullo im-
Ephes. VI, 12. pedimento spiritualia nequitiæ, et mundi rectores tenebrarum, et principes aeris.
Gen. XXVIII, 12, 13. Nempe enim si Jacob ille, pastor ovium quum esset, adeo terribilem scalam in visione conspexit, multo profecto magis rationabilium pecorum magister, non visione solum, sed veritate quoque, ascensum ad Deum tutum et errore omni liberum ostendet.

Vale in Domino, carissime ac nimium venerande Pater.

EPISTOLA JOANNIS CLIMACI

JOANNES Joanni gaudere. — Accepi convenientissimam honestissimo tuo atque impassibili instituto, mundoque et humili cordi, quam ad nos pauperes et virtutibus inopes scripsisti venerandam epistolam tuam, imo vero præceptum ac vires nostras excedentem jussionem. Tuum enim erat revera, tuum tuæque sanctæ animæ proprium, nobis rudibus, verbo et opere imperitissimis, doctrinæ atque correptionis

præcepta præscribere. Familiare enim tibi semper fuit, nobis per te ipsum proponere humilitatis exempla. Sed nos, ut id fateamur quod verissimum est, nisi metus et periculum esset jugum sanctæ obedientiæ, quæ virtutum omnium mater est, a nobis excutere, nunquam profecto ea quæ supra vires nostras sunt, tentare ausi fuissemus. Oportebat enim, o admirabilis Pater, conveniensque erat, hæc te ab illis potius quærere qui ea jamdudum calluissent. Nos enim in discipulorum adhuc ordine annumerandi sumus. Quoniam vero deiferi Patres nostri veracisque scientiæ magistri obedientiam definiunt, in iis rebus quæ supra vires sunt nihil discernendo obtemperare præcipientibus, imbecillitatem nostram piè obliti ea quæ supra nos sunt audacter tentare aggressi sumus. Non quidem ut aliquid quod tibi profuturum sit, nos dicturos putemus, aut certe aliud explanaturos quod ipse longe melius non noris quam nos, o divinum sacrumque caput : mihi enim persuasum est (puto autem quod et prudentium singulis) mundissimum tuæ mentis oculum ab omni terrena et tenebrosa purificatum conspersione, libere et absque ullius obicis retardatione divinam intueri lucem, atque ab ipsa omnino illustrari. Ceterum (ut dixi) inobedientiæ notam reformidans, et veluti metu ad obediendum impulsus, timore simul ac desiderio tuæ sanctæ jussioni obtemperare institui, ut gratus obediens, atque pictoris optimi inutilis filius, exili et admodum tenui scientia mea gracilique oblatione, solo atramento simpliciter viventia eloquia adumbrans, tibi vero jam relinquens, o magistrorum summe et congregationis princeps, ista et ornare et clarius disserere, atque ea quæ desunt implere, tanquam servatori spiritualis legis. Hunc tamen sane conatum nostrum non ideo misimus ad te tanquam tibi futurum emolumento. Absit id penitus : hoc enim esset extremæ dementiæ, quum ipse in Christo idoneus sis non solum alios, verum etiam et nos ipsos, moribus sacris et doctrinis erudire. Sed illum vocatæ a Deo congregationi quæ una nobiscum abs te, doctorum optime, instituitur, transmisimus. Quorum precibus quasi quibusdam spei intellectualibus manibus, imperitiæ mole leviatus, jamque calami velum explicans, atque optimo gubernatori nostro Christo verbi gubernacula promittens, votis omnibus fretus, jussione tua hujus ad illos sermonis jam initium facio. Obsecro autem omnes quorum in manus liber iste venerit, ut si quid in illo utile fortassis invenerint, id optimi præceptoris nostri esse non ingrate intelligant, nobis vero solius conatus remunerationem a Deo donari intensissima oratione deposcant : non his quæ dicuntur intendentes (sunt enim revera vilissima, atque omni ignoratione et simplicitate plena), sed propositum et alacritatem ut illius ex Evangelio viduæ suscipientes. Neque enim munerum et *Marc.* laborum multitudinem Deus mercedem reddit, sed alacri proposito atque ferventissimæ voluntati.

GRADUS PRIMUS

DE INANIS VITÆ FUGA

QUUM summe incomprehensibilis atque incircumscriptæ bonitatis Deus noster et rex (est enim convenientissimum ut ad Dei servos loqui instituentes, a Deo ipso sumamus orationis exordium) cunctas ab se conditas rationales creaturas liberi arbitrii dignitate honoraverit : alii quidem amici illius sunt, alii vero fideles ac legitimi servi, quidam penitus inutiles, alii vero ab ipso prorsus alieni, nonnulli vero

quamvis imbecilles, tamen adversarii. Et amicos quidem Dei proprie, o sacrum caput, nos rusticiores esse arbitramur eas quæ circa illum sunt intellectuales incorporeasque substantias; fideles autem servos, eos qui sanctissimæ illius voluntati obtemperaverunt et impigre ac infatigabiliter obtemperant; porro inutiles servos, quotquot divino Baptismate dignati, pacta et conventa cum illo legitime non observaverunt. Alienos vero a Deo atque inimicos intelligimus quoscumque a recta fide deviasse cernimus. Hostes autem sunt ii qui præcepta Dei non solum repulerunt atque a semetipsis abjecerunt, verum eos quoque validissime oppugnant qui ea perficere contendunt. Quamvis igitur singulis quos modo memoravimus, proprius et peculiaris debetur sermo, nobis tamen imperitis ad præsens de omnibus prosequi utile non est. Age, jam age, ad eos qui nos pie violentissimo caritatis jure subegerunt et fideliter coegerunt, fidelissimos Dei servos, indignam manum nostram per obedientiam indiscussam extendentes, et ab illorum scientia susceptum verbi Dei calamum subtristi et perlucidæ humilitati intingentes, huncque in illorum lenibus et candidissimis cordibus, velut in chartis quibusdam, imo vero spiritualibus tabulis, condentes, divinaque eloquia pingentes, hoc orationis nostræ initium sumamus.

Omnibus qui voluntate et libero arbitrio utuntur, Deus communiter proponitur, omnibus vita, omnibus salus : fidelibus et infidelibus; justis, iniquis; piis, impiis; vitiosis, vitiis carentibus; sæcularibus, monachis; sapientibus, rudibus; sanis, imbecillibus; juvenibus, provectioribus : non aliter quam infusio lucis et solis adspectus
Rom. II, 11. temporumque vicissitudines. Neque enim est personarum acceptio apud Deum.

Impius est homo igitur rationalis mortalisque naturæ sponte vitam fugiens, Creatoremque suum, qui semper est, veluti non esse existimans. — Iniquus est qui legem Dei ad intellectum suum malum violenter intorquet, et quum sit contrariæ hæreseos, Deo se credere putat. — Christianus est qui Christum, quantum homini possibile est, imitari nititur verbis et operibus et tota intentione animi, in sanctam Trinitatem recte
* irreprehensibiliter atque incomprehensibiliter * credens. — Dei amator est qui naturalium omnium rerum et earum quæ per leges sine peccato permittuntur particeps, bona quæ potest operari non negligit. — Continens est qui in medio tentationum et laqueorum versatur, moresque tranquillos, turbisque ac tumultibus liberos, viribus omnibus imitari et assequi contendit.

Monachus est ordo et status angelicus in corpore materiali et sordido consummatus. Monachus est qui solum ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore et loco et re. Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima et indefessa custodia. Monachus est castificatum corpus, expiatum os, animusque semper divino lumine irradiatus. Monachus est afflictus et mœrens animus, qui jugi mortis memoria, sive vigilans sive obdormiens, se ipsum semper exercet.

Mundi derelictio, est spontaneum odium abnegatioque naturæ, ex desiderio fruendi eis rebus quæ supra naturam sunt, tanquam ex sua stirpe, progenita. Quicumque præsentis vitæ commoda sponte alacriterque relinquunt, prorsus aut futuri regni gratia, aut ex peccatorum multitudinis memoria, aut sola divinæ caritatis causa, istud faciunt. Porro si quis nulla ex prædictis intentionibus duce id faciat, hujus irrationabilis est renuntiatio. Verumtamen finem cursus qualemcumque invenerit, agonotheta noster optimus approbat. — Imitetur is qui peccatorum suorum onus deponere festinat, eos
Joann. XI, 31. qui extra civitatem ante sepulcra sedent; nec desistat effundere fervidas et igneas la-
Ibid. 38-44. crimarum guttas cordisque tacitos mugitus, donec ipse quoque venientem videat Jesum lapidem nostræ cæcitatis a corde removentem, et Lazarum, animum scilicet, peccatorum vinculis liberantem, ministrisque angelis jubentem : Solvite illum vitiorum nodis,

et sinite ad beatam placidamque tranquillitatem ire. Sin vero alias fecerit, nihil omnino proficiet.

Quicumque ex Ægypto egredi Pharaonemque cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum ac post Deum mediatore nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem et contemplationem stans, manus extendat ad Deum, ut hoc duce directi, *Exod.* XVII, 11-13. peccatorum trajiciamus mare, atque Amalec vitiorum principem fugemus. Seducti igitur sunt qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse arbitrati sunt. Et illi quidem qui ex Ægypto egressi sunt, Moysen, qui vero ex Sodomis fugerunt, angelum *Hebr.* III, 16. Dei habuere ducem. Atque hi quidem qui ex Ægypto profecti sunt, eos significant qui *Gen.* XIX, [illegible] animarum suarum morbos per medicorum curam et diligentiam sanare cupiunt. Qui vero ex Sodomis fugere, illos designant qui miseri immunditiam corporis exuere votis omnibus desiderant. Quocirca angelis etiam, videlicet angelis æquali (ut ita dixerim) adjutore homine opus habent : nam secundum vulnerum putredinem peritissimo etiam artifice et medico egemus.

Summa revera violentia indefessisque et jugibus laboribus illi opus est qui in cœlum ascendere cum corpore nititur, idque maxime in principio renuntiationis suæ, donec mores nostri assueti voluptatibus, et cor nostrum hactenus sine doloris sensu, in amorem Dei castitatisque sanctificationem per intensissimum luctum convertantur. Labor enim revera et ingens labor summaque amaritudo proponitur, eis maxime qui negligentius affecti sunt, quod macello et voracitati assuetum canem, nostrum animum scilicet, speculationis et castitatis studiosum per simplicitatem et profundam iræ exstinctionem cautissimamque diligentiam efficiamus. Confidamus tamen quotquot vitiis pulsamur, etiam si nondum satis virium contra hæc adepti sumus; fideque firmissima infirmitatem nostram et animæ languorem Christo supplici confessione offeramus, et omnino ipsius adjutorium ultra merita nostra reportabimus, si tamen nosmetipsos jugiter in humilitatis profundum dejecerimus.

Non ignorent qui ad honestissimum istud durumque et arduum sed leve certamen accedunt, quod in ignem insilire pergunt, si quidem divini amoris ignem in se ipsis habitare cupiunt. Probet vero se ipsum unusquisque, et sic de pane illius cum amari- *I Cor.* XI, 28. tudinibus comedat, et de calice illius cum lacrimis bibat, ne ad judicium sibi ipsi militet. Si non omnis qui Baptisma consequitur, salvus est; silebo reliqua.

Cuncta abnegabunt, omnia despicient, omnia irridebunt, universa excutient, qui fundamentum optimum jactare pergunt. Porro fundamentum optimum triplex est, tribusque columnis fulcitur : innocentia, jejunio, et pudicitia. Omnes qui in Christo infantes sunt, ab his tribus incipiant, atque infantes per ætatem sibi ad exemplum sumant. Nihil in illis invenitur callidum, nihil durum, nihil simulatum; non aviditas insatiabilis, non venter inexplebilis, non ardens in corpore libidinis commotio. Ceterum secundum escarum incrementa fere etiam libidinis incentiva succrescunt.

Odiosum sane periculique plenissimum est, ab ipso statim conflictus congressu lassescere luctantem : est enim futuræ necis non obscurum argumentum. Erit nobis omnino perutile, forte et validum renuntiationis initium arripere, etiam si postmodum mollescere contingat. Anima enim quæ viriliter pugnare cœperit, rursumque debilitata cesserit, antiquæ virtutis et studii memoria quasi stimulo quodam et flagello vulneratur; atque ex hoc nonnunquam plurimi pristinum vigorem receperunt, prioresque pennas resumpserunt. Quoties igitur anima se ipsam prodiderit, caloremque amabilem ac beatissimum amiserit; inquirat diligenter qua ex causa id sibi contigerit, atque adversus illam bellum omne ac studium summis viribus resumat : neque enim poterit per aliam portam illum revocare, nisi per quam egressus est.

Qui ex timore initium renuntiationis accepit, thymiamati ardenti similis fortasse videatur, quod initio quidem ab odoris suavitate cœpit, postmodum vero in fumum desiit; qui vero ob mercedis spem, mola asinaria profecto est, quæ semper similiter movetur. Qui autem ex divina caritate sæculo abrenuntiat, ab ipsis statim initiis ignem promeruit : qui fortassis in silvam injectus, rogum semper vehementiorem ulterius exsuscitat. — Sunt nonnulli qui supra lapides lateres ædificant; sunt item alii qui super terram columnas erigunt; et sunt alii qui quum modicum itineris pedibus fecerint, cum calefactis jam artubus et nervis ocius postmodum proficiscuntur. Qui legit, intelligat quid sermo iste significet.

Tanquam a Deo et rege nostro vocati curramus alacriter, ne si forte pauco tempore vixerimus, in die mortis infructuosi inveniamur et fame pereamus. Ita Deo et Domino nostro placere satagamus ut regi suo milites : nam post militiam tunc demum a nobis diligentissima servitus exquiritur. Metuamus Dominum sicut metuimus bestias. Vidi enim viros furari cupientes, qui quum Dei metu a scelere non revocarentur, canum latratibus perterriti, statim reversi sunt; quodque Dei timor non fecerat, id canum metus effecit. Diligamus Dominum sicut amicos colimus. Vidi enim sæpe nonnullos qui quum Deum suis sceleribus ad tristitiam provocassent, nullam reconciliationis curam habuerunt; quum vero caros suos in aliqua vel levissima re irritassent, omni industria, omni intentione, omni afflictione, omni confessione delicti, per se ipsos, per cognatos, per amicos, per munerum largitionem, contra moliti sunt ut illos in antiquam caritatem revocarent.

Prorsus vero in ipsis abrenuntiationis initiis non deficiamus in laboribus : non sine labore et violentia et amaritudine virtutes operamur; quum autem jam proficere cœpimus, sine mœrore, vel certe cum minimo mœrore, exercemus; at vero quum mortalis sensus noster penitus fuerit absorptus atque ab alacritate nostra superatus, tunc jam cum omni eas gaudio et studio et desiderio et divinæ caritatis flamma perficimus. Quanto sunt laudibus dignissimi, qui ab ipsis confestim initiis cum gaudio et alacritate summa virtutes omnes arripiunt et Dei mandata perficiunt; tanto sunt miserabiles æstimandi, qui quum in hac exercitatione diutius vixerint, ægre adhuc et cum labore eas subeunt, si tamen vel tandem subeunt.

Ne illa quidem renuntiationum genera vituperemus aut condemnemus quæ casu fiunt. Vidi enim quosdam fugientes, quum procedenti regi inviti occurrissent, repente in illius obsequium atque inter illius milites adscribi, regiamque aulam una ingredi atque inter illius convivas numerari meruisse. Vidi semen in terram de agricolæ manu negligenter lapsum, fructum lætissimum ac plurimum tulisse; sicut etiam econtra. Vidi nonnunquam in taberna medicorum quemdam alterius cujuspiam necessitatis causa advenisse, ibique medici solertia et comitate deprehensum, luminibus suis injectam amisisse caliginem. Sicque fit ut in plerisque ea et firmiora sint et magis rata quæ invitis accidunt, quam quæ illis ex sua sententia provenerunt.

Nemo pondus multitudinemque peccatorum attendens, indignum se monastica professione dicat; nec se ita decipiat, ut se ipsum humilem existimet, si ut fruatur
Ps. cxl, 4. voluptatibus, arduam virtutis semitam ingredi detrectat, prætendens occasiones * in
* excusationes peccatis. Nam ubi putredinis plurimum est, ibi maxima medicorum arte opus est, ut
Luc. v, 31. ea putredo omnis depuretur : qui enim sani sunt, medicorum tabernas non adeunt. Si vocante nos terreno et mortali rege, et in suum obsequium militare nos jubente, nihil moraremur neque occasiones quæreremus, sed omnibus dimissis, illi summa alacritate pareremus; attendamus nobis ipsis, caveamusque diligenter ne forte Rege regum et Domino dominantium et Deo deorum vocante nos ad cœlestem hunc ordinem, per

nostram desidiam et negligentiam obtemperare recusemus, et postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur.

Fieri quidem potest ut is qui sæculi negotiis et ferreis curis se devinxit, incedat, sed tamen non libere : nam et hi quorum pedes ferro compediti sunt, sæpe incedunt, sed semper offendunt vulneraque suscipiunt. Is quidem qui sine uxore in mundo degit solis negotiis obligatus, ei similis est cui ferreis nexibus manus circumligatæ sunt : ideoque si ad solitariam vel monasticam vitam currere voluerit, non prohibetur. Qui vero uxori conjunctus est, ei qui vinctas habet manus et pedes similis videtur. Audivi ego quosdam in mundo negligenter permanentes dicere ad me : Quomodo possumus conjugibus una cohabitantes curisque rei publicæ circumvallati, vitam monasticam arripere ? Ad quos ego : Omnia (inquam) bona quæ facere potestis, facite; maledicta in nullum jaciatis, nemini mentiamini, furto abstinete, contra nullum elevemini, neminem oderitis, ecclesias et collectas frequentate, indigentibus misericordiam præstate, neminem scandalizetis, alienis parietibus ne propinquetis, contentique estote uxorum vestrarum stipendiis : ista si feceritis, non longe eritis a regno cœlorum. *Luc.* III. 14.

Cum gaudio et metu ad egregium istud certamen accingamur, inimicos nostros nulla ratione formidantes. Intuentur enim illi (etsi non videantur a nobis) animarum nostrarum vultus; et si illos viderint formidine contrahi vel immutari, contra nos acerbius armantur : intelligunt enim versutissimi timorem nostrum. Magno igitur animo adversus illos arma capiamus : contra eum enim qui alacriter pugnat, nullus oppugnando prævalet.

Mira dispensatione Dominus rudibus adhuc militibus suis bella temperavit, ne initio statim prælii magnitudine deterriti ad sæculum redirent. Quocirca gaudete in Domino *Philip.* IV. semper, omnes servi Dei, hoc in vobis signum primum supernæ adversum vos pietatis 4. et caritatis, quodque ille vos vocavit, agnoscentes. Et hoc item facere Deus sæpius agnoscitur. Quum enim fortes animas viderit, ab exordiis statim bello vehementiori pulsari permisit, eas celeriter coronari cupiens. Abscondit Dominus a sæcularibus stadii difficultatem (imo vero facilitatem) : si enim hanc novissent, nunquam profecto abrenuntiasset omnis caro.

Da labores juventutis tuæ Christo, et in senectute gaudebis super pacatissimæ quietis opibus. Ea quæ in juventute congregaverimus, quum in senectute postea debiles fuerimus, nos nutriunt et consolantur. Laboremus juvenes ardenter, curramus sobrie et vigilanter : mors enim incerta horis omnibus imminet. Hostes revera nequissimos habemus, acerrimos, versutos, callidos, validissimos, nunquam dormientes, invisibiles, omni materiæ impedimento liberos; ignem in manibus tenentes, templumque Dei per flammam quæ in eis est, incendere omni studio desiderantes. Nemo quum juvenis est inimicos suos dæmones audiat dicentes : Noli carnem tuam ita atterere, ne morbos et ægritudines incurras; vix enim reperietur, hac præcipue ætate, qui hanc mortificare delegerit, etiamsi se multis et lautioribus cibis privaverit. Hæc enim sane est dæmonis astutia, idque nisibus omnibus contendit, ut ingressum certaminis nostri mollem et negligentiæ plenissimum faciat, finemque post medium initio consentientem.

Ante omnia istud et inquirent et facient qui Christo fideliter servire cupiunt, ut loca, mores, sessiones ac studia quæ sibi ex Patrum spiritualium sententia et ex cognitione propria competere præviderint, eligant. Neque enim omnium est in cœnobiis degere, atque eorum maxime qui gulæ illecebris pulsantur. Neque rursus omnium est vitæ solitariæ quietem sequi, et eorum in primis qui ad iracundiam procliviores sunt. Unusquisque diligenter inspiciat cui statui aptior sit. In tribus maxime principalibus statu-

*recessionis Prov. IV, 27. Eccle. IV, 10. Matth. XVIII, 20.

bus monastica continetur vita : in anachoreseos vel cessionis* certamine et solitudine; in unius vel duorum contubernio; in cœnobii cum tolerantia commoratione. Ne declines ad dexteram vel ad sinistram, sed via regia ingredere. Medius enim prædictorum statuum aptissimus plurimis fuit. Væ enim soli (inquit Ecclesiastes) : quoniam si in acediam ceciderit, aut somnum, aut desidiam, aut desperationem, non est in hominibus qui illum erigat. Ubi vero sunt congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum, ait Dominus.

Quis ergo est fidelis et prudens monachus, qui fervorem suum servavit inexstinguibilem, et in dies usque ad finem vitæ suæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio ac studium studio, nunquam desiit?

GRADUS II

DE VACUITATE AFFECTIONUM.

Qui Deum in veritate diligit, qui futuro regno perfrui veraciter quærit, qui pro peccatis suis veraciter dolet, qui revera supplicii futurique judicii memoria tangitur, qui revera metum mortis assumpsit : nihil jam in præsenti sæculo diliget, nullius rei curis angetur, non pecuniarum, non prædiorum, non parentum, non mundanæ gloriæ, non amicorum, non fratrum, non ullius omnino terrenæ ac mortalis rei; sed omnem hujusmodi affectum, omnem harum rerum curam ab se excutiens et exsecrans, præterea et carnem suam odio habens, nudus, securus, impiger Christum sequitur, in cœlum semper adspiciens atque inde adjutorium exspectans, secundum David verba dicentis, Adhæsit anima mea post te; alteriusque memorabilis viri sententiam, qui dixit, Ego autem non laboravi te sequens, et diem aut requiem hominis non desideravi, Domine. Confusio sane maxima est, his omnibus quæ prædicta sunt omissis, post vocationem qua non homo sed Deus vocavit nos, alicujus alterius rei curam gerere quæ nobis in hora ultimæ necessitatis, videlicet obitus nostri, prodesse non possit. Hoc enim est quod dixit Dominus, converti retro, nec inveniri aptum regno cœlorum.

Ps. LXII, 9. Jer. XVII, 16, juxta LXX. Luc. IX, 62.

Non ignorans Dominus lubricum nostri tirocinii, quodque facile, si sæcularium contubernio et familiari congressu utamur, rursus ad sæculum convertimur, ad quemdam qui sibi dixerat, Permitte mihi ut abeam et sepeliam patrem meum, ait : Sine mortuos ut sepeliant mortuos suos. — Solent dæmones, quum jam sæculo abrenuntiaverimus, nobis misericordes ac pios ex sæcularibus proponere, atque ut illos beatos, nos contra miseros existimemus, ingerere, qui omni ejusmodi virtute destituti sumus. Ea utique intentione inimici nobis ista ingerunt, ut per adulterinam humilitatem nos aut ad sæculum revocent, aut si permanserimus monachi, in desperationem præcipitent. — Sunt qui sæculares homines elationis causa despiciunt et nihil existimant; sunt item et qui ut desperationis prærupta diffugiant et spem ampliorem sibi acquirant, absentes eos similiter contemnunt.

Matth. VIII, 21, 22.

Audiamus quid adolescenti illi qui cuncta fere mandata impleverat, dixerit Dominus : Unum deest tibi; vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et te ipsum pauperem constitue alienaque misericordia indigentem. Si prompte et celeriter currere

Marc. X, 21.

volumus, intentius inspiciamus quomodo omnes in sæculo manentes et viventes, Dominus mortuos dixerit, dicens ad quemdam : Sine sæculares sepelire mortuos suos sæculariter mortuos. — Nihil adolescentem illum, quominus Baptisma susciperet, impedivere divitiæ : quam igitur inanes sunt qui dicunt, quod Baptismatis gratia Dominus illi divitias vendere præcepit ? Sufficiat nobis, ut gloriam professionis nostræ certius noverimus, hujuscemodi testimonium.

Qui in mundo degunt, vigiliisque et jejuniis et laboribus aliisque afflictionibus se ipsos conterunt, quum ad vitam monachorum veluti ad quamdam probationis officinam vel stadium secedunt, priorem exercitationem suam adulterinam et fictam non ulterius arripiant. Vidi plurima variaque virtutum germina ab his qui degunt in sæculo plantari, et ex inani gloria tanquam ex cloaca et cœno irrigari, et ex ostentatione circumfodi, atque ex laudibus humanis stercorari : quæ tamen translata postmodum in desertum solum atque sæculi hominibus invium, omnisque inanis gloriæ cœnulenta aqua vacuum, confestim exsiccata sunt. Neque enim solent aquis proximæ arbores, in duris et inaquosis exercitationum locis fructum afferre.

Si quis mundum omnino odit, hic tristitiam effugit. Porro si quis qualibet visibilium rerum affectione mordetur, tristitia nondum liberatus est. Quomodo enim non contristabitur, si eo quod diligit privetur ?

In omnibus quidem grandi vigilantia nobis et sobrietate opus est; sed hoc ante omnia vigilantissime attendere et cavere debemus. Plurimos in sæculo adspexi, præ sollicitudinibus et curis occupationibusque et vigiliis mundanis, proprii corporis insanos motus effugisse; eos ipsos tamen, quum exuti curis omnibus et vigiliis ad monasticam vitam convolassent, turpiter ac miserabiliter corporis commotione sordidatos.

Attendamus nobis ipsis, ne forte dum angustam et arduam vitam nos pergere asserimus, latam et spatiosam teneamus, nosque ipsos seducamus. Angustam viam tibi indicabit : ventris afflictio, pernoctatio stabilis, aquæ mensura, panis inedia, ignominiæ salubre et purgativum poculum, subsannationes, irrisiones, ludibria, abscisiones propriarum voluntatum, offensionum tolerantia, contemptus nostri sine murmuratione toleratio, vim sibi in tolerando contumelias inferre, injurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus non succensere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati qui prædictam viam pergunt, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam et secundam et tertiam abrenuntiationem impleverit : ut scilicet primo abrenuntiet rebus omnibus et hominibus et parentibus; secundo, voluntati propriæ; tertio, inani gloriæ quæ solet obedientiam subsequi. — Exite de medio eorum, et separamini, et immunditiam sæculi nolite tangere, dicit Dominus. Quis enim apud illos miracula unquam fecit ? Quis mortuos suscitavit ? Quis dæmones expulit ? Profecto nullus. Hæc enim sunt monachorum insignia, quæ mundus capere non potest : nam si posset, superflua esset exercitatio, videlicet secessio.

Quoties post abrenuntiationem nostram dæmones parentum aut fratrum memoria corda nostra importune concalefacere cœperint, tunc maxime adversus eos orationis arma capiamus, atque sempiterni ignis memoria nos ipsos incendamus, et hujus consideratione improbum et importunum cordis ignem exstinguamus. — Si quis ejus rei nulla se affectione tangi putat, cujus privatione tristatur, hic perfecte decipitur.

Quicumque juvenes corporum amoribus et deliciis insane addicti, postmodum vitam monasticam adire cupiunt, tota intentione animi omnique vigilantia se ipsos exercere studeant, sibique deliciis omnibus et vitiis abstinendum persuadeant, ne forte fiant

Matth. XII, 45. illorum novissima deteriora prioribus. Portus enim et salutis et periculorum causa est; atque hoc novere qui intellectuale istud mare navigant. Miserabile sane spectaculum, eos in portu naufragium passos adspicere, qui in mari servati fuerint.

GRADUS III

DE PEREGRINATIONE.

PEREGRINATIO est omnium quæ sunt in patria constantissima desertio, quibus a pietatis destinatione atque exercitatione impedimur. Peregrinatio est omni confidentia noxia vacuus affectus, ignota sapientia, publicum fugiens prudentia, secreta via, invisibilis destinatio, occulta cogitatio, vilitatis appetitus, angustiæ desiderium, divini affectus argumentum, amoris copia, inanis gloriæ abnegatio, silentii profundum.

Solet fere et ista cogitatio in initiis sedulo ac vehementer perturbare amatores Dei velut divino igne : videlicet elongatio a patria et suis, intentione prosequendæ vilitatis atque afflictionis provocans hujusmodi amatores. Verumtamen quanto major est et laudibus dignior, tanto discernenda cautius est. Neque enim omnis peregrinatio si summis (ut ita dixerim) laudibus vel labiis fiat, probabilis est : nam si omnis Propheta sine honore est in patria sua, ut ait Dominus, caveamus ne forte peregrinatio fiat nobis inanis gloriæ occasio. Peregrinatio enim vera, est omnium prorsus rerum separatio ea ratione suscepta, ut nunquam cogitatio nostra a Deo separetur. Peregrinus est, luctus perpetui et penitus in memoria conditi amator. Peregrinus est, qui omnem suorum alienorumque affectum ac memoriam fugit.

Matth. XIII, 57.

Quum ad peregrinationem vel ad solitudinem properas, noli exspectare dum tecum pertrahas affixas sæculo animas : fur enim ex improviso subrepit. Multi quippe quum negligentes quosque et desidiosos secum servare molirentur, cum illis una periere, exstincto ex diuturnitate divini amoris igne. Statim ut susceperis flammam, curre (nescis enim utrum brevi exstinguenda sit) ne forte in tenebris te deserat. Servare alios non exigimur. Ait enim sanctus Apostolus : Itaque unusquisque nostrum pro se rationem, fratres, reddet Deo. Et iterum : Qui doces (inquit) alium, te ipsum non doces. Tanquam dicat : De aliis quidem nescimus, se ipsos autem omnino norunt omnes. — Qui peregrinationem amplecti instituis, cave gyrovagum et studiosum voluptatis dæmonem : solet enim peregrinatio ei præbere occasionem.

Rom. XIV, 12. Ibid. II, 21.

Præclarum est nulli rerum mortalium affici : sed hujus virtutis peregrinatio mater est. — Qui propter Deum peregrinatur, habitus omnesque affectus sæculi deponat, ne perturbationibus ludibrio sit. Qui a sæculo peregrinatur, mundum jam nullatenus attingat : solent enim diu sopita vitia facillime reviviscere.

Eva e paradiso invita exsulat ; monachus patria sua se sponte abdicat. Illa enim rursus ad concupiscendum inobedientiæ lignum pertracta fuisset; hic autem periculum profecto a carnalibus propinquis sustinuisset. — Fuge non segnius quam infestissimum flagellum, ruinæ proxima loca : ejus enim fructus qui non adest, non usque adeo desiderio movemur. — Neque hic fallaciæ furum modus te velim lateat. Suggerunt plerumque nobis ut a sæcularibus non separemur, mercedem inde maximam nos consecuturos

asserentes, si videntes feminas, nos ipsos contineamus, ac reluctando concupiscentiam superemus.

Quum annos aliquot remoti a patria egerimus, parumque religionis aliquid vel compunctionis vel continentiæ nobis ipsis acquisierimus ; tunc jam cogitationes vanitatis acrius incumbunt, utque jam revertamur in patriam importune suggerunt, ad ædificationem formamque et utilitatem plurimorum qui actus nostros et opera illicita noverunt. Quod si quam docendi facultatem aut tenuem scientiam fuerimus adepti, tunc jam ut animarum servatores et magistros ad sæculum redire persuadent, ut quæ in portu bene congregata sunt, pessime in pelago dispergant. — Non uxorem Lot, sed ipsum imitari studeamus : anima quippe quæ illuc unde exierat conversa fuerit, ut sal infatuabitur, jamque immobilis manebit. Fuge Ægyptum, atque ita fuge ut nunquam illuc revertaris : corda enim quæ illuc reversa sunt, pacatissimam quietissimamque terram Jerusalem non adspexerunt.

Illicitum tamen non est ut hi qui in initio conversionis ob tuendam spiritualem infantiam suam omnia patriamque reliquerunt, quum perfecte purgati fuerint ad eam utiliter redeant, ea scilicet intentione, ut quum ipsi salute potiti fuerint, nonnullis etiam causa salutis fiant. Siquidem et Moyses ille qui Deum viderat, ad salutem gentis suæ a Deo missus, plurima in Ægypto pericula, videlicet in mundo tenebras, pertulit.

Utilius est parentes mœrore afficere, quam Deum. Ille enim nos formavit simul et redemit ; illi vero quos dilexerunt, nonnunquam perdiderunt. — Peregrinus ille est qui veluti alterius linguæ inter ignotæ sibi linguæ homines, in sui agnitione secum habitat.

Non quo propinquos nostros et patrios agros oderimus, idcirco ab illis secedimus (absit id penitus), sed ut detrimentum quod ab illis in nos manare solet fugiamus. Qua in re, sicut fere in omnibus aliis, Dominus noster nobis magister et documentum est, qui et ipse sæpenumero parentes reliquisse deprehenditur. Et quum a quibusdam audisset, Ecce mater tua et fratres tui quærunt te ; mox præceptor noster optimus impas- *Matth.* xii,
sibile nobis odium subinsinuavit, dicens : Mater mea et fratres mei sunt hi qui faciunt 47. *Ibid.* 50.
voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. — Ille tibi pater sit, qui ad deponendam peccatorum sarcinam collaborare tibi et potest et vult ; mater vero, compunctio sacra, quæ te possit sordibus abluere ; frater autem, is qui tecum ad cœlestem cursum perficiendum laborat et certat. Sociam tibi et uxorem quære, quæ nunquam a te separetur, memoriam mortis. Porro filii tibi amatissimi sint gemitus cordis. Servum posside corpus tuum ; amicas vero, sanctas virtutes angelicas, quæ tibi exitus tui tempore auxiliari poterunt, si eas modo tibi amicas familiarius feceris. Hæc est sane generatio *Ps.* xxiii, 6.
quærentium Dominum.

Affectus Dei, parentum excludit affectum. Qui vero utrumque se habere dicit, ipse se decipit, quum audit Dominum dicentem : Non potestis Deo servire et mammonæ, *Matth.* vi,
etc. — Non veni, inquit Dominus, pacem mittere in terram, et caritatem parentum ad 24. *Ibid.* x, 34
filios et fratres qui mihi servire delegerunt, sed gladium et pugnam : separare enim veni amatores Dei ab amatoribus sæculi, terrenos et materiales ab his qui terrena omnia omnemque materiam superaverunt, gloriæ avidos ab humilibus. Lætatur enim Dominus in hac contentione et separatione, dum fit propter illius caritatem.

Cave, obsecro, ne forte cuncta aquarum tibi plena videantur, si propinquorum affectu et amore tenearis, atque diluvio amoris sæculi cum eis una pereas. — Noli misereri parentum et amicorum lacrimis : alioqui in æternum lacrimaberis. — Quoties te ut apes circumdederint, imo vero ut vespæ, ac super te lamentari cœperint propinqui *Ps.* cxvii, 12.
tui, constanter ac celerrime ad mortis atque operum tuorum considerationem conver-

tere, ut dolore dolorem possis excludere. — Pollicentur nobis subdole nostri et non nostri amici, læta omnia et jucunda se exhibituros, ea sane intentione ut cursum nostrum optimum præpediant, sicque inde jam ad suam voluntatem nos pertrahant.

Sit autem nostra secessio ad eas partes quæ humiliores sint et minus celebres, et ab omni consolatione sæculi remotiores. — Absconde quantum potes nec præ te feras ingenuitatem et claritudinem generis, ne aliter in ore, aliter in rebus affectus inveniaris. — Nullus ita se ipsum peregrinationi exposuit ut magnus ille Patriarcha cui
Gen. xii, 1. dictum est, Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui : quum profecto in barbaram atque alterius linguæ terram vocaretur. Cujus tamen peregrinationem mirabilem qui pro magnis viribus imitari studuerunt, eos nonnunquam Dominus insigni gloria affecit, etsi hanc divinitus concessam gloriam conveniat per humilitatis clypeum fugere et declinare. — Quoties nos dæmones peregrinationis alicujus ut magnæ virtutis gratia laudant, toties illius qui de cœlis ad terras propter nos peregrinatus est, intentissima cogitatione meminerimus; inveniemusque nos ipsos in sæculum sæculi tantæ propter nos assumptæ peregrinationi non posse satisfacere.

Gravis est et omnino vitabilis, ad propinquorum vel etiam extraneorum aliquem immoderata affectio, quum ea nos ad sæculum sensim possit attrahere, ignemque compunctionis nostræ penitus exstinguere. — Sicut impossibile est uno oculo in cœlum, altero in terram adspicere ; ita fieri non potest ut in illo anima non periclitetur, qui corpore et cogitatione ab omnibus et propinquis et extraneis non se peregrinum fecerit.

Labore ingenti et fatigatione mores graves et optimos acquirimus ; et quos multo
I *Cor.* xv, 33. temporis labore quæsiverimus, fieri potest ut uno momento temporis amittamus : corrumpunt enim mores bonos colloquia mala, sæcularia simul et turpia. — Qui post abrenuntiationem, cum sæcularibus versatur sive juxta illos commanet, prorsus aut in eosdem laqueos incidet, aut cor in ejusmodi cogitatione inquinabit, aut certe si non inquinatus fuerit, eos qui inquinantur judicans atque condemnans, et ipse inquinabitur.

DE SOMNIIS.

Quod noster cognitionis intellectus imperfectus sit atque omni ignorantia repletus,
Job xii, 11; xxxiv, 3. occultari non potest. Guttur enim cibos, auris autem intelligentias dijudicat ; etiam imbecillitatem quidem oculorum manifestat sol, ignorantiam vero animæ patefaciunt verba. Verumtamen caritatis lex etiam ad ea quæ vires nostras superant disserenda nos cogit. Reor igitur, etsi certe statuere non audeo, consequens esse etiam de somniis hic pauca inserere, ut hujus quoque fallaciæ malignorum non simus penitus ignari.

Somnium est animi motus in immobilitate et quiete corporis. — Phantasia est oculorum seductio in sopita mente. Phantasia est animi excessus vigilante corpore. Phantasia est speculatio parum loco subsistens.

Causa ob quam in hoc nobis de somniis dicendum esse arbitrati sumus, aperta est. Quum enim relictis domibus et propinquis nostris, divinæ caritatis causa nos ipsos peregrinationi exposuimus ; tunc jam dæmones in somniis nos perturbare moliuntur. Propinquos nobis subinsinuant aut plorantes, aut morientes, aut nostri causa languore
Eccli. xxxiv, 2. aliquo vel etiam detrimento fatigatos. Qui igitur somniis credit, similis est ei qui post umbram suam currit et eam apprehendere nititur.

Dæmones inanis gloriæ in somniis prophetice quæ futura sunt ut astutissimi nobis injiciunt, atque ea nobis per somnium prænuntiant, ut quum impleta fuerint quæ per

quietem vidimus, stupore maximo detineamur, et quasi jam propheticæ gratiæ proximi, cogitatione tumescere incipiamus. — In his qui sibi credunt, dæmon sæpe propheta fit ; porro iis qui se spernunt, semper mentitus est. Spiritus enim quum sit, quæ intra hunc aerem sunt videt omnia ; et quum intellexerit moriturum aliquem, id per visum levioribus prædicit. Nihil futurorum ex præscientia noverunt : namque et venefici mortem nobis prædicere utique possent.

In angelum lucis sese transfigurantes, in martyrum speciem sæpius transfigurantur, *II Cor.* xi, 14. accedentesque se ipsos nobis per somnium ostendunt ; excitatos vero, elatione et gaudio præcipitant. Hoc autem tibi erit deceptionis signum. Cruciatus et judicia et separationes per visum nobis angeli ostendunt, atque experrectos, trementes mœstosque relinquunt. — Quum in somno dæmonibus credere cœpimus, tunc jam et vigilantes ab ipsis illudemur. Qui somniis credit per omnia, reprobus est et stultus ; qui vero eis nulla ratione credit, hic revera philosophus est habendus. Solis eis crede qui tibi cruciatum et judicium denuntiant. — Quod si te desperatio conturbat, et istud est a dæmonibus.

GRADUS IV

DE OBEDIENTIA.

NUNC jam nobis ad Christi pugiles ac pietatis athletas procedens sermo deinceps apertissime occurrit. Omnem quippe fructum præcedit flos, omnemque obedientiam peregrinatio aut corporis aut voluntatis : in his enim duabus virtutibus, veluti in aureis pennis, ad cœlum impigre se sancti viri anima sustollit. De qua Spiritu Sancto afflatus quidam fortasse concinit : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, [illegible] et volabo et requiescam, per activam et per contemplationem et humilitatem? — Ne ipsum quidem fortissimorum bellatorum habitum negligenter prætereundum existimemus : ut illi clypeum teneant fidem, scilicet ad Deum atque ad exercitationis suæ *Ephes.* vi, 16. magistrum, per ipsum, ut ita dixerim, omnem infidelitatis omnemque prævaricationis cogitationem repellentes ; gladiumque spiritus assidue vibrent, voluntates suas omnes *Ibid.* 17. sibi propinquantes necaturi ; loricasque ferreas, patientiæ scilicet ac mansuetudinis, se *Ibid.* 14. induant, per quas omnem contumeliam ac aculeum sermonisque jaculum repellant ; habeant et galeam salutis, orationis Patris spiritualis præsidium ; stent præterea non [illegible] vinctis pedibus, sed alterum quidem ad ministeria prætendant, alterum vero fixum in orationibus atque immobilem teneant.

Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio per corpus certius ostensa ; aut forte versa vice, obedientia est mortificatio membrorum in vivente animo. Obedientia est inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immeditata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulcrum voluntatis, et excitatio humilitatis. Nihil resistit nihilque discernit mortuus in bonis aut iis quæ videntur mala : nam qui pie animam suam mortificaverit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter divitias discretionis.

Initium quidem mortificationis vel membrorum corporis vel animæ voluntatis, labor est ; medium vero, interdum labor, interdum requies ; finis autem jam omni motus

perturbatione omnique laboris sensu vacat. — Tunc demum labore et dolore fatigari deprehenditur vivens hic beatus mortuus, quum se animadverterit voluntati propriæ obtemperasse, metuens scilicet propriæ voluntatis onus.

* exui Quicumque ad intellectualis congressionis stadium exire* conamini ; quicumque jugum Christi tollere super cervices vestras cupitis, et sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis ; quicumque venditiones vestras sponte scribere curatis, ut pro illis in æternam libertatem conscribamini; quicumque aliorum manibus sublati et natantes, mare hoc magnum trajicitis : scitote quod brevem quamdam et asperam viam pergere conamini, in qua unus et solus latet error, quem Græci ἰδιοῤῥυθμίαν, nos suimet moderationem dicere possumus, quum scilicet quisque sibi idoneus ad se regendum et moderandum videtur. Quem qui effugerit, ad ea quæ honesta et spiritualia sunt ac divinæ majestatis oculis gratissima, fere ante veniet quam ire cœperit. Obedientia est enim nunquam sibi, ne in his quidem quæ videntur optima, usque ad consummationem vitæ credere.

Quum igitur cervicem nostram in Domino inclinare atque alteri credere desiderio acquirendæ humilitatis ac propriæ salutis insistimus, ante hujus militiæ ingressum, si qua in nobis est calliditas et prudentia, gubernatorem cautissime examinemus et discernamus, atque (ut ita dixerim) tentemus, ne forte nautam pro gubernatore, languentem pro medico, vitiosum pro vitiis carente, postremo infestum pelagus pro placidissimo portu, ignari deligamus, nobisque ipsis paratum promptumque naufragium constituamus. Quum vero pietatis et obedientiæ stadium fuerimus ingressi, minime jam optimum institutorem nostrum in aliquo penitus dijudicare licebit, etiam si in illo (homo enim est) modica aliqua delicta animadvertimus. Si vero alias fecerimus, nihil nobis obedientia prodesse poterit.

Necesse omnino est ut qui fidem certam et immobilem ad magistros suos habere cupiunt, eorum recte facta profundo corde hauriant, eaque indelebiliter memoriæ commendent, ut quum dæmones infidelitatem adversus eos ullam nostris cordibus inserere conati fuerint, ex his quæ memoria tenemus illorum ora obstruamus. Quanto enim fuerit in corde viridior fides, tanto corpus ad officia omnia et ministeria promptius
Rom. XIV, 23. occurrit. Qui vero per infidelitatem offenderit, lapsus est : omne enim quod fidei caret fundamento, peccatum est. — Quum tibi cogitatio suggesserit ut prælatum aut dijudices aut damnes, ab ea non secus quam a fornicatione desili ; neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locum, non ingressum, non initium. Loquere ad hujusmodi draconem atque eum his verbis incesse : O malignissime seductor, non ego ducem meum judicandum suscepi, sed ille me ; non ego illius, sed ille mei judex est.

Arma quidem juvenum psalmorum cantus, murum vero orationem, lavacrum autem mundissimas lacrimas esse Patres definiunt ; beatam vero obedientiam, confessionem, qua sine vitiosorum nemo Deum videre merebitur.

Qui subjectus est atque alterius paret imperio, ipse adversus se ipsum sententiam fert. Nam si quidem propter Deum perfecte obedierit, etiam si non perfecte obtemperare videatur, omni judicio se exuit ; quod si in quibusdam suam implere voluntatem voluerit, etiam si obedire visus fuerit, ipse sibi onus luit vel addicit. Quem tamen si prælatus arguere non destitit, rectissime omnino fecit ; si autem tacuit, nescio quid inde dixerim. — Qui in simplicitate in Domino subjiciuntur, felicem cursum peragunt, dum non per superstitiosas cavillationes in se dæmonum versutias irritant.

Ante omnia vero culpas nostras præclaro judici nostro soli confiteamur ; omnibusque, si ita ille jusserit, confiteri parati simus : nam in lucem educta vulnera nunquam in deterius proficient, sed sanabuntur.

Quum in cœnobium quoddam devenissem aliquando, animadverti judicis pastorisque optimi terribile judicium. Nam quum illic moram traherem, contigit quemdam ex latronum ordine ad monasticæ conversationis gratiam venire : quem optimus ille pastor peritissimusque medicus per dies septem quiete omni perfrui jussit, ut monasterii statum normamque omnem perspiceret. Post diem vero septimum seorsum accitum pastor interrogat num sibi censeret optimum cum illis una habitare. Quum vero illum sibi cum omni sinceritate annuentis voce respondisse cerneret, rursum quid in sæculo iniquum operatus esset interrogat. Postquam ergo illum sibi prompte et rationabiliter omnia confessum vidit, iterum ad illum tentandi gratia dicebat : Volo (inquit) ut hæc, omni cœtu Fratrum adstante, confitearis et detegas. Ille revera sua detestans scelera, omnique confusione calcata, indubitanter id se facturum pollicitus est. Et si vis, inquit, etiam in Alexandriæ civitatis medio id faciam. Deinde collectis in ecclesia pastor omnibus ovibus suis (erant autem in numero ducentæ * triginta), quum consummarentur divina mysteria (erat enim dies dominicus), lecto evangelio, inferri jam reum illum nihil contra querentem jubet, quibusdam illum ex Fratribus trahentibus modiceque verberantibus, vinctum post terga manus, asperrimoque cilicio amictum, conspersumque cinere caput præferentem, adeo ut ex ipso adspectu omnes stupefacti, protinus exorto gemitu ingenti proclamarent ac mugitum redderent : neque enim quisquam illorum quid fieret sciebat. Quum vero jam ecclesiæ januis appropinquaret, magna illum et terribili voce compescuit sacrum illud caput clementissimi judicis : Sta, inquiens ; es enim indignus ut hujus loci limen attingas. Tum ille pastoris voce percussus, quæ ad illum ex intima veri medici sapientissimaque ratione sonuerat (videbatur enim sibi, ut nobis postea sub jurejurando firmabat, non vocantis hominis, sed terribilis tonitrui vocem audivisse), tremebundus et omnino pavore turbatus, in faciem protinus corruit. Quum vero jaceret humi et pavimentum madefaceret lacrimis, permittitur ab admirabili medico, qui cuncta ad illius salutem moliebatur, formamque salutis ac certissimæ humilitatis omnibus dari cupiebat, cuncta quæ gesserat singulatim et per species dicere. Ille vero cum horrore ingenti omnia singulatim confessus est, quæ audiens omnis cœtus penitus exhorreret : non tantum quæ per corpus præter naturam ac secundum naturam in rationabilibus et mutis animantibus deliquerat, verum etiam veneficia et homicidia, et cetera quæ audire aut scripturæ tradere fas non est, omnino nihil reticens. Confessum igitur statim tonderi Fratribusque aggregari permisit. — Ego vero sancti illius admiratus sapientiam, seorsum interrogavi illum secretius, cujus rei gratia tam peregrinam judicii formam exhibuisset. Ille autem ut verus medicus : Duarum (inquit) rerum gratia. Primum quidem, ut confitentem per præsentem temporalemque confusionem æterna confusione liberarem : quod et factum est. Neque enim ex pavimento surrexit, o Joannes, quin peccatorum omnium remissione potitus est. Neque ullo hujus rei scrupulo velim movearis. Nam unus ex Fratribus qui illic aderant, mihi procerum quemdam ac terribilem se vidisse asseveravit, conscriptam chartam et calamum tenentem, et quum Frater ille humi prostratus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo delebat. Et merito sane : Dixi, inquit, Pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino ; et tu remisisti impietatem cordis mei. Secundo sane, quia habeo nonnullos qui peccata quidem necdum confessi sunt : quocirca jam et illos ad confessionem hoc exemplo provoco, qua sine nullus remissione potietur.

Et alia igitur plurima admiranda et memorabilia in illo dignissimo semperque memorando et grege et pastore perspexi : ex quibus plurima nobis reserare animus est. Permansi enim apud illos tempus non modicum, illorum assidue conversationem ac vivendi genus explorans, stupens quomodo terrestres illi cælestes angelos imitaren

* trecentæ

Ps. xxxi, 5.

tur. Caritatis quidem omnes sibi invicem insolubili vinculo constringebantur; et quod est omnino mirabilius, nulla apud illos inepta confidentia, nullus otiosus sermo deprehendi poterat. Observabant vero id cautissime, ut in nullo Fratris vulneraretur conscientia. Quod si quis inter eos quemquam odisse inveniretur, hunc pastor ut damnaticium ad separatum hujusmodi reis monasterium veluti in exsilium mittebat. Maledixerat aliquando unus ex illis proximo suo : quem protinus Pater sanctus eliminari jussit, æquum non esse asserens in monasterio visibilem atque invisibilem diabolum perpeti.

Vidi ego apud sanctos illos res maxime sane utiles atque admiratione dignissimas : Fratrum cœtum in unum collectum, Christique caritate devinctum, in utraque vita, activa scilicet et contemplativa, mirabilem. Adeo enim se ipsos singuli divinis rebus exercebant, ut fere nihil opus haberent a Patre admoneri, sed se invicem ultro ad divinam evigilationem excitarent. Erant enim statutæ illis et meditatæ et solidatæ sanctæ quædam et divinæ exercitationes. Nam si quando contingeret ut eorum aliquis absente abbate quidquam maledici aut alias noxii vel otiosi sermonis loqui cœpisset, occulto nutu latenter eum Frater alius gravitatis admonens, illum a cœpto sermone retrahebat; quod si ille fortassis minus animadverteret, jam qui admonuerat, prostrato ante illum toto corpore, abibat. Si quid vero necessario loquendum erat, omnis illorum collocutio jugis erat mortis collocutio vel admonitio, æternique judicii consideratio.

Non præteribo silentio coqui monasterii illius admirabilem singularemque virtutem. Quum enim illum animadverterem in tam frequenti perpetuoque ministerio jugiter secum habitare, gratiamque possidere lacrimarum, oravi supplex ut mihi quonam modo meruisset istiusmodi gratiam revelare dignaretur. Qui tandem precibus fatigatus meis, ita respondit : Nunquam me hominibus servire arbitratus sum, sed Deo; et indignum me ipsum quiete omni judicans, ex hujus ignis contemplatione, sempiterni incendii jugi memoria compungor. — Aliud iterum singulare virtutis illorum genus referre placet. Nam ne ad mensam quidem sedentes a spirituali opere cessabant. Ceterum signo quodam nutuque incognito, occulte in animo orationis semetipsos beati illi viri admonebant. Neque vero ad mensam solum residentes hoc eos facere animadverteres, verum et quum sibi obviarent, quum simul convenirent, id faciebant.

Porro si quis ipsorum in aliquo unquam deliquisset, videres Fratres alios votis omnibus ab illo flagitare ut sibi curam reddendæ Patri rationis relinqueret, atque ab illo debitam increpationis vehementiam perpeti sineret. Quod tamen discipulorum opus maximus ille vir quum explorasset, leviori jam increpationis genere utebatur, sciens eum qui corripiebatur insontem esse. Neque tamen quis proprie deliquisset inquirebat.

Quando vero apud illos locum inveniret aut otiosi sermonis aut scurrilitatis memoria? Si quis autem ex illorum numero adversus Fratrem contendere unquam cœpisset, præteriens alter advolvebatur illorum genibus, sicque iracundiæ motum mitigabat. Quod si servare illos injuriæ memoriam sensisset, rem protinus ad eum referebat qui post abbatem secundus monasterii in regimine præerat, eosque ante occasum solis in gratiam revocare nitebatur. Sin vero illi obdurati amplius exasperarentur, aut cibum sumere usque ad reconciliationem non permittebantur, aut certe monasterio expellebantur. Laudabilis sane memorabilisque diligentia, ex qua fructus uberrimus gignebatur atque nascebatur. Plurimi enim apud sanctos illos viros deprehensi sunt actu et speculatione, discretioneque et humilitate mirabiles.

Videres in eis terribile quoddam angelicumque spectaculum : senes canitie verendos, augustiori facie, infantium in morem ad obediendum semper paratos, huc illucque discurrere, gloriamque sibi maximam per humilitatem comparare. Vidi illic viros quinquaginta fere annos in obedientiæ certamine egisse : a quibus quum addiscere orarem,

quam ex labore isto consolationem, quem profectum invenissent, alii quidem in abyssum humilitatis jam se pervenisse dicebant, per quam bellum omne semper excluderent ac superarent, alii sensum omnem laboris et doloris in maledictis et contumeliis se perfecte exuisse dicebant. Vidi alios ex illis æterne memorandis viris, angelico adspectu venerandaque canitie, ad profundissimam innocentiam simplicitatemque sapientiæ plenissimam, summa alacritate propositi Deique adjutorio quæsitam, non irrationabilem quamdam et insipidam (ut in sæculi senibus contingit, quales deliros vocare solent), pervenisse : extrinsecus quidem mites totos, blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in suis verbis aut moribus habentes (rem quidem quæ in paucis invenitur); interius vero in anima Deum ipsum ac prælatum infantium in morem ambientes, mentisque aciem adversus dæmones et vitia audacem firmissimamque intendentes.

Deficiet me vitæ meæ tempus, o sacrum caput, et Deo dilecta congregatio, si voluero beatorum illorum virtutes et ad cœlum usque pertingentem vitæ sanctitatem enarrare. Sed tamen existimo nos tutius illorum sudoribus ac laboribus sermonem hunc nostrum exornare, quo acrius ad hujusmodi gratam Deo imitationem excitemini, quam propriis vilibusque monitis. Nam absque ulla controversia, id quod deterius est a præstantiore adornatur. Illud autem in primis rogo, ut nihil nos fictum scribere existimetis. Solet quippe infidelitas corrumpere utilitatem. Igitur ad ea quæ cœpimus rursus accingamur.

Vir quidam Isidorus nomine, Alexandriæ civitatis primarius, in ipso cœnobio ante hos annos sæculo abrenuntiavit : quem et ipse illic videre merui. Hunc pastor ille mirabilis suscipiens, adspectuque ex ipso asperum quemdam et intractabilem, superbumque ac sæculi dignitate tumidum conjiciens, humana arte dæmonum fastum sapientissime dejecit; aitque ad Isidorum : Si revera Christi jugum tollere decrevisti, volo ut ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille : Sicut (inquit) fabro ferrum subjectum est, ita et ego, o sanctissime, me ipsum obedientiæ expono. Quo ille responso gratissimoque exemplo curatus, continuo Isidoro exercitii manus admovit ut ferro : Volo (inquiens), frater, ante monasterii januam exsistas, omniumque ingredientium et egredientium provolutus genibus dicas : Ora pro me, Pater, quoniam peccator sum. Sic autem ille obedivit sicut angelus Domino. Itaque quum septem annos ille peregisset, atque ad profundissimam humilitatem compunctionemque pervenisset, voluit Pater post incomparabilem viri tolerantiam, cujus superiori tempore aptum documentum dederat, hunc Fratribus connumerare, et ut revera dignissimum, etiam ordinatione honorare. Verum ille plurimis multorum et mei ipsius precibus apud Patrem egit, ut ibidem illum sineret (sicuti hactenus fecerat) degere, cursumque suum perficere, intelligens neque obscure his verbis significans finem suum jam ac vocationis diem imminere : quod et factum est. Nam quum in ipso ordine illum permanere magister permisisset, post decimum diem per abjectionem et ignominiam gloriosissime migravit ad Christum. Postque septimum dormitionis suæ diem janitorem quoque monasterii assumpsit. Dixerat enim ei beatus ille, pollicitusque fuerat, quod si post excessum suum confidentia ad Dominum frui mereretur, inseparabilis illic sibi comes fieret, idque celeriter. Quod et factum est, ut certissimum nobis meritorum ejus et perfectæ obedientiæ sacræque ac divinæ humilitatis esset indicium. — Interrogavi ego eum, quum adhuc superesset magnum hunc præclarum virum, quam exercitationem mentis ejus habuisset, quum ad portam moraretur. Neque id celavit a me, quum prodesse mihi cuperet, memorabilis ille ac dulcissimus Pater. Initio, inquit, hoc existimabam, quod pro peccatis meis essem venditus. Unde cum amaritudine summa et violentia et san-

guine provolvebar omnium pedibus. Impleveram vix annum, quum sine mœrore jam ac tristitia id faciebam, mercedem a Deo tolerantiæ exspectans. Impleto autem rursus anno alio, toto affectu cordis indignum me ipsum existimare cœpi conversatione monasterii, Patrumque adspectu et contubernio, divinorumque participatione sacramentorum, indignum item qui in alicujus faciem intenderem : quocirca defixis in terra luminibus, nec ab oculis discrepante animo, intrantes atque exeuntes ut pro me orarent deprecabar.

Quum ad mensam aliquando consedissemus, summus ille magister inclinans suum sanctum os ad aurem meam, Vis, inquit, tibi ostendam in extrema profundaque canitie divinum sensum atque prudentiam ? Quumque id summis precibus orarem, advocat ex proxima mensa quemdam Laurentium nomine, qui quadraginta fere et octo annos in monasterio degerat, secundusque erat sacrarii presbyter. Qui quum venisset atque abbati genibus flexis adstaret, ab illo quidem benedicitur; sed quum surrexisset, nihil illi penitus dixit, sed sic ante mensam sine cibo stare permisit. Erat autem tunc prandii initium : itaque prolixam horam atque fortasse duas immobilis stetit, adeo ut ipse quoque erubescerem. Neque enim in illius faciem intueri præ verecundia possem : erat enim canus totus, octogesimumque jam agebat ætatis annum. Mansit autem sine responso ullo usque ad refectionis finem. A qua quum surgeremus, mittitur jam a sancto illo, ut memorato Isidoro diceret tricesimi noni psalmi initium. — Non omisi ego, ut sum versutissimus, quin senem illum tentarem. Itaque quum eum postea interrogarem, quid adstans cogitasset : Christi (inquit) imaginem pastori imposui; neque enim ab illo hoc penitus præceptum exisse, sed a Deo, existimavi. Quare, o pater Joannes, non coram mensa hominum, sed coram altari divino adstare me putans, orabam. Nullamque penitus malignam cogitationem adversum pastorem admittebam, pro sincera in illum fide mea et caritate : dictum est enim, Caritas non cogitat malum. Sed et illud scito, Pater, quod quum quis innocentiæ ac simplicitati se omnino dederit, nullum jam maligno contra se aut tempus aut locum dabit.

I *Cor.* XIII, 5.

Revera autem qualis erat ille justus rationabilium pecorum Pater ac per Deum pastor, talem etiam habebat a Deo sibi traditum monasterii dispensatorem, pudicum et moderatum ut [si] quis alius, mitem vero ut admodum pauci. In hunc aliquando ad ceterorum utilitatem magnus ille invectus est absque ulla causa, jussitque de ecclesia projici intempestive sane. Ego quum scirem eum ejus criminis quod sibi Pater objecerat insontem, seorsum magno illi dispensatoris commendabam innocentiam. Ad quem et ille sapientissime : Scio (inquit), Pater ; sed sicut crudele est ex ore famelici infantis panem rapere, ita et se ipsum et operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas quantas illum sustinere posse novit, horis singulis providere satagit, sive per contumelias, sive per ignominias, sive per abjectiones, sive per ludibria. Tria enim maxime cavenda committit. Primum, quod ipse increpationis mercede privatur. Secundum, quod quum aliis ex alterius virtute prodesse posset, id agere omisit. Tertium vero, quod est gravissimum, quod ii nonnunquam qui videntur esse probatissimi et laboris patientissimi, si ad tempus negligantur, atque jam ut virtutibus præditi a prælato non corripiantur, sive probris atque injuriis afficiantur, ea quæ in eis inerat modestia et tolerantia destituentur. Nam etsi bona et frugifera pinguisque terra est, consuevit tamen aquæ, id est ignominiæ, defectus illam infructuosam ac silvestrem efficere, spinasque fornicationis et noxiæ securitatis in ea germinare. Hoc non ignorans,
II *Tim* IV, 2. magnus ille Apostolus Timotheo scribit : Insta, invehere, argue illos opportune, importune. — Ego quum illi spectatissimo duci adhuc resisterem, infirmitatemque ætatis hujus allegarem, utque plurimi fere frustra increpiti, imo et fortasse non frustra, a

grege abrumperentur : ita rursum objectioni meæ, sapientiæ domicilium occurrit : Anima (inquit) quæ propter Deum pastori fide et caritate devincta est, usque ad sanguinem sustinens, nunquam recedet (et maxime si antea ab ipso in suis vulneribus fuerit adjuta, solatioque et beneficiis affecta), memor illius qui dixit : Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia a caritate Christi nos separare poterit. Quæ autem ita colligata et solidata agglutinataque non fuerit, mirum valde si non frustra in loco moram facit : non enim veræ, sed fictæ obedientiæ annexa est. — Nec sane magnus ille vir spe sua frustratus est, sed direxit et perfecit atque obtulit Christo immaculatas hostias. Rom. VIII, 38, 39.

Audire libet sapientiam Dei, admirarique in vasis fictilibus inventam. Admirabar ego illic præsens, noviter ex sæculo venientium fidem, et tolerantiam, atque in ignominiis et contumeliis et aliquando etiam persecutionibus insuperabilem patientiam : quas non tantum ab abbate, sed ab iis quoque qui longe inferiores erant, perpetiebantur. Itaque ædificationis gratia quemdam ex Fratribus sciscitatus sum, qui annos quindecim in monasterio egerat, Abbacyrum nomine, quem maxime affici injuriis fere ab omnibus videbam, nonnunquam vero etiam a ministris ex mensa fugari : erat enim Frater ille naturaliter linguæ aliquantulum incontinens. Dicebam itaque ad illum : Quid est, frater Abbacyre, quod te quotidie a mensa expelli video, ac nonnunquam dormire incœnatum ? Qui ad hæc ita respondit : Crede mihi, Pater, probant me Patres mei utrum monachus esse cupiam ; non autem vere id faciunt. Quam ego Patris aliorumque intentionem non ignorans, levissime ac sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce quintumdecimum jam annum ego istud cogitans, sicut et ipsi, quando monasterium intravi, dixerunt mihi, quod usque ad tricesimum annum renuntiantes probare solerent. Et recte quidem, pater Joannes : sine probatione enim aurum non perficitur. — Hic igitur egregius Abbacyrus secundo anno postquam adveneram in monasterium hoc migravit ad Dominum, Patribus quum deficeret dicens : Gratias ago Domino et vobis, Patres, quod me ad salutem meam tentastis jugiter ; hac enim ex causa immunis a tentatione dæmonum hactenus mansi. Quem etiam tanquam confessorem, et cum his qui illic obierant sanctis, dignissime æquissimus pastor sepeliri jussit.

Detrimento non minimo afficio probitatis æmulos, si virtutem certamenque Macedonii, qui primus erat monasterii diaconus, monumento silentii sepeliam. Hic dilectus Domini aliquando imminente Epiphaniæ sanctæ solennitate, abbatem ante duos dies obsecrat, ut se propriæ necessitatis gratia ad Alexandriam proficisci sineret, citius tamen se ob diei festi ministerium et præparationem rediturum spondens. Igitur infestus bonis omnibus diabolus diacono impedimento fuit, ut dimissus ab abbate, ad monasterium die sacrosanctæ solennitatis non rediret. Igitur post diem unum peractæ festivitatis revertentem abbas amovit a monasterio, atque in ultimo incipientium constituit ordine. Suscepit bonus patientiæ diaconus fortissimusque tolerantiæ archidiaconus, Patris verbum ac sententiam adeo absque mœrore, ut quasi non ipse, sed alius videretur increpatus. Igitur quum in tali ordine dies quadraginta peregisset, rursus illum ad pristinum gradum reduxit sapientissimus Pater. Quem item post unum diem archidiaconus obsecrat, ut se in eadem ignominiæ humilitate restituat, deliquisse se grave quoddam atque infandum in civitate asserens. Sciens autem sanctus hunc non vera prosequi, sed humilitatis gratia hoc inquirere, cessit parere honesto desiderio. Vidisses canitiem venerandam degere in incipientium ordine, sincere omnes ut pro se orarent deprecantem. Cecidi enim, aiebat, in fornicationem inobedientiæ. — Mihi tamen humili reseravit hic magnus Macedonius, cujus rei gratia ad hanc propositi humilitatem ita sponte accurrisset. Nunquam enim, inquit, ita me bello omni lævigatum sensi, divinique

luminis dulcedinem in me ipso vidi. Atqui naturæ angelorum est non cadere, forte non valentium, ut aiunt quidam; hominum vero cadere, rursumque, quum hoc contigerit, surgere; dæmonum vero, quum tantum semel ceciderint, nunquam penitus resurgere.

Is autem cui monasterii dispensatio tradita erat, hoc mihi enarravit: Juvenis (inquit) quum essem atque in cura animalium degerem, contigit ut in gravissimam animæ ruinam præcipitarer. Mihique consuetudo erat, nihil unquam in cordis fovea tectum servare. Igitur apprehensa cauda (quam finem operis appello), medico mox facinus meum denudavi. Qui serena facie subridens, leviterque maxillam meam feriens: Abi (inquit), fili, ministeriumque tuum ut prius exsequere, nil penitus metuens. Ego itaque fide firmissima roboratus, paucisque diebus sanitatis meæ certior factus, viam meam gaudio simul et tremore plenus currebam.

Habet omnis creaturæ ordo (ut aiunt quidam) differentias plurimas. Itaque, quoniam et in illo Fratrum cœtu erant profectuum sententiarumque differentiæ, si quos forte Pater sanctus ostentationi studere denotasset quum sæculares ad monasterium veniebant, hac eos arte curabat. Contumeliis illos in conspectu adventantium afficiebat, ministeriaque illis ignobiliora injungebat. Quo illi increpationis genere ita sanabantur, ut jam si qui ex sæculo ad monasterium venissent, adspectum eorum cursu fugerent. Eratque jucundum spectaculum videre ipsam inanem gloriam se ipsam persequentem, homines quia fugientem.

Noluit me Dominus ex eo monasterio absque viatico orationum sancti cujusdam viri demigrare, assumpsitque inde, septimo die antequam proficiscerer, virum per cuncta mirabilem, Menam nomine, secundum post abbatem in monasterii regimine: qui annos jam quinquaginta et novem egerat in monasterio, omnemque cœnobii administrationem exsecutus fuerat. Tertia igitur die celebrantibus nobis pro dormitione tanti Patris Officium consuetum, subito locus ille ubi sancti viri corpus jacebat, miri odoris fragrantia impletus est. Permisit igitur magnus ille loculum in quo repositum erat corpus detegi. Quod quum factum esset, vidimus omnes ex illius pretiosissimis plantis, veluti ex duobus fontibus, unguenti manare suavitatem. Tunc ad omnes monasterii magister conversus: Videtis, inquit, ut fatigationum ejus ac laborum sudores quasi revera unguentum pretiosissimum oblati susceptique Deo sunt. — Multas quidem et alias hujus beatissimi Menæ virtutes nobis loci ejusdem Patres referebant. Dicebant vero et istud, quod volens aliquando insignem illius Pater monasterii probare patientiam, reversum ad monasterium prostratumque abbati et benedictionem secundum consuetudinem suscipere orantem, a vespera usque ad collectæ horam ita illum humi jacere prostratum permisit. Tunc vero jam illum benedicens et veluti ostentationis gratia cuncta facientem ac impatientissimum objurgans, erexit tandem. Sciebat enim sanctus, quam id fortiter ferret: quocirca et istud ad cunctorum ædificationem spectaculum edidit. Hujus vero sancti Menæ discipulus, qui magistri omnia plenissime noverat, et de his certiores nos reddere solebat, quum illum curiosius interrogarem, an ante abbatem ita prostratus somno depressus fuisset, asseverabat illum sic humi jacentem, Psalterium omne cecinisse.

Non omittam sermonis nostri coronam et præsenti illustrare smaragdo. Movi ego aliquando quibusdam ex illis fortissimis senibus de solitariæ vitæ quiete quæstionem. Illi vero serena ac subridenti facie, læto atque placidissimo gestu, aiunt ad me: Nos, o pater Joannes, terreni quum simus, terræ etiam propius vitæ institutum cœpimus, illud convenire judicantes, ut pro mensura infirmitatis nostræ etiam bella subiremus; satius esse existimantes cum hominibus luctari, qui aliquando quidem efferantur,

aliquando vero mansuescunt et resipiscunt, quam cum dæmonibus, qui adversum nos semper armantur et sæviunt.

Alius vero ex illis rursus sempiterne memorandis viris, quum me in Domino plurimum diligeret meque familiarissime uteretur, mihi semel placidissime dixit : Si revera sapientissimus quum sis, effectum virtutemque verborum ejus qui dixit. Omnia [illegible]
possum in eo qui me confortat; si Christum tota animi intentione complexus es; si
Spiritus Sanctus castitatis rore ut olim in Virgine ita supervenit in te, si virtus patien- *Luc.* I, 35.
tiæ obumbravit tibi : accinge sicut Vir lumbos tuos obedientiæ linteo, et a quietis cœna *Joann.* XIII,
consurgens, in spiritu contrito Fratrum pedes lava; imo vero abjecta mente Fratrum 4, 5.
pedibus advolvere. Statue in cordis tui janua severos janitores et vigiles; tene insuperabilem atque immobilem mentem in corpore huc illucque distracto. Exerce in membris agilibus ac mobilibus intellectualem quietem; atque, id quod miracula excedit omnia, esto in medio tumultuum impavidus animo. Restringe insanam linguam, ne ad contradicendum facile desiliat; pugna adversus hanc rabidam dominam in die septuagies septies. Affige in animæ ligno (quam crucem dicimus) incudem, videlicet mentem, ut per alternos malleorum ictus et crepitus percussa, ludibriis et maledictis irrisionibusque lacessita, injuriis affecta, infracta et in nullo læsa seu dissoluta perseverans, tota lenis et plana immobilisque persistat. Exue te voluntatibus tuis ut confusionis amictu; atque his nudus, stadium pietatis ingredere. Indue (quod rarum et difficile inveniri
potest) ad certaminis magistrum, immobilem vel inviolabilem fidei loricam, quam nulla [illegible]
jam infidelitas dissolvere et violare possit. Contine freno pudicitiæ tactum impudenter
prosilientem. Reprime perpetua mortis meditatione oculum, ne horis singulis magnitudines ac pulchritudines corporum curiosius intueri velit. Refrena jugi tui ipsius cura curiosum animum, qui dum sui negligens est, fratrem semper condemnare vult. Omnemque dilectionem et misericordiæ affectum ad proximum sincere semper ostende :
in hoc enim, amatissime Pater, vere cognoscent homines quod Christi discipuli simus, *Joann.* XIII,
si in unum congregati dilectionem habuerimus ad invicem. Huc, huc (rursus aiebat 35.
amicus optimus) accede, hic nobiscum una morare, irrisiones horis singulis ut aquam vivam bibe. Nam cuncta quæ sub cœlo sunt perscrutatus jucunda et læta sanctus
David, novissime omnium hæsitans aiebat : Ecce nunc quid bonum aut jucundum? *Ps.* CXXXII,
Nihil sane aliud quam habitare fratres in unum. Quod si nondum hujusmodi patien- 1.
tiæ et obedientiæ tam præclaro bono digni simus, reliquum est ut infirmitatem agnoscentes nostram, procul a certaminis stadio in solitudine stemus, atque hujusmodi athletas beatos confiteamur, eisque patientiam imprecemur. — Victus sum (fateor) verbis optimi Patris ac præstantissimi magistri, qui mihi evangelica et prophetica auctoritate, ac longe amplius sincerissimi amoris jure, repugnaverat. Ex quo factum est ut sanctæ obedientiæ absque ulla controversia jam palmam non invitus darem.

Unam adhuc perutilem illorum beatorum virtutem memorabo, ac veluti ex paradiso exiens, ad ineptam rursus et inutilem ac spinosam orationem nostram remeabo.

Ad orationem plerumque stantibus nobis, animadvertit Pater sanctus quosdam invicem colloquentes : quos ante fores ecclesiæ statuens, jussit ut per septem dies cunctis intrantibus et exeuntibus prosternerentur, sive clerici sive presbyteri fuissent. — Considerans ego quemdam ex Fratribus ad psallendum attentius adstantem, atque in principio maxime hymnorum veluti ad quosdam nutibus suis et facie loquentem, rogabam ut mihi quid sibi mos ille et nutus ille vellet aperiret. Qui prodesse mihi cupiens nihilque abscondere decernens : Ego (inquit), pater Joannes, cogitationes meas et mentem atque animum colligere a principio collectæ consuevi, et coram convocatis eis acclamare : Venite, adoremus et procidamus Christo regi ac Deo nostro. — Tum vero

qui parandæ Fratribus refectioni præerat quum curiosius inquirerem, hoc facere animadverti. Ad cujus latus quum appensum cingulo brevem libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitationes suas in eo notare, hasque omnes nuntiare pastori solitum. Non solum autem illum, sed et alios quamplures id facere ibidem prospexi : erat enim, ut comperi, Patris sancti mandatum.

Expulsus est aliquando a Patre unus ex Fratribus, qui apud illum, proximum suum ut nugis et loquacitati deditum criminatus fuerat. Qui ad monasterii januam septem dies perseverans, orabat ut ingressu simul et venia potiri mereretur. Quod quum didicisset studiosus animarum custos, nihilque omnino sex illis diebus illum comedisse explorasset, hoc illi denuntiat, ut si habitare omnino in monasterio vellet, statuendum se sciret in pœnitentium ordine. Quum igitur hoc libenter amplecteretur pœnitens, jubet eum pastor ad separatum peccata lugentibus monasterium deduci : quod et factum est.

Quoniam vero se obtulit occasio ut dicti monasterii mentionem faceremus, pauca de illo necessario dicenda sunt. Locus erat uno tantum lapide a magno monasterio distans, carcer appellatus, omni mortali consolatione destitutus. Non illic unquam fumi vapor apparebat, non vinum, non oleum, ad cibum non aliud quidquam præter panem et minuta olera. In hoc, si qui post supernam vocationem deliquissent, ita eos claudebat Pater, ut procedere inde nusquam valerent : non quidem omnes simul, sed seorsum singulos, aut certe [ut] multum duos simul. Ibique tamdiu morabantur, quoad eum Dominus de singulorum remissione certiorem faceret. Constituerat autem illis, qui præesset loco, magnum et singularem quemdam virum, Isaac nomine, qui perpetuam fere orationem ab his qui sibi servandi tradebantur exigebat. Erant illis etiam ad acediam vitandam plurima palmarum folia.

Ps. XXIII, 6. Hæc vita, hic status, hoc propositum est faciem Dei Jacob revera inquirentium. Est quidem præclarum labores Sanctorum admirari; imitari vero instituta, salutem præstat. Porro illorum conversationem velle quempiam repente totam imitari, irrationabile est simul et impossibile.

Quoties reprehensi mordemur atque angimur, tangat nos memoria nostrorum delictorum, donec violentiam nostram, quam vult a nobis perpeti, intuens Dominus, et peccata nostra et angentem cor nostrum dolorem una deleat et in gaudium convertat.
Ps. XCIII, 19. Secundum enim multitudinem dolorum meorum in corde meo, inquit, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. — Tempore idoneo non obliviscamur ejus qui dicit
Ps. LXX, 20. ad Dominum : Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas? Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ, quum corruissem, iterum reduxisti me.

Beatus qui propter Deum quotidie maledictis et convitiis lacessitus, sibi vim fecerit. Hic enim cum martyribus tripudiabit, et angelis parem confidentiam et gloriam merebitur. Beatus monachus qui se ipsum omni ignominia omnique abjectione dignum horis singulis existimat. Beatus qui voluntatem suam ad finem usque mortificavit, suique ipsius curam omnem atque diligentiam spirituali magistro permisit : nam ad crucifixi dexteram constituetur.

Si quis increpationem, sive justam sive injustam, a se ipso abjicit, hic salutem suam abnegavit; qui vero hanc sive cum labore sive sine labore suscipit, cito suorum delictorum venia et remissione potietur. — Deo eam quam ad Patrem tuum habes fidem sinceramque caritatem, in intimis ostende; et ille hunc occulte certiorem faciet tui in illum affectus integerrimæque dilectionis, ut tibi posthac uberiori benevolentia et familiaritate jungatur. — Is qui serpentem omnem semper prodere paratus est, certissimæ de se fidei argumentum dedit; qui vero illum in sui cordis latebris occultat,

adhuc vagus errat. — Si quis amorem suum ac propriam dilectionem quam ad fratres habet, explorare cupit; tunc inde certior sit, quum se in fratris delictis lugere intentius prospexerit, rursusque in illius profectibus et gratiis lætari.

Is qui dum loquitur, verbum suum, quamvis illud sit verum, firmare voluerit, sciat se diaboli morbo ægrotare. Quod si cum suis æqualibus colloquendo id facit, fortasse aliquando majorum increpatione curabitur; sin vero in majorum et sapientiorum sermone contra sentientium pertinax in sua opinione perseverat, humana arte nunquam sanari poterit. — Qui in verbo humilis non est, nunquam profecto erit in opere. Nam qui in modico infidelis est, in magno quoque infidelis erit, neque cujusquam cedet *Luc.* XVI. 10.
auctoritati; frustraque laborabit, neque [ex] sancta obedientia quidquam sibi præter judicium reportabit.

Si quis conscientiam suam mundissimam in Patris spiritualis subjectione servavit, hic jam mortem ut somnum, imo vero ut vitam, quotidie intrepidus exspectat : certissime sciens, obitus tempore sui ipsius non a se, sed a Patre, rationem esse requirendam. — Si quis in Domino, nulla vi impulsus, a Patre ministrationem suscepit, atque in ea præter spem et exspectationem suam lapsus in aliquo fuerit; non ei qui dedit arma, sed sibi qui suscepit, ruinæ causam imputet : suscepit enim arma ad pugnandum contra inimicum, convertit autem ea in cor. Quod si coactus id fecit, infirmitatemque suam injungenti ministerium prædixit; bono animo sit : nam et si ceciderit, non morietur.

Nescio quomodo me pene fugerat, o amatissimi, et hunc vobis apponere suavissimum virtutis panem. Vidi enim illic obedientes in Domino, qui se ipsos injuriis et contumeliis atque ignominiis quotidie afficerent, ut quum illa sibi ab aliis irrogarentur, hoc exercitio parati, invenirentur tanquam assueti non angi ignominiis.

Anima quæ semper confessionem delictorum meditatur, hoc veluti freno a peccatis coercetur : nam quæ confiteri detrectamus, ea veluti in tenebris sine ullo metu perpetrari consuevimus. — Quoties absente Patre, ejus nobis faciem fingimus, ipsumque nobis adstare putamus, congressumque omnem, aut sermonem aut cibum aut somnum, aut aliud quodlibet ejusmodi quod sibi ingratum fore putamus, fugimus et aversamur : tunc revera obedientiam liberam et minime adulteram nos arripuisse sciamus. Nam pueri segnes et ignavi ex magistri absentia lætantur, quam ardentes et industrii summum detrimentum sibi arbitrantur.

Interrogavi quemdam ex illis probatissimis Patribus, quomodo obedientiæ virtus humilitatem possidet. Qui ait : Etiam si mortuos suscitet gratus obediens, et si lacrimarum possideat donum, etiam si a bellorum fremitu permaneat liber; omnia penitus spiritualis Patris precibus consecutum se arbitrabitur, atque ita ab inani tumore permanebit liber. Quando enim in illa re efferri atque gloriari poterit, quam non suo studio vel merito, sed solo Patris adjutorio se egisse, constanter tenet? Non novit solitarius hujusmodi virtutis munus. Quippe plus in illo juris habet inanis tumor, quum sibi suggerit proprio illum labore ac studio virtutes parturisse.

Quum is qui subjectus est, duos evaserit laqueos, manebit deinceps servus Christi perpetuus obediens. Contendit dæmon obedientiæ deditos, hunc quidem sordidis inquinare humoribus, hos vero duros corde et præter morem solitum turbulentos, aridosque et infructuosos, gulæ deditos, adque orationem pigros somnolentosque et tenebris plenos efficere, ut eos ita affectos, veluti qui ex obedientiæ virtute nil proficiant, imo vero etiam retroeant, ab instituto certamine retrahat. Neque enim eis in mentem venire permittit, quod dum ista quæ videntur optima nobis, singulari Dei dispensatione subtrahuntur, materia nobis profundissimæ humilitatis datur. Repulsus est sæpenumero

quorumdam tolerantia hujusmodi deceptionis auctor, quum adhuc isto loquente, alius angelus post modicum adstans, altero nos modo seducere nititur. Vidi obedientiæ deditos facile compungi, placidos esse, continentes, studiosos, ferventes, quos Patris præsidium bello servaverat immunes : quibus adstantes dæmones, eos jam esse idoneos qui ad solitudinem properarent, suggesserunt, veluti per eam possent ad fastigium summæ ac placidissimæ quietis evadere. His illi persuasi ac seducti, atque e portus fida statione ad pelagi profunda transeuntes, tempestate ingruente solatio gubernatorum destituti, sordido salsoque mari miserabiliter absorpti sunt.

Necesse est converti mare et turbari atque efferari, ut tunc materiam omnem quam perturbatio et vitiorum flumina in ipsum deduxerunt, omnemque putredinem et herbam, per eadem rursus in terram dejiciat. Inveniemus, si diligentius inspiciamus, post
Tob. III, 22. feros fluctus, maris maximam tranquillitatem sequi solere.

Qui Patri spirituali nunc quidem obedit, nunc vero inobediens est, is ei comparan-
Eccli. dus est qui oculis suis modo collyrium, modo calcem imponit. Unus enim (inquit) si
XXXIV, 28, juxta LXX. ædificet, et alius destruat, quid nisi labores acquisierunt?

Noli, o fili atque Domino obediens, spiritu elationis decipi, neque peccata tua veluti ex persona alterius, magistro denunties. Neque enim licet absque verecundiæ rubore ab æterna confusione liberari. Aperi, denuda, detege medico vulnus tuum. Dic age, noli confundi : Meum vulnus est, Pater, mea plaga, cujus mihi causa fuit non alterius, sed mea negligentia ; nemo hujus auctor exstitit, non homo, non spiritus, non corpus, non aliud quidquam, nisi desidia mea. Esto dum confiteris, habitu, specie, cogitatione, ut condemnatus reus, demissis in terram luminibus, atque si fieri potest, magistri aut medici pedes ut Christi pedes lacrimis riga. — Solent nonnunquam dæmones nos, ut aut non confiteamur hortari, aut certe ut hoc veluti ex alterius persona faciamus, sive ut alios quosdam peccati nostri insimulemus auctores.

Sicut certum est, consuetudo plurimum valet, et cuncta ex ea pendent eamque sequuntur : omnino longe amplius ea valebit in bonis, quum potentissimum habeant adjutorem Deum. — Noli, o fili, annis plurimis laborans lassescere, donec in te ipso beatissimam invenias requiem.

Quod si te ipsum in initio toto animo ignominiis exposuisti, ne indignum putes adjutori ac magistro tuo tanquam Deo, vultu animoque demisso culpas tuas confiteri. Vidi enim reos quosque miserabili omnino habitu vehementiorique confessionis et supplicationis vi, duritiam ac severitatem emollisse judicis, illiusque iracundiam in misericordiam convertisse. Quocirca Joannes quoque Domini præcursor, antequam ba-
Matth. III, 6. ptismi lavacra donaret, ab accedentibus confessionis humilitatem requirebat : non quidem ullo eorum ipse indigens, sed eorum saluti modis omnibus consulens. — Nec metu ullo aut magna admiratione teneamur, si etiam post confessionem oppugnamur : præstat enim cum inquinatione carnis quam cum elatione mentis habere conflictum.

Noli citius accurrere neque eleveris facile, quum enarrari audis solitariorum atque anachoretarum Patrum vitas : tu enim Protomartyris militia incedis. — Neque si cadere in conflictu contingat, fraterna ex acie excedendum est : nam tunc maxime indigemus medico, quum vulnera susceperimus. Is enim qui adjutorio subnixus pedem in lapidem offendit, si adjutorio destitutus esset, non offenderet solum, sed omnino moreretur. — Quoties lapsi ceciderimus, ocius dæmones atque acrius instant, ac veluti rationabilem, imo vero irrationabilem occasionem nacti, tunc jam nobis quietem solitudinis suggerunt, ea intentione ut ruinæ nostræ ruinam etiam adjiciant.

Quum se medicus de virium suarum impotentia excusat, tunc ad alium necessario eundum est : nam sine medici peritia pauci curantur. Quis ille erit qui adversetur ita

definientibus nobis, eam navem quam gubernator optimus ac peritissimus regit, si naufragium incidat, omnino perituram si gubernatore destituta esset? — Ex obedientia humilitas, ex humilitate vero placida animi tranquillitas nascitur. Quippe in humilitate Ps. cxxxv. 23, 24.
nostra memor fuit nostri Dominus, et redemit nos de inimicis nostris. Nihil igitur dicere prohibet, ex obedientia tranquillitatem nasci, per quam finis humilitatis acquiritur. Hæc enim illam inchoat, sicut Moyses legem; perficit autem filia matrem, sicut Maria Synagogam. — Supplicio revera omni digni apud Deum sunt illi ægroti qui medici peritiam utiliter experti, antequam perfectæ reddantur sanitati hunc deserunt alterumque illi præferunt. Noli ejus manus fugere qui te obtulit Domino: neque enim alium ita ut illum in vita tua revereberis.

Nequaquam tutum est imperito et gregario militi ad gladiatorium certamen descendere: ita ne monacho quidem tutum est, animæ ignaro et rudi adhuc perturbationum, neque in his antea exercitato, ad solitudinem contendere. Ille enim in corpore, hic vero in anima periclitabitur. Boni enim (inquit Scriptura) sunt duo super unum: hoc *Eccle.* iv. 9.
est, bonum est filio una cum Patris adjutorio per operationem Sancti Spiritus adversus anticipationes sive vitiosam consuetudinem pugnare. — Qui cæcum duce, pastore gregem, viæ ignarum ductore, infantem patre suo, ægrotum medico, gubernatore navem destituit et fraudat, utrisque periculum parat; qui vero sine Patris auxilio contra spiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur.

Hi quidem qui ad medicorum tabernas in initio adveniunt, dolores suos, qui vero ad subjectionem accedunt, eam quæ in se est humilitatem, notent: nam illis quidem dolorum lævigatio, istis vero suæ reprehensionis adjectio, certissimum signum sanitatis est. — Sit tibi conscientia subjectionis speculum, et satis est.

Hi quidem qui in solitudine Patri subjecti sunt, dæmones tantum adversarios habent; qui vero in congregatione sunt, dæmonibus atque una hominibus colluctantur. Et priores illi quidem ex jugi conspectu præceptoris diligentius illius mandata custodiunt; sequentes vero nonnunquam per illius absentiam ea paululum transgrediuntur: verum si studiosi laborumque patientes fuerint, per offensionum tolerantiam defectum illum copiosissime supplent, coronasque duplices referunt.

Omni custodia servemus nosmetipsos. Portus enim navibus repletus, eas facile conterere ac demoliri solet, atque maxime illas quæ ab iracundia veluti a verme aliquo latenter perforatæ fuerint. — Dum sub magistri manu sumus, silentio supremo, ignorantiam semper prætendentes, nos ipsos assuefaciamus. Vir enim tacitus, philosophiæ filius, plurimamque semper scientiam possidet. Vidi eum qui subditus erat, verbum ex ore magistri rapuisse, deque ejus subjectione desperavi, animadvertens illum ex eo superbiam potius quam humilitatem acquisisse. — Omni vigilantia prospiciamus, omni diligentia observemus omnique custodia provideamus quando aut quomodo ministerium orationi præferendum sit: neque enim sane id semper faciendum est.

Attende tibi ipsi quando in conspectu Fratrum tuorum adstas, ut non velis eis justior videri in nullo penitus. Duo enim mala facis, dum et illos ex hoc tuo falso ac ficto studio conturbas, et tibi ex omni loco arrogantiam et superbiam conquiris. — Esto animo studiosus ac sollicitus, neque id penitus corpore fingens, non habitu, non sermone, non signo. Istudque eris, si proximum tuum spernere ac minimum vel minimi existimare quievisti: quod si hactenus ad id pronus exsistis, esto Fratribus tuis per omnia similis, neque per elationem dissimilis. — Vidi plerumque improbum discipulum quum de magistri virtutibus coram hominibus quibusdam loqueretur gloriantem, qui tamen dum sibi ex aliena fruge gloriam videretur acquisisse, ignominiam

potius retulit, cunctis ad illum conversis ac dicentibus : Et quomodo arbor bona ramum infructuosum tulit?

Non tunc nos patientiæ deditos aut virtuti existimemus, quum Patris objurgationem fortiter tulerimus, sed quum a cunctis hominibus contempti ac verberibus etiam affecti, constanter toleraverimus. Patrem enim idcirco toleramus, quia reveremur, illique pro impensa nobis cura debitores sumus. — Bibe summa alacritate objurgationes atque irrisiones a quovis homine tibi propinatas, non aliter quam aquam vitæ. Potare enim te quærit salubri potione, et per quam omnis animi lascivia et luxuria purgetur : nam hujusmodi revera haustu orietur intima et profunda castitas in anima tua, luxque Dei candidissima ex corde tuo non deficiet.

Nemo quum sub se ipso viderit Fratrum cœtum requiescere, in mente sua incautus glorietur : fures enim juxta sunt. Recolens recole quid Dominus dixerit : Quum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Porro qua judicii subtilitate labores nostros Deus examinet, in exitus nostri tempore sciemus. — Cœnobium est terrestre cœlum : idcirco quasi angeli ministrantes Domino, affici in corde studeamus. Nonnunquam hi qui in ejusmodi cœlo sunt, corde fere lapidei fiunt, nonnunquam vero per compunctionem molliuntur, ut per hujusmodi duritiam elationem fugiant, et per lacrimas labores consolentur. — Modicus ignis plurimum ceræ mollivit ; modicumque contingentis ignominiæ omnem sæpe cordis feritatem, omnem duritiam omnemque cæcitatem repente mollivit, obdulcavit, delevit. — Vidi aliquando duos latenter obsidere, certantiumque gemitus ac labores observando auscultare ; sed alter imitandi studio id faciebat, alter ut quum tempestivum cerneret, ista cum exprobratione publicaret, ac Dei famulum a sacra ista exercitatione retraheret. — Noli præter rationem silere, ne ex tui silentii improbitate aliis turbationis et amaritudinis auctor fias. Neque moribus tardus incessuque celer sis : alioqui turbulentis et insanis deterior eris. Vidi, ut ait Job, hujusmodi nonnunquam morum tarditate, interdum vero etiam ex dexteritate, animas parere et perire ; malitiæque varietatem admiratus sum.

Luc. XVII, 10.

Qui in Fratrum medio consistit, non tam ex psalmorum modulatione quam ex oratione lucrari poterit : nam sæpe ex alterius vocibus et modulationibus, ne virtutem intellectumque psalmi consequi possimus, impedimur. — Certa tota animi intentione, mentemque semper inquietam ac vagam infatigabiliter contine, te ipsum ad te ipsum colligens. Neque enim ab his qui obedientiæ legibus vivunt, orationem sine ullo cogitationum strepitu quietam requirit Deus. Noli tristari aut mœrore ullo affici, si dum oras, subtilissime inimicus irrepserit, animique intentionem clam ut fur averterit ; sed bono animo esto dum semper lubricam revocas mentem : angelis enim solis datum est hujusmodi non patere furibus.

Qui sibi ipsi latenter persuasit nunquam sibi ab hujusmodi conflictu recedendum usque ad extremum spiritum, imo si mille mortes (ut ita dixerim) animæ et corporis immineant, nihil hujusmodi facile incurret : nam cordis hæsitatio et infidelitas, locorumque mutatio, offendicula semper atque calamitates parare consueverunt. Qui proni ac faciles ad migrationem mutationemque locorum sunt, improbi omnino judicantur : nihil enim ita boni operis fructus consuevit obtundere, ut locorum crebra mutatio. — Si ignotum tibi hactenus medicum sive medicinæ offenderis tabernam, esto ut præteriens viator, cunctorumque illic degentium clam experimentum sume. At si ex opificibus et ministris quidquam auxilii et emolumenti in tuis ægritudinibus te accepisse persenseris, maxime vero in tumore animæ, quem evacuare quæris : tunc jam securus accede, teque ipsum vende illic humilitatis auro ; sub obedientiæ chirographo

et administrationis litteris, testibusque angelis, horum in conspectu dirumpe atque conscinde propriæ voluntatis chartam. Nam si huc illucque circumeas, fœdus jam et pretium quo te Christus emerat, violas. — Admoneat te jugiter sepulcri memoria. Nemo e monumento progreditur ante communem resurrectionem omnium. Sin vero exierint aliqui, considera quia et mortui sunt : quod nos uti ne patiamur, Dominum intenti oremus.

Quum senserint fragiliores quique ac segniores gravia sibi imperari, tunc orationes præferre contendunt; quum vero leviora, tunc ab hac veluti ab igne diffugiunt. — Sunt nonnulli qui postquam administrationis officium susceperint, pro consolatione et quiete fratris requisiti illo se abdicant, atque id ei concedunt; sunt item qui ex pigritia id faciunt. Sunt qui ex inani gloria facere id volunt; et sunt qui ex alacritate animi.

Si te rapuit quodlibet genus vivendi, videsque in eo animæ oculum absque profectu persistere, disjungi ab instituto quam celerius satage. Verum is qui probatus est, æque in omnibus probatus est, sicut etiam econtra. — Maledicta in sæculo atque injuriæ multa sæpe difficilia fecerunt : ita et in religiosis congregationibus gulæ illecebra ruinam omnem et negligentiam atque contemptum operatur. Hanc tu rabidam dominam si subigere volueris, omni in loco placidissimam quietem acquirere valebis; illa vero si tibi dominetur, extra monumentum omni in loco periclitaberis.

Dominus quidem illuminat cæcos obedientium oculos ad contuendas magistri virtutes; idemque eos excæcat ne defectus videant : econtra vero bonis omnibus infestus dæmon facere conatur. — Sit nobis, o fili, forma optimæ subjectionis argentum quod vivum dicitur : quod quamlibet in omnia volvatur, manet tamen omni sordium commixtione liberum. — Qui solliciti ac studiosi sunt, se ipsos cautissime attendant, ne dum negligentiores quosque judicant, severius quam illi condemnentur. Idcirco enim (ut reor) justificatus est Lot, qui quum in flagitiorum medio versaretur, nunquam illos penitus judicasse deprehensus est.

Semper quidem conservandus est quietus animus atque ab omni perturbatione liber, sed attentius tamen quum Domino psallimus : student enim maxime dæmones perturbationibus orationem nostram impedire atque demoliri. Is revera minister idoneus censetur, qui quum hominibus corpore adsistat, mente tamen per orationem cœlos pulsat.

Injuriæ quidem atque contumeliæ objectionesque, et hujusmodi cetera, in obedientis anima absinthii amaritudini similia sunt; laudes vero, honores gloriosique rumusculi, in his qui talia studiose aucupantur, in morem mellis suavitatem maximam gignunt. Inspiciamus ergo diligentius naturam utrarumque rerum. Absinthium quippe omnem intestinorum fæcem purgare certum est; mel vero bilem augere solet.

Secure eis credamus in Domino qui curam nostri susceperunt, etiam si quædam imperent quæ contraria ac saluti nostræ videantur adversantia. Tunc enim fides ad illos nostra veluti in fornace humilitatis comprobatur. Hoc enim est verissimæ fidei indicium, si contraria quam sperabamus adspicientes, præcipientibus absque ulla hæsitatione obtemperemus. — Ex obedientia, ut diximus, humilitas nascitur; ex humilitate discretio, ut a magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione conscripsit, [illegible]
venustissime atque altissime disputatum est. Ex discretione vero, animo clarissimum lumen infunditur, ex quo etiam prævisio nascitur. Quis igitur ad hoc tam præclarum iter obedientiæ non læto animo accurrat, quum ante se tantam bonorum copiam videat? De hac singulari virtute cantor ille optimus aiebat : Parasti in dulcedine tua Ps. LXVII, 11.
pauperi obedienti, Deus, præsentiam tuam in corde ipsius. — Nunquam excidat tibi in tota vita tua maximus ille athleta, qui totis decem et octo annis auribus exterioribus

nunquam a magistro audivit, Salveris ; interioribus vero quotidie audiebat a Domino, non quidem, Salveris, quod optativum est ac pro incerto ponitur, sed, Salvus factus es, quod firmum simul ac definitum est.

Plerique ex obedientium grege quum facilitatem Patris animadvertunt, sensim, dum nesciunt, ad suas voluntates ejus nutus inclinant. Sciant autem hujusmodi, se confessionis corona omnino excidisse : obedientia enim est simulationis propriique desiderii omnimoda renuntiatio. — Sunt qui suscepto imperio, quum imperantis intentionem in hoc parum gratam animadverterent, id repudiaverunt. Sunt item qui quum idem persentirent, tamen instanter ac sine ulla hæsitatione obtemperaverunt. Quærendum quinam ex his religiosius fecerunt.

Possibile non est ut diabolus suæ ipsius resistat voluntati ; idque tibi persuadent qui in negligentia vivunt, et in una solitaria cellula sive in cœnobio perseverant. — Quum ut loco excedamus oppugnamur, sit ea pugna nostræ illic virtutis indicium. Nam si oppugnamur, quis pugnare nos ambigat ?

Non ero occultator iniquus nec fraudator inhumanus, ut ea apud vos sileam quæ silere omnino nefas est. Joannes Opanii Sabaites, vir mihi carissimus, res mihi retulit auditu mirabiles et memoratu dignissimas. Quod autem is vir perturbationibus et passionibus sit liber, atque a mendacio procul, verboque et opere mundus, quum ejus experimentum ceperim, novi, Pater optime. Hic itaque mihi ista narravit : Erat, inquit, in monasterio meo quod est in Asia (inde enim justus ille advenerat), senex quidam negligentissimus ac parum moderatus : quod non judicandi causa, sed veritati studens, dico. Huic erat discipulus minor, Achatius * nomine (quem nescio quo pacto sibi acquisierat), simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu ac cogitatione prudentissimus. Qui tanta ab hujusmodi sene passus est, quanta si referre voluero, plurimis forte videbuntur incredibilia : non enim injuriis solum atque contumeliis et ignominiis, verum etiam verberibus eum quotidie afficiebat. Erat autem hæc illius tolerantia non sane irrationabilis. Ego igitur quum illum quotidie ut empticium servum suprema in ærumna degere adspicerem, obvians illi sæpissime dicebam : Quid est, frater Achati ? Quomodo tibi est hodie ? Ille vero continuo nunc quidem liventem tumidumque oculum, aliquando vero faciem fractam et cervicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, aiebam illi : Bene ; sustine viriliter, et proderit tibi. Quum igitur egisset annos novem sub immiti et acerbo sene, migravit ad Dominum, sepultusque est in Patrum cœmeterio. Post quinque autem dies abiit ad magnum quemdam illic senem Achatii magister, dixitque illi : Pater, Achatius mortuus est. Quod quum audisset senior, respondit : Vere, senex, non id mihi persuades. Qui ait : Veni et vide. Continuo surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium, et clamavit, tanquam viveret, ad eum qui vere in beata requie vivebat, dicens : Frater Achati, putasne mortuus es ? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens, magno illi ita de sepulcro respondit : Et fieri quomodo potest, Pater, ut moriatur homo obedientiæ deditus ? Tunc senex ille qui pridie illius magister appellatus fuerat, territus in faciem cum lacrimis cecidit, atque a monasterii abbate petiit ut sibi juxta tumulum ejus cellulam construere liceret ; illicque jam sobrie vixit, dicens Patribus semper : Homicidium feci.

* Acacius

Mihi quidem, pater Joannes, videtur hunc senem qui cum mortuo locutus est, esse magnum Joannem. Aliud enim quoddam, veluti de alio, mihi enarravit beata ejus anima : fuit autem ipse, ut postea certior factus sum, quum id explorassem diligentius.

Alius quidam, aiebat, in eodem Asiæ monasterio cuidam monacho miti atque mansueto in discipulum est datus. Hic quum videret se a sene quasi honorari ac præstari

sibi requiem, quod plurimis periculosum esse solet bene et prudenter excogitat. Obsecrat senem ut illum ab se dimittat : quod idcirco non valde molestum fore videbatur, quia habebat senior alium discipulum. Profectus igitur ab illo est, litterisque commendaticiis magistri sistitur in quodam Ponti cœnobio. Prima autem nocte qua cœnobium ingressus est, vidit quosdam per somnum ab se rationem exigere. Tandem post terribile id horrendumque examen, debere se reperit centum auri libras. Experrectus itaque, visumque dijudicans, ait : Humilis Antioche (hoc enim erat ipsi nomen), vere gravi ære oppressi sumus alieno, plurimaque persolvenda restant. Sic igitur in cœnobio, inquit, permansi annos tres, obediens omnibus nihilque discernens, quum me omnes spernerent atque ut peregrinum injuriis afficerent : neque enim erat ibi præter me peregrinus alius monachus. Post triennium vero rursus in somnis adspicio quemdam qui decem debiti mei libras abolitas ostendit. Expergefactus itaque intellexi visionem, et dixi : Decem solummodo libras persolvi, et quando impleturus sum reliquum debitum ? Tunc ad me ipsum dixi : Humilis Antioche, ampliori labore et ignominia opus habes. Ex tunc itaque me amentem et fatuum simulare cœpi, nihil tamen ministerii mei penitus omittens. Quocirca in tali me ordine atque alacritate cernentes, immites Patres cuncta mihi monasterii gravia opera injungebant. Quum vero in hoc instituto vitæ tredecim annis perdurassem, vidi eos qui mihi antea apparuerunt, rursus ad me venire, totiusque debiti solutionem impletam ex integro ostendere. Quum igitur in aliquo me vexabant monasterii monachi, debiti mei statim reminiscebar, atque ita fortiter ferebam.

Ista mihi sapientissimus Joannes veluti ex alterius persona enarravit : ideoque sese Antiochum cognominavit. Hic autem fuit revera qui chirographum suum per patientiam fortiter conscidit.

Qualem vero discretionis gratiam Sanctus iste pro suprema obedientiæ virtute adeptus sit, referre libet. Quum aliquando sederet in monasterio S. Sabbæ, accesserunt ad eum tres adolescentes, discipuli illius fieri volentes. Quos continuo hospitio lætissime suscepit, omnibusque humanitatis officiis prosecutus est, volens illos ex itineris labôre recreari. Post diem ergo tertium dicit eis senex : Ignoscite mihi, Fratres, quia homo malignus sum, nec possum ex vobis quempiam suscipere. Illi vero nihilo minus scandalizati non sunt : sciebant enim senis opera. Sed quum maximis precibus ut se susciperet obtinere non possent, prostrati jam ante pedes ejus obsecrabant ut vel vivendi normam eis traderet, quo in loco et quomodo habitare debuissent. Cessit senior, sciens quod cum humilitate, ad obtemperandum parati, id peterent. Aitque uni : Vult Dominus te, o fili, in solitariis locis cum Patre in subjectione persistere. Secundo autem dixit : Abi, vende voluntates tuas et Domino da, et tollens crucem tuam persiste in conventu et cœnobio Fratrum ; et omnino thesaurum habebis in cœlo. Deinde dicit et tertio : Assume in animo tuo inseparabiliter, et tota intentione verbum illud, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, in intimis visceribus recondе ; abiensque, si fieri potest, eum exercitationis tuæ in Domino ducem ac magistrum quære, quo in omnium mortalium natura nullus sit asperior aut gravior, sub quo perseverans jugiter, objurgationes et irrisiones quotidie ut mel et lac bibe. Ad quem Frater ille inquit : Si hujusmodi negligens fuerit, quid facio, Pater ? Etsi fornicari (inquit) illum videris, noli discedere, sed ad te ipsum conversus dic : Amice, ad quid venisti ? Tunc adspicies tumorem tuæ mentis dissipari excandescentiamque mitescere.

Matth. x, 22 ; xxiv, 13.

Contendamus totis viribus omnes qui Dominum metuimus, ne in virtutis gymnasio nequitiam nobis ipsis acquiramus, malitiamque et acerbitatem et astutiam, per quæ cursus impeditur noster. Solet enim id contingere : nec mirum. Quamdiu enim homo

aut privatus aut nauta aut agricola fuerit, non usque adeo adversus eum inimici regis armantur. At quum illum a rege sigillum accepisse viderint, scutumque et gladium et arcum et frameam, vesteque indutum militari; tunc maxime adversus eum infrendunt dentibus, ac modis omnibus necare contendunt. Quocirca non dormiamus. — Vidi plerumque infantes pueros simplicitate ac decore mirabiles, sapientiæ et eruditionis atque utilitatis acquirendæ gratia ad magistros proficisci, nihilque inde eruditionis consequi, nisi tantum fastum et nequitiam ex reliquorum contubernio. Qui sensum habet, intelligat.

Impossibile est ut qui artem aliquam totis animis addiscunt, non in illa quotidie proficiant; verum alii quidem ex his profectum suum agnoscunt, alii vero Dei dispensatione ignorant. — Optimus ille trapezita est, qui quotidie vespere lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet : nam quum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur.

Quoties exprobratur et condemnatur stultus, dolet atque angitur; volensque arguenti citius silentium imponere, veniam prostratus postulat, non humilitatis gratia, sed ut ille exprobrare desinat. Quum objurgaris, tace, ac suscipe animæ cauterium, imo vero castitatis luminaria. Quum cessaverit medicus adurere, tunc demum ut tibi ignoscat suppliciter obsecra : nam in illo fervore increpationis fortasse pœnitentiam non suscipit. — Quicumque in congregationibus degimus, adversus omnia quidem, sed contra hæc duo præcipue vitia horis singulis pugnare debemus : adversus insaniam ventris, atque iracundiam. Hæc enim in turba Fratrum propriis materiis abundant.

Solet diabolus eis qui in subjectionis humilitate vivunt, virtutum quas sequi non possint desiderium immittere; similiter et in solitudine viventibus, aliena et ad se nihil pertinentia suggerere. Evolve diligenter et explica subditorum reproborum mentem, invenies illic vagam et variam intentionem : solitudinis desiderium, jejunii enormitatem, orationis insuperabilis affectum, summum gloriæ contemptum, memoriam mortis indelebilem, perpetuæ compunctionis imaginem, iracundiæ omnimodam sedationem, altissimi silentii castitatisque excellentissimæ studium. Quibus rebus quum ex dispensatione Dei initio carent, nonnulli decepti frustra acceptis studiis desilierunt. Ista enim idcirco ante tempus inimicus eos fecit inquirere, ne perseverantes, quum tempestivum esset eis fruerentur. — Contra his qui solitariam vitam delegerunt, seductor astutus obedientium gloriam ingerit, hospitum ac peregrinorum curam ministrationemque, fraternitatis studium, contubernii familiaris dulcedinem, infirmantium obsequia, et cetera quæ sui studii non sunt, ut istos quoque sicut et priores versutus ille instabiles faciat. Paucorum revera est solitudinem ut dignum est prosequi, eorumque solummodo qui ad laborum tolerantiam atque ad auxilium bellorum divina consolatione recreantur.

Pro qualitate autem nostrarum passionum, subjectiones quoque discernamus ac prompte eligamus. Si te ad libidinem ac lasciviam pronum animadvertis, is te Pater exerceat qui ventri indulgere non norit, non qui miraculis coruscet paratusque sit semper ad suscipiendos peregrinos. Porro si elata cervice es, fervidus atque inclemens, non mitis ac blandus, moderetur. Non eos inquiramus qui futura prænoscunt ac prævident, sed ante omnia penitus humiles, nostrisque ægritudinibus ex moribus atque habitatione congruentes.

Imitare justum illum Abbacyrum cujus antea mentionem fecimus. Et hic enim optimus ac præclarus ad prompte obtemperandum modus est, si semper ita tecum reputes, Tentat te Pater; neque unquam penitus falleris. — Si quum jugiter a Patre

objurgaris, ampliorem in eum fidem et caritatem assumis, habitat in anima tua Spiritus Sanctus invisibiliter, et obumbravit tibi virtus Altissimi. Noli ergo gloriari ac *Luc.* I, 35. lætari, si contumelias et ignominias fortiter toleras; sed luge magis, quod aliquid omnino dignum contumelia egisti, Patrisque animam contra te commovisti. — Rem dicturus sum mirabilem; sed vide omnino ne hæsites, cujus habeo sententiæ patronum Moysen. Expedit in Deum magis peccare, quam in Patrem nostrum. Nam si Deum ad iracundiam provocaverimus, dux noster illum reconciliare nobis poterit; si vero ducem ipsum perturbaverimus, nullum jam qui nobis illum propitium faciat habebimus: quæ utraque mihi in unum recurrere videntur.

Inspiciamus diligenter et discamus sobrieque ac vigilanter attendamus quid, quo tempore, servandum sit. Nonnunquam enim quum a pastore incusamur, gratifice tolerare ac tacite debemus; nonnunquam vero facti nostri rationem reddere. Mihi quidem in his omnibus silendum videtur, quæ nobis ullam ignominiam afferant (lucri enim tempus est); in his vero quæ in personam alterius redundant, rationem reddendam, ob vinculum caritatis atque insolubilis pacis.

Quicumque ab obedientia desilierunt, hi tibi postmodum utilitatem ejus enarrabunt: tunc enim in quo cœlo stabant agnoverunt. — Is qui ad placidissimam animi quietem atque ad Deum currit, die omni qua maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Sicut enim arbores quæ a ventis agitantur, altioribus semper radicibus nituntur; ita et qui in obedientia degunt, validas atque inconcussas animas possident. — Qui in solitudine residens agnovit imbecillitatem suam, migransque se ipsum obedientiæ vendidit, hic cæcus quum esset, sine labore respexit ad Christum.

State, state, dicam iterum, state, Fratres, currentes athletæ, audientes quid de vobis ille sapiens clamet: Sicut aurum in fornace Dominus, imo vero in cœnobio, probavit *Sap.* III, 6. eos; et sicut holocausti hostiam accepit illos in sinibus suis.

GRADUS V

DE ACCURATA POENITENTIA.

Pœnitentia est revocatio Baptismatis. Pœnitentia est secundæ vitæ conventio ad Deum. Pœnitens est humilitatis emptor. Pœnitentia est corporeæ consolationis perpetua et jugis repudiatio. Pœnitentia est se ipsum semper condemnantis cogitatio, securaque cujusque sui cura. Pœnitentia est spei filia, infidelitatisque et desperationis abnegatio. Pœnitens est reus confusione liber. Pœnitentia est reconciliatio Domini per bona opera peccatis repugnantia. Pœnitentia est conscientiæ emundatio. Pœnitentia est voluntaria earum rerum omnium quæ affligant toleratio. Pœnitens est cruciatuum sibi semper opifex. Pœnitentia est valida ventris afflictio, animæque in sensu firmissimo jugis reprehensio.

Concurrite et accedite, venite, et narrabo vobis, omnes qui Deum irritastis; congregamini, et videte quanta ad ædificationem ostendit Deus animæ meæ. Præferamus ordine atque honore eorum narrationem qui per ignominiam servi atque operarii venerabiles sunt. Audiamus, observemus, faciamus, quicumque præter spem ruinam ullam passi sumus. Surgite et sedete, qui per ruinam scelerum jacetis. Attendite,

fratres mei, verba mea; inclinate aurem vestram, qui Deum rursus vobis ipsis per veram conversionem reconciliare cupitis.

Quum audissem ego imbecillis, magnum quemdam esse et peregrinum statum atque humilitatem eorum qui separatum illud monasterium quod carcer appellatur incole-
Cf. p. 524. bant, quodque illi luminari luminarium de quo ante mentionem fecimus adjacebat, obsecravi justum illum ut me illuc visendi gratia perduci faceret. Cessit precibus meis summus vir, nolens animam meam in ullo contristare omnino. Quum igitur pervenissem ad pœnitentium monasterium, imo vero ad regionem lugentium, vidi revera, si dicere id audeam, quæ negligentis oculus non vidit, aurisque desidiosi non audivit, et in cor pigri hominis non ascenderunt, res et verba quæ Deo vim inferre possent, habitus et studia quæ ipsius clementiam celerrime flecterent.

Quosdam enim ex reis illis vidi, noctibus totis usque mane sub dio stare pervigiles, pedesque immobiles tenere, quumque somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem omnino indulgere, sed se ipsos increpare, ignominiisque et contumeliis afficere atque excitare. Alios miserabiliter in cœlum intuentes, et illic adjutorium cum gemitu et suspiriis et vocibus invocantes. Alios in oratione exsistentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignosque se qui in cœlum adspicerent vociferantes, nec quidquam ad Deum dicere orando præ cogitationum et conscientiæ hæsitatione præsumentes, neque quomodo vel unde orationem facerent invenientes, solamque animam tacitam mutamque mentem Deo offerentes tenebris ac desperatione plenam. Nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere sedentes, ac faciem genibus operientes, frontemque in terram collidentes. Alios jugiter pectora tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti revocantes. Ex his alii quidem pavimentum madefaciebant lacrimis; alii vero quia lacrimarum imbres non haberent se ipsos miserabiliter lamentabantur. Plurimi, ut fieri in mortibus solet, super animabus suis ululatum diræ vocis emittebant, angustiam cordis ferre non valentes. Alii ex intimo corde rugiebant, atque intra os gemitus sonum cohibebant; interdum vero quum se continere non possent, repente exclamabant.

Vidi ego illic nonnullos habitu et cogitatione et actu quasi a semetipsis excessissent ac stuporem mentis incurrissent, veluti æreos quosdam summo ex mœrore effectos, totos tenebris obsitos, et ad omnia vitæ hujus veluti insensibiles factos : mentem quippe jam in humilitatis abyssum demerserant, ac mœroris igne oculorum lacrimas frixerant. Alios item mœstos sedere atque in terram fixis obtutibus stare perspexi, caputque assidue movere, et leonum in morem ex imo corde rugitum ac gemitum emittere. Ex his alii pleni spe remissionem omnimodam inquirentes orabant; alii ex ineffabili humilitate indignos se remissione judicabant, nec omnino posse Deo rationem reddere clamabant. Quidam hic excruciari ut illic misericordiam consequerentur, a Domino supplices poscebant; plerique ex conscientiæ onere attriti ac depressi, satis sibi ex intimis esse dicebant, si vel suppliciis eximerentur regnoque non potirentur.

Vidi illic animas humiles contritas et præ gravi pondere incurvatas ac dejectas, quæ vocibus illis suis ad Deum emissis lapides quoque ipsos ad compunctionis sensum emollire potuissent. Ita enim, defixis in terram luminibus, aiebant : Novimus sane, novimus omnibus jam pœnis atque cruciatibus nos esse dignissimos. Et merito quidem : neque enim idonei jam sumus qui pro debitorum nostrorum multitudine satisfacere possimus, etiam si orbem universum ut pro nobis lugeat convocaverimus. Illud
Ps. XXXVII, 2. solum oramus, istud deprecamur, id tota animi intensione supplicamus : Neque in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos, neque justissimi judicii tui legibus

excrucies nos, sed parcius et misericordius. Satis enim nobis est ingenti illa tua ac terribili comminatione suppliciisque illis occultis, ignotis atque inauditis liberari. Neque enim ut pœnis omnino liberemur, petere audemus. Qua enim facie, quo animo id audeamus, qui professionem nostram violavimus, eamque post priorem clementissimamque remissionem sordidavimus ?

Illic profecto, o dulcissimi amici, illic verba David rebus ipsis cerneretis impleta : ærumnis affectos homines atque usque in finem vitæ incurvatos, totisque diebus mœstos incedentes, et ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes; qui quasi sine ulla carnis cura degerent, obliviscebantur comedere panem suum, potumque aquæ cum gemitu miscebant, et cinerem cum pane manducabant. Adhæserant illorum ossa carni, ipsique ut fœnum exaruerant. Nec quidquam apud illos audivisses nisi hæc verba : Væ, væ; me miserum, me miserum; juste, juste; parce, parce, Domine. Nonnulli Miserere dicebant. Alii vero rursus miserabilius clamabant : Ignosce, ignosce, Domine, si possibile est.

Ps. xxxvii, 7, 6.

Ps. ci, 5, 10, 6, 12.

Vidisses in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu se ipsos cruciabant; alii contra acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degustantes ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli quum panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longius projiciebant, indignos se qui rationali cibo vescerentur asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent.

Quem apud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo? quem iracundia? quem furor? Nec enim quod in hominibus iracundia esset sciebant, adeo luctus furorem omnem penitus exstinxerat. Ubi apud illos contradictio? ubi festivitas? ubi confidentia? ubi corporis obsequium et cura? ubi vel vestigium inanis gloriæ? ubi deliciarum exspectatio? ubi tenuis vini cogitatio? ubi pomorum degustatio? ubi ferventis ollæ solatium? ubi gulæ ulla illecebra? Horum enim omnium apud illos spes nulla erat. Non terrenæ cujusquam rei cura angebantur. Non judicare ullum omnino hominum didicerant. Nihil horum penitus in illis invenisses.

Ceterum jugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur. Alii enim pectus valide manibus cædentes, quasi jam ad ipsam adstarent cœli januam, ad Dominum dicebant : Aperi nobis, Judex, januam; aperi nobis ex quo illam nobis ipsi per peccatum clausimus. Clamabat alius : Ostende faciem tuam tantum, et salvi erimus. Alius econtra : Appare his qui in tenebris et umbra mortis sedent, humilibus tuis. Alius rursus : Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus, quia desperavimus, quia nimium defecimus. Nonnulli autem aiebant : Putasne apparebit Dominus ultra super nos? Alii vero : Num pertransiit anima nostra debitum intolerabile? Alii : Putasne adjiciet Dominus ultra consolari in nobis? Putas illum audiemus dicentem nobis qui sumus in vinculis insolubilibus, Exite; et qui in inferno pœnitentiæ sedemus, Laxamini? Putasne clamor noster ad aures Domini ingressus est?

Matth. xxv, 11.

Ps. lxxix, 4, 8.

Luc. i, 79.

Ps. lxxviii, 8.

Ps. lxvi, 2.

Ps. cxxiii, 5.

II *Mach.* vii, 6.

Is. xlix, 9.

Ps. xvii, 7.

Cuncti vero sedebant semper ante oculos suos mortem attendentes, ac dicentes : Quid putatis continget? Quænam erit illa sententia? quis finis noster? Putas erit revocatio? Num superest ulla spes veniæ mœstis, humilibus, reis? Num valuit oratio nostra ingredi ante conspectum Domini, aut merito repudiata est, abjecta atque confusa? Aut si forte intravit, quantum peregit? quantum placavit Deum? quantum profecit? quantum operata est? Emissa quippe ex immundis corporibus et labiis, parum virium habere potuit. Putas omnino reconciliavit Judicem, an ex parte? An vulnerum vel medietas deleta est? Quippe maxima quum sint, plurimis et laboribus et sudoribus et doloribus indigent. Putas appropinquaverunt nobis angeli custodes nostri, an adhuc

longius a nobis stant? Nisi enim illi appropient nobis, inutilis et infructuosus est omnis labor noster : neque enim habet vim confidentiæ oratio nostra neque munditiæ pennas ut ingredi ad Deum possit, nisi hanc e proximo assumant angeli qui nobis præsunt, eamque offerant Domino.

Nonnunquam vero hæsitantes, hujusmodi ad invicem dicebant : Num, fratres, aliquid proficimus? Num petitione nostra potiemur? Num iterum suscipit? Num aperit? *Jonæ* III, 9. Alii vero ad ista respondebant : Quis novit, ut dixerunt Ninivitæ fratres nostri, si forte pœniteat Deus, atque ab ingenti illa pœnitentia nos liberet? Tamen quod nostri muneris est non negligamus : et si quidem ille aperuerit, bene est; si vero alias, benedictus Dominus qui juste exclusit nos. Verumtamen perseveremus pulsantes usque ad finem vitæ nostræ. Forsitan improbitati nostræ ac perseverantiæ cedens, aperiet : benignus quippe et misericors est. His atque hujusmodi se ipsos exhortantes atque excitantes, aiebant : Curramus, fratres, curramus. Cursu enim opus est, et vehementi cursu, quoniam cœtu nostro decoro atque optimo excidimus. Curramus, neque huic carni nostræ sordidæ atque nequam parcamus, fratres, sed occidamus illam sicut prius occidit nos.

Sic beati illi rei faciebant. Genua illis ex perpetuo orationis usu obcalluerant. Oculi defecti atque defatigati intus profunde recesserant, pilis omnibus ciliorum amissis. Genæ ardentium fervore lacrimarum adustæ videbantur; facies marcescentes ac pallidæ squalebant, nihilque a mortuis in comparatione differebant. Pectora tunsionum ictibus dolebant, lividaque sanguinem ex crebris illisionibus emittebant. Ubi lecti usus? ubi indumenti munditia et firmitas? Omnia ibi discissa erant et sordida ac pediculis operta. Quid autem est eorum qui a dæmonibus arripiuntur, si illis conferatur, afflictio? quid mortuos plangentium amaritudo? quid mœror in exsilio degentium? quid parricidii reorum pœna? Nihil sane est illorum pœna suppliciumque quo inviti afficiuntur, si voluntariæ istorum pœnæ conferantur.

Sed quæso, fratres, ne ea quæ dicta sunt fabulas existimemus. Rogabant nonnunquam isti magnum illum judicem, pastorem dico, inter homines angelum, ut ferrum ac torques collo ac manibus imponeret, pedesque patientium constringeret ligno, nec eos prius inde solveret, quam sepulcrum succederet : imo vero nec sepulcrum quidem. Neque enim profecto hanc quoque beatorum illorum revera mirabilem ad Deum caritatem atque pœnitentiam abscondam. Quoties ad Dominum profecturi et incorrupto tribunali Judicis sistendi erant, felices illi regionis pœnitentium cives, hoc per eum qui sibi præerat adjurantes, ab magno illo summis precibus petebant ne sepultura humana dignarentur, sed brutorum instar, aut fluvialibus undis traderentur, aut in campum projecti, bestiis devorandi permitterentur. Quod etiam nonnunquam fecit illorum precibus obtemperans discretionis lucerna, jubens illos omni psalmodia omnique honore privatos projici.

Quum vero extrema illorum hora advenisset, terribile omnino miserandumque spectaculum cerneres. Nam quum eum qui se præcedebat, efflare jam animam sensissent socii, adhuc sensu integro vigente circumstabant illum siti æstuantes et lugentes, ac desiderio pleni, miserabili omnino habitu mœstiorique sermone capita sua commoventes, efflantem jam animam interrogabant, misericordiaque flagrantes aiebant ad illum : Quid est, frater? Quonam modo tecum agitur? Quid dicis? Quid speras? Quid suspicaris? Percepistine ex labore tuo quod quærebas, aut non valuisti? Pervenisti ad portum, aut nondum potitus es spe tua? Accepisti certam aliquam fiduciam, an adhuc incerta spe fluctuas? Consecutus es libertatem, an agitatur ambigitque cogitatio? Sensisti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc et ignominiæ confusione plenum

est? Ullane tibi vox intrinsecus facta est, dicens, Ecce sanus effectus es, aut, Dimittuntur tibi peccata tua, aut, Fides tua te salvum fecit? Illamne tibi adhuc vocem audire videris, qua dicitur, Convertantur peccatores in infernum, et, Ligatis manibus et pedibus, mittite illum in tenebras, et, Tollatur impius ne videat gloriam Dei? Quid ais, frater? Dic nobis, oramus, ut et nos scire possimus quidnam illic nos maneat. Tuum quippe Ps. ix, 18.
tempus jam clausum est, aliudque de cetero in æternum non invenies. Ad hæc quidem alii dormientium, Benedictus, aiebant, Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Alii vero illud gementes dicebant : Forsitan pertransibit anima nostra aquam intolerabilem. Quod nondum confidentes aiebant, sed considerantes quam sit pavendum illud terribile incertumque judicium. Alii vero etiam mœstius quiddam respondebant, ac dicebant : Væ animæ illi quæ non servavit professionem suam integram et immaculatam : hac enim hora tantum sciet quid illi præparatum sit.

Quæ ergo omnia quum apud illos audissem et vidissem, parum abfuit quin desperatione absorberer, quum meam intuerer malitiam et negligentiam, eamque sanctorum illorum afflictioni compararem.

Quænam vero qualisve erat ejus loci facies et habitatio? Tota tenebrosa erat, informis, fœtida, sordida, squalida. Carcer enim et condemnatio rectissime appellabatur. Ipsa denique vel sola loci contemplatio, perfectæ pœnitentiæ ac luctus magistra erat. Sed ea quæ aliis difficilia atque impossibilia videntur, eis qui virtute ac spiritualibus divitiis se excidisse meminerunt, grata sunt et amabilia, fitque eorum perfacilis assumptio. Anima enim quæ priore confidentia privata, spe consequendæ beatæ tranquillitatis excidit, sigillumque castitatis aperuit, divitiisque gratiarum spoliata et divina consolatione destituta est, pactumque et placitum Domini violavit, exstinxitque jam in se decorum lacrimarum ignem, quoties horum memoria tangitur, quæ sua negligentia se amisisse retinet, acerrimo dolore compuncta et vulnerata, non solum quos prædiximus labores cum omni studio et alacritate suscipit, verum etiam se ipsam mactare per exercitationis magnitudinem contendit : si tamen in illa caritatis ac timoris Domini favilla ulla derelicta est.

Hujusmodi profecto erant beati illi. Hoc enim secum in animo volventes, virtutisque qua exciderant altitudinem considerantes, Memorati sumus (aiebant) dierum antiquo- Ps. cxlii
rum, ignitique illius studii nostri. Alii ad Dominum clamabant : Ubi sunt misericordiæ Ps. lxxx
tuæ antiquæ quas ostendisti animæ nostræ in fortitudine tua? Memor esto opprobrii 50, 51.
et laboris servorum tuorum. Alius vero : Quis me ponat (aiebat) secundum menses Job xxix
dierum meorum priorum, in quibus me custodiebat Deus, quando lucebat lucerna 3.
lucis ejus super caput cordis mei? Sicque priores omnes virtutes suas memorabant, atque istas infantium more plorabant, dicentes : Ubi est orationis puritas? Ubi hujus certissima fiducia? Ubi dulces lacrimæ in amaritudine? Ecce, ubi sunt? Ubi intimæ munditiæ et castitatis spes? Ubi beatissimæ ac placidissimæ quietis exspectatio? Ubi sincera ad pastorem fides? Ubi orationis illius in nobis efficacia et virtus? Perierunt ista omnia, et quasi nunquam visa sint defecerunt, utque nunquam fuerint ita deleta sunt et perdita. Ista cum gemitu et lamentatione prosequentes, ita demum alii ut a dæmonio arriperentur orabant. Alii ut morbum inciderent, precibus a Domino poscebant. Plurimi oculos amittere miserandumque omnibus spectaculum fieri optabant. Nonnulli paralytici fieri et languorem corporis contrahere, solum ne futura supplicia experiri cogerentur, cupiebant.

Ego autem, o amici, nescio quo pacto diutius inter lugentes versatus sum, totoque animo in illorum admiratione suspensus, me ipsum continere non potui. Sed ut ad id unde aberrarat redeat oratio, quum triginta dies in custodia illa perseverassem, impa-

tiens, in magnum illud cœnobium, ad magnum Patrem, reversus sum. Qui ut me adspexit immutata facie totumque veluti attonitum, agnovit sapientissimus immutationis causam, et ait ad me : Quid est, pater Joannes ? Vidistine laborantium certamina ? Ad quem ego : Vidi, inquam, Pater, vidi et admiratus sum ; feliciores que existimavi qui post lapsum ita lugent, quam qui nunquam lapsi sunt, et se ipsos non sic deflent. Illis enim ruina sua causa fuit beatissimæ ac tutissimæ resurrectionis.

Tum ille : Sic (inquit) est. Ac protinus adjecit veracissima illius lingua : Erat hic ante decem annos Frater quidam nimium sollicitus atque studiosus, talisque operarius, ut quum ego illum cernerem ita spiritu ferventem, tremere cœperim, illique a diaboli invidia nimium metuere ne forte dum vehementius currit, offenderet ad lapidem pedem suum : quod fere eis evenire solet qui celerius vadunt. Quod et factum est. Quum vero profundo vespere regrederetur ad me, nudat vulnus, quærit emplastrum, petit cauterium, perturbatur vehementius. Quum vero medicum adspiceret se uti durius nolentem (erat enim miseratione dignus), projecit se in pavimentum, apprehendit pedes, multisque illos lacrimis ubertim rigans, petiit se ad eam quam vidisti custodiam damnari, impossibile esse clamans illuc non proficisci. Quid multa ? Egit vi sua ut clementia medici in duritiam verteretur : quod in languentibus perrarum est atque omnino mirabile. Advolat ocius pœnitentes, additurque illis socius ad luctum promptus atque mœroris particeps. Igitur doloris gladio percussus in corde, quem divina caritas acuerat, octavo postquam eo pervenerat die migrat ad Dominum, id petens ne sepultura frueretur. Quem ego ut sane dignissimum et huc retuli et in Patrum sepulcro sepelivi. Idcirco et post servitutis septimam octavo die liber evasit. Nec defuit qui id certissime cognosceret, non illum ante a sordidis et vilibus pedibus meis resurrexisse, quam
Luc. VII, 37 et seq. sibi Deus propitius ignosceret. Nec mirum sane. Sumpta enim in corde illius meretricis
Marc. IX, 22. fide, eadem et ipse spe et confidentia lacrimis pedes meos inutiles rigavit. Omnia vero possibilia esse credenti Dominus prædixit. Vidi impuras animas corporum amoribus ad insaniam usque servientes, quæ ex amoris experimento sumpta occasione pœnitentiæ, eumdem amorem transtulerunt ad Dominum, omnique protinus timore rejecto, in Dei caritatem inexplicabiliter amplectendam incitatæ sunt. Quocirca pudicæ
Luc. VII, 47. illi meretrici non dixit quia timuit, sed quia dilexit multum ; potuitque facile amore amorem repellere.

Non autem ignoro, admirabiles viri, fore ut ista quibusdam videantur incredibilia, aliis vero ad credendum difficilia, nonnullis etiam desperationem parientia, quæ modo enarravi beatissimorum illorum certamina. Porro vir fortis ex his stimulum magis igneumque jaculum sumpsit, zelique conceptum fervorem in corde ferens abiit. At qui illo alacritate minor est, cognita imbecillitate sua, atque ex hac cognitione et reprehensione sui facile humilitatem possidens, post primum cucurrit ; nescio an apprehenderit. Vir autem negligens, ista quæ dicta sunt ne audiat quidem, ne forte id modicum quod interim operatur, omnino desperans dissipet, compleaturque in illo quod Dominus
Matth. XIII, 12 ; XXV, 29. dicit : Ab eo autem qui non habet alacritatem, et ipsum quod habet auferetur ab eo.

Fieri non potest ut qui in lacum cecidimus iniquitatum, inde unquam emergamus, nisi nos in abyssum humilitatis pœnitentium dejiciamus. — Alia adhuc peccantium conscientiæ reprehensio, et alia quæ perfectis per Dei operationem provenit dives ac lætifica humilitas ; alia est tristis mœrentium humilitas. Ne, quæso, hanc tertiam verbis invenire studeamus : alioqui inaniter erramus. Secundæ vero humilitatis signum est ignominiæ perfecta toleratio. — Lugenti quoque nonnunquam præcedens consuetudo violenter dominatur. Nec mirum : judiciorum atque ruinarum ratio obscura est atque tenebrosa, nullaque hanc anima facile animadvertit. Difficillime enim comprehendi ac

discerni potest, quænam nobis per nostram negligentiam, quænam per divinam derelictionem, qua nonnunquam Deus humanam animam providentissima dispensatione deserit, quænam per aversionem Dei nobis ruinæ contingant. Verum id mihi quidam asseveravit, eas quæ per divinam providentiam contingunt, celeri conversione solere aboleri : neque enim permittit nos Deus illis diutius teneri, quibus nostri profectus gratia ad tempus traditi sumus.

Quicumque lapsi sumus, ante omnia spiritui mœroris resistamus. Ipse enim orationis tempore adsistens, priorisque confidentiæ nos admonens, orationem nostram impedire nititur. — Noli turbari si quotidie laberis, neque resilias, sed sta viriliter : prorsus enim reverebitur tolerantiam tuam custos tuus angelus. — Dum adhuc recens atque in sanguine est, vulnus facile curari solet. Nam quæ dura et neglecta atque obducta vetustate sunt, difficillime sanantur, ingentique labore et ferro et cauterio et igni ut curari possint indigent. Plurima sunt quæ tempore fiunt insanabilia. Deo tamen omnia sunt possibilia. [illegible] 26.

Antequam corruamus, clementem esse Deum dæmones suggerunt : post ruinam vero, durum et immitem dicunt. — Noli ei credere qui post graviorem lapsum in minimis defectibus ingemiscenti dicit : Utinam id non fecisses, nam istud quidem nihil est. Sæpe enim parva munera ingentem judicis iram mitigarunt. — Qui revera reatus sui pœnam dat, is omnem diem qua non luget, se amisisse arbitratur, etiam si qua fortassis bona alia in illo fecerit.

Nullus eorum qui se pœnitentiæ lamentis attrivit, in exitu securus fieri exspectet : nam quod incertum est, id satis firmum non est. Dimitte mihi per certam securitatem ut refrigerer, antequam hinc incertus abeam. Ubi Spiritus Domini, ibi nexus soluti sunt; itidemque ubi humilitas profunda et inviolabilis. Nam qui sine his duobus hinc proficiscuntur, non se fallant, vincti sunt. Qui sæculo serviunt, soli hujusmodi certis securitatibus, et maxime priore, alieni sunt. Nonnulli tamen per eleemosynam et pietatis opera currentes, lucrum suum in exitu cognoscunt. *Ps.* xxxviii, 14; [illegible] 17.

Qui se ipsum pœnitentiæ lamentis afficit, alterius lamentum aut casum aut querimoniam non facile agnoscit. — Canis si a fera ulla mordeatur, adversus ipsam vehementius accensus animatur, ex dolore vulneris incomparabili ferocia insaniens. Caveamus ne forte non ex munditia, sed ex falsa confidentia, se ipsam conscientia desistat reprehendere. Id erit solutionis delictorum certissimum indicium, si semper quisque debitorem se existimet.

Nihil Dei miserationibus æquale aut majus est; atque ideo qui desperat, sibi ipsi mortem conscivit. — Signum item diligentis atque accuratæ pœnitentiæ est, si omnibus contingentibus invisibilibusque tribulationibus, atque etiam pluribus, dignos nos esse, constanter teneamus. — Moyses quum Deum vidisset in rubo, rursus in Ægyptum, id est ad sæculi tenebras, ad faciendos lateres intellectualis fortasse Pharaonis, rediit. Verum rursus ad rubum, imo vero ad montem Dei, protinus regreditur. Qui intelligit quid sibi hæc velit speculatio, nunquam omnino desperabit. — Magnus ille Job ex divite pauper effectus est, sed rursus illi opes duplicatæ sunt. *Exod.* iii, 2 et seq.; iv, 18 et seq. *Ibid.* xix. *Job* i; xlii, 10.

In his qui negligentes sunt, gravior omnino post vocationem ruina est, quæ spem placidissimæ tranquillitatis consequendæ obtundit, beatumque et maxime optabile existimare persuadet posse omnino vel ex hac fovea resurgere. — Attende, quæso, diligentius attende. Neque enim penitus per quam viam aberravimus, per eamdem revertemur, sed per aliam longe breviorem. — Vidi duos eodem modo eodemque tempore currentes, ex quibus unus erat senior, laboribus excellens, alter discipulus, atque is sene celerius cucurrit, priorque ingressus est in humilitatis monumentum.

Caveamus omnes, sed in primis qui cecidimus, ne impii Origenis morbo cor nostrum ægrotare incipiat. Is enim scelestus doctrinæ morbus, quum nimiam Dei clementiam præferat, voluptatum amatoribus maxime acceptus esse consuevit. — In meditatione mea, imo vero in pœnitentia mea, exardescet orationis ignis omnem adurens materiam. *Ps.* xxxviii, 4.

Finis tibi et forma et exemplar et imago ad pœnitentiam sint sancti illi rei quos paulo ante memoravimus, atque ita in omni vita tua libris omnino opus non habebis, donec tibi illucescat Christus Filius Dei et Deus, in resurrectione studiosæ et accuratæ pœnitentiæ. Amen.

GRADUS VI

DE MEMORIA MORTIS.

OMNE verbum præcedit cogitatio. Mortis autem et scelerum memoria fletum præcedit et luctum : quocirca et in hoc opusculo in suo ordine ponuntur.

Memoria mortis est quotidiana mors; memoria vero exitus, jugis per horas singulas gemitus. — Formido mortis, naturæ est proprietas, quam intulit inobedientiæ peccatum; timor autem mortis, peccatorum quæ nulla pœnitentia deleverit, certum argumentum est. Formidat Christus non tremit mortem, ut duarum naturarum proprietates apertissime ostendat.

Sicut cibis omnibus panis vilior * est et magis necessarius, ita præstat omnibus operibus mortis cogitatio. — Memoria mortis, his qui Fratrum in medio versantur, labores et exercitationes parit, imo vero ignominiæ dulcem appetitum; eis vero qui in solitudine ab omni tumultu remoti degunt, deponere curas omnes persuadet, et orationi perpetuæ insistere, mentemque diligentissime servare : quæ sane virtutes omnes hujus et matres sunt et filiæ.

* utilior

Sicut stannum si argento propius admoveatur, quomodolibet adspectu simillimum sit, manifestissime agnoscitur; ita et his qui discernere noverunt, aperta et manifesta est naturalis, et ea quæ præter naturam est, exitus formido. Id autem verissimum eorum qui toto corde mortis meminerunt, argumentum est : si sponte totius creaturæ affectionem abnegent, voluntatem propriam omnino derelinquant. — Probatus ille quidem est, qui mortem diebus singulis exspectat; sed ille sane sanctus, qui hanc horis singulis desiderat. — Non omne mortis desiderium probabile aut bonum est. Sunt enim qui jugiter consuetudinis violentia adacti, peccant, mortemque cum humilitate optant; sunt item qui pœnitere nolunt, et eam ex desperatione advocant; et sunt qui per operationem Sancti Spiritus, suum e corpore excessum quærunt.

Hæsitant nonnulli religiosi, cujus rei gratia, quum tantum nobis beneficii et emolumenti conferat mortis memoria, ipsius præcognitionem a nobis absconderit Deus : non advertentes quod mirabiliter Deus salutem nostram moliatur. Nemo enim si præscisset mortem suam, ad Baptisma sive ad monasticam vitam protinus accederet; sed omnes dies suos in iniquitatibus conterens, ad ipsum jam exitum suum ad Baptismum et ad pœnitentiam se conferre festinaret: sed quum per longam temporis moram vitiis jam esset assuetus, migrasset utique sine ullo emendationis fructu.

Cave, qui luges, ne unquam canem illum suscipias, qui misericordem Deum polli-

cetur. Agit enim hoc, ut abs te interim luctum ac securissimum expellat metum. Tunc vero solum clementiam ejus tibi pollicere, quum te desperatione absorberi videris. — Qui mortis divinique memoriam judicii semper in se ipso continere cupit, curisque sæcularibus distrahendum se exponit, is ei similis est, qui dum natat, plaudere manibus ambabus vult.

Memoria mortis valida et efficax, ciborum abscidit appetitum : quibus per humilitatem excisis, passiones simul exciduntur. Cordis indolentia excæcavit animum; ciborum autem multitudo exsiccavit fontes. Sitis et vigiliæ attriverunt cor; attrito autem corde, exsilierunt aquæ. Dura gulæ deditis quæ diximus videntur, et negligentibus incredibilia. Porro vir exercitatus tentabit alacriter, et quum periculum fecerit, subridebit; in his vero quæ adhuc inquirit, mœstior abibit. — Sicuti perfectam caritatem sine lapsu esse Patrum auctoritas definit, ita et ego perfectum mortis sensum sine timore esse denuntio.

Plurimæ quidem sunt activæ mentis operationes, puta : intentio caritatis ad Deum, memoria Dei, memoria regni, memoria ipsius præsentis Dei (secundum illius verba qui dixit, Providebam Dominum in conspectu meo semper), memoria sanctarum intel- *Ps.* xv. 8.
lectualiumque virtutum; memoria exitus, occursusque sive cruciatus. A magnis quidem cœpimus; in his vero quæ præter lapsum sunt desinimus.

Monachus quidam Ægyptius mihi aliquando narravit, quod quum in intimo corde memoriam mortis penitus fixisset, velletque aliquando necessitate urgente carnis hujus luto solatii quiddam indulgere, ab hujusmodi memoria veluti a quodam judice prohibitus sit; quodque mirabilius est, quum vehementer vellet hanc memoriam expellere a se, non potuerit. — Alius quidam hic juxta commanens, loco qui Tholas dicitur, ex hujusmodi sæpe cogitatione repente obstupescebat, ac animo deficiens, veluti insensibilis fiebat; repertusque a Fratribus nonnunquam ab eis, ut qui fere efflasset animam, bajulabatur.

Non omittam etiam solitarii illius qui in Choreb habitabat, referre historiam. Hic quum diutius negligentissime vixisset, nullamque animæ suæ curam penitus haberet, morbo tandem comprehensus, ad extrema deductus est. Quumque jam corpore perfecte migrasset, post unam horam in se ipsum rediit. Oravitque nos omnes ut inde protinus abscederemus; et cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis duodecim, nulli omnino quidquam loquens, nec aliud quidquam præter panem et aquam degustans. Sedens autem ea tantum quæ in excessu viderat attonitus volvebat, atque in his adeo fixo semper erat cogitatu, ut nunquam jam vultum immutaret, sed semper sic attonitus perdurans, vim lacrimarum ferventium tacitus profunderet. Quum vero jam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu, ingressi sumus. Quumque ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodo audivimus : Ignoscite mihi, nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit. Nos vero nimium mirati sumus, intuentes eum qui pridie ita negligens fuisset, repente mutatum, ac beatissima transformatione alterum effectum. Illo igitur in proximo cœmeterio sepulto, quum post dies aliquot sacras illius reliquias requireremus, non invenimus : Domino in hoc quoque nos certiores faciente sollicitæ illius et accuratæ laudabilisque pœnitentiæ, atque omnibus fiduciam præstante qui etiam post summam vitæ negligentiam se ipsos emendare norunt.

Sicuti abyssum quidam infinitam esse definiunt (locum enim sine fundo eam vocant), ita et mortis intenta cogitatio ineffabilem et incorruptam castitatem atque operationem parit : quod firmatur facto hujus quem modo memoravimus justi. Hujusmodi sane timorem timori jugiter adjiciunt, nec unquam desinunt quoad ipsa quoque

ossium virtus consumatur. Et hoc autem cum bonis ejus reliquis, donum Dei esse nobis ipsis persuadeamus : qui ad ipsa quoque monumenta nonnunquam proficiscentes, duri quodammodo ac sine lacrimis persistimus ; quum vero ab hujusmodi spectaculo remoti sumus, sæpius compungimur.

Qui ad omnia mortuus est, is mortis memoriam tenuit ; qui vero adhuc ad aliquid afficitur, hic vacare sibi ipsi non poterit, suis se insidiis appetens. — Ne velis verbis omnes certiores facere tuæ ad illos dilectionis, sed a Deo postula ut hanc illis secretius revelet : alias non sufficiet tempus ut illud affectibus et compunctioni impertiri possis.

Noli falli, stulte operarie, ut tempore tempus reparari præsumas : neque enim sufficit dies quæque vel sui ipsius debitum Domino persolvere. — Non est, ait quidam, non est præsentem diem pie pertransire, nisi hanc esse ultimam totius vitæ nostræ existimemus. Et quod sit mirabilius, certe gentiles quidam tale aliquid locuti sunt : nam et summam philosophiam, mortis meditationem esse definiunt.

GRADUS VII

DE LUCTU GAUDII OPIFICE.

LUCTUS secundum Deum, est mœror animæ, afflicti cordis affectus semper id quod sitit ardentissime inquirens : quo dum non potitur, summo id cum labore persequitur, atque post ipsum anxie mœrens ululat. Vel ita : Luctus est stimulus animi omni affixione et affectione nudatus, atque ad servandum cor a sancta tristitia immobiliter fixus. — Compunctio est jugis conscientiæ excruciatio, quæ per intellectualem confessionem, igniti cordis refrigerium molitur. — Confessio est oblivio
Ps. CI, 5. naturæ : siquidem ex hoc oblitus est quidam comedere panem suum. — Pœnitentia est voluntaria et læta totius corporeæ delectationis vel consolationis repudiatio.

Proprium illorum est qui in beato luctu proficiunt, continentia, labiorumque silentium ; eorum vero qui jam profecerunt, non irasci, injuriasque omnino oblivisci ; eorum vero qui perfecti et consummati sunt, profunda animi humilitas, ignominiæ sitis, vexationumque invitis advenientium spontanea esuries, peccantium non condemnatio, sed ultra vires miseratio. Suscipiendi sunt primi, sed laudabiles secundi ; sed illi beati qui esuriunt afflictionem et ignominiam sitiunt, quoniam cibo insaturabili saturabuntur.

Qui luctum acquisisti, illum viribus tene : solet enim (nisi firme solidetur) avolare, a tumultibus curisque corporeis ac deliciis fugatus ; maxime vero facile a multiloquio et scurrilitate dissolvitur, non secus quam ab igne cera.

Major ac potentior Baptismate post Baptisma (etsi audax dictu id videatur) fons lacrimarum est. Illud enim præcedentia delicta nostra purgavit, hoc vero posteriora ; atque illud quidem omnes ab infantia acceptum inquinamus, per hoc autem et illud repurgamus. Quod nisi divino munere datum esset omnibus, rarissimi omnino qui salvarentur inveniri potuissent. — Mœstitia et gemitus ad Dominum clamant : timoris autem lacrimæ legatione funguntur ; porro illæ quas sancta caritas effundit, susceptas atque exauditas esse preces nostras indicant nobis.

Sicut humilitati nihil æque congruit ut luctus, ita nihil reluctatur ut risus. — Con-

tinens pro viribus beatæ compunctionis beatam lætificamque tristitiam retine, neque in ea operari ullatenus cesses, quoad sublimem te atque ab humanis contagiis purum Christo Domino sistat. — Perscrutari ne desinas atque in te ipso imprimere abyssum sempiterni ignis, crudeles ministros, severum crudelemque Judicem nemini tunc ignoscentem, inferni ignis chaos infinitum, subterraneorum terribiliumque locorum ac voraginum terrificos descensus, atque eorum omnium imagines : ut si qua est in anima nostra luxuriæ lascivia, ingenti tremore percussa transeat in incorruptam ac perpetuam castitatem, et per gratiam luctus, igne omni clarius illucescat.

Sta in orationis prece tremens, nec aliter quam reus judici adsistens, ut et interiori et exteriori habitu favorem justi Judicis concilies. Neque enim animam patitur despicere viduam sibi anxie adstantem, molestiasque inviolabiliter parientem. *Luc.* xviii, 2-8.

Si quis animæ lacrimas possedit, huic omnis locus aptissimus est ad luctum; quod si solis adhuc exterioribus occupatur, loca moresque eligere ac discernere non desinet. Sicut thesaurus occultus, eo qui in foro propositus est, et inviolabilior est et minus fures sollicitat, ita et ea quæ prædiximus intelligamus.

Noli eis esse similis qui mortuos sepeliunt, qui nunc quidem super eis lugent, nunc ipsorum gratia inebriantur; sed esto ut vincti ad metalla damnati, qui horis singulis a carnificibus cæduntur. Is qui modo lugere, modo deliciis et risu solvi deprehenditur, ei similis est qui canem voluptatis cum pane lapidat : qui hunc quidem persequi actu videtur, revera autem sibi assidere hortatur.

Esto subtristis, ostentationis inimicus, ac jugiter ad cordis tui custodiam attonitus. Metuunt quippe severam tristitiam dæmones haud secus quam canem fures. — Non est, fratres, eadem nostra quæ ad nuptias vocatio. Prorsus enim ut nos ipsos lugeamus vocati huc a Deo sumus.

Quidam dum lacrimas profundunt, in illo ipso beato tempore ut nil omnino cogitent, sibi ipsis vim faciunt. Improbe id quidem : non enim intelligunt, lacrimas absque cogitatione et intentione animi profusas, brutæ, non rationabilis naturæ, esse proprias. Ex cogitatione lacrimæ procedunt. Pater autem cogitationis, rationalis animus est.

Quum in lectulo decubas, sit tibi ipse jacentis habitus figura in sepulcro clausi, minusque dormies. Ipsa quoque mensæ delibatio, lamentandæ sortis vermium illorum te admoneat, minusque delicias requires. Sed et in ipso aquæ potu, flammæ illius sitim ne obliviscaris, atque ita vim naturæ omnino facies. Quoties vero præceptor noster honorificans nos, contumelia et terrore et ignominia affecerit, subeat mentem nostram terribilis illa Judicis sententia; sicque insitam nobis irrationabilem tristitiam et amaritudinem, mansuetudine et tolerantia, veluti gladio ancipiti, omnino jugulabimus. *Matth.* xxv, 41
Tempore, ut ait Job, arescit mare : sic et tempore et tolerantia, quæ dicta sunt fiunt *Job* xiv, 11
in nobis et perficiuntur. — Memoria æterni ignis tecum singulis noctibus dormiat, tecumque evigilet, nec unquam tempore psalmodiæ dominabitur tibi negligentia.

Ipsum quoque indumentum tuum te ad exercitium luctus hortetur. Omnes enim qui mortuos lugent, nigris vestibus operiuntur. Si igitur non luges, propter hoc luge. Sin vero luges, propter hoc maxime te lamentis affice, quod ex honorabili et tranquillo ordine te ipsum per tua scelera in humiliorem et laboriosum dejecisti.

Sicut in ceteris omnibus ita et in lacrimis Judex quoque noster optimus atque æquissimus naturæ vires omnino dijudicat. Vidi modicas guttas instar sanguinis cum labore effundi; vidi et fontes absque labore profluere : ego denique mœrentium dolorem ac gemitum pluris æstimavi quam lacrimas; puto quod et Deus sic judicet.

Non convenit lugentibus theologiæ sermo : nam ex eo maxime solvi illorum fletus consuevit. Is enim qui de theologia disserit, in solio doctoris pompam præferenti, qui

autem luget, in silentio vel cilicio et sterquilinio sedenti, comparatur. Atque hoc est, ut
Ps cxxxvi, 3, 4 reor, quod David maximus interrogantibus respondit : Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, id est vitiosa ?

Sicut creatura motum aliquando ex se gignit, nonnunquam vero aliunde suscipit, ita et de compunctione quoque sentiendum est. Quoties anima, nil etiam curantibus vel studiose operantibus nobis, in lacrimas vi secretæ compunctionis excitata, in solo fletu requieverit, curramus sollicite : Dominus enim non vocatus advenit, spongiamque divini mœroris et refrigerii piarum lacrimarum aquas nobis clemens porrigit, quibus deleantur scelera chirographi nostri. Serva eam ut pupillam oculi tui, donec sponte abeat. Longe enim major est hujusmodi compunctionis vis, quam ejus quam studio nostro et labore acquisivimus.

Non qui quando vult luget, is gratiam luctus adeptus est; sed hic magis qui in quibus vult luget : ne is quidem qui sicut vult luget. Nonnunquam enim luctui qui secundum Deum est, inanis gloriæ miscentur ingratæ lacrimæ : quod tunc fieri pie et prudenter animadvertemus, quum lugere nosmetipsos et tamen malignari viderimus. — Compunctio proprie est animi dolor omni elatione carens, nec ullam sibi omnino consolationem indulgens, solamque resolutionem suam horis singulis meditans, consolationemque Dei qua humiles monachos visitat, ut aquam frigidam exspectans. — Quicumque toto cordis sensu luctum possederunt, hi vitam quoque ipsam suam, ut laborum plenissimam lacrimarumque et dolorum jugiter materiam sibi ministrantem, oderunt, corpusque suum ut inimicum aversati sunt. — Quoties in his qui secundum Deum lugere videntur, superbiam aut iram deprehenderis, horum scito lacrimas non
II *Cor.* vi, 14. ex eis esse quas compunctio salubris elicit. Quæ enim societas (inquit) lucis ad tenebras ? Solet adulterina compunctio elationem gignere; ea vero quæ laudabilis et probata est, consolationem. — Sicut ignis stipulam inflammat et consumit, ita castæ lacrimæ sordes omnes, et visibiles et invisibiles, consumunt.

Lacrimarum rationem plerique Patrum non patere, et esse obscurissimam atque ad inveniendum difficillimam, definiunt; idque in his potissimum qui rudes imbuuntur : ex multis namque eas et variis occasionibus gigni, puta, ex natura, ex Deo, ex afflictione vituperabili itemque ex laudabili, ex inani gloria, ex fornicatione, ex dilectione, ex mortis memoria, aliisque plurimis. Verum omnibus his lacrimarum modis divino timore discussis et cognitis, ex jugi nostræ resolutionis memoria mundissimas et ab omni fraudis suspicione alienas lacrimas nobis comparare studeamus : neque enim est in eis elationis furtivæ suspicio, sed emundatio magna, profectusque caritatis in Deum, peccatique abolitio, et candidissima et ab omni perturbationum strepitu remota ac felicissima requies. — Eos sane qui lugent, nonnunquam ab optimis lacrimis inchoasse et in deteriores desinere, nec novum nec mirum est; sed a contrariis aut etiam naturalibus in spirituales transferri lacrimas, et singulare est et laudibus revera dignissimum. Hoc autem problema manifestius noverunt qui circa inanem gloriam proniores sunt.

Noli antequam perfecte emunderis, lacrimarum tuarum imbribus credere : neque enim habet fidem vinum statim e torcularibus expressum. Omnes quidem lacrimas nostras quas secundum Deum profundimus, esse mirum utiles, nemo est qui refragetur; quænam vero sit utilitas earum, in tempore nostræ migrationis agnoscemus.

Qui ex jugi luctu in Deum proficit, is epulari quotidie et festa celebrare non desinit; qui vero corporaliter epulari non desinit, hunc sempiternus luctus recepturus est. Non enim reis est in carcere lætitia : ita ne monachis quidem vera in terra solennitas. Atque idcirco forsitan honestus ille fletus ejaculator ingemiscens aiebat :

Educ de custodia animam meam, ut exsultem jam de tua ineffabili luce. — Esto sicut [illegible]
rex in corde tuo sublimis in humilitate residens, et risui jubens, Vade, et vadat; dulci Matth. VIII,
fletui, Veni, et veniat; servoque et tyranno corpori, Fac hoc, et faciat. — Si quis beato 9.
gratiosoque luctu se veluti sponsali indumento vestire curavit, hic specialem animæ cognovit risum.

Quis, putas, erit hujusmodi, qui tempus suum omne tam pie ac religiose in monastica conversatione consumpsit, ut nullum diem, nullam horam, nullum momentum aliquando perdiderit, quod non in divino servitio religiosisque operibus expenderit, id apud se jugiter ac sollicite reputans, possibile non esse eumdem diem bis in vita conspicere? Beatus quidem is monachus, qui cœlestibus ac intellectualibus virtutibus defigere animi obtutus valet; sed ille sane absque metu ruinæ est, qui ex mortis scelerumque memoria genas suas viventium aquarum perpetuis imbribus rigat. Facile autem adducor ut credam priorem illum statum per hunc secundum profecisse, atque ad illam felicitatem pervenisse.

Vidi ego mendicos ac pauperes improbos, facetis quibusdam verbis ipsa quoque regum corda ad misericordiam inclinasse. Vidi item pauperes ac virtutibus inopes, non urbanis quidem, sed humilibus tenebrasque ac hæsitationem testantibus verbis, ex profundo corde ad cœlestem Regem summa improbitate atque perseverantia clamantes, inviolabilem illius naturam atque clementiam violasse.

Qui lacrimarum suarum gratia in animo inflatur, eosque qui non lacrimantur damnat, is ei similis est qui ab imperatore contra inimicos suos accepit arma, hisque ipsis semetipsum necat.

Non indiget Deus lacrimis nostris, o socii; neque hominem ex cordis angustia lugere vult, sed magis ex insigni ad Deum caritate, in hilaritate animæ lætari. Peccatum remove, et superfluæ jam erunt sensibilibus oculis fusæ mœstæque lacrimæ : neque enim cauterio opus est, si vulnus desit. Non erant in Adam ante prævaricationem lacrimæ, sicut nec post resurrectionem, jam destructo peccato, erunt : siquidem tunc aufugit dolor et tristitia et gemitus. Apoc. XXI, 4

Vidi in quibusdam luctum. Vidi item in aliis, eo quod luctu indigerent, luctum; his autem etsi luctus non desit, tamen ut qui illum non habent, ita afficiuntur : per quam hanc animi decoram castitatem inviolabiles furibus permanent. Atque hi sunt de quibus dictum est : Dominus sapientes facit cæcos. Solent enim ipsæ quoque lacrimæ [illegible]
leviores quosdam nonnunquam attollere. Quocirca quibusdam divina dispensatione subtrahuntur, ut dum se ipsos privatos viderint, studiosius eas requirentes, miseros se ipsos agnoscant, gemitibusque et mœrore ac dolore animi profundaque tristitia et hæsitatione se conterant : quæ omnia lacrimarum vices implere solent, etsi ab ipsis nimium utiliter nihil æstimentur.

Inveniemus nonnunquam, si observemus diligentius, ridiculum quiddam dæmones in nobis moliri. Nam quum saturitate distenti fuerimus, compungunt nos; rursum quum jejunaverimus, obdurant : ut seducti lacrimis, parenti vitiorum gulæ ac deliciis nos ipsos exponamus. Quibus obtemperandum non est, sed omnino contra faciendum.

Equidem ipsam compunctionis vim considerans, stupeo quonam modo ea quæ luctus et mœror dicitur, gaudium intrinsecus et lætitiam, veluti mel et favum, comesta possideat. Quid igitur ex hoc nobis innuitur? Id profecto, quod proprie Dei donum hujusmodi compunctio esse pro confesso habeatur. Est tunc in anima jucunda voluptas, Deo latenter mœstos et contritos corde consolante.

Verum ut occasio efficacissimi luctus dolorisque perutilis non desit, historiam omnino miserabilem ad ædificationem animarum referre libet. Stephanus quidam hoc

in loco habitans, solitariam et quietam vitam adamaverat. Hic quum annos plurimos in monastico certamine egisset, jejuniisque maxime et lacrimis esset ornatus, aliisque præterea virtutum privilegiis floreret, cellulam ad radicem montis in quo sacram illam divinamque visionem speculatus olim fuerat Elias, sibi construxerat. Hic igitur tam venerandus moribus, intentione majoris laboriosiorisque pœnitentiæ profectus est ad anachoretarum locum, cui Sides nomen erat. Quo in loco quum annos aliquot arctissimo vitæ instituto peregisset (erat enim hic locus ab omni consolatione mortali penitus remotus, omnibusque fere hominibus invius : septuaginta enim fere millibus passuum ab omni humana habitatione disjunctus erat), rursus extremo vitæ tempore rediit, cupiens in cellula sua priori sancti illius montis habitare. Erant autem ibi duo ex Palæstina discipuli admodum religiosi, qui etiam pridie observabant cellulam senis. In qua quum paucos egisset dies, languorem incurrit, ex quo et mortuus est. Igitur ante unum exitus sui diem repente animo obstupuit, apertisque oculis ad dexteram atque ad sinistram partem lectuli circumspiciebat, et quasi rationem quidam a se exigerent, cunctis qui adstabant audientibus, aiebat aliquando quidem ita sane : Sic revera est, sed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando vero : Non certe, sed mentimini, hoc non feci. Deinde rursus : Ita vere est, hoc ita est; sed flevi, sed ministravi. Ac rursus : Vere me accusatis. In quibusdam etiam aliquando aiebat : Ita sane, et quidem ad hæc quid dicam non habeo; in Deo misericordia est.

Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque judicium, in quo etiam, quod terribilius est, et quod non fecerat illi objiciebant (me miserum !) quietis ac solitudinis sectatori. In nonnullis vero peccatorum suorum quid ad hoc respondere posset se non habere dicebat, qui jam fere quadraginta annos monachus fuerat, et lacrimarum gratiam habuerat. Væ, væ, ubinam erat Ezechielis vox, quam illis objiceret, In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit ; et illud, Quia in quo te inveniam, in eo te judicabo, dicit Dominus? Vere nihil hujusmodi respondere potuit. Cujus rei gratia illi gloria qui solus agnovit. Quidam vero mihi veraciter affirmaverunt, quod hic dum esset in eremo, leopardum quoque ex manu sua nutriebat. Hic ipse tamen quum adeo infeste ratio a se exigeretur, carne solutus est, quod judicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis ejus finis fuerit, incertum penitus relinquens.

Ezech. XVIII, 21, 27. *Ibid.* VII, 8.

Sicuti vidua quæ viro suo fuerat orbata, si filius sibi sit unigenitus, illi soli unitur, ejusque post Dominum solatio potitur; ita anima si lapsa fuerit, nullo alio solatio exitus sui tempore tam secure nititur ut abstinentiæ labore ac lacrimis. Hujusmodi nunquam concinet, neque in hymnis secum jubilabit : hæc enim luctum interrumpunt et perimunt. Quod si tu per ea luctum tibi constituere studes, adhuc ea res abs te remotissima est. Luctus quippe certus fixusque dolor est animæ peritæ, præcursor beatissimæ tranquillitatis, in plerisque præaptans et emundans consumensque omnium vitiorum silvam.

Quidam honesti hujus boni probatus operarius, ista mihi de se narravit : Quum (inquit) sæpius studiose instituerem adversus inanem gloriam sive iracundiam sive ventris saturitatem omnino bellum gerere, luctus ratio subclamans mihi intrinsecus attestabatur, Noli inani gloria efferri, nam recedam abs te. Similiter quoque in aliis perturbationibus dicebat. Cui ego aiebam : Nunquam tibi ero inobediens, donec me Christo Domino sistas.

Luctus quidem profunditas consolationem adspicit; cordis vero munditia illustrationem suscipit. Illustratio ineffabilis est quædam efficacia, quam ignote intelligimus, et invisibiliter adspicimus. Consolatio est refrigerium afflicti animi, infantis in morem

in se ipso vagientis, simulque grate et jucunde subridentis. — Suffragatio est animæ quæ in mœrore ceciderit, innovatio afflictas lacrimas in eas quæ sunt pacatissimæ mirabiliter transferens.

Lacrimæ solent metum excludere; ubi vero timor excussit timorem, continuo serena lux gaudii illuxit; quum autem indeficiens id gaudium desierit, flos sanctæ caritatis orietur. — Humilitatis manu adveniens gaudium abs te ut indignus abjice, ne forte dum nimium facilis ad suscipiendum es, lupum pro pastore suscipias. — Noli propere ad contemplationem currere in alieno tempore, ut hæc humilitatis tuæ pulchritudinem insequens, tibi in sæculum sæculi castissimo jungatur amplexu.

Principio quidem infans quum agnoscit patrem, gaudio penitus impletur. Si vero ille certa ratione peregre profectus fuerit atque iterum redierit, gaudii simul et mœroris infans plenus efficitur : gaudii quidem, quia eum quem cupiverat videt; mœroris, quia tanto tempore honesta illa pulchritudine privatus est. Abscondit se ipsam infantis mater, quem si se viderit anxie inquirere, gaudio afficitur; sicque illum instruit sibi adhærere jugiter, affectumque suum altius infanti imprimit, eumque ad se ardentius amandum invitat. Qui habet aures audiendi, audiat, ait Dominus. *Luc.* xiv, 35.

Non angetur spectaculorum ordinandorum cura is reus in quem fuerit lata sententia : ita ne is quidem qui attentius luctui studet, deliciis aut gloria, aut furore aut iracundia undecumque capietur. — Luctus est pœnitentis animæ certus et fixus dolor quotidie dolores doloribus adjiciens.

Justus et sanctus Dominus, qui et eum qui ratione sectatur quietem, ratione compungit, et eum qui ratione subditur, quotidie lætificat. Qui horum alterum non legitime arripit, hic luctu privatum se intelligat.

Abjice abs te eum qui in profundissimo luctu ad te accedit canem, Deumque tibi inclementem et immisericordem suggerit : nam si diligenter observes, invenies illum quum ad peccatum te hortatur, clementem et misericordem atque ad ignoscendum facilem Deum tibi polliceri.

Exercitatio assiduitatem gignit; porro assiduitas in sensum firmissimum desinit; quod autem in sensu fit, difficile auferri potest. — Etiamsi quodlibet magnum atque electissimum vitæ institutum arripueris, id quasi externum et nothum existimare debes, nisi cor afflictum mœrensque possideas. Oportet enim revera maximeque necesse est ut qui post salutare lavacrum inquinati sunt, igne cordis infatigabili ac miseratione Dei manus suas (ut ita dixerim) pice excutiant.

Vidi ego apud quosdam supremum terminum luctus : sanguinem enim eos præ afflicto et percusso corde profundere ex ore conspexi; recordatusque sum ejus qui dixit, Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum. — Illæ quidem lacrimæ quas metus *Ps.* ci, 5.
gignit, in se ipsis custodiam possident; quæ vero ex caritate prodeunt, antequam ipsa perficiatur, in quibusdam facile fortassis avolant, nisi forte ignis ille sempiterne memorandus, operis tempore cor penitus incendat. Et est sane mirabile quomodo id quod vilius et indignius est, certius atque securius sit suo in tempore.

Sunt materiæ quæ fontes nostros exsiccant; sunt item quæ in ipsis et cœnum et feras belluas pariant. Per priores quidem illas, Lot filiabus suis nequiter congressus *Gen.* xix,
est; per feras vere diabolus cecidit. — Ingens in hostibus nostris versutia, summa 30 et seq.
nequitia est, ut virtutum materias, materias vitiorum, et humilitatis auctores, materias superbiæ opifices faciant.

Solent nonnunquam ipsæ etiam sedes nostræ et locorum species animum nostrum [illegible]
ad compunctionem excitare. Doceant te hoc Jesus et Elias et Joannes, soli apud se 23; III *Reg.*
orantes. — Animadverti plerumque in ipsis quoque civitatibus mediisque tumultibus [illegible]

moveri nobis lacrimas, ea profecto arte dæmonum, ut putantes quidam nihil se ex his tumultibus lædi, sæculo propinquare non metuerent. — Verbum unum nonnunquam dissolvit luctum; mirum vero si unum quoque verbum rursus illum revocare postquam avolaverit possit.

Non accusabimur, o socii, neque nobis crimen dabitur in separatione animæ a corpore, quod non miracula egimus, quod non de theologia disseruimus, quod non contemplationi operam dedimus; sed ob hoc maxime rationem omnino Deo reddituri sumus, quia lugere unquam destitimus.

GRADUS VIII

DE IRÆ VACUITATE ET MANSUETUDINE.

SICUT aqua, si paulatim igni adjiciatur, flammam penitus exstinguit; ita et veri luctus lacrimæ omnem flammam iracundiæ ac furoris exstinguere consueverunt. Quocirca nos quoque ista consequenter suo ordine subjiciemus.

Iræ vacuitas inexplebile est ignominiæ desiderium, sicut contra in his qui inani gloriæ student, infinitus est laudis appetitus. Iræ vacuitas est naturæ superatio absque ullo injuriarum sensu, ex certaminibus et sudoribus proveniens. Mansuetudo est animi immobilis status inter vituperationes et laudes eodem modo perseverans. — Initium quidem iræ vacuitatis, est labiorum silentium in perturbatione cordis ; medium autem, silentium quoque ipsarum cogitationum in animi tenuissimo motu ; finis vero est inter immundorum spirituum flatus stabilis ac fixa tranquillitas.

Ira est toleratio occulti odii, memoria scilicet injuriarum alte animo impressa. Ira est desiderium quo eum qui nos irritavit affligi cupimus. Iracundia est subita cordis excandescentia, nec diuturna. — Amaritudo est injucundus atque insuavis motus in animo considens. Furor est morum inconstans motus animique turpitudo. Sicut quum sol apparuerit fugantur tenebræ, ita quum afflare cœperit suavissimus humilitatis odor, omnis amaritudo omnisque furor ex animo exterminantur. — Quidam quum sint nimium ex furore mutabiles, negligentiores ad hunc salvandum curandumque fiunt, non intelligentes, miseri, quid Scriptura sacra commemoret dicens : Momentum furoris ejus ruina est illi. *Job* v, 2.

Velox est motus molæ, uno sæpe momento amplius triticum animæ et fructum vitæ conterens atque demoliens, quam faceret die alias integro. Quocirca prudenter et toto animo attendendum est. Ea sæpe flamma quam subito vehemens ventorum flatus accenderit, fructum cordis amplius adurit et perimit, quam ea quæ et lentius excitata est et diutius viget.

Ne istud quidem vos latere debet, amici, quod ad tempus iniqui se dæmones astu subducunt, ut dum maxima vitia veluti minima negligimus, jam insanabiliter ægrotemus.

Sicut lapis acutus * angulis et asper, si aliis lapidibus contundatur et collidatur, omne illud acumen amittit, solidaque ejus asperitas contrita dissolvitur, fitque rotundus atque lævis; ita et anima dura atque ad iracundiam prona, si duræ et iracundæ vitiorum multitudini admisceatur atque cum eis una degat, alterum e duobus sustinet ;

* acutis

aut enim ex tolerantiæ virtute proprium curabit vulnus; aut si injuriis fatigata cesserit, suam penitus infirmitatem noscet, quam sibi ignava hæc fuga veluti speculum quoddam ante oculos ponet.

Furibundus, est caducus voluntarius, qui dum anticipatur, invitus cadens, colliditur atque dirumpitur. — Nihil minus pœnitentibus convenit, quam concitatus furor : quippe conversio, summa indiget humilitate; hic vero maximi tumoris argumentum est. — Si is demum supremæ humilitatis terminus pro confesso habetur, ut eo etiam præsente a quo irritamur, sereno illum ac tranquillo corde diligamus; is sine dubio finis furoris erit, si soli dum degimus, adversus eum qui nos in aliquo læserit, et verbis et gestibus repugnantes utamur. — Si Spiritus Sanctus, animæ pax et definitur et est [ira vero, cordis perturbatio et est et dicitur]; nihil æque ut furor, ejus a nobis præsentiam segregare poterit.

Quum permultas atque diras furoris species agnoverimus, unam ipsius solamque progeniem, etsi adulteram, utilem tamen esse deprehendimus. Vidi enim nonnullos qui quum usque ad insaniam excanduissent, diuturnamque adeo ac penitus in medullis insitam injuriarum memoriam evomuissent, per vitium illius commotionis fuisse liberatos, quum is qui eos læserat, prioris diuturnique doloris illos vel pœnitentia vel satisfactione curasset. Vidi item alios, qui irrationabili longanimitatis specie, ex silentio memoriam illatæ injuriæ in intimis recondiderunt; eosque insanis deteriores atque infeliciores esse judicavi, quippe per atramentum, columbæ candorem demoliti essent.

Summa igitur adversum serpentem istum cura et diligentia pugnandum est : et ipse enim naturam habet adjutricem, non secus quam turpis concupiscentiæ coluber. Vidi nonnullos iracundiæ furiis succensos, præ amaritudine animi cibum ab se omnino rejecisse : qui tamen ex hac irrationabili continentia venena venenis adjecerunt. Vidi item alios, quum veluti rationabilem causam furoris nacti essent, gulæ illecebris se ipsos addixisse, ac veluti ex fovea in præcipitium corruere. Alios item adspexi prudentiores, qui peritorum more medicorum, utrisque commixtis, ex æquabili et moderata consolatione maxima emolumenta consecuti sunt.

Nonnunquam moderata melodia furorem optime lenit et mitigat; sæpe vero ea quæ immoderata est et importuna, cum voluptate conjungitur. Ea igitur sic demum optime utemur, si tempora aptissime ad normam dirigamus.

Quum sederem aliquando cujusdam necessitatis causa juxta quorumdam solitariorum cellulam, audivi illos perdicum more intus summa amaritudine et furore apud se corrixantes, atque in ejus personam qui se læserat, tanquam is præsens esset, petulantissime insilientes. Quos ego ne ultra in solitudine sederent, pie et fideliter monui, si nollent ex hominibus dæmones fieri. Vidi rursus alios corde lascivo ac lubrico escarum nimietate distendi, qui mites se esse et blandos atque (ut ita dixerim) amatores fratrum simulantes, personam sibi sanctitatis et honestatis imponerent. Quos ut solitudinem sectarentur hortatus sum, veluti ferramentum quoddam luxui et escarum nimietati inimicum, si nollent ex rationali in brutam naturam miserabiliter decidere. Quum vero quidam mihi utrisque se miserabilius efferri dicerent, eos ego suæ voluntatis arbitrium sequi prorsus inhibui, eorumque præceptoribus hoc amice suggessi, ut hunc aliquando, nonnunquam vero illum ordinem eos sequi permitterent, dum illi per omnia rectori atque gubernatori cervice submissa perfecte obtemperarent. Is etenim qui voluptatibus studet, se ipsum fortassis aut alterum suorum morum discipulum corrumpere ac perdere solet; iracundus vero, lupi in morem gregem totum sæpe perturbat, animasque plurimas humilians vulnerat.

Grave quidem est oculum cordis præ furore turbare, secundum Psalmistæ testimo

Ps. VI, 8. nium dicentis, Turbatus est a furore oculus meus ; longe vero gravius, et labiis etiam animi impetum exprimere ; gravissimum autem ac totius monasticæ et angelicæ divinæque conversationi alienum atque omnino inimicum, manibus quoque furori satisfacere.

Si festucam alterius sanare vis, vel magis tibi velle videris, noli pro scalpello trabe hanc velle recidere atque retundere. Trabs quippe sermo durus est gestusque inde-
II Tim. IV, 2. corus, scalpellum vero mansueta doctrina mitisque responsio. Argue enim (inquit), increpa, obsecra ; non autem etiam, Percute. Si vero et hoc fieri oporteat, raro omnino, nec tunc quidem per te ipsum, facere debes.

Si diligentius inspiciamus, animadvertemus plerosque ex his qui iracundiæ facibus exagitantur, prompte jejunare, vigilare, quietem solitudinis sectari. Est enim ea versutissimi dæmonis intentio, idque summopere inquirit, ut veluti per rationabilem occasionem pœnitentiæ et luctus, eas materias quæ morbo huic incrementa dare possint, sequendas illis persuadeat.

Si lupus unus, ut antea diximus, gregem totum auxilio dæmonis perturbare potest ; et unus profecto sapientissimus Frater, velut uter oleo repletus, angeli adjutorio fretus, fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem convertet, navemque servabit illæsam, ac pro magnitudine judicii quod prior ille promeruit, mercedem a Deo referet, profectus forma omnibus factus.

Initium beatæ tolerantiæ est, in amaritudine et dolore animæ, ignominias suscipere ; medium vero, eas tolerare sine mœrore ; finis autem et consummatio, summam illas laudem existimare. Gaudeas, prior ; valeas, secunde ; sed tu felix ac beatus, tertie, quippe qui in Domino exsultas.

Notavi miserandum omnino spectaculum in his qui iracundiæ inserviunt, quod illis latenter ex elatione contingit : indignati enim eo quod ira fuissent superati, rursus irascebantur. Admiratusque sum quum intuerer illos ruina ruinam ulciscentes, ac peccato peccatum persequentes miseratus sum, dæmonumque versutiam stupens, parum abfuit quin de mea ipsius vita desperarem.

Si quis se ipsum tumore et iracundia, nequitiaque et simulatione facile superari perspiciens, contra hæc mansuetudinis et tolerantiæ ancipitem gladium educere instituit ; hic profectus veluti fullonum salutarem officinam, Fratrum monasterium ingredi laboret, atque eorum qui maxime duri et immites sunt (si quidem hæc vitia perfecte exuere cupit), ut illic ex contumeliis et ignominiis, dum Fratrum vexationibus extenditur atque intellectualiter pulsatur, fortassis vero etiam sensibiliter calcibusque tunditur et conculcatur, sordes quæ animæ illius vestes macularent, diluat. Ipsa te plebeia vox persuadeat probrum et contumeliam lavacrum esse vitiorum animæ. Solent enim sæculares, quum aliquem in faciem ignominiis et contumeliis resperserint, gloriantes ad alios dicere : Lavi illum. Quod profecto verum est.

Alia in his qui adhuc rudes imbuuntur, ex fletu est iracundiæ necatio ; et alia in his qui perfecti sunt, commotionis commoda cessatio. Quippe prior illa lacrimis veluti freno quodam ligata est ; hæc velut serpens a beata tranquillitate veluti a gladio quodam acutissimo necata est. — Vidi ego tres una monachos injuriis affectos : ex quibus unus mordebatur quidem injuriis atque perturbabatur, sed tamen silentio premebat iracundiam ; alius vero gaudebat quidem ex lucro suo, sed ejus qui se maledictis insectatus fuerat peccato angebatur ; tertius vero proximi tantum damna secum volvens, vim ardentium lacrimarum perfundebat. Eratque suave spectaculum, timoris et mercedis et caritatis operarios adspicere.

Sicuti corporum febris quum una sit, non unam, sed plures habet sui occasiones

ardoris, et furor atque commotio, fortassis vero et aliarum species perturbationum nostrarum, plurimas ac varias occasiones et causas habere noscuntur. Quocirca possibile non est tantam rerum varietatem eodem modo definire; sed magis consilium ex animo meo do, ut pro sollicito ægrotantium studio quisque medicinæ compendium inquiramus. Primum itaque remedium erit ut quisque causam sui doloris agnoscat : causa quippe cognita, contra hanc medicamenti etiam auxilium ex providentia Dei spiritualiumque virorum diligentia suscipiemus. Qui nobiscum in Domino una ingredi cupiunt, nostro exemplo admoniti, in illud propositum nobis intellectuale judicium, ingrediantur, prædictasque turbationes sive causas quodammodo subobscure simul examinent. Vinciatur jam tyrannus iste mansuetudinis nexibus, flagelloque longanimitatis verberatus, atque a caritate pertractus, sistatur tribunali rationis, atque ut convenit examinetur, et ita discutiatur : Dic nobis, o stulte et turpissime, genitoris tui et ejus quæ te male peperit appellationem, filiorumque tuorum, et sceleratissimarum filiarum; præterea et eorum qui te debellant et necaturi sunt, nomina edicito. Ille vero sic interrogatus, ita respondere videbatur : Plurimæ generationes meæ sunt, nec unus mihi pater est; matres vero meæ sunt, inanis gloria, cupiditas, gastrimargia, nonnunquam vero et fornicatio; qui autem me genuit, fastus appellatur; porro filiæ meæ, memoria injuriarum, inimicitia, disceptatio et odium; adversariæ vero meæ quibus nunc vinctus teneor, quæ his objectæ sunt, mansuetudo et inirascentia; ea autem quæ mihi insidiatur, humilitas dicitur. Quis vero illam genuerit, loco suo illam interrogate.

GRADUS IX

DE MEMORIA INJURIARUM.

SANCTÆ quidem virtutes, Jacob scalæ comparantur; vitia vero nefaria, ei quæ cecidisse legitur ex Petri summi apostoli manibus catenæ. Et illæ quidem simul nexæ atque altera ad alteram transmittentes, in cœlum sustollunt amatores suos; vitia vero se invicem gignere atque arctissime complecti consueverunt. Quocirca quum jam audierimus implacabilem furorem, progeniem suam memoriam injuriarum appellantem, de ea nunc invitante nos tempore loquamur. *Act.* XII, 7.

Memoria injuriarum est furoris complementum, peccatorum custos, justitiæ odium, virtutum perditio, venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, caritatis alienatio, clavus infixus animæ, injucundus sensus qui in amaritudinis suavitate diligitur, juge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia. Est istud quoque tenebrosum ac molestissimum vitium, dico vero injuriarum memoriam, unum ex his quæ generantur nec gignunt, sive etiam gignunt; atque ideo plura de illo loqui volumus *. * nolumu.

Qui iracundiam sedavit, is hujusmodi memoriam peremit : dum enim vivit pater, filios generare non cessat. — Qui caritatem possidet, iracundiam ab se fugavit; qui autem inimicitias exercet, importunos sibi labores congregat. — Caritatis mensa dissolvit odium, et dona mundissima emolliunt animam. Mensa neglecta, mater confidentiæ; et per fenestram caritatis, ventris ingluvies ingreditur.

Animadverti odium vinculum fornicationis diuturnum dirupisse, memoriamque

injuriarum illic jam mirabiliter et præter spem perseverasse. Mirandum sane spectaculum, dæmonem a dæmone sanari conspicere; sed hoc fortassis est ex dispensatione opus Dei, non dæmonum. — Longissime a caritate valida et naturali remota est memoria injuriarum, eique facile appropiabit fornicatio; videsque latenter in columba corruptionem. — Ideo quem mordet injuriarum memoria, adversus dæmones id magis patiatur; et quem delectat blandum inimicitiarum venenatumque odium, corpori suo semper infestus inimicus sit. Amicus ingratus ac dolosus caro est; et si foveatur, amplius lædit.

Solet Scripturas disserere memoria injuriarum, atque ad propriæ affectionis sensum Sancti Spiritus eloquia violenter attrahere. Confundat hujusmodi Jesu oratio, quam si injuriarum memoriam servemus, cum illo dicere non possumus.

Si post ingentem luctam, hujusmodi perversitatem omnino destruere non valeas, saltem verbis et corporis habitu inimico tuo te pœnitere significa, ut vel hanc ad illum simulationem diutius veritus, perfecte tandem illum diligere cogaris, a conscientia veluti ab igne quodam assidue admonitus. — Hac vero putredine ac peste tum demum perfecte te curatum intellige, non quum pro eo qui te contristavit oraveris, non quum illum muneribus affeceris, non quum ad mensam tuam eum perduxeris; sed quum cognita illius aliqua calamitate, sive corporali sive spirituali, quasi ipse eam perpessus fueris ita te angi dolore atque illacrimari perspexeris.

Monachus solitarius qui hanc servat in semetipso memoriam, aspis nidificans est, letale virus secum ubique circumferens. Memoria passionum Jesu hujusmodi curabit animam, dum in illius clementiam ac tolerantiam intuens, valide confusa erubescit. — Ligno putrido intrinsecus gignuntur vermes, et mitissimis moribus quietique adulterinæ cohæret iracundia. Qui hanc ejicit, remissionem reperit; qui vero illi agglutinatus est, miseratione privatur.

Laboribus se quidam ac doloribus, ut veniam mererentur, exposuerunt. Hos tamen vir qui injurias obliviscitur, facile anticipavit : siquidem illud verissimum est quod
Luc. VI, 37, 38. dicitur, Dimittite celerius, et copiose dimittetur vobis. — Veræ germanæque pœnitentiæ certum argumentum est oblivio injuriarum; qui vero inimicitias tenet, et se pœnitere existimat, similis est ei qui se in somnis currere putat. — Vidi injuriarum memores, dum se hujusmodi salutari oblivione admonerent, verba sua reveritos, ab hoc quievisse vitio et peste.

Nemo hujusmodi obtenebrationem simplex esse ac tenue vitium existimet : solet enim ad ipsos quoque spirituales viros sæpius extendi.

GRADUS X

DE DETRACTIONE.

NULLUS, reor, prudentium et recte sentientium, ex odio et injuriarum memoria detractionem nasci refragabitur. Quocirca et post majores suos veluti in serie constituta est.

Detractio est proles odii, tenuis languor, pinguis et occulta ac latens sanguisuga, quæ caritatis omnem consumit ac demolitur sanguinem, dilectionis simulatio, cordis

sordes ac duritiam parans, castitatisque exterminatio. — Sicuti quædam sunt adolescentulæ quæ mala sine ullo verecundiæ rubore operantur, nonnullæ vero quæ graviora his clam ac verecundius faciunt; ita et in passionibus ignominiæ fieri videas. Hujusmodi vero adolescentulæ sunt, simulatio, nequitia, mœror, memoria illatæ injuriæ, cordisque detractio : quæ alia suggerere videntur, et ad alia intentæ sunt.

Audivi detrahentes quosdam, eosque protinus increpatione coercui. Qui quum mihi satisfacere vellent, hoc se ex ejus caritate et cura cui detrahebant, facere dixerunt. Ego vero eis : Quiescite, inquam, atque ab hujusmodi caritate cessate, ne ille mentiatur qui ait : Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. — Si te dicis diligere, clam *Ps.* c, 5.
ora, neque objurges : hunc quippe caritatis modum Deus libentissime suscipit. — Neque istud cogitare omittas, si te a judicando peccantem, sobrium omnino servare cupis, quod et Judas in choro discipulorum fuit, et latro in homicidarum numero; mira tamen in uno temporis momento utrisque facta est retributio et commutatio.

Si quis detractionis spiritum superare cupit, non peccanti fratri, sed suggerenti dæmoni, causam sceleris adscribat. Nullus enim est qui in Deum peccare velit, etsi omnes non coacte sed sponte peccemus. — Vidi aperte peccantem, atque occulte pœnitentiam agentem; et quem ut nequissimum judicaveram, inveni pudicum ac sobrium apud Deum existimari, quum illum per conversionem et pœnitentiam sibi propitium fecisset.

Noli eum vereri qui apud te proximo detrahit, imo vero dicito ei : Quiesce, frater; ego in his quæ graviora sunt quotidie delinquo : illum ergo quomodo damnare possum? Hoc enim unico medicamento duo ista lucraberis, quod et te ipsum et proximum curabis. — Est inter reliquas quæ ad remissionem peccatorum ducunt, et ista admodum compendiosa via, scilicet a judicando abstinere : siquidem id verissime dicitur, Nolite judicare, et non judicabimini. — Alienissimus est ab aqua ignis : ita et judicare, *Luc.* vi, 37.
ab eo qui pœnitere cupit.

Etiam si in ipso animæ a corpore digressu quempiam peccare videris, ne tum illum quidem damnare audeas : incertum est enim hominibus judicium Dei. — In magnis quidam delictis aperte lapsi sunt, majora vero clam operati sunt. Seducti sunt ergo qui libenter aliorum mores corripiunt, fumum pro sole amplectentes.

Audite me, obsecro, audite, pessimi aliorum judices. Si verum est, ut est profecto verissimum, quod in quo judicio judicaveritis, judicabimini; procul dubio in quibus *Matth.* vii,
causati fuerimus proximum, in eadem quoque ipsi incidemus, sive spiritualia illa 2.
fuerint, sive corporalia : neque aliter fieri potest.

Qui celeres nimiumque diligentes proximi judices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum peccatorum suorum fixam ac perfectam memoriam curamque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse quo se ipsum lugeat, etiam si centum annos vixerit, etiam si totum Jordanem fluvium in lacrimas versum, ex oculis suis manare perspexerit. — Notavi luctum, nec ullum in eo detractionis aut condemnationis vestigium inveni. — Aut itaque peccare nos dæmones urgent, aut quum non peccaverimus, judicare peccantes, ut per hoc secundum primum illud homicidæ inquinent.

In hoc scito eos qui memoriam illatæ sibi injuriæ servant, atque invidos aperte dignosce, quod doctrinam et opera virtutesque proximi libenter et facile vituperant et calumniantur, spiritu odii miserabiliter præcipitati ac demersi. — Vidi quosdam clam ac sine arbitris scelera penitus horrenda perpetrare, qui quod putarent se esse mundissimos, eis qui publice levia admittunt aliqua, gravissime imminebant.

Judicare, est impudens direptio divinæ dignitatis; condemnare autem, animæ

propriæ interitus. — Sicuti elatio sola, absque alio vitio comite, perdere se habentem potest; ita et judicandi vitium, et si solum in nobis fuerit, perfecte nos perdere [*Luc.* xviii, 10-14.] valebit : siquidem et Pharisæus ille ex hoc solo condemnatus est.

Bonus et probus uvæ lector matura acina comedens, acerba legere nunquam patietur : porro grati viri ac prudentis animus quotquot in aliis virtutes inspexerit, studiosissime notabit; insipiens vero querelas defectusque perscrutabitur : de quo et dictum [*Ps.* lxiii, 7.] est, Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutationes. — Neque si oculis tuis peccatum videris, condemnes, neque illis credas : sæpius enim falluntur et ipsi.

GRADUS XI

DE LOQUACITATE.

DIXIMUS in præcedentibus breviter, quam sit periculi plenissimum utque eos quoque qui spirituales videntur nonnunquam subrepat, judicare proximos, imo vero judicari atque a lingua cruciari. Nunc vero causam ejus et januam per quam ingreditur et egreditur, consequens est paucis eloqui suoque loco statuere.

Loquacitas est inanis gloriæ sedes, per quam se ipsam indicare atque in publicum producere solita est. Loquacitas, ignorantiæ est certum argumentum, detractionis janua, scurrilitatis dux, mendacii opifex, compunctionis desolatio, acediæ auctor sive evocatrix, somni præcursor, intentæ fixæque cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio. Contra vero, taciturnitas in cogitatione mater est orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrimarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, judicii indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adjectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.

Qui peccata cognoscit, continet linguam suam; qui vero loquax est, nondum se ipsum ut oportet agnovit. — Studiosus silentii appropiat Deo, ipsique jugiter in abdito [*Matth.* xxvii, 14.] cordis adsistens, illustratur ab eo. — Jesu silentium admirationi et reverentiæ Pilato fuit; virique quieta et silens vox profligavit inanem gloriam. — [*Ibid.* xxvi, 69-75.] Verbum dixit Petrus, et flevit amariter, quia illius immemor fuit qui ait : [*Ps.* xxxviii, 2.] Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; alteriusque dicentis, [*Eccli.* xx, 20, juxta LXX.] Melius est e sublimi cadere in terram, quam ex lingua cadere.

Plura quidem de his scribere nolo, etsi plures me hujus vitii astutiæ id facere hortentur. Audivi tamen aliquando virum quemdam, cujus apud me plurimum valebat auctoritas, quum de solitudinis quiete loqueretur, asserentem loquacitatem ex uno horum penitus gigni : aut scilicet ex perversione, et iniqua intemperantique consuetudine (lingua enim membrum corporis quum sit, in quo jam erudita fuerit, ejus consuetudinem requirit); aut rursus in his qui in certamine sunt, maxime quidem ex inani gloria, nonnunquam vero ex ingluvie ventris. Quocirca plurimi sæpe quum frenarent ventrem, violentia jam ac debilitate quadam et linguam et ejus verbositatem concluserunt.

Qui curam sui exitus gessit, circumcidit verba; et qui possidet animi luctum, ut ab

igne ita fugit a loquacitate. — Qui diligit solitudinis quietem, clausit os suum; qui vero processionibus gaudet, hunc vitium hoc e cella proturbat. — Qui altissimi divinique ignis fragrantiam sensit, is non secus quam apis fumum, omnem fugit hominum cœtum. Apem quippe fumus exagitat; hujus vero proposito cœtus hominum est contrarius.

Paucorum revera est aquam nullis aggerum molibus septam suis meatibus arcere; sed multo pauciorum est incontinens edomare os.

GRADUS XII

DE MENDACIO.

EX lapide quidem ac ferro excutitur ignis; ex loquacitate vero ac jocis mendacium nascitur.

Mendacium est caritatis exterminatio; perjurium vero, Dei abnegatio. — Nullus recte sentientium parvum esse mendacii peccatum existimat : quippe contra nullum vitium terribiliori sententia Spiritus Sanctus usus est. Sicut ait David ad Deum : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quid jam illi passuri sunt qui juramentis mendacia conjungunt et consuunt ?

Vidi nonnullos mendaciis gloriari, eisque se honestari putare, qui quum jocis otiosoque sermoni ridicula nonnulla subtexerent, audientium luctus miserabiliter demoliti sunt. Quoties dæmones ab hujusmodi facetiarum auditu, velut a pestilentiali morbo, statim post inchoationem gravis ac molesti auctoris nos fugere velle perspexerint, tunc jam gemina nos ista cogitatione illaqueare nituntur, nobis ita suggerentes : Noli contristari fratrem talia narrantem, aut certe noli te ipsum ceteris adstantibus meliorem divinarumque rerum studiosiorem judicare. Exi citius, nec moram ullam ibi feceris : sin alias, in oratione tua ridiculosarum rerum tibi imagines finges. Neque inde fugias solum, verum et iniquum cœtum religiosa severitate dissolve, mortis atque judicii mentionem in medium adducens. Est quippe præstantius ex hoc fortasse modicum inani gloria respergi, ut plurimis ita inveniaris utilitatis auctor, quam per ignavum et improbum silentium tibi pariter et aliis detrimenti causa fieri.

Simulatio, mendacii mater est, sæpe vero etiam materia. Quippe quidam simulationem nihil aliud esse definiunt, quam mendacii meditationem atque opificem, agglutinatum sibi atque connexum habentem jusjurandum.

Qui timorem Domini possidet, alienissimus est a mendacio, judicem habens incorruptum conscientiam suam. — Sicut in perturbationibus reliquis damni differentiam agnoscimus, ita et in mendacio quoque. Aliter enim ille judicatur qui per supplicii timorem, aliter qui nullo proposito mentitur. Alius deliciarum mentitur causa, alius voluptatis gratia; alius ut adstantibus moveat risum, alius vero ut insidietur fratri, eumque detrimento aliquo afficiat. — Ex cruciatibus principum deletur mendacium, ex lacrimarum vero multitudine in finem perimitur.

Dispensationem allegat qui mendacium suggerit, et perditionem animæ sæpe justitiam existimat. — Rahab se imitari argumentatur qui mendacia confingit, per quam perditione sua aliorum salutem se moliri dicit. — Ait quidam : Quum a mendacio

mundi fuerimus, tum si ita aliquando necesse sit, tempore admoniti, ipsum cum timore subeamus.

Nescit puer mendacium, ita ne anima quidem quæ fuerit ab iniquitate omnino aliena. — Qui vino exhilaratus fuerit, et si nolit, vera in omnibus dicet; qui vero compunctione fuerit inebriatus, mentiri non poterit.

GRADUS XIII

DE ACEDIA.

Cf. p. 14. UNUS et hic nonnunquam ex loquacitatis ramis est, ut jam in prioribus diximus, patriaque progenies : acedia est. Quocirca congruum illi ordinem in nequissima catena distribuimus.

Acedia est animi remissio, mentis resolutio, neglectio vitæ monasticæ, professionis odium. E cellula item prodire hortatur, sonitum aliquem aut fragorem pedumque strepitum excitans.

Qui se ipsum luget, acediam nescit. — Hæc sæculares beatos dicit. Deum ut inclementem et immisericordem calumniatur. Est in psalmodia invalida, in oratione imbecillis, in ministerio ferrea, in opere manuum impigra, in obedientia improba.

Vir bene subjectus alienus est ab acedia, et per ea quæ sensibilia sunt, ad intellectualia proficit. Cœnobium acediæ resistit; viro autem solitario hæc individua in æternum comes est, neque illum ante mortem deseret, quotidieque dum vixerit illum oppugnabit. Hæc anachoretæ cellulam intuita subrisit, atque appropinquans juxta sibi tabernaculum fixit.

Mane primo languentes medicus visitat, acedia vero monachos circa meridiem. Hospitum susceptionem acedia suggerit, atque per laborem manuum eleemosynas fieri precatur. Visitare infirmos hortatur alacriter, illius admonens qui in Evangelio dixit :
Matth. xxv, 36. Infirmus eram, et visitastis me. Ad mœrore aliquo affectos ac pusillanimes ut proficiscantur inducit, consolari pusillanimes ipsa pusillanimis suggerens. — Ad orationem stantes necessariæ cujuspiam rei admonet, omnemque movet artem ut inde nos aliqua veluti rationabili fune, ipsa nos irrationabilis attrahat. — Tribus horis horrorem, dolorem capitis febremque ac vertiginem, acediæ spiritus fecit. At ubi hora nona supervenit, convaluit modice; mensa vero posita, a stratu exsilit : et quum orationis tempus remeavit, rursum corpus gravari cœpit; in oratione adsistentes iterum somno demersit, importunisque oscitationibus versum ex ore diripuit.

Vitia quidem perturbationesque reliquæ, una aliqua virtute singula evacuantur; acedia vero monacho mors est, quam in se jugiter continet. — Virilis ac robusta anima mortuam exsuscitavit mentem; acedia vero ac desidia totas virtutum opes simul dissipavit.

Quum sit hoc unum ex octo vitiis principalibus omnino gravissimum, quod in illis fieri consequens est, in isto quoque faciamus. Et illud tamen præterea addamus : Nisi agatur psalmodia, non apparet acedia; consummataque synaxi, aperti sunt oculi. — Acediæ maxime tempore violenti elucent : nihil enim æque ut acedia monacho tot coronas parat. — Si consideres diligentius, invenies eam stantes pedibus oppugnare lassitudine, sedentibus, ut super parietem se reclinent persuadere.

Vinciatur et hic tyrannus a peccatorum memoria, cædatur ab opere manuum; trahatur a futurorum bonorum intenta cogitatione, adstansque ut convenit interrogetur : Dic nobis, o tu remisse et dissolute, quis te male genuit? aut qui sunt nepotes tui? quive te oppugnantes? vel quis sit interfector tuus? Ille vero percunctantibus ita respondeat : Ego in his qui vere obedientes sunt, non habeo ubi caput reclinem; qui vero mihi per solitudinis quietem cedunt, cum his una dego. Quæ mihi nomen dederunt, plurimæ sunt : interdum enim insensibilitas animæ, quandoque vero irreminiscentia quædam atque oblivio cœlestium, nonnunquam etiam immensa laborum magnitudo. Stirpes vero meæ, locorum mutationes sunt : quæ mecum fiunt, inobedientia spiritualis Patris, futuri judicii oblivio, nonnunquam vero etiam professionis derelictio. Porro adversariæ meæ a quibus nunc vinctus teneor, psalmodia operi manuum conjuncta, mortisque memoria. Quæ vero me penitus necat, oratio est adjuncta futurorum bonorum firmissimæ spei. Quis vero orationem genuerit, ipsam interrogate.

GRADUS XIV

DE GULA.

DE gula loqui instituentes, si nunquam alias, nunc maxime contra nos ipsos philosophari proposuimus : mirum enim si quis unquam hac liber evasit, nisi forte qui sepulcrum habitaverit.

Gastrimargia est simulatio ventris : quum enim satiatus fuerit, indigere se clamat; et quum distentus atque diruptus, vociferatur esuriem. — Gastrimargia est saporum variorumque liquaminum opifex, suavitatis fons. Obstruxisti venam, et aliunde prorumpit : hac quoque aggeribus obruta, sibi aliam viam fecit. Exstinxisti flammam, et aliunde revixit; istaque rursus exstincta, superatus ab alia es. — Gastrimargia est oculorum seductio, modica suscipiens, et universa simul absorbere suggerens.

Adversus gastrimargiam sæpe inanis gloria inimicitias gerit, et super infelici monacho quasi venali mancipio invicem pugnant. Hæc illum ut jejunium solvat, impellit; illa ut virtutem abstinentia prodat, modis omnibus urget. Sapiens monachus utrumque vitabit, et suo tempore alteram altera arcebit et a se penitus abjiciet. — Carnis igne crescente, illam puniamus, atque in omni tempore et loco abstinentiam servemus; at quum sedatus exstinctusque fuerit (quod quidem dum in vita sumus, fieri vix posse puto), tunc jam opus nostrum atque abstinentiam celemus. — Vidi nonnunquam illusione dæmonum seniores aliquos benedictione sua juvenes non sibi subditos ad potandum vinum atque ad remittendum abstinentiam reliquam hortari. His, si fuerint probatæ vitæ atque auctoritatis, habuerintque testimonium in Domino, obtemperandum est, moderate tamen; si vero negligentiores sint hujusmodi, illorum benedictionem non curemus, atque potissimum si adhuc carnis ardoribus infestamur.

Putavit Evagrius sapientissimum se omnium alacritate sensus fieri; sed fraudem passus, sibi mentitus est miser, insipientiumque insipientissimus ex hoc ipso ostensus est. Quod ut in plerisque aliis, ita et in hoc quoque animadverti potest. Ait enim quondam : Quum varios delicatosque cibos anima concupiscit, pane angustetur et aqua. Simile enim quiddam dicere videtur, ac si puero præciperet ut scalarum gradus

omnes uno passu repente conscenderet. Quam nos ipsius irrationabilem sententiam vertentes, ita dicimus : Quum varios delicatosque cibos anima concupiscit et quærit, naturæ proprium aliquid videtur inquirere. Quocirca summa industria contra hujusmodi callidissimam insidiatricem vigilandum est : alioqui gravissimum contra nos excitabit bellum, ruinæque laqueos parabit. Primum itaque abscindamus a nobis eos cibos qui impinguare possunt; tum vero etiam calidos, ne oleum flammæ adjiciamus; deinde vero suaves quoque ac delicatos. Si fieri potest, cibos corpori indulgeamus qui facile repleant, et maxime leves vilesque et exigui sint, ut ex repletione facili inexplebilem ejus aviditatem satiemus; per exiguitatem vero, levitatem atque vilitatem celeri digestione secuta, cito respirare possumus animo, atque a calore tanquam a flagello liberari. Si diligentius intueamur, animadvertemus quotquot sunt ex rebus spirantibus cibi, eos omnes suo calore in nobis incentivum excitare libidinis.

Ride eum spiritum qui tibi post cibum ut consuetam refectionis horam differas improbe suggerit : quum enim nona hora supervenerit, priorem abnegavit concordiam.

Alia insontibus, alia reis continentia convenit. Illis enim corporis motus in signum est; isti vero usque ad mortem et finem adversus hoc inexorabiliter atque irreconciliabiliter se habent. Ac priores illi jugum quidem per animi moderationem servare volunt; sequentes vero, Deum per animæ mœrorem perpetuamque compunctionem sibi placare student. — Tempus lætitiæ et consolationis perfecto quidem viro est, quum nulla rerum mortalium angitur cura; ei vero qui adhuc in certamine est, colluctationis tempus; vitioso autem, festivitas festivitatum, celebritasque celebritatum. — Insomnia ciborum et dapum in corde gulæ deditorum, judiciorumque et cruciatuum in corde lugentium. — Escarum satietas, fornicationis est mater; afflictio autem ventris, caritatem parit. — Qui leonem blanda demulcet manu, nonnunquam illum mansuefacit; qui vero corpus obsequiis fovet, ipsum amplius efferavit.

Gaudet Judæus sabbato, et diem festum facit; monachus vero gulæ deditus, sabbato et die dominico. Ante tempus computat Pascha, et ante plurimos dies escas parat. — Secum volvit attonitus famulus ventris, quibus cibis epulabitur; Dei autem servus, quibus gratiis ditabitur. Mox ut advenit hospes, in caritatem totus ex gulæ concupiscentia movetur, detrimentumque suum consolationem fratris existimat. In adventu quorumdam, vinum bibere statuit, et dum virtutem abstinentiæ sibi videtur occulere, vitii servus efficitur.

Contine ventrem, ne ipse ab eo tenearis, tuncque incipias cum rubore confusionis continere. Norunt quid dixerim qui in secretam foveam inciderunt; viri autem eunuchi hoc experti non sunt. — Ventrem cogitatione sempiterni ignis circumcidamus. Quidam enim quum huic obtemperassent, postremo membra sua absciderunt, duplicemque mortem sibi consciverunt.

Animadvertimus, si inquiramus diligentius, naufragia nostra omnia ab isto fieri. — Mens jejunantis, cum sobrietate orat; intemperantis autem, impletur immundis imaginibus. — Ventris saturitas exsiccavit fontes; sin vero ille siccetur, pariet latices. — Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est qui oleo incendium exstinguere nititur. — Si affligatur venter, humiliabitur cor; sin autem ille foveatur, superbit cogitatio. Considera te ipsum prima diei hora, meridie, et vespere antequam sumas cibum; atque ex hoc addisces jejunii utilitatem. Exsultat namque mane atque appropinquat cogitatio; sexta vero quum advenerit, aliquanto remissior fit; circa vero solis occasum, prorsus humiliatur. — Afflige ventrem, et omnino frenabitur lingua : quippe multitudine escarum hæc nervos accipit.

Pugnans pugna adversus ventrem, et sobrietati propter hunc maxime stude : nam

si modicum laboraveris, continuo erit Dominus adjutor tuus, et cooperabitur tibi. — Laxi et molliti utres capaciores fiunt; sin autem negligantur, minus capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatavit intestina; qui vero adversus hunc pugnat, contraxit ac restrinxit illa : his autem restrictis, nil opus est pluribus cibis, tuncque jam naturaliter jejunantes efficimur. — Sitis nonnunquam sedavit sitim; fame vero famem abscindere, et durum est et impossibile. Si quando te vicerit, tunc doma te ipsum laboribus; quod si per infirmitatem id fieri non potest, vigiliis adversus eam rursus pugna. Si gravantur oculi, opus manuum arripe; si vero non adsit somnus, noli id tangere : nam possibile *Matth.* vi, 24.
non est Deo et mammonæ, hoc est Deo et operi manuum, mentem adsistere.

Neque illud te lateat, quod plerumque dæmon stomacho insidet nostro, facitque ut homo nunquam satietur, etiam si universam comederit Ægyptum, totumque Nilum biberit. — Post cibum, gulæ iniquus spiritus abscedit, fornicationisque in nobis spiritum immittit; illique quid fecerit nuntians : Apprehende (inquit) illum, occupa et conturba; nam ventre distento, non multum in dejiciendo laborabis. Qui quum venerit, continuo subridet, somnoque devinctis nostris manibus et pedibus, omnia quæcumque voluerit facit, atque animam nostram corpusque contaminabit phantasiis, inquinationibus, obscenique liquoris egestionibus. Et est sane mirandum spectaculum, videre incorpoream mentem fœda corporis colluvione maculari atque obscurari, eamdemque rursus per carnis hujus lutum emundari atque in tenuissimam naturæ suæ redire substantiam.

Si angustam duramque viam pergere Christo promisisti, reprime ventrem : hunc enim si foveas atque distendas, pacta et conventa cum Domino tuo irritasti. Intende animo ut audias dicentem : Lata et spatiosa est via ventris, quæ ducit ad perditionem *Ibid.* vii, 13, 14.
fornicationis, et multi sunt qui ingrediuntur per eam; et quam angusta janua atque arcta est via jejunii, quæ ducit ad viam castitatis, et pauci sunt qui per eam ingrediuntur.

Princeps est dæmonum qui cecidit Lucifer, et princeps vitiorum concupiscentia gulæ.

Quum ad mensam epulis instructam discumbis, procedat in medium judicii mortisque memoria : vix enim vel sic parum concupiscentiæ obsistes. Dum calicem bibis, memento item aceti et fellis Domini tui, prorsusque aut continebis, aut certe per gemitum sensu humiliori eris. — Noli errare, nunquam a Pharaone liberaberis, neque supernum Pascha celebrabis, nisi semper amaritudines et azyma comederis [illegible]
Amaritudines sunt jejunii violentia et afflictio; azyma vero, sensus minime inflatus. — Imprimatur omnino respirationi tuæ sermo ille dicentis : Ego autem quum mihi *Ps.* xxxiv, 13.
dæmones molesti essent, induebar cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu animæ meæ adhæsit.

Jejunium est naturæ violentia, circumcisio suavitatis faucium, incentivorum omnium abscisio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis janua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni levatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta et deliciæ. *Gen.* III, 6-24; [illegible]

Interrogemus ut alios ita et hunc, imo vero præ aliis omnibus hunc nostrorum [illegible]
hostium nequam præceptorem, vitiorum januam, ruinam Adam, Esau perniciem, interitum Israelitarum, Noe turpitudinem, Gomorrhæorum proditorem, Lot crimen, filiorum Heli exterminatorem, inquinationum ducem : unde gignatur, quinam sint ejus nati, quis item sit a quo conteratur, et a quo in finem perimatur. Dic nobis, o morta- [illegible]

lium omnium nimium violenta domina, quæ omnes auro inexplebilitatis emisti : Unde tibi introitum in nobis paras? Quidve post ingressum tuum parere consuevisti? Et quisnam sit tuus ex nobis exitus? quonam modo scilicet abs te liberamur?

Illa vero agitata contumeliis, nobis ita tyrannice cruenta feroxque respondit : Quid me maledictis incessitis, qui mihi estis obnoxii? Aut quomodo separari a me studetis, quæ naturæ connexa sum? Janua mea, natura ciborum est; consuetudo vero, inexplebilitatis mihi causa est; porro materia perturbationis meæ, consuetudo quam dixi, atque indolentia animæ mortisque irreminiscentia. Stirpium vero mearum nomina quomodo quæritis addiscere? Dinumerabo eas, et super arenam multiplicabuntur. (*Ps* cxxxviii, 18.) Primogenitorum tamen meorum, eorum qui hujusmodi sunt, appellationes audite. Filius primogenitus meus, fornicationis incentor est; secundus ab illo est obdurationis auctor; somnus est tertius. Mare cogitationum, inquinationum fluctus, profundumque secretarum atque ignotarum immunditiarum ex me procedunt. Filiæ vero meæ sunt, desidia, loquacitas, confidentia, scurrilitas risum movens, contradictio, cervicis duritia, tarditas ad audiendum, insensibilitas, captivitates, elatio atque tumor, temeritas, mundi amor : cui succedunt, oratio immunda, fluctus cogitationum, nonnunquam vero calamitas quoque præter omnem spem et exspectationem, quam necessario desperatio sequitur, omnibus acerbior et gravior. Oppugnat quidem me, sed non superat, peccatorum memoria; inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio; nihil vero in hominibus est quod me perfecte destruat. Qui Paracletum possidet, interpellat adversum me, illeque exoratus non permittit me operari vitiose; qui vero nullum illius gustum susceperunt, omnino dulcedinis ac suavitatis meæ rapiuntur illecebris.

GRADUS XV

DE INCORRUPTIBILI CASTITATE.

AUDIVIMUS modo vesanam gulæ concupiscentiam, suam esse progeniem libidinis et fornicationis pugnam asserentem : quod sane mirum non est. Docet enim nos hoc ipsum vetus ille noster pater Adam : nam nisi gulæ illecebris superatus fuisset, nunquam quid esset conjux agnovisset. Qui igitur primum mandatum servant, in secundum non incidunt prævaricationis malum, sed permanent filii Adam, modicum quid ab angelis minorati : atque istud, ne immortale maneat malum, ut ait vir ille summus cui cognomen theologia dedit.

Castitas est incorporeæ naturæ familiaritas. Castitas est Christi jucundum diversorium, terrestrisque clypeus cordis. Castitas est excessiva naturæ abnegatio, corporisque mortalis atque corruptibilis revera ad incorpoream spiritualemque substantiam contentio.

Castus ille est qui amore amorem exclusit, ignemque igne Spiritus exstinxit. — Pudicitia generale virtutum cognomen omnium est. Pudicus est ille qui ne in somnis quidem ullum motum ullamque status sui mutationem sentit. Pudicus est ille qui et in somnis quidem perfectam semper insensibilitatem in corporum specie et varietate possedit. — Hæc regula hujusmodi finis est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata sicut inanimata intueamur, atque ita rationalibus ut brutis corporibus afficiamur.

Nemo ex his qui se studio castitatis exercent, suis hanc laboribus aut sua industria se acquisisse putet : nam possibile non est ut quispiam naturam suam vincat. Ubi denique natura superata est, illic is qui supra naturam est, advenisse cognoscitur : nam sine ulla controversia, id quod deterius est, a potentiore destruitur.

Initium quidem castitatis est cogitationibus sordidis non acquiescere, atque per intervalla temporum obsceno liquore illo simpliciter et absque ulla imaginis illusione respergi; medium vero, naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus inquietari, ita tamen ut ad fluxum usque illi non perveniant; finis autem, mortificare corpus, jam antea mortuis cogitationibus sordidis. Felix revera est qui ad omnem colorem corporis atque adspectum perfecte insensibilis effectus est.

Non qui carnis lutum sine sorde servavit, hujusmodi castus est, sed qui hujus membra animæ perfecte subjicit. — Magnus quidem et ille est qui nulla ex tactu passione movetur; major vero qui nullo adspectu vulneratus est, atque cogitatione supernæ pulchritudinis igneum spectaculum vicit.

Is quidem qui per orationem immundum canem a se abigit, pugnanti leoni comparatur; qui autem reluctando fugat, ei similis est qui adhuc persequitur inimicum suum; porro qui hujus impetum omnino redegit ad nihilum, is etsi in carne superstes, jam tamen ex acervo surrexit.

Si istud veræ castitatis certum argumentum est, immobilem in eis phantasmatibus quæ per somnum videmus, persistere; is profecto erit luxuriæ finis, si vigilans quispiam ex immundis cogitationibus fluxum patiatur.

Qui sudoribus suis ac laboribus adversus hujusmodi adversarium pugnat, is ei similis est qui inimicum suum papyro ligavit. Qui vero continentia ac vigiliis pugnat, ei similis est qui catenis hunc torquibusque devinxit. Porro, qui altissima humilitate et vacuitate iracundiæ sitique depugnat, is ei comparatur qui occidit inimicum atque in arena occuluit. Arenam vero intellige humilitatem : neque enim vitiorum gregem pascit, sed terra et cinis est.

Alius est qui ex certaminibus, alius vero est qui ex humilitate profunda, alius item qui ex divina revelatione tyrannum vinctum tenet atque captivum : atque ex his alius quidem lucifero, alius magnæ fulgentique lunæ, alius vero splendidissimo soli comparatur. Omnium tamen conversatio in cœlis est. Ex auroræ quippe candore, lux prodiit; ex luce vero, solis jubar accenditur : ita et in his quos modo memoravimus intelligendum est.

Somnum vulpes simulant ut avem fallant; dæmon vero et corporis pudicitiam fingit ut animam perimat. — Ne credas in vita tua luto carnis tuæ, neque tibi ipsi omnino fidas donec Christo Domino obviam pergas. Noli confidere si per continentiam non laberis : nihil enim comedebat quidam, et de cœlo dejectus est.

Abrenuntiationem quidam doctissimi viri pulchre ita definiunt. Aiunt quippe illam inimicitiam esse adversus corpus, atque adversus gulæ concupiscentiam inexorabile bellum. In iis quidem qui rudes imbuuntur, lapsus corporis ex deliciis maxime fieri solet; in mediocribus vero, etiam ex elatione animi; porro in his qui perfectioni proximiores sunt, solummodo ex condemnatione contemptuque superbo proximi.

Quidam eos beatos dixerunt eunuchos qui ita sunt geniti, tanquam violentissima carnis dominatione liberatos. Ego vero eos maxime beatos dico qui ex quotidiana pugna eunuchi fiunt : hi enim ratione veluti gladio quodam abscindere se ac mutilare solent.

Vidi quosdam non sponte ruere; vidi item alios sponte ruere velle, nec posse, eosque iis qui quotidie corruunt infeliciores existimavi, ut qui non possent fœtorem etiam appetere.

Miserabilis quidem et ille qui corruit; sed ille longe miserabilior qui alteri ruinæ causa fuit : duorum enim lapsuum alteriusque voluptatis onus ipse sustinet.

Ne velis fornicationis spiritum disceptando vel contradicendo in fugam convertere : ille enim persuadere probabiliter novit, quippe qui adversum nos naturaliter pugnat. — Qui sua industria carnem suam vincere vel debellare vult, in vanum currit : nisi *Ps.* CXXVI, 1. enim Dominus domum carnis deleverit domumque animæ ædificaverit, frustra quispiam hanc jejunando ac vigilando destruere nititur. Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatem, et tuam humiliatus imbecillitatem agnoscens, prorsus suscipies in intimis castitatis donum.

Est in his qui libidinis uruntur ardoribus, jugis corporeæ conjunctionis appetitus, ut mihi quidam retulit qui hoc fuerat expertus, posteaquam resipuerat et jam continentissime vivebat. Immundus sane spiritus, inverecundus, impudicus, immanis est et atrox : qui dum cordis sensum impudenter occupat, facit quoque ut is qui impugnatur, in corpore dolorem sentiat, atque in morem fornacis uratur; Deum denique non timet, æterni supplicii memoriam nihil æstimat, orationem exsecratur, mortuorum reliquias ac si lapides intuetur inanimatos. Atque in ipsa nefariæ actionis consummatione infelicem hominem mentis impotem ac totius rationis expertem facit, jugique con- *Matth.* XXIV, 22. cupiscentia inebriat. Cujus nisi breviati essent dies, non esset salva omnis anima luto isto ex sanguine limoque sordido concreto vestita. Nec sane mirum. Omne enim quod factum est, cognationem suam avidissime appetit : utputa, sanguis sanguinem, vermis vermem, limus limum. Et caro igitur appetit carnem : tametsi nos qui naturæ vim inferre ac cœleste regnum concupiscere satagimus, arte et astu seductorem ludere ac fallere conamur.

Beati sane sunt qui hoc pugnæ genus experti non sunt. Nos quoque ut ab hujusmodi periculo immunes simus, Deum suppliciter oremus. Qui enim in hujusmodi foveam lapsi sunt, ab ascensu et descensu scalæ illius quam vidit Jacob, longe remoti sunt. His vero qui ejusmodi sunt, ut surgere possint, sudoribus, doloribus, afflictionibus, laboribus, fame, siti ac summa rerum omnium penuria opus erit.

Advertamus diligenter, et videbimus ipsos spirituales inimicos nostros, ut fit in bello visibili, et in ipso prælio et pugna quam adversus nos instruunt singulos munus aliquod subire proprium.

Quod sane mirum est, animadverti in his qui tentantur casus casibus crudeliores. *Ibid.* XI, 15. Qui habet aures audiendi, audiat. Consuetudo est dæmoni eos maxime qui in certamine sunt constituti quique solitariam vitam delegerunt, toto malignitatis suæ impetu, omni studio et arte, omnique tentatione et astu, ad ea vitia quæ præter naturam sunt impellere, eisque inde amplius oppugnare. Unde et hi qui nunquam cum feminis degunt, quum nulla hujusmodi concupiscentia uruntur, se beatos dicunt, ignorantes miseri, quod ubi major interitus est, illic minore opus non est. Duabus (reor) ex causis homicidæ illi atque miserrimi in his quæ præter naturam sunt maxime oppugnare nos miseros atque vastare consueverunt : et quia ruinæ materia ubique prompta ac parata sit, et quia huic sceleri supplicium gravius debetur.

Novit quod dictum est juvenis ille qui prius onagris imperans, ad extremum a spiritualibus ac sævissimis onagris miserabiliter dejectus atque illusus est; et qui pridie cœleste nutriebatur pane, postremo tanto ac tam singulari munere privatus est. Quodque mirabilius est, post pœnitentiam suam amarissime ingemiscens præceptor noster Antonius, Columna (inquit) magna cecidit; neque tamen ruinæ illius reserans modum. Sapientissime sane : noverat enim fornicationem esse, quæ corporaliter sine alterius corporis junctione admitteretur.

Est quippe in nobis mors quædam ac ruinæ pernicies, quam in nobis ac nobiscum semper circumferimus, in juventute maxime : quam equidem scripturæ tradere ausus non sum. Continuit enim manum meam is qui ait : Quæ enim in occulto a quibusdam fiunt, turpe est et dicere et scribere et audire. Hanc meam nec meam, inimicam amicam carnem, mortem quidem Paulus appellavit : Infelix enim homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Alius vero theologus, vitiosam, et ancillam, et nocturnam eam vocat. Annuebam autem addiscere cujus rei gratia talibus adversus illam appellationibus utitur. Si ergo, ut prædictum est, caro mors est, profecto qui hanc vicit, omnino non moritur. Et quis, oro, ille homo est qui vivet et non videbit mortem inquinationis carnis suæ?

Eph. v, 12. — *Rom. vii, 24.* — *Psalm. lxxxviii, 49.*

Quærendum censeo, quis major sit : ille qui quum mortuus est resurrexit, an qui omnino mortuus non est. Nonnulli secundum beatum dicunt; sed ii profecto falluntur : nam Christus quum mortuus fuisset resurrexit. Qui autem primum beatum putant, nullam volunt inesse morientibus, imo vero cadentibus, desperationem.

Clementissimum Deum esse immanis ille inimicus, fornicationis auctor, dicit; hinc vitio (quippe naturali) facile ignoscere. Si vero fraudes dæmonum observemus diligentius, inveniemus eos post fœdam actionem, justum illum judicem durum atque inclementem appellare. Nam prius quidem, ut nos ad peccatum hortarentur, clementiam illius suggerebant; post lapsum vero, illius inviolabilem justitiam suggerunt, ut nos in desperationem præcipitent. Quum vero mœrori et desperatio conjungitur, nos ipsos miseros agnoscere et dicere, aut accusare vel ulcisci pro culpa non possumus; hac vero amota et exstincta, rursus qui nimiam Dei clementiam suggerebat tyrannus insequitur.

Quia incorruptibilis atque incorporeus Deus est, idcirco maxime castitate atque integritate corporis nostri delectatur. Aiunt quidam, nulla re ita ut fœtore dæmones delectari : itaque vitio nullo ita delectantur ut inquinatione corporis nostri. — Castitas hominem Deo maxime familiarem et (quantum possibile est homini) similem facit.

Mater quidem dulcedinis terra perfusa rore; castitatis autem mater est quies obedientiæ conjuncta. — Nonnunquam corporis beata illa immobilitas quam ex quiete acquisivimus, non inconcussa permanet; ea vero quæ ex obedientia provenit, ubique probabilis, firma atque immota perdurat.

Vidi plerumque superbiam humilitatis auctorem, venitque in mentem ille qui dixit : Quis agnovit sensum Domini? — Ruinæ foveam fastus ac superbia gignit; ruina volentibus sæpe fuit humilitatis occasio.

Qui concupiscentia gulæ ac satietate, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est qui oleo exstinguit incendium. Qui vero sola continentia bellum hoc sedare vel superare nititur, ei similis est qui una manu natans, pelago liberari contendit. Sit ergo humilitas continentiæ conjuncta : nam sine illa prior hæc inutilis agnoscitur.

Is qui se uno quodam vitio amplius urgeri conspicit, contra ipsum et solum ante omnia se ipsum armet; et maxime si hostis intestinus sit : nisi enim iste profligatus fuerit, nihil nobis reliquos vicisse proderit. Quum vero Ægyptium hunc nos quoque percusserimus, omnino Deum in humilitatis rubo intuebimur. Sensi ego aliquando quum tentarer, gaudium quoddam irrationabile et consolationem animæ lupum istum ad me fallendum excitasse, pueriliterque nimium fructum me, non corruptionem, tenere putabam.

Exod. ii, 12; iii, 2.

Si omne peccatum quodcumque homo peccaverit, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (quod idcirco ita dictum est, quia ipsius carnis substantiam fluxu inquinare consuevit) : quid est quod in aliis peccatis reliquis seductos

homines consuevimus dicere, quum vero quempiam fornicatum fuisse audiverimus, cum dolore dicimus, Ille cecidit?

Fugit hamum celeriter piscis : ita et animus voluptati deditus aversatur solitudinis quietem. — Quoties aliquos sibi invicem turpi et nefario vinculo diabolus ligare voluerit, utrasque partes diligenter explorans, illic ignem immittere incipit, ubi concupiscentiæ flammam facilius excitare posse animadvertit. — Nonnunquam hi qui circa voluptatem proni sunt, compati, misereri ac facile compungi videntur; qui vero castitati student, non sic talia possident.

Vir quidam scientissimus problema terribile quæsivit ex me : Quod (inquiens) peccatum omnibus gravius est, homicidio Christique abnegatione exceptis? Quumque illi respondissem, in hæresim labi : Et quonam (inquit) modo catholica Ecclesia hæreticos quidem, quum hæresim priorem toto animo repudiaverint atque anathematizaverint, suscipit ad sanctorum mysteriorum communionem et ut idoneos admittit, eum vero qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem atque peccatum ipsum omnino deserentem, introrsus suscipiens, per annos aliquot eum a venerandis immaculatisque mysteriis ex traditione apostolica separare permittit? Hac ego ambiguitate percussus stupui, ambiguumque illud permansit ambiguum.

Perscrutemur et diligenter metiamur atque observemus, quæ nobis dum psallimus jucunditas ac suavitas ex fornicationis spiritu, quænam vero ex spiritualibus eloquiis atque ex eorum virtute et gratia obveniat. — Noli, o juvenis, tibi ipsi occultus et ignotus esse. Vidi enim quosdam dum ex animo pro suis caris ac dilectis orarent, ex hujusmodi memoria in nequitiæ concupiscentiam præcipitatos, caritatis legem se implere putavisse.

Fit nonnunquam ut ex solo tactu corpus inquinetur : nihil quippe sensu isto gravius, nihil periculosius. Admoneat te is qui matris pallium manui circumdedit, atque ab his quæ vel naturalia vel præter naturam sunt, proprio atque alieno corpore comprime manum. — Nemo, ut reor, omnino sanctus dicitur, nisi prius lutum hoc in sanctificationem traduxerit, si tamen traduci potest.

Quum in lectulo decumbimus, tunc maxime sobrii ac vigilantes simus : tunc enim mens exuta corpore, cum dæmonibus luctatur, et si inveniatur voluptatibus addicta, libenter in proditionem labitur. — Memoria mortis tecum semper quiescat, tecumque simul evigilet, solaque semper ruminanda Oratio Jesu : nullum enim adjutorium in somno his præstantius atque efficacius invenies.

Sunt nonnulli qui sola ciborum causa hujusmodi bella adversum nos excitari atque obsceni humoris profluvium fieri putant atque asseverant; ego autem extrema fatigatos ægritudine et ad summum jejunantes, valide hujusmodi adspergine fœdari cognovi. Interrogavi aliquando probatissimum quemdam ac discretionis gratia ornatum monachum, quid de his sentiendum esset; mihique admodum lucide beatus ille respondit. Est, inquit, quidem in somnis quædam seminis emissio quæ ex ciborum multitudine et requie est; et alia quæ ex superbia contingit, quum scilicet diutius mundi a fœda hac respersione perstiterimus, et per hoc in superbiam efferimur. Fit rursus plerumque quum judicamus atque condemnamus proximum. Horum (inquit) generum duo contingere etiam infirmis possunt, fortassis et omnia. Porro si quis se ipsum prædictis omnibus causis mundum esse conspicit, hic ex hujusmodi tranquillitate beatus est. Qui vero ex dæmonum invidia id patitur, Deo id fieri ad tempus permittente, fit ut per hanc calamitatem quæ sine peccato est, altissimam tuto possideat humilitatem.

Nemo nocturna phantasmata quæ in somnis viderit, per diem secum volvere ac retractare velit : id enim dæmones idcirco moliuntur, ut ex hujusmodi somniis vigi-

lantes inquinent. — Aliam quoque hostium nostrorum audivimus astutiam. Sicut cibi qui corpus lædunt, post annum sive diem infirmitates in nobis gignere consueverunt, ita nonnunquam et in eis causis fit quæ animam inquinant.

Vidi quosdam quum delicatius viverent, non statim oppugnari. Vidi item alios cum mulieribus cibum una sumere ac degere continuo, nec unquam cogitatione pulsari : qui tamen hac fiducia decepti ac negligentiores facti, quum in cellula sua pacem atque securitatem esse putavissent, continuo in interitum præcipitati sunt. Cujusmodi autem iste interitus sit, qui singulatim in iis solis et in corpore et in anima contingit, is qui expertus est novit ; qui vero expertus non est, scire non potest. Quo in tempore summum nobis adjutorium præstabit cilicium et cinis, totisque noctibus statio immobilis, panis desiderium, ardens lingua modiceque irrorata, sepulcrorum habitatio, atque omnia ante humilitas cordis ; et si fieri potest, Pater spiritualis aut Frater sollicitus cautusque sensu ad auxilium adhibeatur. Miror enim si quispiam solus ex hujusmodi pelago navem servare integram possit. — Eidem vero sceleri non eadem semper debetur pœna, neque idem indifferenter a quocumque admittitur, sed ex eodem lapsu centuplum alius quam alius puniri merebitur. Intelligitur autem hæc differentia ex locis, profectibus moribusque, aliisque plurimis.

Mirabile mihi quidam supremumque castitatis insinuavit culmen. Quidam (aiebat) quum pulchritudinem atque venustatem intueretur corporum, ex ea admonitus magnifice glorificavit opificem : atque ex solo hujusmodi spectaculo, in amorem Dei fontemque lacrimarum excitatus est : eratque stupor ingens, videre quod alteri fovea ruinæ fuisset, id alteri coronarum causam præter naturam fieri. Hujusmodi vero si semper hoc sensu atque actione perdurat, ante communem resurrectionem jam in incorruptionem transiit. — Eadem regula et in melodiis et canticis utemur : nam ii quidem qui Deum diligunt, in hilaritatem divinamque dilectionem atque in lacrimas et ex mundanis et ex spiritualibus canticis excitari solent : contra autem qui voluptatibus addicti sunt, undique sibi perditionis materiam colligunt.

Quidam, ut supra jam diximus, in remotioribus locis oppugnari amplius solent. *Cf.* p. 562
Quod mirum non est : habitant enim illic libentius dæmones, quippe qui a Domino in post medium
desertis atque abyssis ad salutem nostram relegati sunt. Solitarium acerrime oppugnant nequitiæ spiritus, ut ex desperatione profectus, e deserto ad sæculum revocent. A nobis, si in sæculo degimus, discedunt, ut dum illic nos minime oppugnari perspicimus, sæcularibus rebus jam securi immoremur. Ubi sane oppugnamur, illic profecto adversus inimicum pugnamus : nam nisi oppugnetur a nobis, ipse quoque amicus noster efficitur. — Dum vero alicujus necessitatis gratia in sæculo versamur, manu Domini protegimur, fortassis per orationem spiritualis Patris, ne Dominus per nos blasphemetur. Nonnunquam vero id fit per indolentiam nostram, quod his quæ dicuntur ac geruntur in sæculo diutius assuefacti occalluerimus ; sive quod dæmones sponte secesserint, nobisque elationis ac tumoris locum reliquerint, quo uno vitia omnia implentur.

Audite astum alium atque versutiam seductoris hujus, omnes qui castitatem exercere atque servare delegistis. Enarravit mihi quidam ex his qui fraudem hanc experti fuerant, quod is fornicationis spiritus se ipsum ad finem usque subducit, summamque monacho interim religionis reverentiam suggerit, fortassis vero etiam lacrimarum flumina, per id maxime tempus quo cum mulieribus sedet ac loquitur ; suadetque ut eas de memoria mortis, de judicii die, de pudicitia admoneat, ut per hos sermones fictamque religionis speciem ad lupum tanquam ad pastorem infelices ac miseræ accurrant, factaque jam fiducia et consuetudine, demum tunc infelix monachus in flagitii ruinam

præcipitatur. Solerter, quæso, fugiamus, caveamusque eum fructum vel videre vel audire, quem ultra gustare non instituimus. Miror enim si David sublimi illo propheta nos ipsos fortiores arbitremur : quod fieri non potest.

Nempe adeo sublimis ac singularis castitatis laus est, ut eam plerique Patrum impassibilitatem appellare ausi sunt. Aiunt quidam, post peccati gustum impossibile esse quemquam castum nominari. Ab his ego longe dissentiens, ita definio, et possibile esse et facile ei qui silvestrem et inferacem oleam in decoram ac frugiferam velit inserendo convertere : nam si corpore ille virgo fuisset cui cœlorum creditæ sunt claves, juste
Luc. IV, 38. fortassis isti prudenterque discernerent; sin vero, ille eos confundat, qui et socrum habuit, et castus fuit, et regni claves a Domino suscipere meruit.

Varius ac multiplex est fornicationis serpens, eosque qui concubitum nunquam experti sunt, ut solummodo experiantur ac desinant, importune sollicitat; eos vero qui jam experti sunt, ex memoria obsceni facti, ut iterum experiri velint, infelix hortatur. Plurimi ex prioribus per ignorantiam mali hujus minus impugnantur; at qui jam sceleris hoc periculum fecerunt, perturbationes infestius et bella patiuntur : verumtamen contra nonnunquam contingit.

Quoties ex somno pacifici quidam et tranquilli exsurgimus, scilicet nos angeli latenter consolantur; idque tamen maxime fit quum in summa orationis ac sobrietatis intentione obdormierimus. Plerumque vero etiam ex iniquis somniis et visionibus læti
Ps. XXXVI, 35, 36. somno expergiscimur. — Vidi impium superexaltatum et elevatum et perturbatum [et furentem] in me sicut cedros Libani : et transivi per continentiam, et ecce non erat ut prius furor ejus; et quæsivi eum dum humiliassem cogitationem meam, et non est inventus locus ejus aut vestigium.

Qui corpus vicit, is etiam naturam superavit; qui vero naturam superavit, is profecto supra naturam effectus est; porro is cui id contingit, modicum quid minus quam angeli habet, ut non dicam nihil. Mirum non est, ab incorporeo et omni materia remoto eum qui ex corpore et materia consistat, oppugnari, atque etiam vinci; sed illud sane mirum atque admiratione dignissimum, si is qui corpore indutus est, cum hac inimica et insidiosissima materia pugnans, incorporeos hostes in fugam convertat ac superet. — Summam circa nos Deus in hoc quoque providentiam gerens, procacitatem feminæ, quasi freno quodam, pudore restrinxit : nam si hæc ad marem sponte accurreret, non fuisset salva omnis caro.

Plerique Patrum discretionis gratia maxime insignes, aliud esse definiunt primum impetum, aliud in cogitando moram, aliud consensum, aliud captivitatem, aliud luctam, et aliud eam quæ passio sive perturbatio in animo dicitur. Impetum enim illi beati esse aiunt sermonem simplicem sive imaginem cujuscumque rei cordi recenter injectam; moram vero, quum quis ei imagini sive cum passione aliqua sive præter passionem immoratur; consensum vero, nutum atque inclinationem animæ ad eam imaginem cum voluptate; captivitatem vero, violentam inviti cordis abductionem, sive jugem ad quæcumque ingressum, atque optimi nostri status exterminium. Luctam vero esse definiunt, quum pari virtute pugnatur et sponte sua quisque vel superatur vel vincit. Passionem autem eam proprie esse dicunt quæ tempore longiori in animo vitiosius insedit, eumque jam sui consuetudine in suum habitum transduxit, adeo ut sua sponte propriaque jam voluntate ad eam currat. Ex his omnibus gradibus, prior quidem sine peccato est; secundus non ita, sed cum aliquo peccato est; tertius vero pro certantium colligitur statu; porro lucta, vel coronæ vel supplicii causa est; nempe captivitas aliter orationis tempore, aliter præter orationis tempus judicatur, aliter item in mediis atque in omnibus malis cogitationibus æstimatur; sed passio sane in omnibus

absque ulla controversia, vel dignæ pœnitentiæ, vel futuro cruciatui subjecta est. Ita is qui primum illum impetum sine ullo passionis sensu aversatur, extrema illa omnia penitus abscidit.

Est apud diligentissimos et maxime discretos Patrum alia quoque horum subtilior ratio et notio, quam pararipismum * quidam appellari dicunt, id est subtilissima animi quædam latensque subreptio, quæ flatus instar tenuis, sine ulla temporis mora dictoque omni et imaginatione celerius, passionem patienti insinuare consuevit. Nullum hoc spiritu celeriorem, nullum occultiorem invenies, quippe qui tenui mora, absque ulla consensus immoratione, absque tempore, absque attactu, apud quosdam vero absque notione ulla, adventum suum animo indicat. Si quis igitur hujusmodi subtilitatem per gemitum comprehendere potuit, hic nos instruere jam ac docere poterit ut solo oculo simplicique adspectu, et tactu manus audituque cantici cujusdam, præter intentionem omnem atque cogitationem fornicari anima latenti voluptate potest.

* παραῤῥιπισμόν

Aiunt quidam, ex cogitatione fornicationis ad actum nefarium corpus deduci; alii econtra, ex corporis sensibus iniquas cogitationes gigni asseverant. Atqui priores quidem illi hac ratione nituntur, quod nisi mens atque animus occurrerent, nunquam sequi poterit corpus, esse enim id sub ditione animi. Sequentes vero, corporalis vitii malignitatem ita pro affirmatione sensus sui allegant, ut dicant, nonnunquam ex venustissimo adspectu, vel tactu manuum, vel olfaciendi suavitate, vel suavissimæ vocis auditu, cogitationibus nequitiæ aditum patere ad cor. Sed de his qui in Domino potest doceat. Sunt enim ista his qui discretionis actione imbui cupiunt, nimium et necessaria et utilia. Nam eis quidem qui in simplicitate ac rectitudine cordis operantur, nulla horum ratio habenda est : neque enim est omnium scientia; neque rursus est omnium beata simplicitas, certa ac tuta contra hostiles nequitias lorica. Nonnulla quidem vitia ex intimis progrediuntur ad corpus; quædam vero contra per corporis sensus ad animam penetrant : atque hoc ultimum sæcularibus maxime, primum vero illud eis qui solitariam vitam delegerunt, quod eis materiæ non adsint, contingere videas. Ego de hoc illud interim dixerim : quæres apud malos prudentiam, et non invenies. I Cor. VIII, 7.

Quoties intensius adversus fornicationis spiritum impugnantes, hunc ex corde per jejunii lapidem atque humilitatis gladium excruciatum ejecerimus, tunc jam corpori nostro velut vermis quidam insidens, improbos quosdam ac irrationabiles motus miser ille pelliciens, nos inquinare conatur : quod illi maxime perpeti solent qui inanis gloriæ spiritum sequuntur. Dum enim se hac peste liberatos gloriantur, nulla etiam cogitationum nequam assiduitate pulsari, in morbum illum prolapsi sunt. Atque quod id verum sit, quum se isti ad solitudinis quietem contulerint, se ipsos diligenti inquisitione discutiant : invenient profecto cogitationem quamdam in cordis abditis veluti serpentem in sterquilinio delituisse, quæ proprio illos studio atque alacritate virtutem intimæ castitatis acquisisse suggerit. Non intelligunt, miseri, illud Apostoli : Quid habes quod non acceperis gratis, vel ex Deo, vel ex alterius opere et oratione? Ibid. IV, 7.
Inspiciant ergo isti diligenter, atque omni studio prædictum colubrum ex cordis sui latebris summa humilitate mortificatum abstrahant, ut ab ipso liberati, possint et hi fortasse aliquando tunicas pelliceas exuere, triumphalemque castitatis hymnum, ut illi castissimi infantes, Deo canere; si tamen exuti non inveniantur illorum humilitate nudi.

Observat et hic ipse spiritus longe amplius ceteris tempora, et quum corporis habitu adversus ipsum orare non possumus, tunc maxime nos impurus oppugnare nititur. Convenit illis qui nondum veram cordis orationem possederunt, corporeæ exercitatio orationis, videlicet, manuum extensio, tunsio pectorum, gemituum singultuumque

perturbatio, sincerus ac jugis in cœlum conspectus, perpetua genuum curvatio. Quæ omnia dum nonnunquam propter præsentes facere non possumus, tunc maxime nos oppugnant dæmones; quumque necdum mentis soliditate orationisque secretissima virtute contra hostes nostros insurgere valemus, necessario fortassis illis cedimus. Exsili cito, si possibile est, abscondere modicum secretius. Eleva animæ aciem, si potes; sin vero, vel exterioribus luminibus in cœlum adspice. Extende in figuram crucis immobiles manus, ut per ipsam quoque formam et habitum orantis, Amalec confundas et superes. Clama ad eum qui salvare te potest, non in sapientia ornatuque verborum, sed in simplicitate atque humilitate sermonis, ante omnia ita semper exor-
Ps. VI, 3. diens : Miserere mei, quoniam infirmus sum. Tunc experieris Altissimi virtutem, atque invisibiliter invisibiles per invisibile persequeris auxilium. Qui sic pugnare assuefactus est, cito ac solo nutu animi persequi hostes ac fugare poterit; sed prioris illius laboris hoc extremum in remunerationem datur Dei operariis, et merito sane.

Quum aliquando in congregatione quadam essem, notavi sollicitum atque studiosum Fratrem, dum a malis cogitationibus molestiam pateretur, nec inveniret illic locum idoneum orationi, ad naturæ necessaria simulata necessitate exisse, atque illic adversus hostes validissima oratione confligere. Quum vero loci indignitas Patrem permoveret, Cur, inquit, loci hujus quasi minus idonei te facies movet? Persequebantur me immundæ cogitationes, ego in loco immundo ut sordibus mundarer oravi.

Omnes quidem dæmones primo intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea quæ sibi amica sunt suggerunt : nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt. Sed fornicationis spiritus multo ceteris velocius instat. Hic denique quum nonnunquam principem mentem tenebris obduxerit, ea homines facere inducit quæ soli amentes operantur. Quæ quum post aliquod intervallum temporis mente resipiscente agnoscimus, non eos solum qui viderunt, sed nos ipsos quoque erubescimus, turpes actus nostros vel locutiones vel habitus recolentes, prioremque nostram obcæcationem obstupescimus. Denique plures sæpe ex hujusmodi discretione ab hac peste quieverunt.

Aversare totis viribus eum hostem qui te post actum fœdum orare vel religiose agere vel vigilare prohibet, memor ejus qui dixit : Idcirco autem quod mihi molesta sit anima mea anticipationibus violenter oppressa, faciam ultionem ejus ex inimicis ejus.

Quis est qui corpus vicit? Qui contrivit cor. Quis cor contrivit? Qui se ipsum abnegavit : nam quomodo non conteretur is qui voluptati mortuus est?

Est inter vitiosos alius alio vitiosior, videasque nonnullos ipsas quoque sordes ac scelera sua suaviter et cum voluptate confiteri.

Solent immundæ turpesque cogitationes a seductore cordis, fornicationis spiritu, suscitari : quarum tamen medicina continentia est, atque eas nihil existimare.

Quonam autem more et modo meum hunc amicum vinciens in morem ceterorum dijudicem, nescio : prius enim quam illum vinciam, solvitur; et antequam dijudicem, cum illo in gratiam redeo; et antequam puniam, flector. Quomodo illum vinciam, quem ut amem a natura suscepi? Quomodo ab eo liberabor, cui in sæculum colligatus sum? Quomodo mecum etiam surgentem destruam? Quomodo incorruptibilem ostendam, qui naturam accepit corruptibilem? Quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac persuasionibus mentitur? Si enim ipsum jejunio vinciam, rursus illi, proximum judicans, trador; si et judicare desistens, hunc superem, elatus corde, in eumdem præcipitor. Estque cooperator et hostis, adjutor atque adversarius, auxiliator simul et insidiator. Si foveatur, oppugnat; si affligatur, debilior fit; lascivit per

quietem, rursus verbera et flagella non sustinet. Si illum contristem, periclitor; si foveam, per quem virtutes acquiram non habeo.

Quid sit circa me sacramenti, quænam sit meæ concretionis ratio, quomodo mihi et amicus sim et inimicus, quis videat? quis intelligat? Dic tu, dic mihi, o conjux mea, o natura mea : neque enim de te ab alio quam abs te discere curabo. Quomodo ex te invulneratus maneam? Quomodo possum naturale periculum effugere, quando jam bellum adversum te gerere Christo pollicitus sum? Quomodo tuam tyrannidem superem, ex quo vim tibi inferre delegi?

Illa vero adversus se ipsam (ut ita dixerim) respondens, ita dicere videbatur : Non tibi id loquar quod ipsa non nosti, sed quod simul ambæ cognovimus. Ego in me ipsa dilectione glorior matre. Exterioris quidem incendii genitrix et causa in primis est cura nimia atque immodica requies; porro interioris flammæ motusque cogitationum ex præcedente requie actibusque præteritis occasio gignitur. Ego quum iniqua concepero, pario scelera, quæ simul ut nata fuerint, per desperationem generant mortem. Si meam tuamque profundam infirmitatem noris, penitus meas vinxisti manus; si gulæ concupiscentiam fregeris, meos obligasti pedes, ne gradi in anteriora possint; si obedientiæ collum submittas, a me disjuncta es; si possideas humilitatem, amputasti caput meum.

GRADUS XVI

DE AVARITIA.

PLURIMI sapientissimi doctores, post præfatum tyrannum, hunc avaritiæ millecipitem spiritum statuere consueverunt. Itaque ne insipientes nos sapientium immutemus ordinem, eamdem regulam terminumque secuti, pauca prius de morbo ipso, ac sic postmodum de ipsius curatione loquemur.

Avaritia sive cupiditas est idolorum veneratio, infidelitatis filia; infirmitatum occa- Ephe
siones præfert, senectutis est vates, terræ siccitatem præcinit, venturæ fami prospiciendum suadet.

Avarus est Evangeliorum irrisor transgressorque voluntarius. — Qui caritatem possidet, pecunias spargit; qui vero utramque rem se tenere dicit, ipse se fallit. — Qui semetipsum luget, etiam corpus abnegavit : nam si ad id se tempus vocet, neque illi parcet. — Ne dixeris : Pauperum gratia pecunias congrego. Duobus enim minutis cœleste regnum venit.

Hospitalis et avarus sibi invicem obviaverunt, postremusque priorem indiscretum appellavit. — Qui vicit hoc vitium, amputavit curas; qui vero illo devinctus est, nunquam orabit pure.

Avaritiæ initium eleemosynas prætendit, finis vero est odium pauperum. Dum congregat quisque, misericors efficitur; at quum fuerit pecunia cum copia, contrahit manus. — Vidi nonnullos pecuniis pauperes, qui prioris suæ paupertatis obliti, in conversatione pauperum spiritu divites effecti sunt.

Monachus cupidus nunquam patet acediæ : horis enim singulis illud Apostoli volvit. Qui otiosus est nec manducet; ac rursus, Manus istæ ministraverunt mihi et his qui mecum sunt.

Nuditas rerum omnium, curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides.

Nudus monachus mundi totius est dominus : Deo enim curam sui credidit, et per fidem omnes possidet servos. Non dicet homini necessitatem suam : sed quæ afferuntur, quasi de manu Domini suscipiet. — Nudus operarius, totius mortalis affectionis inimicus, quæ sibi adsunt, quasi non sint ita existimat : et si apprehendit anachoresin,
[illegible] 8. omnia arbitrabitur ut stercora ; sin vero contristetur in aliquo, nondum quæ sit vera nuditas agnovit.

Vir nudus purissimam orationem emittit ; qui vero cupidus est, materiæ imagines in oratione versat.

Qui in sancta subjectione durant, a cupiditate longissime remoti sunt. Quid enim jam habeant proprium, qui ipsum quoque corpus suum alieno imperio exposuerunt ? Hujusmodi uno hoc tantum detrimento affici consueverunt, quod ad migrandum prompti semper ac parati sunt. Vidi plerumque monachos in loco ex aliqua materia sibi tolerantiam acquisivisse : quibus tamen eos ego beatiores censui, qui propter Dominum virtutem illam sectantur.

Qui superna gustavit, facile terrena contemnet ; qui vero sine gustu illorum est, terrenis lætatur possessionibus. — Is qui sine ratione nuditatem hanc sequitur, duabus ex partibus læditur : nam et præsentibus abstinet, et futuris privatur. Caveamus ergo,
Matth. VI, 26. o monachi, ne avibus infideliores videamur : illæ enim non sollicitæ sunt, neque congregant.

Magnus et ille quidem est qui pecuniis gratis renuntiat ; sed ille profecto sanctus
Ibid. XIX, 29. est qui voluntati suæ abrenuntiavit : nam alter quidem centuplum sive per pecunias sive per gratias accipiet ; alter autem sempiternam vitam hereditario jure possidebit.

Neque fluctus unquam deerunt mari, neque avaro iracundia et mœror deesse poterunt. — Qui avaritiæ materiam contempsit, hic lite omni et controversia liber evasit ; qui vero possidere amat, pro acu etiam usque ad mortem corrixabitur. — Fides constans recidit curas ; porro mortis memoria corpus ipsum quoque abnegabit. Non fuit in Job ullum avaritiæ vestigium, atque privatus omnibus, sine turbatione perstitit.

I *Tim.* VI, 10. Merito radix malorum omnium et est et dicitur avaritia. Hæc enim et scelera et furta, invidias, cædes, divortia, inimicitias, procellas, injuriarum memoriam, crudelitatem, mala denique omnia invenit. Modica ignis scintilla ingentem silvam plerique succenderunt ; una virtute, qua scilicet nullis mortalium rerum afficimur, universa vitia illa diffugiunt. Porro hujusmodi virtutem experimentum gustusque Dei parit, et cura sollicita reddendæ a nobis in fine rationis.

Non ignorat qui intentius legit, matris malorum rationem : ait enim in sua nequam
[illegible] et exsecrabili stirpe secundam suam esse progeniem lapideam insensibilitatem. Sed prohibuit me proprium illi ordinem distribuere serpens ille multiceps, idolorum servitus, qui (nescio quo pacto) tertium ordinem apud Patrum discretissimos in octo principalium vitiorum catena sortitus est. Quem nos quum mediocriter tetigimus, loqui jam de insensibilitate volumus : quippe quæ tertia ab ea dicitur, quæ secunda in ordine generationis est. Post quæ rursus de somno et vigiliis, præterea etiam de puerili atque ignava formidine, paucis disseremus : hi enim morbi proprie illorum sunt qui adhuc rudes imbuuntur.

GRADUS XVII

DE INSENSIBILITATE.

INSENSIBILITAS et in corporibus et in spiritibus, est mortuus sensus ex diutino languore in insensibilitatem desinens. — Indolentia est quæ in habitum transivit negligentia, segnis ac torpens animi intentio, præsumptionis germen, alacritatis impedimentum, fortitudinis laqueus, compunctionis ignoratio, desperationis janua, oblivionis mater, quam quum genuerit, ipsius filiæ suæ fit filia, timoris exclusio.

Indolens est stultus philosophus, a se ipso damnatus expositor, sibimet contrarius locutor, cæcus videndi magister. De sanitate vulneris disputat, atque id fricando exasperare non desinit. Contra morbum loquitur, et quæ sunt noxia manducare non cessat. Adversus se ipsum orat, et protinus ad opus suum proficiscitur. Id dum perficit, sibi ipsi indignatur, nec verborum suorum pudet miserum. Male facio, clamat ; et tamen acrius instat. Os contra vitium orat, et corpus pro vitio luctatur. De morte philosophatur, qui quasi non sit moriturus ita vivit. De separatione corporis et animæ severius admonet ; et quasi sempiternus futurus sit, dormitat. De continentia disputat, et pro gulæ concupiscentia certat. Quum de futuro judicio legit, subridere incipit. De inanis gloriæ fuga meditatur, et eadem in ipsa lectione capitur. De vigiliis dum loquitur, et ipse somno protinus immergitur. Orationem collaudat, et eam non secus quam flagellum vitat. Obedientiam summis laudibus effert, primusque ipse contra eam agit. Eos qui nulla mundi affectione compediuntur extollit, nec erubescit ipse pro vili panno contendere atque pugnare. Iratus amaricatur, atque in ipsa amaritudine rursus irascitur ; nec sentit dum ruinam adjicit ruinæ. Saturatus, pœnitentiam agit ; modicumque progrediens, rursus saturitate distenditur. Silentium beatum dicit, ipsumque per loquacitatem laudat. De mansuetudine admonet, et in ipsa doctrina nonnunquam irascitur. Quum resipuerit, ingemit ; atque agitans caput, rursus perturbatione corripitur. Vituperat risum, ac subridens de gemitu docet. Semetipsum ut inanis gloriæ cupidum in plerisque accusat, et per eam sui vituperationem sibi gloriam quærit. Affectu libidinis in faciem respicit, et de pudicitia disputat. Deserti et quietis sectatores ipse in sæculo degens collaudat. Misericordes glorificat, et pauperes exprobrat. Semper sui accusator est, et tamen resipiscere non vult, ne dicam non potest. Vidi ego hujusmodi plurimos, quum de exitu æternoque judicio verba fieri audirent, illacrimari, et quum adhuc essent in oculis lacrimæ, ad mensam sollicite accurrere ; admiratusque sum quomodo luctum quoque hæc perniciosa et male olens domina captivare potuit, ingenti insensibilitate captivata vel roborata.

Sed lapideæ hujus et præcipitis insanæque simul et fatuæ dominæ vulnera et dolos, quam satis visum est, pro tenui cognitione et facultate mea denudavi, neque diu adversus illam verbis pugnare consilii est. Porro si quis in Domino est qui experimento suo possit vulneribus afferre remedia, non illum pigeat id exsequi. Ego enim imbecillitatem in hoc meam ingenue confiteor, quippe qui ab hujusmodi peste forte detineor : nam neque fraudes illius et artes a me ipso potuissem deprehendere, nisi hanc summa vi tenuissem, eamque diligenter examinans, quæ prædicta sunt confiteri fecissem, timoris Domini et infatigabilis orationis illam duplici flagello cædens.

Quocirca et hoc dicere videbatur violenta illa et nequissima domina : Hi qui mihi fœdere devincti sunt, mortuos videntes rident ; in oratione stantes, lapidei toti et duri tenebrisque pleni sunt ; sacramque intuentes mensam, quasi ad gustandum communem panem, quum venerint, affecti sunt. Ego quum aliquos compungi video, irrideo ; cuncta quæ ex affectus alacritate gignuntur bona, is qui me genuit pater necare me docuit. Ego risus mater, ego somni sum nutrix, ego satietatis amica ; ego quum reprehendor non doleo ; ego falsæ religioni specialiter connexa sum.

Itaque stupore percussus atque insanæ sermonibus territus, interrogabam quod esset ejus genitoris nomen. Illa vero ad me : Ego, inquit, non tantum unam nativitatem habeo, sed innumerabilis quodammodo instabilis ratio meæ conceptionis est. Me satietas roborat ; me tempus auget. Me pessima consuetudo consolidat ; ea vero qui detinetur, a me nunquam liberabitur. Insiste ingentibus vigiliis ; judicium sempiternum infatigabili studio meditare : ita tibi forsan parumper cedam. Intuere diligentius occasionem ex qua tibi nata sum, et adversus matrem meam constanter certa : neque enim una mihi indifferenter est mater. Inter sepulcra frequenter ora, eorumque indelebilem imaginem in corde tuo pinge : hanc enim nisi jejunii stilo tibi descripseris, me in æternum vincere non poteris.

GRADUS XVIII

DE SOMNO, ORATIONE, PSALMODIA IN CONVENTU.

SOMNUS est naturæ ex parte constantia, imago mortis, sensuum feriæ. — Unus quidem est somnus, habet autem plurimas (sicut et concupiscentia) occasiones sive causas. Fit enim verbi gratia, ex natura, ex cibis, ex dæmonibus, fortassis vero ex summo immoderatoque jejunio, ex quo dum caro lassescit, se ipsam jam per somnum consolari quærit. — Sicut immoderatus potus ex consuetudine pendet, ita et de somno sentiendum est. Quocirca in initiis renuntiationis contra hoc vigilantissime pugnandum est : perdifficile est enim longam consuetudinem curare.

Observemus diligentius, et inveniemus quum insonuit signum spiritualis tubæ, visibiliter quidem congregari Fratres, invisibiliter vero convenire inimicos ; atque hos quidem, quum experrecti fuerimus, adstare lectulo, nosque ut iterum decubemus lectulo hortari. Exspecta, inquiunt, dum compleantur principales hymni, sicque demum in ecclesia proficisceris. Alii, quum ad orationem adsistere cœperimus, nos in somnum præcipitant; alii præter consuetudinem ventrem immoderate stimulant; alii ut invicem colloquamur hortantur ; alii mentem nostram in turpes cogitationes pertrahunt ; alii super parietem reclinare nos ut debiles admonent. Nonnunquam vero oscitare etiam immodice faciunt. Nonnulli illorum orationis tempore risum nobis movent, ut per hunc ad indignationem contra nos Deus provocetur. Alii per summam desidiam festinare nos in versuum prònuntiatione impellunt ; alii contra, psalmodiam protrahere voluptatis causa hortantur. Nonnunquam vero ori etiam assidentes nostro, ita illud claudunt, ut vix aperiri posse videatur. Is qui dum orat, Deo se adsistere intimo cordis affectu existimat, ut columna perstabit immobilis, nec ab ullo horum irridetur quos modo prædiximus.

Verus obediens mox ut ad orationem stare cœperit, illustratur totus, nonnunquam vero etiam exsultatione perfunditur : est enim hujusmodi pugil præparatus, et per integerrimum purissimumque ministerium jam antea ignitus.

Omnibus quidem possibile est cum multitudine orare ; plurimi vero cum uno solo unanimi Fratre convenientius orant ; paucorum vero valde est solitaria oratio. Si cum multitudine psallas, purgatissimam et ab omni materia remotam orationem offerre non poteris. Ceterum pro exercitatione mentis, ea quæ canuntur eloquia tunc speculare ; vel rursus dum ut versus proximus finiatur exspectas, intentius ora.

Nihil dum oras immiscere orationi decet, sive illud inutile sit et otiosum, sive utile et necessarium ; sed orationi et operi distribuenda sunt tempora : quod manifeste docuit is qui magnum Antonium erudivit angelus. — Probat quidem aurum fornax, sed studium et caritatem in Deum, monachorum probat orationis intentissima qualitas. *Prov.* xvii, 3.

GRADUS XIX

DE VIGILIIS.

TERRENIS quidem ac mortalibus regibus qui adstant, alii expediti ac nudi fere sunt ; alii faces, alii clypeos, alii gladios tenent. Est autem ingens atque incomparabilis primorum ad sequentes differentia : quippe illi proprie cognati regis esse atque familiarissimi solent, hi vero servi et ministri. Et ista quidem ita se habent. Age vero jam nos quoque quonam modo in vespertinis diurnisque [et nocturnis] conventibus et orationibus Deo et Regi nostro adsistimus, solertius inspiciamus.

Quidam enim in vespertinis pernoctationibus expeditissimi, ab omni cura nudi, puras ad orationem extendunt manus ; alii cum psalmorum modulatione adsistunt in hac ; alii lectioni magis incumbunt ; quidam per opus manuum ex infirmitate viriliter adversus somnum repugnant ; nonnulli mortis meditatione se exercent, ex hujusmodi consideratione compunctionem sibi acquirere studentes. Ex his omnibus primi et postremi divinis excubiis insistunt ; secundi vero monasticæ vitæ propiores sunt ; tertii vero inferiorem ambulant viam. Verum devotione et virtute offerentium Deus munera suscipit et æstimat.

Vigilans oculus expiavit mentem ; immodicus somnus obtudit et excæcavit animum. — Pervigil monachus, fornicationis inimicus ; somniculosus vero contubernalis ejus est.

Vigiliæ incendium libidinis frangunt, atque a somniis liberant. — Suffusus lacrimis oculus, tenerumque cor ad sui custodiam erectum, cogitationes cautissime observat, cibos fornacis in morem consumit, passiones edomat, linguam restringit et reprimit, fugatque phantasmata. — Vigilans monachus piscatur cogitationes, easque per tranquillitatem noctis facillime et considerare et capere potest.

Dei amator monachus mox ut sonus tubæ increpuerit ad orationem vocans, lætus et hilaris dicit, Euge, euge ; negligens vero, Væ mihi, væ mihi ! — Mensæ præparatio gulæ deditos arguit ; orationis autem exercitatio Dei amatores probat. Prior ille dum instructam conspicit mensam, gestit lætitia ; sequens autem mœstior fit.

Somnus multus, oblivionis opifex ; vigiliæ vero memoriam emundant. — Divitias agricolæ ex area et torculari colligunt ; monachi vero suas opes et scientiam vespertinis

maxime nocturnisque orationibus et animi exercitationibus congregant. — Somnus multus, iniquus est socius, et dimidium vitæ negligentibus, sive amplius, diripit.

Improbus monachus, in collocutionibus vigil et fabulis; quum autem orationis hora supervenerit, somno illi gravantur oculi. — Mollis et lascivus monachus, in loquacitate probatus; ubi lectio illata fuerit, adspicere præ somno non valet. — Quum novissima tuba insonuerit, mortuorum erit resurrectio: ita quum sermo otiosus personare cœperit, dormientium erit evigilatio.

Amicus fallax, soporis tyrannus. Nonnunquam postquam satiati fuerimus cedit, fameque et siti nos acriter oppugnat. Opus manuum quum orare pergimus, ferre nobiscum suggerit : aliter quippe vigilantium orationem demoliri nequivit. Primus hic rudibus oppugnando subrepit, sive ut eos initio negligentiores faciat, sive ut spiritui fornicationis viam paret. Quousque ab eo liberi simus, cum multitudine psallere non devitemus: sæpe enim fit ut adstantium oculos veriti, dormitare erubescamus. Inimicus est leporibus canis : ita et somno, inanis gloriæ spiritus.

Finita die venditor, monachus vero psalmodia finita residens, computat lucrum. — Permane post orationem sobrius ac vigilans, tuncque catervas dæmonum adspicies : nam quia a nobis in oratione expugnati fuerint, post orationem iniquis nos phantasiis circumvenire moliuntur.

Residens observa diligentius, inspiciesque eos qui consueti sunt primitias animæ diripere. Fit nonnunquam ut in somnis ex assiduitate exercitii laudabilis, psalmorum meditemur eloquia; plerumque vero dæmones ea suggerunt nobis, ut nos ad superbiam elevent. Tertium genus dicere nolebam, nisi me quidam coegisset. Anima quæ verbum Dei quotidie sine intermissione meditatur, solet per soporem quoque in eodem morari: est enim hoc secundum primi proprie remuneratio, qua scilicet spiritus phantasmata evitantur.

GRADUS XX

DE IGNAVA FORMIDINE.

QUI in cœnobiis sive conventibus virtutem arripit, non valde consuevit oppugnari formidine; qui vero in remotioribus locis solitarius degit, caveat ne unquam sibi formido dominetur, cenodoxiæ germen et infidelitatis filia.

Formido puerilis est mos in vetula ab inani gloria oppressa anima. Formido est fidei aversio in exspectatione earum rerum quæ non videntur. — Timor est præmeditatum prævisumque periculum. Sive ita : timor est sensus tremulus cordis qui de incertis calamitatibus jugiter agitatur indignans. Timor est certæ confidentiæ ac securitatis privatio.

Superba anima est formidinis ancilla, sibi ipsi fidens, sonitusque et umbras rerum quarumlibet metuens. Hi quidem qui amant nec dolent, formidine omnino carent. Qui vero formidolosi sunt, lugent et desperant, stuporem mentis plerumque patiuntur : et merito sane. Justus enim quum sit Deus, superbos deserit, ut relicti non extolli doceamur.

Cuncti quidem formidolosi sunt, qui inanem gloriam sequuntur; non autem ideo omnes quoque qui carent formidine sunt humiles : nam et latrones et qui sepulcra violant, nulla formidine trepidant.

In quibus locis consuesti expavescere, ad ea non te pigeat noctu proficisci : nam si his quæ prava sunt cedas, consuescet tecum puerilis ista et ridiculosa perturbatio. Dum vero ad ea proficisceris, orationis arma accingere; et quum perveneris, extende manus, et Jesu nomine cæde inimicos : nulla enim neque in cœlo neque in terra sunt arma potiora. Liberatus ea peste, liberatorem tuum collauda : nam si illi gratias referas, in æternum proteget te.

Nunquam poteris ventrem subito implere : ita ne formidinem quidem statim vincere valebis. Pro mensura luctus formido citius vel serius recedit.

Inhorruerunt pili carnis meæ, inquit Eliphaz, dæmonis astutiam enarrans. — Aliquando quidem anima, nonnunquam vero corpus, ante formidare incipit; alterumque alteri passionem communicat. Quoties formidine concepta in carne, metus improbus in animam erumpere non potest, juxta est infirmitatis hujus liberatio; at quum per contritionem cordis insperata omnia prompte exspectamus, tunc revera formidine sumus liberati. Non tenebræ, non locorum solitudo dæmones contra nos roborant, sed animæ sterilitas; plerumque vero etiam disciplina, divina nobis dispensatione permissa. *Job* [illegible]

Qui verus servus est Domini, proprium solumque Dominum timebit; qui autem eum necdum metuit, umbram suam sæpius extimuit.

Instante quidem invisibiliter spiritu, terretur corpus ; adstante vero angelo, exsultat humilium animus. Quocirca ex effectu hujus præsentiam agnoscentes, ocius ad orationem recurramus : nam ut nobiscum oret nosque adjuvet clementissimus custos ad nos advenit.

GRADUS XXI

DE CENODOXIA.

SOLENT plerique dum de vitiis disputant, inanem gloriam seorsum definire a superbia : unde et octo esse principalia et primaria vitia dicunt. Theologus vero Gregorius aliique plurimi doctores, septem ista esse tradiderunt : quos ego maxime sequor. Quis enim inanem gloriam devicit, et superbus fuit? Ea vero est ambarum ad invicem differentia, quæ est naturaliter pueri ad virum, et tritici ad panem : hoc enim principium est, illud finis. Nunc igitur de initio et plenitudine passionum, nefario scilicet tumore, tempore admoniti, paucis loquamur : qui enim de his longissime philosophari nititur, is ei similis est qui de ventorum pondere incassum curiose quærit.

Cenodoxia est specie quidem immutatio naturæ, morumque perversio, et observatio querelæ; qualitate vero, laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurorum insidiæ, perfidiæ alumna, superbiæ præcursor, in portu naufragium, in area formica : quæ etsi tenuis est, laboribus omnibus et fructibus insidiatur. Exspectat formica dum perficiatur triticum; cenodoxia vero dum congregentur opes. Gaudet illa ut furetur; hæc autem ut dissipet.

Gaudet desperationis spiritus quum videt multiplicari vitia; cenodoxia vero, quum virtutem multiplicari videt. Prioris janua, multitudo vulnerum; secundæ vero, divitiæ laborum.

Observa diligenter, et usque ad mortem et sepulcrum invenies hanc nefariam labem

quotidie vestibus, unguentis, pompis, aromatibus et aliis florere. Lucet omnibus affatim sol, omnibusque studiis cenodoxia adgaudet. Verbi gratia : jejuno, inaniter glorior; si latendi causa solvo jejunium, tanquam prudens iterum glorior. Si splendide vestitus, vincor ea peste; si vilius induar, denuo glorior. Si loquar, hac superor; si taceam, iterum superatus sum. Quocumque hunc tribulum jeceris, erecto persistit aculeo.

Ejusmodi vero gloriosus, est fidelis idolorum cultor : qui Deum quidem colere et venerari videtur, hominibus vero, non Deo, placere studet. Omnis autem hujusmodi est qui ostentationi obsequitur. — Ejus vero jejunium absque effectu mercedis erit, ejus item improba oratio : utraque ad hominum laudem captandam operatur.

Monachus inaniter glorians, duabus ex partibus læditur : corpus enim per afflictionem conterit, nec ullam inde mercedem recipit. — Quis non rideat cenodoxiæ operarium qui dum ad psallendum stat, ab ea exagitatus [interdum ridet] interdum in oculis omnium deflet?

Abscondit Deus nonnunquam ab oculis nostris etiam quæ possidemus bona; vir autem laudator, imo vero seductor, per laudes oculos aperit nostros : his autem apertis, a nobis evanuere divitiæ. — Adulator est dæmonum minister, superbiæ dux, compun-
Is. III, 12. ctionis exterminator, bonorum demolitor, erroneus ductor. Qui enim beatos vos dicunt, inquit ille, vos seducunt.

Sublime est quidem illatas contumelias fortiter libenterque perferre; sanctum vero ac justum, laudes absque læsione transire. Vidi lugentes, dum laudarentur, iracundiæ
I *Cor.* II, 11. facibus succendi, et veluti in mundo passione passionem commutare. — Nemo quæ sunt hominis novit, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Erubescant igitur et obmutescant qui nos beatos in faciem dicere nituntur.

Quum audieris quod te vel proximus vel amicus tuus maledictis insectatus sit absentem sive et præsentem, tunc ostende caritatis opus atque illum ipse collauda. — Magnum quidem est laudes hominis ab anima excutere, sed longe majus aversari dæmonum laudes. — Non ille humilitatem ostendit qui se ipsum dejicit et vilem dicit (quid enim mirum si se ipsum toleret?), sed qui ab alio probris respersus, caritatem in illum integram atque inviolabilem servat.

Animadverti cenodoxiæ dæmonem, dum cogitationes Fratri suggerit, alteri quoque prius eas revelasse, ut quum ab eo quæ in corde suo versarentur audiret, hunc veluti præcognitorem ac beatum diceret. — Ipsa quoque corporis membra carpere, repentinosque corpori tremores excitare, consuevit impurus hic spiritus. — Non illum audias quum tibi ut episcopatum vel monasterii principatum suscipias ingerit : est enim laboris immodici, canem a macelli mensa amovere. — Solet quum viderit aliquos vel modicum in quietis proposito ac tranquillo statu profecisse, mox ut relicta eremo ad sæculum proficiscantur hortari. Abi, inquiens, in salutem animarum pereuntium.

Alia Æthiopum est, et alia statuarum forma : ita et alius modus est inanis gloriæ eorum qui in cœnobio morantur, alius eorum qui in desertis degunt.

Sæcularium adventus prævenit inanis gloria, levioresque monachos advenientibus obviam progredi hortatur, eorumque provolvi pedibus : itaque quum sit superbia plenissima, humilitatem simulat, mores, habitum incessumque moderando componit, submissaque loquitur voce; atque ad manus pervenientium, ut aliquid accipiat, respicit, dominos ac patres et primarios appellat, et qui post Deum sint vitæ illorum causa. Ad mensam residentes abstinere hortatur; et inferiores absque misericordia exagitat. Eos qui in psalmodia negligentiores esse solent, fortiores facit; mutisque et sine voce venustatem vocis adjicit, somniculososque vigilantes efficit. Adulatur ei qui præest canoni, primatumque sibi largiri affectat, et dum hospites abscedant, patrem illum et ma-

gistrum nominat. Eos qui honorati sunt, superbos facit; et qui despecti, injuriæ memores ostendit.

Cenodoxia nonnunquam pro honore ministravit ignominiam : suis enim discipulis irata, confusionem illis maximam induxit. — Cenodoxia fervidos iracundia, mites in conspectu hominum et mansuetos fecit. — Hæc naturalibus bonis et donis ut plurimum insilit, et per ea infelices trahit vel sternit.

Vidi dæmonem socium ac fratrem suum perturbasse atque effugasse. Nam quum aliquando Frater irasceretur, advenirentque interea sæculares hospites, ex iracundia in cenodoxiam translatus est miser : simul enim utrique servire non poterat.

Is qui se ipsum cenodoxiæ vendidit, duplicem vivit vitam : nam inter monachos habitu degens, in sæculo mente et cogitatione versatur. — Si ad supernam gratiam festinamus accurrere, supernam gloriam degustare studeamus. Qui enim illam degustaverit, terrenam omnem protinus contemnet : miror enim si quis absque illius gustu hanc possit aspernari.

Sæpe fit ut qui ab inani gloria prædati ac vastati fuimus, conversi postmodum illam acrius vastemus. Vidi quosdam operarios spirituale exercitium ex inani gloria cœpisse, abjectoque postmodum noxio vitiosoque principio, correcta intentione, laudabili fine quod minus recte cœperant consummasse.

Qui in prærogativis naturalibus, puta acumine, peritia, lectione, pronuntiatione, ingenio, ceterisque omnibus quæ nobis sine nostro labore proveniunt, extollitur : hic nunquam eis quæ supra naturam sunt bonis potietur : qui enim in modico infidelis Luc. xvi, 10.
est, in multo quoque infidelis erit. Ejusmodi vero est servus inanis gloriæ.

Plerique ut supernam tranquillitatem divitiasque gratiarum ac miraculorum perpetrationem et virtutem prænoscendi adipiscantur, corpora sua incassum contriverunt : ignorantes, miseri, quod non labores, sed summa humilitas hujusmodi munera pariat. — Qui munera pro laboribus exigit, hic periculosum jecit fundamentum; qui vero se ipsum debitorem æstimat, is insperatas gratiarum opes repente suscipit.

Cave ne proditori unquam obtemperes, quum te quasi pro audientium utilitate virtutes propalare suggerit. Quid enim proderit homini, si mundo universo prosit, sibi Matth. xvi,
vero ipsi detrimentum faciat? Nihil æque ut humilis nec ulla simulatione fucatus habi- 26. Luc. ix, 25.
tus, intuentes ædificare poterit. Fit enim et aliis viaticum, nunquam extolli : quo quid majus ad utilitatis rationem esse possit, non video.

Notavit quidam ex his qui videre acutius poterant, narravitque quod viderat : Quum sederem, inquit, in cœtu quodam, advenientes ad me cenodoxiæ et superbiæ dæmones, juxta me ex utraque parte sederunt. Et unus ex his quidem digito suo illo vanissimo pulsavit latus meum, hortans ut aliquid quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto a me gestum, loquerer. Quem quum a me expulissem dicens, Convertantur retrorsum et erubescant qui mala cogitant mihi; protinus is qui a sini- Ps. xxxix,
stris erat, ad aurem mihi dixit : Eia, bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui 15.
impudentissimam matrem meam viceris. Ad quem ego rite sequentes versus assumens, dixi : Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Eia, bene fecisti. — Ps. xxxix,
Eumdem ego quum interrogassem quomodo inanis gloria sit superbiæ mater, ita re- 16.
spondit : Laudes (inquit) animam elevant et inflant : porro quum anima ad elationem venerit, jam tunc illam superbia assumens, in cœlum usque attollit et usque ad abyssos dejicit.

Quædam gloria est quæ a Domino provenit. Ego enim, inquit, eos qui me glorifi- I Reg. ii, 30.
cant, glorificabo. Est et alia quæ ex diabolico apparatu et fraude proficiscitur. Væ Luc. vi, 26.
enim, inquit, quum vos benedixerint omnes homines. Priorem apertissime cognosces,

quum illam ut detrimentum existimans, omni conatu aversatus fueris, et quocumque proficisceris, conversationem tuam occultaveris. Secunda vero, quum vel parum aliquid, ut ab hominibus inspiciaris, operatus fueris, fingere eam quæ in nobis non est virtutem, scelerata suggerit. Sic enim, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Matth. VI, 1 ; XXIII, 5. *Ibid.* V, 16.

Plerumque Dominus inanis gloriæ cupidos in illius odium per aliquam contingentem sibi ignominiam traduxit. Cujus odii initium, est oris custodia amorque vilitatis et ignominiæ; medium vero, intellectualium omnium inanis gloriæ studiorum amputatio; finis vero (si tamen ullus est abysso finis), ea omnia coram multitudine studiose ac sine ullo doloris sensu quærere, quæ ad ignominiam pertinent nostram. Noli confusionem tuam abscondere, quasi id veritus ne alii videaris offendiculum ponere.

Jam vero etiam secundum culpæ et erroris speciem, non eodem fortasse medicamine semper utendum est. Quoties nos gloriam advocaverimus, sive quum invocata, ab aliis tamen ad nos præmissa pervenerit, sive quum ad inanem gloriam studiose aliqua facere tentamus, luctus nostri meminerimus, ac nostræ secretioris ac trepidæ orationis, prorsusque illius improbitatem obtundemus atque in reverentiam transferemus, si tamen veræ orationis nobis cura est; sin autem, vel mortis nostræ considerationem citius arripiamus; si vero ne id quidem possumus, vel eam confusionem metuamus quæ gloriam inanem sequitur. Qui enim se exaltat, humiliabitur, non futuro tantum sæculo, sed etiam in præsenti. — Quoties nos laudatores, imo vero seductores, laudare cœperint, citius iniquitatum nostrarum multitudo memoriæ occurrat, et inveniemus nos ipsos indignos his quæ in nostram laudem dicuntur vel geruntur.

Luc. XIV, 11; XVIII, 14.

Sunt inter inanis gloriæ studiosos, qui in quibusdam petitionibus suis exaudiri a Deo debeant : quorum Deus ideo anticipare orationes et preces consuevit, ne per orationis studium id quod petierant accipientes, superbiores fiant. Non valde solent qui simpliciores sunt, in venenum istud incidere : cenodoxia quippe est simplicitatis amissio, fictaque institutio.

Vermis plerumque dum excreverit, natis alis in sublime subvectus est : ita et consummata inanis gloria superbiam peperit, quæ malorum omnium dux, princeps et consummatio est.

GRADUS XXII

DE SUPERBIA.

SUPERBIA est Dei abnegatio, inventio dæmonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudum progenies, divini adjutorii expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casus materia, iracundiæ fons, simulationis janua, firmamentum dæmonum, delictorum custos, duritiæ et crudelitatis artifex, compassionis et misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis judex, Dei adversatrix.

Initium superbiæ, finis est inanis gloriæ; medium vero, despectio proximi et laborum suorum impudens divulgatio, laudis amor, ex corde reprehensionis odium; finis autem, est abnegatio divini adjutorii, propriique studii elatio et confidentia, dæmoniacus mos.

Audiamus intentius, omnes qui foveam istam cupimus effugere. A gratiarum actione plerumque hæc pestis teterrima solet incrementa suscipere : neque enim initio improbe Deum abnegare suggerit. Vidi quemdam Deo gratias ore agentem, sensuque superbe gloriantem. Testatur id apertissime Pharisæus ille qui dixit : Deus, gratias ago tibi. *Luc.* XVIII, 11.

Ubi ruina contigit, ibi antea superbia tabernaculum fixerat : prius enim illud, hoc subsequens inducit.

Audivi insignem quemdam et honorabilem dixisse virum, duodecim esse passiones ignominiæ, e quibus si unam harum (elationem dico) voluntate diligas, sola ea reliquarum undecim locum implebit.

Altum sapiens monachus contradicit vehementer; humiliter autem sentiens contradicere nescit. — Non sustinet cypressus in terram inclinari, neque monachus elatus corde obtemperare. — Vir excelso corde dominari appetit : aliter enim perire utcumque non potest, imo non vult.

Superbis Deus resistit : quis jam illos miserari potest? Immundus apud Deum est *Jacob.* IV, 6.
omnis elato corde : quis jam hujusmodi mundare poterit? *Prov.* XVI, 5.

Disciplina quidem, superborum lapsus est; stimulus, dæmon; derelictio autem, stupor. Et in illis quidem prioribus homines ab hominibus sæpe curati sunt, extremum vero curari ab hominibus non potest.

Qui reprehensionem ab se excutit, hoc se morbo laborare significat; qui vero illam admittit, pestis ejus vinculo solutus est. — Si absque alio vitio, hoc solo cœlestis quidam de cœlo corruit, quærendum an forte humilitate sola sine virtute alia possibile sit in cœlum conscendere.

Superbia est divitiarum virtutis sudorumque perditio. Clamaverunt, nec erat qui *Ps* XVII, 42.
salvos faceret : idcirco penitus quia superbia id fecerunt. Clamaverunt ad Dominum, et non exaudivit eos : ideo omnino quia causas contra quas orabant non absciderunt.

Superbientem Fratrem probatissimus quidam ac discretissimus senior spiritualiter corripuit. Ad quem ille cæcutiens ait : Ignosce, Pater, neque inaniter glorior, neque superbus sum. Tunc sapientissimus senior ad eum : Et quonam (inquit) modo, fili, declarare manifestius potuisses te hoc morbo laborare? — Talibus itaque plurimum confert subjectio devota, crassius atque ignobilius institutum vitæ, virtutumque clarissimorum Patrum, earum quæ naturam excellere videntur, intentissima lectio. Fortasse vel sic erit hujusmodi languentibus aliqua salutis spes.

Pudor est alieno ornamento gloriari, extremæque dementiæ de donis extolli. Quæcumque tibi ante nativitatem fuere virtutum bona, eis solis gloriare : nam quæ post generationem, tibi Deus largitus est, ut ipsam quoque nativitatem. Quas ergo virtutes præter mentem acquisisti, illæ solæ tuæ sunt : mentem enim tibi largitus est Deus. Et quæ extra corpus exegisti certamina, ex tuo solo studio fuerunt : corpus quippe non tuum est opificium, sed Dei.

Noli confidere quoad sententiam suscipias, quum videas quemdam qui postquam introductus in thalamum fuerat atque discubuerat, ligatis manibus et pedibus in exte- *Matth.* XXII, 13.
riores relegari tenebras. Noli elata cervice gloriari, luteus quum sis : plurimi enim qui sancti atque omni materiæ pondere fuerant liberi, de cœlo dejecti sunt.

Quum in suis operariis locum ceperit dæmon, tunc jam ipsis in somnis aut per visum in figura sancti angeli vel martyris alicujus apparens, mysteriorum revelationem vel gratiarum munera largitur, ut per hunc modum seducti miseri, perfecte demum sensu integro et sanitate mentis excidant.

Etiam si mille mortes pro Christo pateremur, ne sic quidem satisfacere aut debitum nostrum implere possemus : alius quippe est Dei, alius servorum sanguis ; secundum

dignitatem dico, non secundum substantiam. — Nunquam nos ipsos disquirere et dijudicare desinamus; jugiter probatissimorum Patrum qui ante nos luminarium in modum splenduerunt, vitam ac mores intueamur, nosque ad illorum comparationem studiosius examinemus : tunc sane, tunc nos ipsos ne vestigium quidem diligentioris conversationis attigisse inveniemus, sed sæculari adhuc instituto immorari.

Monachus proprie est animi oculus omni elatione carens, immobilisque corporis sensus. Monachus est qui hostes ferarum in morem provocat et irritat quum illi ab ipso fugiant. Monachus est jugis excessus mentis ac mœror vitæ. Monachus est qui ita virtutibus affectus est, ut esset voluptatibus alius. Monachus est lux, cordis oculos jugiter irradians. Monachus est humilitatis abyssus spiritum omnem præcipitans et suffocans.

Superbia est fastus oblivionem peccatorum ingerens : nam illorum perpetua memoria humilitatis est opifex. Superbia est animæ suprema inopia, dum illa divitias imaginatur, lucemque esse in tenebris existimat. — Non solum non permittit hæc exsecrabilis pestis in anteriora progredi, sed etiam ex altitudine dejicit.

Superbus est punicum malum interius putridum, exterius vero decorem præferens. — Superbus monachus dæmone opus non habet : ipse enim sibi jam et dæmon et hostis et inimicus est.

Alienissimæ sunt a luce tenebræ, et ita superbus a virtute omni alienus est. — Sunt in superborum cordibus blasphemiæ verba, in animabus autem humilium cœlestia dona. — Solem exsecratur fur, superbus vero mites aspernatur.

Nescio quo pacto se ipsos plerique superbi latuerunt, et quum se putarent esse impassibiles, in exitu paupertatem suam cognoverunt. — Qui hac labe deprehensus fuerit, Domini auxilio illi opus est : vana est enim illi salus hominis.

Deprehendi ego seductricem hanc sine capite, mecum advenisse matris suæ humeris invectam ; ambasque obedientiæ vinculo illaqueans vilitatisque flagello verberans, qualiter in me essent ingressæ dicere cogebam.

Itaque quum cæderentur aiebant : Nos neque initium habemus neque nativitatem : principes enim et genitrices sumus omnium vitiorum. Oppugnat autem immodice nos contritio cordis ex subjectione initium sumens. Nullius imperio subjici patimur : ideo in cœlis quoque seditiones movimus. Nos, ut totum simul audias, omnium quæ sunt contraria humilitati genitrices sumus : cuncta quippe quæ illi suffragantur, nobis adversissima sunt. Nos ignominias, obedientiam, inirascentiam, oblivionem injuriarum et ministerium sequi sæpe consuevimus. Porro stirpes nostræ sunt : spiritualium lapsus, iracundia, detractio, amaritudo, clamor, furor, blasphemia, hypocrisis, odium, invidia, contradictio, suo quam alterius malle regi moderamine, inobedientia. Unum et solum est in quo conatus omnes virium nostrarum deficiunt, idque tibi coacte dicimus : si te ipsum coram Domino ex intimo cordis affectu semper accuses, nos ut araneas contemnes. Nam ut vides, superbiæ est equus cenodoxia quam conscendi ; sed sancta humilitas et sui ipsius jugis accusatio ridebunt et equum et ascensorem ejus,
Exod. xv. 1. triumphaleque carmen suavissime canentes : Cantemus (inquient) Domino, gloriose enim honoratus est ; equum et ascensorem projecit in mare, et in humilitatis abyssum.

GRADUS XXIII

DE INEFFABILIBUS COGITATIONIBUS BLASPHEMIÆ.

SÆVÆ radicis et matris sæviorem esse progeniem, in superioribus audivimus, videlicet nefariæ superbiæ sceleratam filiam blasphemiam : idcirco necesse est eam in medium adduci. Neque enim quivis est inimicus, sed hostibus omnibus immanior et gravior. Et quod durius est, non facile spirituali medico enuntiari aut confitendo denudari potest : quocirca plurimis nonnunquam desperationis et diffidentiæ causa fuit, omni illorum consumpta spe, non secus quam a verme consumitur lignum.

Iste igitur sceleratissimus, ut sæpe alias, ad sanctam synaxim et ad ipsam horrendam sacrorum mysteriorum horam blasphemare Dominum, et in ipsa qua consummantur sacra, solet. Ex quo maxime manifeste colligimus, non esse animam nostram quæ illa intus verba locuta sit impia et non ferenda, sed dæmonem, Dei bonorumque omnium adversarium, qui de cœlis dejectus est eo quod illic dum se per superbiam extulit, in Deum quoque blasphemias et contumelias jaculari visus est. Nam si mea sunt turpia illa et scelerata verba, quid est quod donum cœleste suscipiens adoro? Quomodo possum una et benedicere et maledicere?

Plurimos seductor iste animarumque corruptor in stuporem et amentiam sæpe deducit. Nulla enim alia cogitatio ita difficile ut ista enuntiari potest : quocirca et multis plerumque consuevit evenire. Nihil enim ita dæmones cogitationesque contra nos roborat, ut eas inconfessas in corde nutrire atque occulere.

Nemo sibi verborum blasphemiæ causam imputet : cordis quippe cognitor Dominus novit nostra non esse hujusmodi verba et inventa, sed hostium nostrorum. Ebrietas offendendi causa est, et superbia, cogitationum indecentium : atqui is quidem qui offendit, non quia offenderit, sed quia ebrietatis causa id passus est, omnino punietur.

Quum ad orationem stamus, immundæ illæ infandæque cogitationes nobis importune obstrepunt. At quum orationem finierimus, protinus excedunt : neque enim oppugnare eos solent qui adversum illas non dimicant.

Non solum autem Deum et divina omnia impius ille spiritus blasphemat, sed et turpissima quædam et teterrima verba in nobis intellectualiter loquitur, ut aut orationem deseramus, aut nos ipsos in desperationem dejiciamus. Plurimorum quidem intercepit orationem ; multos a sacrorum mysteriorum communione separavit ; quorumdam corpora mœrore tabefecit : alios per jejunium domuit nequam hic et inanis tyrannus, nullamque eis requiem concessit. Idque non solum in sæculi hominibus, verum et his quoque qui monasticam vitam subierunt fecit, nullam eis jam salutis spem reliquam improbissime suggerens, infidelibusque omnibus et ipsis quoque gentilibus miserabiliores esse denuntians.

Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque eo liberari cupit, pro certo habeat non suam animam hujusmodi cogitationum esse causam, sed impurum illum spiritum qui aliquando Domino dixit : Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris Matth. IV,
me. Idcirco nos quoque contemnentes ipsum, et quæ ab illo dicuntur nihil existimantes, 9.
securi et intrepidi dicamus : Vade post me, Satana. Dominum Deum meum ado- Ibid. 10.

rabo, et illi soli serviam ; sermo autem dolusque tuus in caput tuum convertetur, et in verticem tuum blasphemia tua descendet in præsenti et in futuro sæculo.

Qui præter hunc modum adversus blasphemiæ spiritum pugnare vult, is ei similis est qui manibus suis coruscationem continere nititur. Nam quomodo vel comprehendere vel resistere aut reluctari adversus eum poterit, qui repente in cor, venti instar pertransit, habetque verbum momento velocius, confestimque evanescit ? Nam hostes quidem reliqui insistunt, perstant, morasque trahunt, tempusque adversum se pugnantibus præbent ; hic autem simul quum apparuerit, abscondit se, statimque ut locutus est, mentem pertransiit.

Solet plerumque in simpliciorum atque puriorum mentibus hujusmodi dæmon immorari, quod hi maxime vehementius ceteris concuti et perturbari consueverunt. Quibus sane non dicimus id ex superbia aliqua proprie, sed ex dæmonum invidia et calliditate contingere. — Desinamus tandem judicare et condemnare proximum, et cogitationes blasphemiæ non metuemus : id enim hujus et occasio et radix est.

Sicut qui in domo inclusus, audit exterius prætereuntium verba, nec tamen cum eis ipse colloquitur ; ita et anima quæ in se ipsa degit, dæmonis blasphemias auscultans quas per illam transiens loquitur, non turbatur. Qui hunc spiritum despicit, liber evasit ; qui vero illi aliter reluctari nititur, tandem subjacebit : qui enim verbis spiritum continere vult, is ei similis est qui ventos includere nititur.

Monachus quidam studiosus quum ab eo perturbaretur ad viginti annos, carnem suam jejuniis et vigiliis macerare non destitit. Quum vero nullam utilitatem se inde cepisse sentiret, profectus conscriptam in charta perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit, in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit senior, subrisit, Fratremque erigens dixit : Pone, fili, manum tuam super collum meum. Quod quum fecisset, ait illi senior : Super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnaverit vel oppugnaturum sit ; tu autem id observa, ut hoc jam flocci pendas et nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est Frater, ut non ante cella senis excederet, quam hujusmodi morbus evanesceret. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea enarravit, Deo gratias referens.

GRADUS XXIV

DE MANSUETUDINE ET INNOCENTIA PER GRATIAM QUÆSITIS.

PRÆCURRIT quidem solem matutina lux ; omnem vero humilitatem mansuetudo præcellit. Quocirca Lucem ipsam audiamus ita eas gradatim ordinantem : Discite (inquit) a me, quia mitis sum et humilis corde. Justum ergo est et legitimum ante solem luce illustrari, atque ita demum clarius solem intueri : fieri enim non potest ut hunc intueatur, qui lucem antea non cognoverit, ut vera beatorum docet institutio.

Matth. xi. 29.

Mansuetudo est animi incommutabilis status, æque in honoribus se et ignominiis habens. Mansuetudo est, in perturbationibus proximi pro illo affectu summo atque integerrimo orare. Mansuetudo est supereminens iracundiæ pelago scopulus.

Mansuetudo est firmamentum patientiæ, caritatis janua, imo vero mater, discre-

[illegible]
[illegible]
ad mansuetum et quietum et trementem sermones meos? 1, 2; lvii, 15.

Mansuetudo est obedientiæ adjutrix, fraternitatis dux, furentium frenum, irascen- [illegible] nexus, atque amaritudinis clypeus.

In cordibus mansuetorum requiescit Dominus: anima vero turbulenta, diaboli est sedes. — Mites hereditabunt terram, imo vero dominabuntur ei; viri autem insani ac Ps. xxxvi, [illegible] mens autem iracunda nequitiæ est opifex.

Mitis anima capiet sapientiæ verba: diriget enim in judicio mansuetos Dominus, Ps. xxiv, 9. imo vero in discretione. — Anima recta contubernalis est humilitatis, iniqua autem superbiæ est adolescentula. — Mansuetorum animæ implebuntur scientia; mens iracundi tenebris iracundiæ vel ignorantiæ cohabitat.

Iracundus et simulator obviaverunt sibi, nec inveniri poterat sermo rectus in discrepatione eorum. Si cor prioris explices, invenies insaniam; si vero secundi perscruteris animum, adspicies nequitiam.

Simplicitas habitus est animæ varietate carens totiusque perversæ intentionis ignarus, et qui nulla mala cogitatione moveatur. — Nequitia est scientia, imo vero turpitudo dæmoniaca, privata veritate, et quæ plurimos latere videatur.

Hypocrisis est et corporis et animæ contra jus status, adinventionibus omnibus impletus. — Innocentia, lætus ac serenus est animi status, omni adinventione ac figmento liber.

Æquitas est intentio curiositate carens, affectus integer, sermo purus neque ulla fictione vel præparationis arte fucatus, a nequitia remotus; mundissima est natura animi in ea qua creata est animi puritate persistens, atque secundum eam omnibus congrediens. — Nequitia est rectitudinis perversio, intentio seducta, mentita dispensatio, perplexis verbis annexa juramenta, profundum cordis, fraudis abyssus, assuetum transiensque in habitum mendacium, naturalis exinde tumor, humilitatis adversarius, pœnitentiæ simulatio, fletus elongatio, confessionis inimicitia, propriæ sententiæ voluntatisque defensio, lapsus artifex, resurrectionis adversatio, contumeliæ risus, fatua gravitas, ficta religio, dæmoniaca vita. — Malus est diabolo et familiaritate conjunctus et nomine. Quocirca et Dominus illum ita appellandum monuit in oratione quam ipse instituit, dicens: Libera nos a malo. Matth. vi, 13.

Fugiamus a simulationis præcipitio et a versutiæ lacu, audientes ejus sententiam qui dixit: Quoniam qui malignantur exterminabuntur, et sicut olera herbarum cito Ps. xxxvi, 9. [illegible]

Sicut Deus caritas, ita æquitas quoque appellatur: atque ideo Sapiens in Canticis 1 Joann. iv, 8, 16. ait ad cor. Æquitas dilexit te; rursusque Sapientis hujus pater, Bonus et rectus Dominus. Cant. i, 3 juxta LXX. Eosque qui hoc cum illo appellantur nomine, salvari dicit. Ait enim: Qui Ps. xxiv, 8. salvos facit rectos corde; et rursum: Æquitatem animarum vidit et visitavit fa- Ps. vii, 11. [illegible]

Prima incrementi puerorum proprietas, est simplicitas omni varietate libera: quam quousque habuit ille Adam, non vidit animæ suæ nuditatem, neque carnis suæ turpi- Gen. ii, 25. [illegible]

trix et altrix est; et priori quidem non minima debetur merces, sequenti vero laudatissima et incomparabilis reddetur.

Quicumque ad nos attrahere Dominum cupimus, simpliciter ad illum et absque ulla fictione et varietate et malitia et curiositate, velut ad magistrum percipiendæ disciplinæ causa, accedamus. Simplex enim ille et integerrimus quum sit, simplices esse vult et innocentes animas quæ ad se conveniunt. Nunquam enim videas simplicitatem ab humilitate separatam.

Malignus est prævisor mendax, ex sermonibus cogitationes, et ex habitu, cordis intima se comprehendere existimans. — Vidi rectos malignari a malis didicisse, atque admiratus sum quomodo proprietatem naturæ atque privilegium amittere tam cito potuerunt.

Ut recti facile decidunt, ita difficile pravi transferri in rectitudinem possunt. — Vera peregrinatio et subjectio, labiorumque custodia, sæpe valuerunt mirabiliter insanabilia plurima transferre et curare.

I *Cor.* VIII, 1. Si scientia plurimos inflat, vide si forte simplicitas et imperitia humiliare consueverunt.

Verum documentum certusque finis ac forma beatæ simplicitatis B. Paulus Simplex tibi erit : tantum enim tamque celerem profectum nemo usquam vel vidit, vel audivit, vel videre unquam poterit.

Monachus simplex rationale jumentum est obediens, quod onus suum ductori suo perfecte deposuit, trahentem sequitur ut vult, donec mactetur contradicere non novit.

Matth. XIX, 23. Difficile divites ingrediuntur in regnum, stultique sapientes in simplicitatem. — Ruina sæpe eos qui ex malis acutiores fiunt, frugales facit, salutem illis atque innocentiam invitis largiens. — Pugna et contende totis viribus stultam tuam sapientiam decipere, atque ita faciens, invenies salutem et æquitatem in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

GRADUS XXV

DE VICTRICE PASSIONUM OMNIUM ALTISSIMA HUMILITATE.

QUI divinæ caritatis proprie, sanctæque humilitatis competenter, et beatæ castitatis vere, ac divinæ illustrationis firmiter, timorisque Domini sine mendacio et certo, cordis fiduciæ sine errore, sensum atque effectum et vim visibili modo enarrare vult, eosque qui hactenus non gustaverunt, hujusmodi narratione se illustrare putat, simile aliquid ei facere videtur qui eos qui mel nunquam gustaverunt, hujusmodi illius dulcedinem verbis et exemplis docere nititur. Sed hic sane frustra desudat, et incassum et superflue loquitur : nunquam enim id efficit quod vult. Prior autem ille aut imperitus est narrationis suæ, aut inani gloria vehementer illuditur.

II *Cor.* IV, 7. Adjecit sermo thesaurum includere in vasis fictilibus, imo vero in corporibus reconditum, cujus vis neque agnosci neque ullis verbis exprimi possit. Solus enim titulus superne incomprehensibilis, ingentem atque infinitum perscrutandi laborem verbo quærentibus præstat. Erat autem titulus hujusmodi : Sancta humilitas.

Quicumque Dei Spiritu aguntur, ii nobiscum ad intellectuale hoc sapientissimum-

que concilium conveniant, scientiæ tabulas divinitus scriptas manibus intellectualiter ferentes.

Et convenimus, et quæsivimus ac discussimus venerandi tituli virtutem. Et alius quidem hanc esse dicebat recte factorum intentissimam oblivionem; alius vero, extremum se omnium magisque peccatis obnoxium existimare; alius, mentis cognitionem, qua scilicet imbecillitatem propriam infirmitatemque cognoscit; alius vero, in irritationibus anticipare proximum, primumque iracundiam solvere; alius, gratiæ Dei et misericordiæ agnitionem; alius rursum, contriti animi sensum, ac voluntatis propriæ abnegationem.

Ego vero quum omnia audissem, apud me ipsum diligenter et vigilanter examinans, beatissimum illius sensum per auditum addiscere non potui. Quocirca et omnium novissimus, velut canis cadentes micas ex mensa probatissimorum beatissimorumque Patrum colligens, de hac singulari virtute ita definiens dixi :

Humilitas est animæ gratia sine nomine, solos apud eos nomen habens qui illius experimentum ceperunt. Humilitas est ineffabilis divitiarum Dei appellatio et donum. Discite enim, inquit, non ab angelo, non ab homine, non a tabula, sed a me, hoc est a mea in vobis habitatione et illustratione et operatione, quia mitis sum et humilis corde, et cogitatione et sensu; et invenietis bellorum requiem et allevationem cogitationum animabus vestris. Matth. XI, 29.

Aliud est vitis hujus in perturbationum adhuc tempestate spectaculum, aliud jam in verno fructuum tempore, aliud in æstate virtutum : etsi in unam lætitiam et frugem vitis unius spectacula ista concurrant; unde vera et propria signa et argumenta fructuum habent. Denique quoties in nobis sanctæ hujus vitis florem ceperit botrus, mox humanam omnem gloriam et famam cum dolore exsecramur, iracundiamque et furorem a nobis penitus eliminamus. At quum jam spirituali ætate in animo profecerit hæc regina virtutum, in nihilum, imo vero in exsecrationem cuncta quæ a nobis geruntur bona existimamus, et in diebus singulis oneri nostro nos adjicere per occultam dissipationem arbitramur; porro divinorum copiam nobis indultorum munerum, ut qui hanc præter meritum nostrum acceperimus, additionem fore cruciatus amplioris suspicamur. Idcirco tunc quoque manet inviolabilis mens nostra, se ipsam intra mediocritatis sacculum tutissime continens, furumque tantummodo strepitum ac ludibria audiens, atque in his omnibus inviolabilis permanens : siquidem inviolabile penetrale hujusmodi est mediocritas.

De florum itaque parturitione celerique profectu virtutis hujus sempiterne fructificantis, brevibus disseruisse satis est. Jam vero quod sit hujus virtutis perfectum præmium, quicumque Domini familiares estis, ipsum interrogate. De quantitate igitur ipsius dicere non possum; rursus de illius qualitate loqui, longe impossibilius censeo. De proprietate ergo ejus, ut initio institueramus, dicere conemur.

Solers et accurata pœnitentia luctusque, quibus omnis macula diluitur, sanctissimaque rudium humilitas, tantum invicem differunt, quantum a pane frumentum et farina. Conteritur quippe prius animus et per efficacem pœnitentiam exterminatur; unitur vero quodammodo atque (ut ita dixerim) admiscetur Deo per aquam integerrimi luctus : ex quo etiam igne Domini succensa, solidatur in panem sancta humilitas, fermento jam omni et tumenti fastu libera. Unde et in unam virtutem actionemque se ipsam conglobans sancta hæc constans tribus annulis catena, imo vero cœlestis iris, suas quodammodo proprietates habet, quodque alterius signum esse dixeris, hoc alterius quoque notionem esse reperies. Ideoque quod breviter a me dictum est, curabo exemplis atque auctoritate firmare.

Proprietas quippe honestissimæ hujus atque omni admiratione dignissimæ trinitatis prima atque præcipua, est ignominiæ suavissima et jucundissima perpessio, quam anima ut morbos suos et peccata maxima sedet atque consumat supinis manibus exspectat atque complectitur. Secunda vero, est omnis iracundiæ victoria, atque in ejus exstinctione servata mediocritas. Tertius autem gradus optimus, est ut et bonis suis nunquam aliquis fideliter credat, jugiterque addiscere desideret.

Rom. x, 4. Finis quidem legis et Prophetarum Christus ad justitiam omni credenti; finis vero immundarum passionum inanis gloria et superbia omni non advertenti : quarum quum interemptrix sit intellectualis ista cerva, contubernalem suum omni veneno mortifero servat illæsum. Ubi in illa hypocrisis appareat venenum? Ubi detractionis rubigo? Ubi serpens aliquis occultari in ea possit, quin statim ex cordis cavernis et terra in lucem adductus occidatur? Non apparet in hujus conjunctione odium, non detractionis species, non inobedientiæ ullus odor, nisi forte fidei ratio periclitetur : tunc enim obtemperare perfidiæ, consilium non fuerit. Qui huic veluti sponsæ sponsus unitur, mitis, placidus, ad compunctionem facilis, atque misericors est; super omnia autem tranquillus, serenus, obtemperans et freni patiens, hilaris, vigil, impiger erit. Et quid me necessarium erit multa prosequi? Placida semper animi tranquillitate beatus erit : *Ps. cxxxv, 23, 24.* siquidem in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, et redemit nos de inimicis nostris.

Monachus humilis non curiose abdita requiret, superbus vero judicia quoque Dei curiositate illicita discutiet.

Quemdam probatissimum et discretione maxime ornatum Fratrem, adstantes dæmones, ita ut oculis ejus apparerent visibiliter, beatum illum prædicabant. Ad quos ille sapientissime : Si quidem me in mentis ac animæ cogitationibus laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum me existimabo; sin vero me laudare non desinitis, ex laudibus vestris fœditatem meam conjicio : immundus quippe est apud Deum omnis sublimis corde. Aut igitur abite, et magnus factus sum; aut si placet, laudate, et ampliorem vestri causa acquiram humilitatem. Moxque illi ancipiti verbo stupefacti evanuerunt.

Cave ne sit anima tua canale hujus undæ vitalis, ut eam quidem nunc emanet, nunc vero emanare desinat, gloriæ et elationis ardore consumpta; sed sit beatæ tranquillitatis fons, paupertatis fluvium semper ex ipso gignens.

Ps. lxiv 14. Memento, carissime, quod valles in se ipsis frumentum spiritualemque multiplicant fructum. Vallis est humilis anima, inter medium montium [laborum et virtutum] sine arrogantia semper atque immobilis permanens.

Ps. cxiv, 6. Non ait Scriptura, Jejunavi, non ait, Vigilavi, non habui requiem; sed, Humiliatus sum, et salvavit me celeriter Dominus. Pœnitentia quidem suscitat, luctus vero cœlum pulsat, sed sancta humilitas aperit. Ego autem trinitatem in unitate, et in trinitate unitatem dico atque adoro.

Cuncta quidem quæ videntur sol illuminat; omnia vero quæ geruntur ratione, roborat humilitas. — Si non adsit sol, plena sunt tenebris omnia; et nisi adsit humilitas, nostra omnia et fœtida et extrema erunt.

Unus in omni creatura locus semel adspexit solem, et una plerumque cogitatio peperit humilitatem. — Uno et solo die mundus omnis exsultavit, et una virtus hæc est quam imitari non possunt dæmones.

Rom. xiv 5. Aliud esse dicitur extolli, aliud non extolli, et aliud humiliari. Prior enim omnem diem judicat; sequens vero non judicat; porro tertius quum indemnatus sit, semper se ipsum condemnat. — Aliud est humilem esse, aliud conari esse humilem, et aliud

laudare humilem. Prius illud perfectorum est, secundum veracium obedientium, tertium vero omnium fidelium.

Qui in intimis humilis est, a labiis non lædetur : quod enim thesaurus non habet, hoc janua non prodit. — Solitarius equus nonnunquam currere videtur ; at si gregi societur, tunc suam agnoscit tarditatem. — Si jam in naturæ bonis cogitatio gloriari desinat, principii sanitatis argumentum est ; sed quousque fœtorem illum hauriet, unguenti odorem sentire non poterit.

Non increpabit, non judicabit, non dominari appetet, non circumvenietur is qui amori meo est deditus, quoad mihi conjungatur, ait humilitas sancta : nam post conjunctionem meam, ei jam lex posita non est. *I Tim.* I, 9.

Cuidam fortissimo athletæ Christi qui ad hanc beatissimam virtutem festinabat, impuri dæmones laudem in corde subseminabant. At ille divina inspiratione, malignorum spirituum nequitiam pio et religioso compendio vincere aggreditur. Describit in cellulæ pariete altissimarum virtutum appellationes, puta perfectæ caritatis, angelicæ humilitatis, mundissimæ orationis, incorruptibilis castitatis, et hujusmodi virtutum reliquarum. Quum ergo illum cogitationes extollere cœpissent, dicebat illis, Eamus ad arguentem : adveniensque relegebat appellationes illas, sibique ipsi clamabat : Quum has omnes possederis, tunc scies quam longe adhuc a Deo sis. Quum enim eas possede- *Luc.* XVII,
ris, servus eris inutilis : fecisti enim quod facere debuisti. 10.

Quænam sit solis hujus virtus et substantia, dicere ipsi non possumus. Ceterum ex effectibus ejus et proprietatibus quæ sit illius substantia colligimus. Humilitas est protectio divina ex qua fit ut recta facta nostra non videamus. Humilitas est vilitatis abyssus furibus omnibus inviolabilis. Humilitas est turris fortitudinis a facie inimici. *Ps.* LX, 4.
Non proficiet inimicus in eo, et filius (imo vero cogitatio) iniquitatis non apponet *Ps.* LXXXVIII,
nocere ei ; et concidet a facie ejus inimicos ejus, et eos qui oderunt eum in fugam 23, 24.
convertet.

Sunt et aliæ magnifico huic possessori in animo proprietates, præter illas quæ supra demonstratæ sunt. Illæ enim, una excepta, divitiarum intuentibus indices sunt. Agnosces autem illas, nec decipieris, quum sanctam hanc substantiam in te ipso esse perspicias in multitudine ineffabilis luminis, in amore orationis incredibili. Anticipabit hæc innoxium cor, et quod aliena peccata accusare nescit. Præcurrit hanc quam diximus substantiam, inanis gloriæ totius odium.

Qui se ipsum ex intimo animi sensu et affectu novit, jam in terra seminavit : nam *Matth.* XIII,
nisi ita seminemus, fieri non potest ut floreat humilitas. — Qui se ipsum agnoscit, 8.
divini timoris intimam notionem comprehendit : per quam sollicite incedens, ad caritatis januam perveniet. — Humilitas est regni cœlestis janua, sibi propinquantes introducens. De hac reor Dominum dixisse, quod ingredietur, et ex hac vita egredietur *Joann.* X, 9,
intrepide, et pascua inveniet et viriditatem in paradiso. Omnes qui per aliam portam in 8.
habitu tantum venerunt, fures vitæ suæ sunt et latrones.

Nunquam disquirere nos ipsos desinamus, si veraciter agnoscere nos volumus. Quod si proximum nostrum ubique ex intimo affectu cordis meliorem nobis esse arbitramur, juxta est divina misericordia. — Impossibile est enim ex nive progredi flammam, sed longe impossibilius ut in eo qui alterius sectæ et opinionis sit, humilitas, propria fidelium ac religiosorum virtus, ornatur. — Plurimi nos ipsos peccatores dicimus et fortasse ita existimamus ; ignominia vero hoc probat.

Nunquam desistet is qui ad tranquillissimum hunc portum festinat, mores, verba, cogitationes, intentiones, quæstiones, exquisitiones, instituta, conatus, vota, orationes facere, intelligere et excogitare, quoad cooperante Domino ac ignobilioribus institutis,

infestissimo et procellosissimo elationis pelago animæ suæ naviculam liberet : qui
Luc. XVIII, 10 et seq. enim hac liber evaserit, in omnibus reliquis peccatis facile ut publicanus ille satisfaciet.

Nonnulli quidem propter peccata præterita, postea etiam quam remissione potiti sunt, humilitatis materiam usque in finem tenuerunt, per eam tumorem immanissimum colaphis cædentes. Alii rursus considerantes Christi passionem, se ipsos debitores constanter esse tenent. Alii ex quotidianis defectibus semetipsos humiliant et vilissimos existimant. Plerique ex accidentibus tentationibus, morbis et lapsibus, gratiarum matrem sibi familiarissimam fecerunt. Sunt item nonnulli (qui tamen an modo supersint, definire non possum) qui ex ipsis Dei muneribus, quantumlibet in eis profecerint, semetipsos humiliant, seque indignos esse hujusmodi divitiis existimant, sicque afficiuntur tanquam debitis suis quotidie adjiciant. Hæc igitur humilitas, hæc beatitudo, hoc perfectum consummatumque præmium est. Quoties aliquem audieris infra paucos annos altissimam acquisisse tranquillitatem, noli hunc existimare aliam quam hanc beatam celeremque viam pedibus ambulavisse.

Sacra est biga caritas atque humilitas : quippe illa exaltat, hæc exaltatos ne unquam decidant tenet.

Aliud est contritio, aliud cognitio, et aliud humilitas. Contritio ex ruina nascitur. Qui enim cadit conteritur, cadensque, sine confidentia in oratione cum laudabili verecundia adsistit ; speique baculo ut confractus et collisus nititur, ipsoque desperationis canem a se abigit. Cognitio est vera et tuta propriæ mensuræ comprehensio, jugisque leviorum quoque peccatorum memoria. Humilitas est doctrina intellectualis Christi, spiritualiter ab his qui digni fuerint, in penetralibus animæ recondita, verbisque sensibilibus inaccessibilis. Qui se dicit hujusmodi unguenti fragrantiam penitus sensisse, et quum laudatur, vel parum movetur corde, aut vim verborum intelligit, rapiturque vel modice laudibus : hic non se fallat, seductus est.

Ps. CXIII, 1, sec. Hebr. Quemdam toto affectu animi audivi dicentem : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sciebat enim naturam non facile ab hac illæsam servari posse.
Ps. XXI, 26. Abs te ergo, inquit, laus mea in Ecclesia magna, futuro scilicet tempore : prius enim quam illud adveniat, hanc sine periculo ferre non possum.

Si hic tandem finis et ratio et modus est supremæ superbiæ, virtutes quæ non adsint, gloriæ causa simulare, id profecto erit altissimæ humilitatis argumentum, culpas quæ itidem non adsint, in quibusdam rebus vilitatis causa vel gratia confingere. Quod fecit qui panem et caseum sumpsit in manibus, abjectionis suæ gratia, et Sanctus ille qui veste rejecta, absque ulla passione, quippe castissimus, civitatem circuivit nudus.

Non metuent hujusmodi jam neque curabunt hominum offensam, quum jam per orationem virtutem eam consecuti sunt, ut omnes invisibiliter ædificent cunctisque satisfaciant. Qui prius curat, secundo isto se carere significat : ubi enim Dominus nos audire paratus est, ibi omnia facere tuto valemus. Præstat enim contristare homines quam Deum : gaudet quippe Deus quum nos conterendæ vanissimæ elationis causa prompte videt ad ignominias currere. — Parat autem hujusmodi certamina, superna peregrinatio : magnorum enim revera est pati suis esse ludibrio.

Non te ea quæ dicta sunt perturbent : nemo unquam repente, uno simul passu, scalæ gradus omnes conscendere potuit.

Luc. X, 20. In hoc cognoscent nos Dei esse discipulos, non quia nobis dæmonia obtemperant, sed quia nomina nostra in humilitatis cœlo conscripta sunt.

Natura fert ut sterilitas defectusque fructuum, citrearum ramos in altitudinem

tollant; at hi si incurventur, fructum citius ferunt. Scit quid sibi hoc velit qui prudentius considerat.

Habent ascensum apud Deum sancti hujusmodi gradus, tricesimum, sexagesimum *Matth.* XIII, 23
et centesimum : atque in extremo quidem hi qui beatam tranquillitatem consecuti sunt perstant, in medio vero Christi milites fortes; primum autem conscendere omnes possunt. — Qui se ipsum veraciter agnovit, nunquam profecto illudetur ut majora se tentare velit, sed pedem jam securus beato huic trivio imponet.

Metuunt minutæ aves accipitrem, ita et humilitatis studiosi contradictionis sonum. — Absque prædictionibus quidem et illustrationibus, signisque et prodigiis, salute plurimi potiti sunt; sine humilitate autem nemo unquam cœlestem thalamum ingredietur. Illorum enim hæc fida custos; hanc vero illa in his qui leviores sunt sæpe necaverunt.

Istud quoque, quum humiliari nollemus, dispensatione mirabili fecit Deus, ut nemo vulnera sua clarius quam proximus possit intueri : ex quo necessario fit ut illi ac Deo, non nobis ipsis, sanitatis nostræ gratiam acceptam referamus.

Qui mente est humili, voluntatem suam semper ut seductricem detestatur, et in postulationibus suis ad Deum, fide firmissima quæ conveniant consuevit addiscere, atque his prompte obtemperare : non magistrorum conversationem attendens, sed Deo curam suam fidelissime committens, qui per asinam quoque Balaam utilia et necessaria *Num.* XXII, 28-30.
docuit. Etiamsi omnia secundum Deum faciat, cogitet, loquatur operarius hujusmodi, nec sic quidem sibi credat : humilis enim stimulum et onus sibi adjectum portabit, si sibi ipsi credat, sicut contra superbus, si alteri credat.

Mihi angeli esse videtur, nunquam in peccatum labi. Audivi enim terrestrem angelum dicentem : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui enim *I Cor.* IV, 4.
judicat me Dominus est. Unde jugiter nos ipsos damnare et accusare debemus, ut per vilitatem voluntariam lapsus non voluntarios abjiciamus et diluamus : sin autem alias omnino in exitu nostro a nobis horum exigetur ratio.

Qui meritis suis minus aliquid a Deo postulat, omnino is quæ supra se sunt potietur. Testatur hoc publicanus ille qui quum postulasset veniam, justitiam retulit. *Luc.* [illegible], 13, 14.
Solum ut sui meminisset, a Domino poposcit latro, paradisumque totum hereditario *Luc.* [illegible], 42, 43.
jure possedit... Hoc autem in nobis non est, dum sponte peccamus; idque pœnitentiæ illius signum est. Hic nonnulla in versione desunt

Sciens Dominus exteriori habitu figurari animæ virtutem, sumpto linteolo, humilitatis nobis compendium ostendit. Studiis enim [corporis] assimilatur anima, et ad quæ *Joan.* [illegible], 4.
gerit formatur, atque ad ea figuratur.

Principatus angelorum cuidam superbiæ materia fuit, quum tamen non ideo ut superbiret illum accepisset. — Aliter affectus est qui in solio, aliter qui in sterquilinio sedet. Atque ideo fortassis magnus ille justus extra civitatem sedebat in stercore. Tunc *Job* [illegible]
enim perfectam consecutus humilitatem, ex intimo cordis affectu dicebat : Contempsi *Job* [illegible], juxta LXX.
me ipsum, et contabui; existimavi autem me ipsum terram et cinerem.

Invenio Manassen illum inter homines ceteris amplius et perniciosius peccasse, IV *Reg.* XXI, [illegible]
templumque Dei ac religionem omnem profano cultu idolorum inquinasse : pro quo si mundus totus jejunasset, nullam sceleribus ejus dignam pœnitentiam inferre potuisset; valuit tamen humilitas insanabilia ejus vulnera curare. II *Par.* XXXIII, 12-13.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem, ait David Deo, corporibus per jejunium immolatis non delectaberis; sacrificium Deo : et quod sequitur, omnes intelligunt Pec- *Ps.* [illegible]
cavi Domino, beata hæc humilitas pro adulterio et homicidio aliquando clamavit; et II *Reg.* [illegible], 13.
protinus audire meruit : Abstulit Dominus peccatum tuum a te.

Viam quidem hujus atque materiam corporales labores esse, sancti et semper memorandi Patres definierunt ; ego præterea obedientiam cordisque rectitudinem esse dico, quæ naturaliter quoque tumori adversantur. — Si superbia ex angelis quosdam dæmones fecit, humilitas prorsus ex dæmonibus angelos efficere potest : quocirca qui ceciderunt, bono animo sint, et resurgere studeant.

Festinemus totisque viribus nitamur ad hujus supremum verticem conscendere; sin minus, vel illius humeris invehi. Quod si adhuc pigri sumus, vel ulnis ejus non excidamus : qui enim inde ceciderit, mirabor si quo sempiterno munere potiri merebitur.

Nervi hujus ac viæ sunt, non signorum manifestatio, sed nuditas rerum omnium, invisibilis peregrinatio, sapientiæ cauta occultatio, pronuntiatio varietate carens, eleemosynæ quæsitio, nobilitatis absconsio, confidentiæ relegatio, loquacitatis elongatio. Nihil enim ut paupertatis status, et mendicorum vita vivere, animam humiliare aliquando potuit. Tunc enim philosophia nostra amorque ad Deum singularis ostenditur, quum sublimari possumus, et sublimitatem constantissime fugimus.

Si quando contra vitium aliquod armaris, humilitatis maxime societate et præsidio
Ps. xc, 13. nitere : super aspidem enim et basiliscum ascendet, et conculcabit leonem et draconem, id est super peccatum et desperationem, diabolumque et corporis draconem. — Humilitas est cœleste instrumentum quod ex abysso peccatorum in cœlum animam levare potest.

Quum quidam hujus aliquando pulchritudinem in corde suo fuisset intuitus, stupore comprehensus, orabat ut ejus qui illam genuerat appellationem mereretur addiscere. Ad quem illa clara ac nitenti facie serenum subridens : Quoniam (ait) genitoris mei nomen addiscere festinas, quum sit ipse sine nomine, non tibi id dicam donec possideas Deum. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

GRADUS XXVI

DE DISCRETIONE.

DISCRETIO in his quidem qui rudes imbuuntur, est vera suorum intimorum profectuum recognitio; in mediis vero, intellectualis sensus bonum quod vere ac proprie bonum est, a naturali bono atque contrario sine errore discernens; in his autem qui perfecti sunt, scientia quæ per divinam illustrationem in eis inest : talis vero ista est ut etiam quæ in aliis obscure insunt, suo lumine illustrare possit. Aut fortasse universaliter et agnoscitur et est discretio, divinæ voluntatis vera certaque comprehensio in omni tempore et loco : quæ solis mundis corde et corpore et ore esse agnoscitur. Is quidem qui tres hostes religiosa pietate dejecerit, simul etiam quinque prostravit; qui vero illos negligit, neutrum vincet.

Discretio est incontaminata conscientia et purgatissimus sensus. Nemo enim quum audierit vel viderit aliquem in conversatione monastica supra naturam profecisse, ex ignorantia in infidelitatem incidat : ubi enim Deus, qui naturæ supereminet, inhabitat, ibi jam res quoque supra naturam fiunt.

Tribus istis maxime generalibus modis, diaboli omne bellum in omnibus excitatur : aut scilicet ex nostra negligentia, aut ex superbia, aut ex dæmonum invidia. Ex his

primus quidem miserabilis est, secundus vero miserrimus, tertius autem beatus. — Ad omnia post Deum conscientia nostra ut norma et regula utamur, ut quum unde flatus ventorum advenerit notaverimus, adversus hunc jam pandere vela valeamus.

In omnibus quæ secundum Deum operamur, tres nobis foveas dæmones parant : et primum quidem, bonum uti ne fiat impedire conantur; secundo vero, si in primo superati fuerint, ut non secundum Deum fiat moliuntur : quod si hac quoque intentione sua fures isti potiti non fuerint, tunc jam quum in silentio conversati fuerimus, laudibus nos efferunt et beatos dicunt. Priori quidem illorum arti adversatur studium, mortisque cura sollicita; secundæ vero, subjectio et contemptus; tertiæ, se ipsum semper accusare, et adversum se conqueri. Hoc vero labor est ante nos, donec ingrediatur ignis Dei in sanctuarium nostrum. Tunc enim vitiosæ consuetudinis in nobis necessitas ulla non est. Deus enim noster ignis est consumens motum omnem et concupiscentiæ ardorem, et obtenebrationem et præsumptionem, et obcæcationem interiorem et exteriorem, visibilem et invisibilem. Contraria his dæmones facere consueverunt : nam quum animam vicerint, mentisque obtuderint ac perverterint aciem, nihil jam erit in nobis miseris utile, non religiosi operis sobrietas, non discretio, non agnitio, non reverentia, sed indolentia, insensibilitas, indiscretio, visusque privatio. Recognoscunt manifestissime quæ diximus, hi qui ex fornicatione resipuerunt, quique se represserunt a stulta confidentia, et qui ex impudentia in pudoris sensum venerunt : quomodo post mentis resipiscentiam, post illius obcæcationis (imo vero mutilationis) destructionem, verecundentur atque erubescant (ut ita dixerim) se ipsos in his quæ prius dum in ea obcæcatione degerent, vel gerebant vel loquebantur.

Ps. LXXII, 16, 17.

Deut. iv, 24.

Nisi prius in die animæ sero factum fuerit eamque tenebræ impleverint, non furabuntur fures, nec mactabunt, nec perdent. Furtum est substantiæ reique familiaris perditio; furtum est, quod bonum non est, id pro bono operari; furtum est ignota animæ captivitas. Mactatio animæ est mors rationalis mentis, quum in indigna et nefaria opera inciderit. Perditio vero est post consummationem iniquitatis sui cujusque desperatio.

Joann. X, 10.

Nemo in præceptis evangelicis impossibilitatem querulus objiciat : sunt enim animæ quæ plus quam præceptum fuerit illis per Evangelium, fecerunt. Persuadebit tibi id penitus is qui plus quam se ipsum proximum dilexit, ac pro eo animam exposuit, quum imperium Dei de hoc non accepisset.

Confidant ac bono animo sint humiles, quantumlibet perturbationibus et vitiis exagitentur : nam etsi incidant in omnes foveas, etsi muscipulis omnibus illaqueentur omnique ægritudine ægrotent, quum tamen sani facti fuerint, medici omnibus et luminaria et lucernæ et gubernatores fiunt, eosque qui casuri videbantur, per ea quæ experti sunt servant. Quod si quidam etiam præteritis vitiis adhuc vi subiguntur, et vel simplici verbo docere alios et instituere possunt, doceant; non tamen etiam principatum sumant. Fiet enim fortasse ut suos aliquando sermones erubescentes, ipsi quoque operari incipiant; contingetque illis id quod in quibusdam se in cœno volutantibus fieri perspeximus : qui quum luto et cœno prorsus sordidati essent, quomodo ibi cecidissent, prætereuntes docebant, hoc illis eorum salutis gratia narrantes, ne et illi eadem via caderent. Quos tamen dum aliorum saluti consulunt, et ipsos cœno salvavit Omnipotens. Sin vero vitiosi aliqui sponte se ipsos voluptatibus immergunt, silentio doctrinam indicabunt ; namque cœpit Jesus facere et docere. Act. I, 1.

Immane certe durumque pelagus trajecimus o humiles monachi plurimis et scopulis et vertiginibus et tumoribus et piratis et belluis et siphonibus procellosissimisque ventis et fluctibus plenum. Scopulum quidem, in anima feram iracundiam repentinamque intelligimus; vertiginem vero, eas res quæ præter spem circumdant mentem,

eamque ipsam in desperationis profundum præcipitare student; tumorem vero, ignorantiam, quæ malum pro bono continet; belluas autem, grave istud ac silvestre ferumque corpus; piratas, durissimos cenodoxiæ milites vel satellites, qui onus nostrum virtutumque labores diripiunt; fluctus vero, inflatum tumentemque ventrem, qui impetu proprio ad belluam transmittit; siphones autem, dejectam e cœlo superbiam, quæ nos et in cœlum extollit, et usque in infernum præcipitat.

Noverunt omnes qui litteris eruditi sunt, quænam sit disciplina rudium, quæ mediocrium, et quæ magistrorum. Intendamus toto animo videamusque ne forte in discendo diutius remorati, adhuc in institutis rudium inveniamur. Est enim confusionis immodicæ, videre senem in ludum litterarium proficisci.

Optimum in omnibus ac salubre alphabetum, videlicet : obedientia, jejunium, cilicium, cinis, lacrimæ, confessio, silentium, humilitas, vigiliæ, fortitudo, frigus, labor, ærumna, contemptus, contritio, oblivio illatæ contumeliæ, fraternitatis amor, mansuetudo, fides simplex omnique curiositate carens, curarum sæcularium abjectio, amabile parentum odium, totius rei mortalis repudiatio, simplicitas innocentiæ conjuncta, spontanea vilitas. — Porro finis proficientium ac ratio ista est : inanis gloriæ et iracundiæ vacuatio, facilis meliorum spes, quies, discretio, judicii fixa et solida memoria, misericordia, hospitalitas, modestia, correptio omni perturbatione libera, avaritiæ repudiatio. — Eorum vero spirituum et corporum quæ religiose ac pie in Deo consummantur, hic finis, hæc ratio et lex est : cor captivatione superius, consummata et perfecta caritas, humilitatis fons, mentis peregrinatio, Christi inhabitatio, lucis et orationis inviolabilis thesaurus, divinæ illustrationis copia, mortis desiderium, odium vitæ, fuga corporis, mundi intercessor Deo vim inferens, angelorum in ministrando socius, scientiæ abyssus, mysteriorum domus, arcanorum custos, hominum salvator, dæmonum deus, vitiorum dominus, dominator corporis, naturæ procurator, peccato extraneus, beatæ tranquillitatis domicilium, imitator Domini per auxilium Domini.

Non parva nobis vigilantia et sobrietate opus est quum corpus morbis fatigatur. Quum enim nos humi dæmones jacere viderint, nec posse interim per imbecillitatem exercitatione contra eos uti, tunc acerrime nos oppugnare nituntur. Eos quidem qui in sæculo sunt, dum infirmantur, nonnunquam etiam blasphemiæ spiritus consequitur. Eis vero qui a sæculo remoti vivunt, si quidem rebus necessariis abundent, gastrimargiæ et fornicationis spiritus infestus est; sin autem in locis humana consolatione carentibus Deique bellatoribus congruis degant, acediæ atque perpetui mœroris tyrannus eis assidet.

Animadverti fornicationis lupum dolores languido adjicientem, atque inter ipsos dolores motus in eo turpes excitantem, eumque obsceni illius humoris egestione fœdantem. Erat autem res maxime stupenda videre inter durissimos aculeos doloris carnem vigentem atque insanientem. Propius autem accedens, jacentes vidi, atque in ipso suo lectulo ex divina operatione et compunctione capientes consolationem et dolorem repellentes. Erant autem eo animo et sic affecti, ut infirmitate ipsa liberari nunquam vellent : quippe qui per eam veluti per pœnam quamdam salutarem, animæ vitiis se exutos et liberatos cernerent. Itaque glorificavi Deum, qui lutum luto laverat et emundaverat.

Intellectualis mens intellectuali etiam sensu omnino amicta est. Hunc autem sensum, qui et in nobis est, et in nobis non est, requirere non desinamus : illo enim invento et manifestato, exteriores sensus omnino vim amittent suam, illique unico obtemperabunt. Atque hoc est quod noverat quidam sapiens, quum diceret : Et divinum invenies sensum.

Vita monastica in intimo sensu cordis exerceatur in operibus, in verbis, in cogitationibus, in motibus, in omnibus denique; sin vero aliter fiat, non monastica sane erit, ne dixerim angelica.

Aliud est providentia Dei, aliud adjutorium, aliud item illius custodia, aliud misericordia, aliud consolatio : primum enim illud in universa creatura declaratur, sequens vero in solis fidelibus, tertium deinceps in his qui verissime fideles sunt, quartum in his qui sibi serviunt, extremum vero in his qui se diligunt ostenditur.

Fit plerumque ut quod alteri medicina est, alteri venenum sit. Nonnunquam vero eadem res, si eidem suo tempore offeratur, medicina est; sin autem intempestive, venenum efficitur. — Vidi medicum ignavum et obtusum, infirmum confractum et collisum affecisse contumeliis, nihilque ei præter desperationem paravisse; vidi item medicum ingeniosum et peritissimum, inflatum cor per ignominiæ ferrum curavisse, omnique id fœtoris putredine evacuasse. — Vidi eumdem infirmum aliquando pro purgandis sordibus, obedientiæ bibisse poculum, et moveri, ambulare, neque dormire; aliquando vero animæ ægrotare oculis, et quietem agere atque in silentio perseverare. Qui habet aures audiendi, audiat. *Luc.* XIV, 35.

Quidam, nescio qua ratione (neque enim existimatione dona Dei comprehendere didici), naturaliter, ut ita dixerim, ad continentiam et solitudinis quietem et castitatem et confidentiæ noxiæ abjectionem et mansuetudinem et compunctionem proni sunt; quidam vero ipsam fere naturam suam his rebus adversissimam habentes, pro viribus tamen sibi ipsis vim facere persistunt : qui et si interdum succumbunt, eos tamen ego naturæ violentatores libentius quam priores illos suscipio atque complector. — Noli magnum sapere, o homo, neque eis divitiis extolli quas sine labore acquisisti : præscius enim Dominus, largitor munerum, summi detrimenti et imbecillitatis atque perditionis tuæ, vel aliquantisper te suis gratis absque ullo tuo merito muneribus servare decrevit. — Sequuntur nos rudimenta infantiæ naturæ et educationes et studia, sive obluctantur quoque, quum virtutis conversationisque monasticæ incrementa capere cœperimus.

Monachorum quidem lux angeli sunt; cunctorum autem mortalium lux monastica est disciplina. Certent ergo summopere per omnia fieri omnibus optima forma, neque ullam cuiquam dent offensionem : nam ex his quæ gerunt, vivendi normam omnibus [illegible] proponunt. Denique si lux vertatur in tenebras, tenebræ ipsæ, id est homines sæculo addicti, quantum, putas, præterea obtenebrabuntur? Itaque si mihi obtemperare vultis, convenit omnino ut nos ipsos non variemus, neque in partes dividamus infelicem animam nostram, ne adversus millia millium et decies totidem inimicos nobis pugnandum sit : neque enim poterimus omnes eorum astutias addiscere vel omnino invenire. Trinitate beatissima adversum tres potissimum armemur : sin alias, labores nobis ipsis plurimos præbebimus.

Profecto si nobiscum etiam fuerit qui convertit mare in aridam, noster quoque *Ps.* LXV, 6. Israel, videlicet mens Deum videns, ipse sine fluctuum rabie transibit, videbitque Ægyptios in lacrimarum aquis suffocatos; sin vero ille non habitet in nobis, fluctuum illius sonos, videlicet carnis hujus strepitum, quis sustinebit? — Si exsurrexerit in [illegible] nobis Deus per actionem, dissipabuntur inimici ejus; et si per contemplationem illi appropinquaverimus, fugient qui et illum oderunt et nos, a facie illius.

Sed et nostro sudore et labore, non solo verbo, divina mandata addiscere curemus : non enim verba sed opera, exitus nostri tempore ostendenda erunt. — Qui thesaurum aliquo in loco latere audiunt, eum sollicite inquirunt, atque ob ingentem acquisitionis laborem, inventum cautissime custodiunt : nam qui sine labore divitias adepti sunt, eas item facile effundunt.

Est quidem perdifficile eas perturbationes quibus diutius assueti sumus, vincere. Qui vero eis quotidie adjicere non desinunt, aut de se ipsis desperaverunt, aut nihil
Luc. I, 37. ex renuntiatione lucrati sunt : non ignoro tamen Deum posse omnia, nihilque ei esse impossibile.

Rem quidam me interrogaverunt ad judicandum difficilem, et quæ omnes ætatis nostræ homines transcendat, in nulloque ex his libris qui in manus nostras venerunt, contineatur. Aiebant enim, quænam proprie sint principalium octo vitiorum germina, aut quod ex tribus maxime principalibus, cujusvis quinque reliquorum initium et propago esset. Ego in re tam ambigua ignorantiam meam ingenue confessus, hoc a beatissimis illis viris audivi. Mater quidem fornicationis est gulæ concupiscentia; acediæ vero, inanis gloria. Porro trium reliquorum tristitia origo est, sicut et iracundia; superbiæ vero, inanis gloria.

Ego rursus a sempiterne memorandis illis addiscere orabam quænam ex his octo nascerentur, et quod ex quo progenie originem traheret. Illi vero me blande ac placidissime absque ullo elationis vitio edocentes, aiebant nullum ordinem aut prudentiæ rationem inesse in rebus stultis, sed omnem potius perversionem atque inconstantiam; atque id mihi veris exemplis et rationibus persuadebant beati illi, plurima documenta adducentes in medium : ex quibus aliqua huic operi inserimus, ut ex eis jam alia quoque planissime intelligere possimus.

Exempli causa : Intempestivus risus aliquando quidem ex fornicatione, aliquando vero ex inani gloria nascitur, quum scilicet apud se ipsum intrinsecus turpiter quisque gloriatur; nonnunquam vero ex deliciis gignitur. Multus somnus aliquando ex deliciis, aliquando ex somno vel jejunio nascitur, quum scilicet illi qui jejunant extolluntur; aliquando vero ex acedia, aliquando ex natura. Etiam multiloquium aliquando ab inani gloria, aliquando a gastrimargia initium sumpsit. Acedia vero aliquando ex deliciis, et ex contemptu Dei timoris oritur. Blasphemia proprie quidem est superbiæ germen; nonnunquam vero etiam ex judicando in eadem re proximum, sive etiam ex improba dæmonum invidia nascitur. Duritia cordis interdum a satietate, sæpe vero etiam ab insensibilitate atque ab affectione vitiosa originem ducit. Hæc vero rursus affectio et a fornicatione et ab inani gloria et ab avaritia atque a gastrimargia aliis quoque plurimis oritur. Malitia rursus a tumore ac iracundia nascitur. Hypocrisis inde potissimum incipit, si quis sibi nimium placeat, seque ipse moderetur, neque alterius vivat arbitrio. — Porro his contraria a contrariis gignuntur. Et ne plura dicam (deficiet me quippe tempus, si per singula indagare voluero), proprie horum interemptrix vitiorum prædictorum humilitas est : quam qui possident, omnia vicerunt.

Genitrix malorum omnium est voluptas malitiæ conjuncta. His qui detinetur, non videbit Deum. Nihil nobis illius abstinentia prioris proderit, nisi a sequenti etiam abstineamus.

Timoris Domini exemplum a principum ferarumque metu capiamus. Ceterum affectus ad Deum forma tibi sit corporum amor : nihil enim nos prohibet a contrariis rebus virtutum petere exempla.

Acerrime declinat in malitiam præsens hæc generatio, totaque elatione et simulatione repleta est : quæ labores quidem corporis fortasse ad antiquorum Patrum exemplar hactenus servat, ipsorum vero gratiis omnino indigna judicatur, quum certe, ut reor, nunquam alias ita indiguerit natura nostra his gratiis ut nunc. Et merito sane id patimur : non enim laboribus Deus delectatur, sed simplicitate et humilitate, atque his
II *Cor.* XII, 9. se potissimum revelat; et si virtus Christi in infirmitate perficitur, non repellit Dominus humilem operarium.

Quoties aliquem ex athletis Christi corporaliter vexari viderimus, non inclementer vitio illius, infirmitatis ejus causam deputemus, sed simplici magis et pura caritate, ut proprium membrum, ut militem ex bello vulneratum suscipientes, obsequiis omnibus illum foveamus. — Quædam nobis infirmitates pro purgatione peccatorum, quædam pro humiliatione animi contingunt. Pius enim et clementissimus dominator noster et Dominus, sæpe quum quosdam pigriores ad exercitationem viderit, jam per infirmitatem veluti per leviorem ac faciliorem exercitationem, carnem eorum humiliat; interdum vero animam quoque ipsam a cogitationibus malis ac vitiis emundat.

Cuncta quæ nobis sive visibiliter sive etiam invisibiliter contingunt, aut bene, aut vitiose, aut medio modo suscipimus. Vidi tres Fratres damno simili affectos : atque unus ex his indigne tulit, alius sine mœrore perstitit, tertius vero inde ingens gaudium cepit.

Vidi item agricolas unum semen in terra varia intentione jecisse. Alius quippe ut opes sibi ipsi congregaret id fecit ; alius, ut creditoribus suis satisfaceret ; alius, ut donis honoraret dominum ; alius, ut per decoram frugem et culturæ peritiam laudem sibi a pertranseuntibus viam aucuparetur ; alius rursus, ut inimicum suum æmulum amplius excruciaret ; alius vero, ne otiosus ab hominibus exprobraretur. Hæ igitur agricolarum et seminis appellationes, jejunia sunt, vigiliæ, eleemosynæ, ministeria, atque his similia. Porro intentiones illas prompte ac solerter in Domino Fratres examinabunt. Si enim aquam ex fontibus haurimus, nonnunquam etiam eam quæ dicitur ranam una hausimus : ita et quum virtutes exercemus, fit sæpe ut vitia clam illis implicita et connexa simul arripiamus. Exempli causa : hospitalitati gastrimargia, dilectioni fornicatio, discretioni astutia, prudentiæ nequitia, mansuetudini simulatio et tarditas et desidia et contradictio et sui cujusque moderatio atque inobedientia, silentio, doctrinæ atque eruditionis tumor, gaudio elatio, spei pigritia, dilectioni rursum condemnatio, quieti solitudinis, acedia et torpor, castitati amaritudo, humilitati confidentia, atque his omnibus veluti commune collyrium, imo vero venenum, inanis gloria connexa est.

Non contristemur quoties petentes aliquid a Domino non cito exaudimur : vellet enim Dominus, si id expediret, omnes homines uno temporis momento fieri impassibiles. — Omnes qui petunt aliquid a Domino nec petitionis suæ consequuntur effectum, omnino propter aliquam istarum causarum id patiuntur : sive quia intempestive postulant, vel quia indigne et cum inani gloria, vel quia si acciperent, in superbiam se elevarent, fierentque negligentiores quum id quod petierant adepti essent.

Quod dæmones ac vitia vel perturbationes ad tempus aliquod vel etiam jugiter ab anima discedant, nullus fere ambiguit, ut puto ; quot autem modis eorum hujusmodi discessio a nobis fiat, paucissimi sciunt. — Recesserunt a quibusdam vitia, non solum fidelibus, verum etiam infidelibus, uno excepto : illud enim solum veluti primarium vitiorum omnium reliquerunt, ut impleret cæterorum locum, quum tale sit atque adeo noxium, ut e cœlo præcipitare possit. — Consumitur prius materia divino igni inflammata, et quum ea a radicibus consumpta animaque purgata fuerit, simul jam et vitia recedunt, nisi forte rursus ea per materiale vitæ institutum et negligentiam nobis attrahamus. — Sponte dæmones excedunt, ut dum securi dormitamus, infelicem animam repente invadant atque diripiant. — Non ignoro has belluas aliter quoque se solere subducere, quum scilicet anima omnino vitiis assuefacta eisque conformis fuerit effecta : tunc enim jam sibi ipsa insidiatur, ipsaque hostis sibi est. Documentum nobis apertissimum ejus rei infantes sunt, qui quum diutius matrum uberibus assuefacti fuerint, etiam quum non adsunt ubera, digitos suos sugunt. — Novi etiam quamdam in anima tranquillitatem ex summa puritate et laudabili simplicitate constantem. Justum Pr. x. 11

enim adjutorium a Domino, qui salvos facit rectos corde, eosque dum non sentiunt, a malis liberat : siquidem et infantes quum exuti fuerint ac vestimentis nudati, non valde id agnoscunt.

Malitia quidem aut vitium in natura naturaliter non sunt : neque enim creator est vitiorum Deus. Sed virtutes certe naturales plurimæ in nobis ab eo factæ sunt. Ex quibus istæ absque ulla contradictione sunt : eleemosyna, et gentiles enim miserentur; caritas, nam et mutæ animantes quum alterius orbantur illacrimari videntur; fides, omnes enim hanc in nobis ipsis gignimus; spes, nam et quum baptizamur, et quum fœneramur et navigamus et serimus, meliora speramus. Igitur si (ut demonstratum
Coloss. III, 14; *Rom.* XIII, 10. est) caritas in nobis naturalis virtus est, hæc vero vinculum atque impletio legis est; profecto non longe a natura virtutes sunt. Erubescant ergo qui in istarum exercitatione virtutum, imbecillitatem atque impotentiam prætendunt. Supra naturam sunt, fateor, castitas, iracundiæ evacuatio, humilitas, oratio, vigiliæ, jejunium perpetuaque compunctio. Ex his, aliarum quidem homines, aliarum vero angeli, aliarum vero archangeli, aliarum Deus ipse Verbum, magister et dator est.

In comparatione malorum oportet nos quod levius fuerit eligere : puta, quum plerumque ad orationem adsistimus, adveniunt Fratres ad nos, necesseque est e duobus alterum contingere, aut scilicet orationem derelinquere, aut Fratrem a nobis absque responsione tristem dimittere. Sed major est caritas oratione : hæc enim particularis est, illam vero virtutes omnes continere pro confesso habetur. — Quum venissem aliquando in castellum quoddam sive civitatem, sederemque ad mensam juvenis adhuc, duobus simul vitiis me oppugnari sensi : gulæ concupiscentia, atque inani gloria. Metuens tamen insanissimæ gulæ progeniem, inani gloriæ magis me superandum dedi. — Cognovi ego gastrimargiæ spiritum sæpe in juvenibus inanis gloriæ dæmo-
I *Tim.* VI, 10. nem vicisse : et merito. Apud eos quidem qui in mundo sunt, radix omnium malorum est avaritia, apud monachos vero gulæ concupiscentia.

Sunt apud spirituales viros quædam plerumque vilissima vitia, mira Dei dispensatione in eis relicta, ut propter vilia illa quæ sine peccato sunt, se ipsos semper valde accusantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant. — Fieri non potest ut is qui sine subjectione vivit, humilitatem statim in principio acquirat : siquidem et is qui artem aliquam instinctu proprio, nullo docente, didicit, umbras atque imagines sequitur. — In duabus maxime generalibus virtutibus activam vitam Patres definiunt, et merito : videlicet in humili abstinentia et simplici obedientia. Illa vero per hanc, humilitatem servat illæsam. Quocirca luctus quoque duplex est : quippe et qui peccatum jugulat, et humilitatem efficit.

Luc. VI, 30. Piorum quidem est omni petenti dare; magis vero piorum, etiam non petenti tribuere; ab eo autem qui tollit a se aliquid, non exigere, quum maxime id possint, illorum tantummodo proprium est quos nulla tangit perturbatio.

In omnibus perturbationibus et vitiis, omnibusque virtutibus, nos ipsos sollicite inquirere non desinamus ubinam sumus, in initiis, an in medio, vel in fine. — Cuncta adversum nos tentationum bella vel dæmonum, ex his tribus maxime causis constant : aut scilicet ex voluptatis studio, aut ex superbia, aut ex illorum invidia. Extremi quidem ex his beati, medii prorsus infelicissimi, primi vero usque in finem permanent inutiles.

Est quidam sensus, imo vero habitus, qui ferre potens (id est laborum potentissimus) dicitur : a quo is qui captus fuerit, non jam formidabit, nec laborem unquam aversabitur. Hoc venerando habitu martyrum animæ detinebantur, quum supplicia fortiter perferrent ac facile contemnerent.

Aliud est cogitationum custodia, aliud observatio animi. Quantum distat ortus ab occidente, tantum secunda priore sublimior est et laboriosior.

Aliud est contra cogitationes orare, aliud his contradicere et reluctari, aliud eas contemnere ac penitus spernere. Atque priori illi quidem attestatur qui dixit. Deus, in *Ps. LXIX, 2.* adjutorium meum intende, et his similia. Sequenti vero, qui ait : Et respondebo *Ps. CXVIII, 42.* exprobrantibus mihi verbum contradictionis; et rursus : Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris. *Ps. LXXIX, 7.* Tertii vero est testis ille qui cecinit : Obmutui, et humiliatus sum, *Ps. XXXVIII, 3, 10, 2.* et non aperui os meum, et posui illi custodiam, cum consisteret peccator adversum me : et iterum : Superbi agebant inique usquequaque, a contemplatione autem tua non *Ps. CXVIII, 51.* declinavi. Medius quidem horum modus priore sæpe utitur, quia non satis per se præparatus et instructus est. Prior autem nondum ita institutus est ut secundo modo inimicos repellere possit. Tertius autem penitus dæmones fugavit, abjecit et respuit.

Impossibile est per naturam ut res incorporea terminetur a corpore; sed omnia tamen ei possibilia sunt qui Deum possederit. — Sicut hi qui olfactus sensu integerrime vigent, eum qui clam habet aromata ignorare non possunt; ita et anima purissima fragrantiam odoris quam ipsa ex Deo acquisivit, fœtoremque a quo ipsa liberata sit, si sit in aliis, agnoscere, ceteris sine odoris sensu permanentibus, solet.

Non quidem omnes beata tranquillitate pacificos fieri possibile est, cunctos tamen salvari et reconciliari Deo non est impossibile. — Non tui alienigenæ illi dominentur, qui Dei dispensationes arcanas atque ineffabiles sive visiones quæ fiunt in hominibus curiose inquirere volunt, Deumque personarum acceptorem esse clam suggerunt. Ejusmodi quippe elationis filii et agnoscuntur et sunt.

Sæpe cupiditatis atque avaritiæ spiritus humilitatem simulat : ita et inanis gloriæ spiritus sicut et voluptatis, ad erogandas eleemosynas hortatur. Si igitur ab utrisque nos mundos servemus, in omni loco misereri non desinamus. — Aiunt quidam, dæmones obluctari dæmonibus; ego omnes eos novi nostram inquirere perditionem. — Spiritualem omnem operationem, visibilem sive intellectualem, præcedit propositum nostrum optimumque desiderium, quæ ex cooperatione Dei in nobis fiunt. Nisi enim priora præcesserint, secundum subsequi non solet.

Si tempus omni rei sub cœlo est, ut ait Ecclesiastes, inter homines vero nostræ *Eccle. III, 1.* quoque conversationis sacratæ, res constant; inspiciamus diligentius, si placet, et quid pro tempore fieri conveniat quæramus. Est enim omnino in his qui certant, tempus subjectionis tranquillitatis, et tempus perturbationis ob certantium infantiam; tempus lacrimarum, et tempus duritiæ cordis; tempus subjectionis, et tempus imperandi; tempus jejunii, et tempus communicationis; tempus belli inimici corporis, et tempus mortis concupiscentiæ ferventis; tempus hiemis et tempestas animæ, et tempus serenitatis mentis; tempus tristitiæ cordis, et tempus gaudii spiritualis; tempus docendi, et tempus audiendi; tempus inquinationum, fortassis ob elationem, et tempus munditiæ propter humilitatem; tempus luctationis, et tempus tutissimæ quietis vel remissionis; tempus solitariæ quietis, et tempus necessariæ nec dissolutæ distractionis; tempus infatigabilis orationis, tempusque integerrimi et indissimulati ministerii. Non ergo ante tempus quæ sunt temporis propria quæramus, mentis superbia decepti. Non in hieme calorem, neque in serente manipulos quæramus : est enim tempus serendi labores, et tempus metendi ineffabiles gratias. Alioqui in tempore quæ sunt propria temporis non referemus.

Quidam ante labores, quidam in ipsis laboribus, plerique post labores, alii in ipsa morte, sacra laborum suorum præmia per ineffabilem Dei providentiam reportaverunt. Quærendum quis horum altero fuerit humilior

Est quædam desperatio quæ ex peccatorum multitudine et conscientiæ onere atque intolerabili mœrore venit, dum anima multitudine vulnerum plusquam submergitur, atque illorum pondere in desperationis profundum præcipitatur; est et alia, quæ ex superbia nobis atque elatione contingit, dum scilicet nos ipsos veluti indignos ea quæ forte nobis accidit calamitate existimamus. Hanc vero in utrisque, qui diligenter observet, proprietatem inveniet, quod alter se ipsum jam vitiis indifferenter exponit, alter vero exercitatione desperationi propior fit : quod absurdum atque omnino inconveniens videtur. Sed horum alterum continentia bonæ spei conjuncta, alterum vero humilitas ac nullum judicare, sanare consuevit.

Minime vero admirari ac velut in re nova perturbari debemus, quum aliquos videmus mala operari, et bona ex se verba proferre : nam et in paradiso fortasse serpentem illum elatio quum extulisset perdidit.

Hæc tibi forma, hæc regula sit in omni conatu tuo, omnique vivendi genere, sive id subjectum sive non subjectum sit, sive visibile sive intellectuale, an secundum Deum proprie sit. Verbi gratia : quoties rudes adhuc aliquid omni studio agere nitimur, nisi ex ejus actione plus humilitatis in anima accipiamus quam prius habuerimus, non mihi videtur nos secundum Deum illud moliri, sive parvum sive magnum sit, atque in nobis quidem infantibus ac rudibus, hoc divinæ voluntatis firmum signum est; in mediis vero fortasse sit bellorum sedatio ac discessus; porro in his qui perfecti sunt, divini luminis adjectio et copia, secundum Deum id esse quod instituunt significabit.

Ea quidem quæ parva apud magnos sunt, non sunt utique parva; magna vero apud parvos, non usquequaque perfecta. — Aer purgatis nubibus clarissimum solis jubar ostendit; anima vero anticipationibus libera et remissione dignata, divinam lucem protinus adspexit. — Aliud est peccatum, aliud otiositas, aliud desidia, aliud vitium, aliud ruina. Qui potest quærere in Domino, id apertius quærat.

Quidam mirabilia operari esseque in spiritualibus gratiis conspicuum, præ omnibus beatum ducunt, ignorantes plurima esse excellentiora, quæ idcirco tutiora sunt ac sine ruinæ metu, quod sunt occulta.

Is quidem qui perfecte purgatus est, ipsam (etsi non ipsam) animam proximi videt quomodo affecta sit; qui autem adhuc imperfectus est, ipsam per corporis habitum conjicit. — Sæpe ignis exiguus totam silvam emundavit : sic et minima caverna totum nonnunquam laborem corrupit ac perdidit.

Sæpe fit ut requies per inimicitias vim animæ exsuscitet, nec tamen concupiscentiæ ardorem excitet; fit item nonnunquam ut ingens carnis afflictio ipsos etiam for-
II *Cor.* I, 9. tasse motus moveat, ut non in nobis ipsis confidamus, sed in Deo, qui carnem hanc incognite mortificat viventem.

Quum aliquos secundum Deum nos diligere viderimus, id cautissime servemus ut confidentiam omnino fugiamus : nihil enim ita caritatem solvere odiumque consuevit efficere sicut confidentia.

Intellectualis ac valde decorus ac lucidus est animæ obtutus, omnemque speciem sive ideam post incorporeas substantias excellit. Ex quo fit ut vitiosi quoque sæpe aliarum animarum cogitationes pro ingenti ad illas dilectione possint cognoscere : idque tum magis, quum a carnis luto demersi per sordes non fuerint.

Si nihil ita Dei purgatissimæ naturæ contrarium est ut materia omnis, qui legit intelligat. — Observationes in sæcularibus quidem obsistunt divinæ providentiæ, in nobis autem intellectuali scientiæ. — Hi quidem qui sunt imbecilles et infirmi, ex corporis calamitatibus et periculis exterioribusque tentationibus a Deo se visitari

cognoscant; qui vero perfecti sunt, ex præsentia Sancti Spiritus et adjectione gratiarum.

Quoties quietis causa lectulo decubuerimus, adveniens immundus spiritus iniquas ac sordidas cogitationes veluti spicula quædam jaculatur in nos, ut quum per desidiam ad orationem non exsurgimus, neque contra illum ocius armamur, in sordidis obdormiamus cogitationibus, sordidaque videamus somnia. — Est e spiritibus unus qui præcursor dicitur, qui nos e somno surgentes protinus excipit, primumque nostrum cogitatum inquinare nititur. Da Domino primitias diei tuæ : erit enim tota ejus qui prior occupaverit. Memorabile verbum atque auditu dignissimum operarius quidam optimus locutus est: Ab ipso (inquit) matutino tempore, cursum totum meum diei scio.

Multa sunt pietatis ac perditionis itinera : quocirca sæpe dum quis alteri adversatur, alii libentius et carius jungitur; amborumque intentio grata et accepta est apud Deum.

Certant quidem adversum nos totis viribus dæmones, et in eis quæ nobis contingunt tentationibus, indignum aliquid vel dicere vel facere suggerunt : quod quum non potuerint efficere, jam quietis nobis adstantes, ut superbam Deo gratiarum actionem referamus hortantur.

Hi quidem qui superna sapiunt, si separentur, sursum iterum per partes redeunt; qui vero infima, infra rursus eunt : eorum enim qui separantur nullum præterea est medium.

Una ex creaturis in alio, non in se ipsa, ut esset accepit; mirumque sane est quomodo extra eum in quo esse cœpit, constare solet. — Pias quidem filias matres pariunt; matres autem Dominus condidit. Prædicta quoque regula in contrariis uti non insipienter possumus.

Formidolosum ad prælium egredi Moyses (imo per Moysen Dominus) vetat, ne *Deut.* xx, 8.
forte sit error animæ novissimus major priori lapsu corporis atque perniciosior : ac merito.

DE EADEM.

Quemadmodum cervus solis adustus ardoribus latices desiderat, ita apud monachos desideratur divinæ bonæ voluntatis comprehensio, prætereaque et commixtæ et contrariæ cognitio. De quibus multus revera nobis est sermo, atque ad interpretandum *Hebr.* v, 11.
difficilis : ut scire possimus quænam illa sint nostra opera quæ sine dilatione fieri atque omni mora citius debeant, secundum eum qui dixit, Væ qui differt de die in *Eccli.* v, 8.
diem, et de tempore in tempus; quænam rursus morosius atque cum consideratione, sicut ille admonet qui ait, Cum gubernatione fit bellum : et rursus, Omnia honeste et *Prov.* xx,
ordinate fiant. Non est sane una minimarum rerum, hujusmodi ad judicandum dif- 18. I *Cor.* xiv,
ficilia, citius, judicio non aberrante, discernere. Nempe enim et divinus David, qui et 40.
Spiritum Sanctum habebat in se loquentem, hoc sæpius orare videtur : nunc quidem, II *Reg.*
Doce me facere voluntatem tuam, dicens, quia tu es Deus meus; nunc vero, Deduc me xxiii, 2. *Ps.* cxlii, 10
in veritate tua; et rursum, Notam fac mihi viam, Domine, in qua ambulem, quoniam *Ps.* xxiv, 5.
ad te ab omni cura et perturbatione sæculari levavi animam meam et exaltavi. *Ps.* [illegible]

Quicumque revera voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent; deinde vero fide atque innocua simplicitate orantes, Patrumque sive Fratrum animas summa cordis humilitate ac sine cogitationum hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex Dei ore suscipiant, etsi contraria suæ

intentioni sint quæ ab illis fuerint dicta, etiam si hi qui interrogantur non valde spirituales sint. Neque enim est injustus Deus ut animas decipiat quæ se per fidem et innocentiam, proximi consilio atque judicio humiliter submiserint. Etsi enim irrationabiles ac muti illi fuerint a quibus petimus, is tamen qui loquitur, immaterialis est atque invisibilis. Ingenti humilitate pleni sunt qui prædictam regulam nihil hæsitantes se-
Ps. XLVIII, 5. quuntur. Nam si quidam in psalterio suum implevit problema, quantum putatis rationalem mentem atque intellectualem animam muto sono esse excellentiorem ? Plurimi vero quum necdum perfectum hoc et leve bonum, ideo quod sibi nimium placerent, percepissent, sed ex se ipsis atque in se ipsis quidquid Deo gratum et acceptum sit niterentur comprehendere, varia valde et plurima de hoc nobis judicia dictarunt.

Quidam vero talia quærentes, cogitationem suam ab omni affectione removerunt, et in utrisque consiliis ac voluntatibus animæ se collocaverunt, videlicet in annuente et contradicente, mentemque suam omni voluntate propria mundatam per ardentissimam orationem Domino sistentes, ad certum diem agnitione voluntatis illius potiti sunt, sive intellectuali mente cum mente nostra intellectualiter loquente, sive intentione una perfecte ex anima deleta. Alii ex ea quæ conatum sequitur vexatione et distributione*, hanc esse voluntatem Dei didicerunt, secundum eum qui ait : Voluimus venire ad vos et semel et secundo, et impedivit nos Satanas. Contra alii rursus ex insperato Dei adjutorio, hoc gratum Deo atque acceptum esse senserunt, illud dicentes : Omni proponenti bonum Deus cooperatur. — Is qui Deum in semetipso per illustrationem possidet, in emergentibus et morosioribus rebus secundo modo secundum tempus certior fieri a Deo non solet. Hæsitare vero in judiciis ac diu in incertum nutare, animæ lumine carentis atque inani gloriæ deditæ certum argumentum est. Abest a Deo injustitia, eosque qui cum humilitate pulsant, excludi non patitur.

* distractione

I Thess. II, 18.

Rom. VIII, 28.

Intentio semper in omnibus apud Deum discutienda est, et in his quæ urgent et in his quæ differri debent. Omnia enim quæ affectione vituperabili et inquinatione omni munda, propter Dominum proprie nec propter aliud aliquid fiunt, et si non sint omnino optima, nobis tamen ut optima imputabuntur. Nam earum rerum quæ supra nos sunt inquisitio, nequaquam finem securum atque tutum possidet. Arcanum est valde Dei circa nos judicium : mira namque dispensatione sæpe voluntatem suam a nobis abscondi Deus vult, sciens quod si hanc didicerimus, non illi obtemperaremus, pluraque vulnera susciperemus. — Rectum cor varietate rerum liberum evasit, atque in innocentiæ navicula tute navigat.

Sunt animæ quædam divino amore et cordis humilitate fortes, quæ eas quoque actiones quæ supra se sunt alacriter aggrediuntur ; sunt item superba corda quæ hoc ipsum faciunt. Intentio est inimicis nostris, quæ supra vires nostras sunt nobis sæpe suggerere, ut dum illa perficere non possumus, mœrore ac anxietate animi fatigati, ab his quæ possumus cadamus, risumque maximum inimicis nostris faciamus. Vidi imbecilles animas ac debilia corpora, pro peccatorum multitudine superiora ac majora se certamina arripere, nec ea posse sustinere. Quibus ego : Humilitatis, inquam, non laborum magnitudine, Deus pœnitentiam metitur ac judicat.

Plerumque educatio supremorum malorum causa est, interdum vero et familiare pessimorum contubernium ; sæpe tamen etiam perversa anima ipsa sibi ad perditionem sufficit. Qui a duobus illis segregatus est, a tertio quoque fortasse liberabitur. Qui vero a tertio tenetur, reprobus in omni loco erit : nullus enim cœlo certior ac tutior est.

Ab his quidem qui adversum nos mala voluntate dimicant, sive infidelibus, sive
Tit. III, 10. non rectæ fidei hominibus, post primam et secundam correptionem quiescamus ; his

autem qui veritatem addiscere cupiunt, benefacere in æternum non lassescamus : utrisque autem ad confirmationem nostri cordis utamur.

Irrationabilis ille valde est qui virtutes Sanctorum quæ supra naturam sunt audiens, de se ipso desperat. Imo vero illæ in altero e duobus te optime erudiunt : aut enim ad imitationem sanctæ formæ excitant ; aut ad tui ipsius agnitionem et ejus quæ in te est fragilitatis demonstrationem, per beatissimam humilitatem te convertunt.

Sunt inter immundos spiritus reliquis nequiores, qui peccatum solos operari nos minime consulunt, ut graviori supplicio nos mulctandos parent. — Vidi consuetudinem malam alterum ab altero didicisse, eumque qui docuerat, in se ipsum revertisse, et pœnitentiam agere cœpisse atque a malo quievisse ; sed tamen pro mala discipuli actione invalida fuit ipsius pœnitentia.

Summa, revera summa est atque ad comprehendendum perdifficilis malignorum spirituum nequitia, paucisque perspecta et cognita, ne paucis quidem, ut reor, tota cognita. Quomodo et delicatius viventes et saturitate distenti, vigilamus tanquam maxime sobrii simus, jejunantes autem atque in ærumnis degentes, somnis miserabiliter dejicimur ? soli quiescentes, obduramur, et degentes cum aliis, compungimur ? fame confecti, in somniis tentamur, impleti vero, sine tentatione persistimus ? per inediam obtenebrati et sine sensu compunctionis efficimur, porro in potu vini hilares atque ad compunctionem proni ac faciles sumus ? Ad hoc qui in Domino potens ac idoneus est, eos qui sunt sine lumine illustret : nos enim hactenus ad hujusmodi sine lumine et minus idonei sumus. Illud tamen dicimus, quod non semper ex dæmonibus hujusmodi mutatio fit, sed plerumque etiam ex concretione datæ mihi (nescio quo pacto) sordidæ atque illecebrosæ pinguedinis. Ceterum pro hac ad discernendum non facili prædictorum concidentia, sincerissime semper deprecemur Deum ; et si quidem post orationem atque post ejus tempus, eodem modo id quod fit operari invenerimus, procul dubio sciemus id non ex dæmonibus esse, sed ex natura : plerumque enim divina providentia per contrarias res nobis benefacere vult, elationem per omnia comprimens naturæ.

Est quidem gravissimum, velle abyssum judiciorum Dei curiose perscrutari : nam in navicula elationis curiosi navigant. Dicenda tamen aliqua sunt ob multorum imbecillitatem.

Interrogavit quidam aliquem ex his qui videre poterant : Quidnam sit quod prænoscens Dominus quorumdam ruinas, eos maxime gratiis exornat ? Ad quem ille : Ut reliquos quoque, ait, spirituales viros cautiores faciat, liberumque ostendat arbitrium, atque in judicio inexcusabiles eos qui lapsi sunt faciat.

Lex quidem ut imperfecta, Attende, ait, tibi ipsi ; Dominus autem ut perfectissimus [illegible] etiam correptionem fratris nobis mandavit, dicens, Si peccaverit in te frater tuus, et [illegible] quæ sequuntur. Si munda est ergo reprehensio tua atque humilis, imo vero admonitio, [illegible] quod præcepit Dominus implere non negligas, et in eis quæ maxime possibilia sunt ; quod si nondum ad hoc pervenisti, vel in legis exercere servitio. — Noli mirari quum videris etiam amantissimos tuos reprehensionum tuarum causa inimicos tibi fieri : dæmonum quippe instrumenta sunt hujusmodi leves, et maxime qui sibi inimici sunt.

Tenet me vehemens admiratio quomodo quum in virtutibus quidem omnipotentem Deum sanctosque angelos adjutores habeamus, in contrariis autem malum et solum dæmonem, paratius tamen ac velocius ad vitia flectamur. De his ergo diligentius loqui nec possum, nec volo.

Si cuncta quæ facta sunt naturam suam servent, sicque ut facta sint permaneant, quomodo, ut ait magnus Gregorius, imago Dei sum, et luto commisceor ? Sin autem creatura aliqua aliter quam facta fuerit constat, omnino cognationem suam inexplebili

ter appetit. — Omni arte (ut ita dixerim) omnique studio quisque uti debet, ut lutum hoc a terra elevans, in Dei solio collocet. Nullus itaque difficultatem causetur ascensus: via enim et janua cunctis aperta est.

Auditio quidem earum virtutum quas gessere spirituales Patres, mentem atque animam ad æmulationem excitat; porro doctrinæ auditus ad imitationem hujusmodi æmulos perducere solet. — Discretio est in tenebris lucerna, errantium reditus, cæcutientium illuminatio. Discretus est sanitatis inventor morbique emendator.

Duobus modis omnes qui parva quæque admirantur hoc perpeti solent, aut propter summam ignorantiam, aut ex intentione servandæ humilitatis, proximi opera magnificantes atque extollentes.

Contendamus toto annisu non solum luctari, sed etiam bellare contra dæmones. Nam qui luctatur, nunc quidem vulnerat, nunc autem vulnera excipit; qui vero bellum gerit, semper insequitur hostem.

Qui vicerit vitia, dæmones vulnerat; ac per id quod se habere vitia simulat, inimicos fallit, perduratque inexpugnabilis. — Quidam ex Fratribus aliquando ignominia affectus est, et quum omnino corde motus non fuisset, in mente secretius oravit, atque ita in ignominiis lamentari cœpit, hac ficta perturbatione tranquillitatem suam sapientissime abscondens. Alius item ex Fratribus quum primam sessionem omnino non cupit, hanc se appetere avidissime finxit. Illius vero castitatem quibus verbis eloquar, qui quasi peccandi causa lupanar ingressus, meretricem ipsam ad pœnitentiam traxit? Cuidam item solitario quum primo mane quidam uvæ botrum attulisset, jamque is qui obtulerat profectus ab illo esset, summo quodam ac celeri impetu illum devoravit absque appetitu ullo, per hoc se ipsum gulæ addictum dæmonibus indicans, atque illos ludens. Alius item quum modicas amisisset palmas, tota die se mœrentem finxit. — Summa istis vigilantia opus fuit, ne forte dum hostes ludere nituntur, illis magis ipsi
II Cor. vi, 8. ludibrio fierent. Hi enim revera illi sunt de quibus ait Apostolus : Ut seductores, et veraces.

Si quis corpus castum offerre Deo cupit et cor mundissimum illi ostendere, observet omni studio ut non irascatur atque continentiam custodiat : absque his enim omnis labor noster erit inutilis.

Sicuti varia sunt humanorum oculorum lumina, ita permultæ sunt ac differentes quæ in anima fiunt intellectualis Solis illustrationes. Alia namque est quæ per corporis lacrimas, alia quæ per animæ, alia item quæ per corporis oculos, alia quæ per intellectuales, alia quæ ex auditu verbi, et alia quæ sua sponte movetur in anima lætitia, alia item quæ ex solitudine, et alia quæ ex obedientia nascitur. Præter hæc omnia, alia est singularis, quæ modo quodam proprio, Christo per ecstasim intellectuali lumine secrete atque ineffabiliter sistit.

Sunt virtutes, et sunt virtutum matres. Sapiens itaque magis ut matres acquirat contendet. Matrum quidem Deus ipse in sua actione est magister, filiarum autem plurimi.

Caveamus ne forte deliciarum abstinentiam multo somno suppleamus : hoc enim insipientium est opus, sicuti econtra. Vidi pietatis athletas quum casu aliquo modice ventri indulsissent, citius totis noctibus stando miserum fortiter cruciasse, jamque cum gaudio saturitatem fugere atque adversari didicisse.

Luctatur acriter avaritiæ spiritus cum his qui nihil possident; quum vero dejicere eos instituto suo non potuerit, tunc jam occasionem pauperum præferens, expeditissimos mundanis rebus iterum implicari et impediri suadet.

Quoties pro peccatis nostris mœremus et tristes sumus, præceptum Domini ad

Petrum ad memoriam revocare non desinamus, ignoscendi scilicet septuagies septies peccanti. [*Matth.* XVIII. 22.] Quod enim alteri mandavit, ipse profecto magis implevit. Quum vero nostris meritis extollimur, ejus rursus meminerimus qui ait : Qui totam legem spiritualem [*Jacob.* II. 10.] impleverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.

Quidam sunt nequam invidorumque spirituum status qui sponte a sanctis se subtrahunt, ne si illos his bellis quæ vincere non possunt inquietent, coronas eis inviti ministrent.

Beatos quidem esse pacificos nullus est qui refragetur : [*Matth.* V. 9.] ego discordantes etiam beatos vidi. Duo quidam impuro se invicem amore diligebant. Quod quum animadverteret vir prudens atque probatissimus, serendi inter illos odii se ministrum fecit, illi quidem apud hunc derogans, ut qui eum maledictis insectaretur, et huic apud illum similiter; valuitque sapientissimus humano astu dæmonum nequitiam repellere, odiumque inserens, fornicationis vinculum solvit.

Sunt qui mandati gratia mandatum excludant. Vidi enim juvenes se invicem castissimo amore ac secundum Deum diligentes, qui tamen dum aliorum conscientiam inde lædi conspicerent, convenit inter eos ut se ab invicem ad tempus elongarent.

Sicuti contraria sunt nuptiæ et funus, ita male sibi conveniunt superbia et desperatio. Videas tamen ex dæmonum perversitate sæpe constare utraque simul.

Sunt nonnulli ex spiritibus immundis qui interpretationem divinarum Scripturarum nobis in exordiis enuntiant. Hoc autem in illorum ut plurimum cordibus agere solent, qui inani gloriæ student, et illorum in primis qui externæ sapientiæ litteris eruditi sunt, ut illos sensim fallentes, in hæreses et blasphemias deducant. Ex ea vero turbatione effusaque ac turpi lætitia quam enuntiationis illius tempore in anima nostra fieri senserimus, dæmonum theologiam, imo vero machologiam, id est loquacitatem, agnoscimus.

Ordinem quædam et initium, quædam vero ex his quæ facta sunt finem etiam ab eo qui illa fecit acceperunt; virtus vero finem habet infinitum. Omnis enim (ait Psalmista) [*Ps.* CXVIII. 96.] consummationis vidi finem; latum vero ac infinitum mandatum tuum nimis. — Si quidam boni ac probati operarii ex vita activa proficiunt in virtutem contemplationis. [*Ps.* …] si caritas nunquam desinit, si Dominus custodiet introitum timoris tui et exitum caritatis tuæ; [*I* … *Ps.* …] hujus profecto possessio infinitus est finis, in qua proficere nunquam desistemus, non in præsenti, non in futuro, lumini scientiæ lumen adjicientes. Etsi enim plerisque quod dicturi sumus novum videbitur, dicemus id tamen secundum eam quam prædiximus demonstrationem. Equidem, o admirabilis Pater, nec ipsas quidem intellectuales angelicasque substantias dixerim carere profectu; sed eas quoque magis gloriæ gloriam et scientiæ scientiam semper adjicere definio.

Noli mirari, si dæmones nonnunquam nobis veras cogitationes suggerunt, eisque intellectualiter contradicunt : ea est enim inimicis nostris intentio, ut per hoc nobis persuadeant se nostras quoque intimas cogitationes agnoscere.

Noli amarus esse ac nimium severus judex, quoties aliquos videris docere magna, et operari negligentius : sæpe namque supplevit defectum operis utilitas verbi. Non omnes æqualiter omnia habemus : in quibusdam enim sermo uberior est opere ; in aliis rursus secundum primo majus est.

Malum quidem Deus neque fecit neque creavit. Seducti sunt ergo qui aiunt vitia quædam in anima esse naturalia, ignorantes quod constantes naturæ proprietates nos convertimus in vitia. Puta : Semen inest nobis per naturam ob liberorum procreationem; nos illud in fornicationis turpitudinem transtulimus. Inest nobis a natura furor ut illo contra serpentem utamur; nos adversus proximos illo usi sumus. Inest nobis

æmulatio ut virtutes æmulemur; nos in malam partem æmulamur. Adest animæ per naturam gloriam desiderare, at supernam; adest illi superbire, sed adversus dæmones; inest similiter et gaudium, sed ut in Domino et de proximi prosperitate lætemur. Accepimus et servare memoriam injuriarum, sed contra inimicos animæ; accepimus ab illa cibi appetitum, non luxuriæ.

Anima impigra et alacris, contra se dæmones provocat : multiplicatis adversus eam bellis, coronæ quoque multiplicantur. — Qui non pulsatur bellis, prorsus non coronabitur; qui in his casibus qui contingunt non perturbatur neque animo lassescit, is ut fortissimus bellator ab angelis glorificabitur. — Tres quidam noctes in terra quum fecisset, penitus revixit; qui vero tres horas vicerit, non morietur.

Si quando ex disciplina, divina nobis dispensatione permissa, Sol ille justitiæ post-
Ps. CIII, 19-22. quam in nobis ortus fuerit agnovit primum occasum suum, posuit omnino tenebras, et facta est nox. In ipsa vero jam pertransibunt ad nos hi qui prius recesserant feri leonum catuli omnesque bestiæ spinosarum passionum, rugientes ut rapiant eam quæ est in nobis spem, et quærentes sibi a Deo vitiorum escam, sive per intentionem et voluntatem, sive etiam per actum. Ortus est iterum nobis Sol per obscuram humilitatem, et ad se ipsas bestiæ congregatæ sunt, atque in cubilibus suis, videlicet in cordibus volu-
Ps. CXXV, 2. ptuosis, collocabuntur, et non in nobis. Tunc dicent inter dæmones : Magnificavit
Ibid. 3. Dominus facere misericordiam cum eis. Quibus nos respondebimus : Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes, vos autem persecutionem passi estis.

Is. XIX, 1. Ecce Dominus sedet super nubem levem, animam videlicet ab omni concupiscentia terrena exaltatam; et veniet in Ægyptum, scilicet cor pridie obtenebratum, et movebuntur manufacta simulacra et sordidæ cogitationes mentis.

Matth. II, 13, 14. Si Christus ab Herode corporaliter fugit, et quidem omnipotens, addiscant improbi
Ps. CXX, 3. et temerarii non se ipsos in medias tentationes immittere. Non des enim, inquit, in commotionem pedem tuum, et non dormitabit qui custodit te angelus.

Connexus atque adjunctus est fortitudini fastus, veluti cypresso taxus arbor. Cura sit nobis perpetua atque indefessa ne tenuis quidem cogitatio ascendat in mentem nostram, quæ bonum nos ullum vel minimum habere suggerat. Quod si hanc proprietatem diligenter observantes, invenerimus mentem nostram hujusmodi cogitatione pulsari, tunc revera nos in defectu adhuc esse intelligamus. Inquire etiam infatigabiliter vitiorum argumenta, tuncque plura ex his tibi inesse cognosces : quæ dum in morbis adhuc sumus, discernere (sive per infirmitatem, sive quod nos ante profundissime occupaverint et penitus sibi vindicaverint) non possumus.

Propositum judicat Dominus; in his vero quæ possibilia sunt nobis, actionem quoque clementer inquirit. — Magnus ille quidem qui nihil quod factum possibile fuerit, facere omisit; major autem qui per humilitatem, etiam quæ ultra vires suas sunt agere conatur. — Plerumque dæmones ea quæ leviora sunt et magis utilia nos vetant; quæ vero difficiliora laborisque pleniora sunt, ea magis arripere hortantur.

Gen. XXXIX, 7 et seq. Invenio Joseph illum castissimum ideo beatum dici, quod peccatum caute decli-
Eccli XLIX, 17. naverit, non quod se impassibilem ostentarit. — Quærendum vero nobis est, quot quibusve modis peccati declinatio coronis donetur. Aliud enim est umbram fugere, aliud ad Solem justitiæ accurrere.

Obtenebratio causa fit offensionis, offensio vero lapsus occasio est, lapsus vero mortis. — Sæpe hi qui per nimiam vini potationem obtenebrati sunt, aquam bibentes, ad sobrietatem mentis revocati sunt : ita et qui obscurati vitiis fuerant, per lacrimas resipuerunt.

Aliud est perturbatio, aliud effusio, aliud excæcatio. Priorem illam sanavit con-

tinentia, sequentem quies solitaria, tertiam obedientia et Deus propter nos obediens effectus. *Philipp.* II, 8.

Nos ex duobus exemplis eorum qui terrena et infima purgare solent, duas convenientissime purgationes eorum qui superna sapiunt colligimus : et fullonum quidem officinam, exempli causa, dicimus cœnobium secundum Deum, quod sordes et crassitudines atque turpitudinem animarum diluit ac resecat; tingentium vero officina est anachoresis his qui in cœnobii exercitatione lasciviam et memoriam injuriarum et iracundiam deposuerunt, jamque ex eo ad quietem solitudinis migraverunt.

Aiunt quidam, quod in eadem delicta denuo incidere, ex defectu contingat pœnitentiæ congruæ, ex qua prioribus malis emendatio inferri solet. — Quærendum vero, num omnis quoque qui in eadem peccata non incidit, digne etiam pœnitentiam egit. — Inciderunt quidam in eadem delicta, sive prioribus profunda oblivione sepultis atque obrutis, sive quod ex voluptate nimium clementem Deum sibi suggesserunt, sive quod de salute sua desperaverunt. Si quis vero me non minus clementer accusare velit, id quoque addiderim, quibusdam hoc ideo contingere, quod inimicum istum jam vincere non possunt, se per consuetudinis tyrannidem violenter subjugantem.

Inquirendum quoque diligentius, quomodo anima quum sit incorporea, ejusdem substantiæ spirituum ad se venientium naturam videre solita non sit : num forte propter conjunctionem, quam solus ille novit qui conjunxit?

Interrogabat aliquando me quidam scientia maxime illustris, his me verbis compellans : Dic, oro, dic scire cupienti mihi, quinam spiritus humiliare mentem, quive exaltare in peccatis soleant? Ego quum ad hujusmodi consultationem hæsitarem, meque id nescire juramento firmarem, demum me is qui discere venerat instruxit, ita paucis dicens : Quum tibi discretionis fermentum dedero, de reliquis tibi cum labore inquirendum relinquam. Fornicationis et iracundiæ spiritus, gastrimargiæ item, acediæ et somni, mentis cornu extollere non fere consueverunt. Porro avaritiæ et principatus appetendi et loquacitatis spiritus, aliique plurimi, malum malo adducere solent : idcirco judicandi quoque spiritus his proxime accedit.

Si quis quum ad sæculares profectus fuerit aut eos ipse susceperit, ex illorum separatione tristitiæ jaculum et non magis lætitiam susceperit, utpote impedimento et laqueo expeditus ; hic aut ab inani gloria aut a fornicationis spiritu illuditur. — Ante omnia qua ex parte venti flatus impellat inquiramus, ne vela in aliam partem quam debuimus, expandisse inveniamur.

Exhortare ex caritate senes scientia et actione claros, qui corpora sua in exercitatione contriverunt, modicum sibi quietis indulgere. — Juvenes continenter vivere coge qui animas suas in peccatis contriverunt, sempiternum illis cruciatum ad memoriam revocans.

Possibile non est (quod et alibi diximus) statim in ipsis conversionis initiis gulæ concupiscentiam atque inanem gloriam a nobis omnino superari. Non tamen erit nobis tutum velle per delicias inani gloriæ resistere : superata namque inanis gloria iterum inanem gloriam gignit, in eis potissime qui rudes adhuc sunt. Imo vero per inediam adversus illam confligamus : veniet enim hora, et nunc volentibus est, ut et hanc subjiciat Dominus sub pedibus nostris. Cf. p. [illegible], ante medium.

Non eisdem oppugnantur vitiis qui juvenes et qui senes ad Dei servitium accedunt : sæpe enim diversis et penitus contrariis morbis laborant. Quocirca beata sane est et multum necessaria sancta humilitas, qua et in minoribus et senioribus certissima simul pœnitentia efficitur.

Non id te perturbet quod dicturus advenio. Raræ quidem sunt, sunt tamen animæ

rectæ, et ab omni malitia et nequitia et simulatione et astu alienæ. Eis vero adversatur maxime hominibus admixta conversatio, quum possint, si ducem nactæ fuerint, veluti ex portu quodam quietis in cœlum conscendere, atque vitæ communis tumultibus et scandalis liberæ, sine ullo horum experimento persistere.

Lascivientes quidem, homines, iniquos autem angeli curare solent; superbis vero solus Deus mederi potest. — Et hoc nonnunquam fortasse sit caritatis species, proximo (quum se ad nos contulerit) permittere in omnibus facere ut vult, nobis tamen omnem hilaritatem ostendentibus. — Inquirendum quomodo et quatenus et quando et an pœnitentia, ut mala ita et bona solvere sit solita.

Summa nobis discretione utendum erit, ut noverimus quando stare et in quibus et quatenus adversus vitiorum materias luctari debeamus, et quando nos a colluctatione subducere : præstat enim interdum fugam potius ob imbecillitatem nostrarum virium eligere, ne moriamur. Videamus atque observemus cautius, quo in tempore et quomodo per amaritudinem fel exinanire possimus; qui dæmonum extollant et humilient; qui obdurent, et qui consolentur; qui tenebras nostris mentibus obducant, et qui rursus illustrationem simulent; qui tardos et hebetes, et qui contra astutos, qui tristes et lætos nos efficiant.

Non turbemur si initio statim nos ipsos proclives in vitia viderimus in stadio nostræ in hoc mundo conversationis : oportet enim causas omnes prius moveri, atque ita demum castitatem nobis obvenire. Feræ enim vitiorum belluæ dum interim occulerentur non perspiciebantur. — Quoties casu aliquo hi qui jam perfectioni propinquabant, in aliquo tenui delicto superati a dæmonibus fuerint, omni arte utantur ut hoc rursus centuplum diripiant.

Sicuti venti aliquando per serenitatem summa crispant æquoris terga, aliquando maris profundum turbare et vertere solent; ita et in tenebrosis malignitatis flatibus intellige. In his enim qui vitiosi hactenus sunt, ipsum sensum quoque cordis intimum fluctibus jactare solent; in his vero qui jam profecerunt, mentis tantum superficiem perturbant : quocirca hi quoque citius tranquillitatem propriam incontaminatam perstitisse sentiunt.

Perfectorum est agnoscere semper in animo quænam sit conscientiæ, quæ Dei, quæ etiam intentio exsistat dæmonum : non enim contraria ab initio statim dæmones suggerunt, ac ideo tenebrosa est revera atque ad inveniendum perdifficilis.

COMPENDIOSA SUPRA DICTORUM RECAPITULATIO

FIDES firma, abrenuntiationis est mater; quid autem contrarium sit liquet. — Spes indeclinabilis, rejiciendæ affectionis est janua; quid item contrarium sit manifestum est. — Caritas Dei, peregrinationis materia est; quid contrarium sit item constat.

Subjectionem genuit sui ipsius reprehensio appetitusque sanitatis. — Mortis meditatio, continentiæ est mater, fixaque memoria aceti dominici et fellis. — Pudicitiæ adjutrix est solitudinis quies, incentivorumque confractio, jejunium. — Cogitationum turpium adversatrix est contritio animæ.

Fides et peregrinatio mors est avaritiæ. Misericordia vero et caritas prodiderunt corpus. — Oratio intentissima et jugis acediam perdidit. Judicii vero memoria alacritatem præstitit. — Medicina furoris, ignominiæ dilectio hymnorumque cantus atque misericordia. — Nuditas rerum omnium, tristitiam suffocat; nullisque sensibilium rerum affici, intellectualium speculationem parit.

Silentium et solitudo, inanis gloriæ sunt hostes. Quod si fueris in medio, ignominiam arripe, nec pudeat te exhibere inhonorum. — Visibilem superbiam sanabunt mœstus et abjectus habitus, invisibilem vero solus qui est ante sæcula curabit. — Omnium ferarum venenatarum sensibilium interemptor est cervus, intellectualium vero humilitas interfectrix est.

Possumus ex naturalibus rebus cuncta intellectualia addiscere. — Sicut impossibile est ut serpens vetustatem suam exuat, nisi angustam cavernam prius ingrediatur, ita nos quoque anticipationes veteres et vetustatem animæ veterisque hominis tunicam, nisi per angustam et arctam jejunii et ignominiæ transeamus viam. — Sicut impossibile est ut gravatæ nimis carnibus volucres in cœlum evolent, ita et qui carnem suam nutrit et fovet, illuc ascendere non poterit. — Exsiccatum lutum jam non porcis usui esse ut ibi se volutent potest : ita et caro per abstinentiam marcida effecta, dæmonibus ultra non præbebit in se quiescendi locum.

Sicut viridium lignorum multitudo plerumque suffocat et exstinguit flammam, fumumque ingentem excitat; ita sæpe immodica tristitia fumo ac tenebris plenam animam efficit, lacrimarumque exsiccat aquas. — Ut sagittarius cæcus reprobus est, ita et discipulus contradicens perdetur. — Sicut probatum ferrum improbum acuere potest, ita Frater lætus et alacer negligentiorem sæpe servavit.

Sicuti volucrum ova si foveantur in stercore, vivificantur et in fetum erumpunt; ita et cogitationes nisi ex cordis abditis productæ manifestentur, in opus prodeunt. — Sicut currentes equi cursu invicem certant, ita et optima quæque societas se invicem excitat. — Sicut nubes solem abscondit, ita cogitationes malæ obtenebrant et perimunt mentem.

Sicut is qui sententia contra se lata ad damnationem proficiscitur, nihil de spectaculis curat aut loquitur; ita ne ille quidem qui veraciter luget, ventrem fovebit aliquando. — Sicuti pauperes quum thesauros regios adspiciunt, suam paupertatem amplius agnoscunt; ita etiam magnificas Patrum virtutes relegens, mentem suam omnino amplius humiliat. — Sicut ferrum etiam si nolit ad magnetem perfugit, naturæ vi secretissima pertractum; ita et qui anticipationibus delictorum assueti in earum habitum transierunt, violenter ab eis opprimuntur.

Ut oleum mare invitum etiam tranquillum facit, ita et jejunium nolentia quoque et reluctantia incentiva corporis exstinguit. — Sicut aqua angustiis conclusa in altitudinem tumens erigitur, ita sæpe anima angustata periculis ad Deum per pœnitentiam ascendit et salvatur]. — Sicut is qui fert aromata, etiam si nolit ex odore proditur; ita et qui Dei Spiritum habet, ex verbis suis atque humilitate propria agnoscitur.

Ut venti perturbant abyssum, ita furor plus quam reliqua exagitat mentem. — Sicut quæ oculus non vidit, ea ex auditu solo quis non nimium gustare appetit, ita et virgines et casti corpore ingens inde levamen habent. — Sicuti fures quum arma regis aliquo in loco posita viderint, non illuc facile ascendunt; ita et qui cordi orationem conjunxit, non fortuito ab intellectualibus latronibus violari poterit.

Sicut ignis nivem ex se non gignit, ita et qui in hoc sæculo honorem quærit, nunquam cœlesti ac perenni honore potietur. — Sicut una sæpe favilla ingentem silvam

consumpsit, ita unum reperitur bonum quod magnorum scelerum ingentem multitudinem delere possit.

Sicut sine armis feras belluas perimere non possumus, ita nec sine humilitate inirascentiam acquirere. — Sicuti per naturam vivi absque cibo non potest, ita et ei qui salvari cupit, ad mortem usque vel ad breve momentum se negligere non licet.

Ut solis radius domum per foramen ingressus, cuncta quæ in ea sunt illuminat; ita et timor Domini si fuerit in anima, cuncta ei peccata sua etiam minutissima ostendit. — Sicuti hi qui dicuntur cancri, capi facillime possunt, eo quod aliquando ante, aliquando retro gradiuntur; ita et anima nunc quidem ridens, nunc lugens, nunc vero deliciis affluens, proficere unquam non poterit.

Sicut qui somno gravantur, facile furibus patent; ita et qui secus mundum virtutes arripere gradiuntur, a prædonibus facile violabuntur. — Sicut is qui adversus leonem pugnat, si ab eo oculum aliorsum deflectat, confestim perit; ita et qui contra carnem suam pugnat, si hanc per quietem nimium foverit.

Sicut hi qui scalam putrem et fragilem ascendunt, ruere periclitantur; ita honor omnis et potentia et gloria, quæ humilitati adversissima sunt, omnem se habentem dejiciunt. — Sicut impossibile est ut qui esurit non recordetur panis, ita fieri non potest ut qui salvari cupit, exitus sui extremique judicii obliviscatur.

Quemadmodum aqua delet litteras, ita et lacrimæ abolere peccata solent. Sicut hi quibus non adest modus is, aliis litteras delere solent; ita et animæ quibus desunt lacrimæ, per mœrorem et gemitum summamque tristitiam peccata delent atque abscindunt.

Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium, ita multitudo ciborum, lapsuum et malarum cogitationum atque somniorum operatur multitudinem. — Sicut is qui compeditus est, ambulare non valet; ita et qui pecunias sibi thesaurizant, in cœlum ascendere non possunt.

Sicut plaga recens facile curari potest, ita et diuturna animæ vulnera difficillima ad sanandum sunt, etiam si sanari unquam possint. — Sicut impossibile est mortuum incedere, ita possibile non est eum qui desperaverit, salvari.

Qui fidem rectam servant nec a peccatis desistunt, hi vultui sine oculis assimilantur. — Qui fidem non habet et bona quædam forte operatur, is ei similis est qui haustam aquam in perforatum dolium immittit.

Sicut navis optimo gubernatore freta, in portum tutum Deo auxiliante ingreditur; ita et anima quæ pastori optimo innititur, facile in cœlum conscendit, etiam si mala plurima gesserit. — Sicut qui sine duce est, etiam si prudentissimus sit, facile in via errabundus incedit; ita et qui suo arbitrio monasticam viam pergit, etiam si in omni mundana sapientia fuerit instructus, facillime perit.

Quum quis post gravia scelera, corporis mala valetudine impeditus fuerit, viam sanctæ humilitatis ejusque proprietatem securus incedat : aliam enim salutis viam non inveniet. — Sicut fieri non potest ut is qui longissima valetudine laboravit, uno momento sanitatem acquirat; ita ne vitia quidem, imo vitium aliquod, protinus superari potest. — Cujusque virtutis ac vitii signum quantitatis tibi denota, atque ita poteris nosse profectum tuum.

Sicut hi qui luto aurum commutant, detrimentum omnino patiuntur; ita et qui pro corporalibus spiritualia sua in publicum efferentes enuntiant, summis afficiuntur incommodis. — Remissione quidem cito plurimi potiti sunt; beatam vero tranquillitatem nemo repente possedit : hanc enim ut acquirere possimus, tempore longo ac Dei adjutorio et singulari gratia nobis opus est. — Sollicite quæramus atque observemus

quæ nobis in semente, quæ in herba, quæ in messe feræ vel volucres insidientur, ut laqueos illis et pedicas convenientes parare ac tendere possimus.

Sicut injustum simul est et indignissimum ut is qui febrem patitur se ipsum necet, ita minime convenit ut quis ante extremum spiritum aliquando desperet. — Sicut turpe est atque inhonestum ut quum patrem suum quis sepelierit, mox ut a funere surrexit, ad nuptias proficiscatur; ita eis quoque qui pro sceleribus lugent, inconvenientissimum est honorem atque gloriam in præsenti sæculo ab hominibus quærere.

Sicut alia est civium, alia reorum habitatio, ita omnino immutatus et varius esse debet pro culpis lugentium atque insontium status. — Sicut eum militem qui in prælio durissima in faciem vulnera suscepit, imperator militia non abdicat, imo vero amplius in ea illum provehit atque maximis honoribus cumulat; ita et monachum qui pericula plurima a dæmonibus perpessus fuerit, cœlestis Imperator gloriosissime coronat.

Sensus animæ proprietas illius; ejus autem sensus peccatum est colaphus. Sensus vero, mali vel sedationem vel imminutionem ex se gignit : ex qua rursus conscientia oritur. Conscientia vero est ratio atque reprehensio custodis nostri, qui ex Baptismi tempore assignatus est; atque idcirco non usque adeo inveniemus eos qui adhuc in animo illuminati non sunt, pro malis operibus percuti, sed multo levius atque clementius quam qui lumine accepto peccaverunt. Et diminutio quidem mali, mali abstinentiam parit; mali vero abstinentia, initium est pœnitentiæ. Porro pœnitentiæ initium, initium salutis est; initium autem salutis, propositum est bonum; ex bono autem proposito gignitur laborum toleratio, cujus item initium virtutes sunt. Porro virtutum initium, flos; flos autem virtutis, initium bonæ actionis. Ex virtute assiduitas nascitur; assiduæ vero meditationis germen ac fructus est habitus; ex eo item ea qualificatio oritur quæ timoris est genitrix; timor autem gignit mandatorum Dei observantiam. Mandatorum custodia, caritatis argumentum est; caritatis vero initium, humilitatis est copia; copia autem humilitatis, tranquillitatem parit; ejus vero possessio plenitudo caritatis est, sive Dei perfecta habitatio in his qui beatam tranquillitatem habentes mundi sunt corde : ipsi enim Deum videbunt. Ipsi gloria in sæcula. Amen. *Matth.* v, 8.

GRADUS XXVIII

DE SACRA CORPORIS ET ANIMÆ QUIETE.

NOS quidem quum simus veluti empticii quidam servi atque immundissimis vitiis obnoxii, ex hoc ipso dolos quoque et mores et imperia, astutias etiam eorum qui infelici animæ nostræ diu dominati sunt spirituum, vel tantisper novimus. Alii vero sunt, qui per operationem Sancti Spiritus, et quod his jam liberati sint, artes omnes illorum probe callent. Alius enim est qui ex dolore infirmitatis, quietem sanitatis conjicit; et alius, qui ex sanitatis gaudio et requie, morbi mœrorem conjectura comprehendit.

Itaque ut imbecilles trepidamus admodum de tranquillissimo quietis portu in hoc opere philosophari, non ignorantes canem quemdam sancti conventus mensæ semper adsistere, panemque ex ea, videlicet animam, diripere conari, quem quum ori suo apposuerit, jam inde cursu discedere atque illum secretius comedere. Quocirca ne cani

II *Cor.* XI, 12. hujusmodi locum demus per nostrum sermonem, utque occasionem amputemus quærentibus occasionem, nefas esse arbitrati sumus his qui in ardore prælii summa animi virtute et constantia constituti sunt, Imperatoris nostri bellatoribus, modo de pace disserere. Id solum dicimus, quod hi qui fortiter pugnant, tranquillitatis etiam et pacis coronis donandi sunt. Ceterum ne quem fortasse contristemus si sermonem de hoc indiscussum relinquamus, pauca (si placet) veluti sub discretionis forma nunc loquamur.

Est quidem corporis quies, morum ac sensuum cognitio ac moderatio; quies autem animæ est cogitationum scientia, atque furibus inviolabilis intentio. Quietis amicus, est fortis quidam et pertinax vigilque sensus, semper in cordis januis excubans, cogitationesque accedentes aut necans aut removens. Qui sensu cordis intimo quiescit, quod diximus intelligit et recognoscit; qui vero adhuc infans est, hoc quia non gustavit, ignorat. — Quietis sectator prudens, verbis non indigebit : verba enim illustrantur operibus.

Initium quietis est strepitus omnes, ut qui fundum animæ perturbant, amovere; finis vero, tumultus non metuere, sed inter eos sine ullo eorum sensu durare. — Quietis amicus, qui progrediens, non verbo progrediens est. — Mansuetus est totius caritatis domicilium. Is difficile ad verba moveri potest, et immobilis esse ad iracundiam solet. Quid autem huic contrarium sit, satis constat. — Quietis est æmulus is qui incorporeæ substantiæ proprietatem in fragili corporis domo (quod est omnino mirabile) concludere nititur.

Observat quidem murem, quæ hunc venatur bestiola; intellectualem vero dæmonem, quieti solitarii intentio. Non sit tibi vile vel rejiciendum hoc documentum : sin vero alias, nondum quid sit quies agnovisti.

Verus monachus profecto non sic erit ut monachus alteri monacho adjunctus. Monachus enim summa opus habet vigilantia, et mente omni elatione vacua. Priori quidem sæpe alter opem tulit, secundo vero cooperatur angelus. — Intellectuales virtutes spiritualiter quietis sectatori simul adstant atque una ministrant, et in eo veluti in jucundo diversorio libentius inhabitant. Quid huic sit contrarium tacebo.

Dogmatum ingens est et alta profunditas; mens autem solitarii non absque periculo insiliet in ea. — Tutum non est cum veste natare, neque cum passione aliqua theologiam attingere. — Cella solitarii conclusio corporis est, intusque habet domicilium scientiæ.

Is qui animæ morbo laborans quietem solitudinis arripere nititur, ei similis est qui ex navi in pelagus exsiliens, per tabulam ad terram pervenire quærit. — Quicumque adversus carnem luctantur, his suo tempore quies erit, si tamen ducem nacti fuerint : ei enim qui solus hanc persequitur, angelica virtute opus est. Est autem mihi sermo de his qui revera quietem et corpore et spiritu sectantur.

Solitarius negligens mendacia loquetur, et per ænigmata se a quiete destitisse hominibus persuadere quæret. Quum reliquerit cellam, dæmones culpat; latetque se ipsum miser, quod dæmon effectus sit. — Vidi ego quietis studiosos flagrantissimum suum in Deum desiderium inexplebiliter per hujusmodi quietem implevisse, et ignem igne desideriumque desiderio genuisse. — Solitarius est forma terrestris angeli, qui orationem suam charta desiderii et sollicitudinis litteris, desidia et torpore liberavit.
Ps. LVI, 8. Solitarius est qui revera clamare potest : Paratum cor meum, Deus. Solitarius quietus
Cant. V, 2. ille est qui ait : Ego dormio, et cor meum vigilat.

Claude januam cellulæ corpori, et linguæ januam locutioni, interioremque animi fenestram spiritibus immundis. — Serenitas quidem ac meridianus sol, nautæ patien-

tiam arguit ; necessariorum vero indigentia, quieti solitarii tolerantiam ostendit : ille quidem indignans innatat undis ; hic autem acedia pressus miscetur multitudini. — Ne timeas sonituum ludibria : luctus quippe formidinem nescit neque illa agitatur.

Quorum mens veraciter orare didicit, hi Deo facie ad faciem tanquam regi ad aurem loquuntur ; hi autem quorum os orat, ei similes sunt qui regi coram omni senatu procidunt ; qui autem in sæculo morantur, hi in medio totius multitudinis plebis, regem obsecrant. Si artem perite didicisti, quod diximus non ignorabis.

In sublimi quodam loco residens, te ipsum observa, si tamen id facere nosti ; et tunc perspicies quomodo, quando, qua ex parte, quot et qui fures irrumpere ac furari botros veniant. — Quum fatigata fuerit intentio, surgens orabit ; et iterum residens, viriliter priorem operationem tolerabit. Volebat quidam hæc expertus, de his subtiliter diligenterque disserere ; sed timuit nequando pietatis operarios negligentiores faceret, verborumque strepitu currentes atque alacres terreret. — Qui de quiete subtiliter et diligenter et summa cum scientia disserit, adversum se dæmones excitat : nemo quippe alius, horum turpitudines immisericordiasque ac nocendi artes ita in apertum producere potest.

Qui solitariam arripit quietem, profundum mysteriorum novit. Non autem in illud prius descendit quam fluctuum ventorumque tumultus vel audierit, vel viderit, vel eis etiam fortasse fuerit respersus. Confirmat autem hoc quod diximus magnus apostolus Paulus, qui nisi in paradisum velut in quamdam secretissimam quietem raptus fuisset, II Cor. xii,
nunquam profecto arcana verba audire potuisset. — Quieta auris accipiet a Deo grandia. 4.
Idcirco et in Job quies hæc sapientissima dicebat : Putasne suscipiet auris mea ab eo *Job* iv, 12.
ingentia ? — Solitarius quietus est qui ita omnes absque odio fugit, nolens intermissionem divinæ dulcedinis pati, sicut alius prompte et festinans accurreret.

Perge, bonaque tua celerius disperge (vendere enim moram temporis habet) et da *Matth.* xix,
pauperibus monachis, ut tibi per orationum suffragia ad quietem solitariam concur- 21 ; xvi, 24.
rant, et tolle crucem tuam, eam per obedientiam bajulans onusque amputationis tuæ voluntatis fortiter tolerans ; et tum veni, sequere me ad conjunctionem beatissimæ et placidissimæ quietis, et docebo te virtutum intellectualium visibilem actionem præclaramque conversationem. Nunquam illæ satiabuntur in sæcula sæculorum laudare Conditorem ; neque is qui cœlum quietis fuerit ingressus, unquam fatigabitur Creatorem collaudare. Non erunt de materia solliciti, quibus est natura agilis et omni materia libera, neque de alimento : hi enim quum ex materia per naturam sint, materiam tamen omnem excesserunt. Non alentur priores ullo cibo ; neque indigebunt secundi possessione. Non erunt solliciti illi de pecuniis vel possessionibus, neque isti de vexatione spirituum nequam. Non est cœlestibus visibilis ullius creaturæ desiderium ; neque in terrenis inest concupiscentia ullius adspectus quem sensus attingat. Nunquam desistent illi in caritate proficere, nec isti quidem quotidie cum illis profectu isto contendere. Non sunt illis ignotæ profectuum divitiæ, neque istis ascensionis amor incognitus. Non desistent quousque ad ipsa Seraphim pertingant, neque unquam fatigabuntur quoad angeli fiant. Beatus qui sperat, ter totidem beatus qui id futurus est quod sperat, angelus, quum id consecutus fuerit quod sperat.

DE DIFFERENTIA QUIETIS.

Sunt in omnibus disciplinarum statibus (quod etiam omnibus manifestum est) sententiarum voluntatumque differentiæ. Neque enim sunt omnia perfecta, ob defectum

studii virtutisque indigentiam. Sunt igitur qui per portum istum, imo vero pelagus, sive magis fortasse profundum, ingrediuntur, quod ad continendum os atque ad frenandas anticipationes corporis imbecilliores sint; alii quidem proni nimium ad iracundiam, quum tales sint ut hanc cum multitudine degentes miseri superare non possint; alii rursus ideo quod nutu magis proprio atque consilio quam aliorum ductu, ex nimia elatione, navigare decreverint; alii quod in medio materiæ constituti, materia abstinere non possint; nonnulli quidem ut ex secreto solitudinis studiosiores fiant; alii ut secretius et liberius pro culpis se ipsos conterentes verberent; quidam ut per hoc sibi gloriam acquirant. Sunt item alii (si tamen dum venerit Filius hominis hujusmodi inveniet super terram) qui ob delicias ac sitim divinæ caritatis et dulcedinis, sanctæ huic solitariæ quieti conjuncti sunt : qui tamen hoc non prius fecerunt, quam omni acediæ libellum darent repudii. Ejus enim conjunctio priori illi comparata, fornicatio existimatur.

Secundum eam quæ mihi data est admodum tenuem scientiam, ut architectus parum sapiens scalam ascensionis fabricatus sum. Videat autem unusquisque quonam gradu consistat : an ut nutu suo vivat, an ut hominum gloriam captet, an propter imbecillitatem linguæ, sive ob iracundiæ incontinentiam, sive ne cui rei vitiose afficiatur dum opportunitas sit, sive ut pœnas reatus ab se exigat, sive ut studiosus
Matth. XIX, 30. fiat, sive ut divinæ caritatis ignem suavissimum acquirat. Erunt novissimi primi, et primi novissimi. Septem quippe sunt hebdomadæ præsentis sæculi operationes : quarum aliæ acceptabiles, aliæ reprobæ sunt. Octava vero futurum potius sæculum significat.

Cautius observet solitarius monachus ferarum belluarum horas : alioqui convenientes laqueos tendere non poterit. Si jam perfecte discessit cui repudium dem, labor jam necessarius non erit; sin vero adhuc procacius incumbit, nescio quo pacto quiescere possim.

Cur, quæso, non tanta apud Tabennensiotas quanta apud Scythicam eremum fuere luminaria? Qui intelligit intelligat : ego enim id dicere nequeo, imo vero nolo. Degunt in hoc profundo qui vitia imminuant, item qui psallendo plurimum in oratione perseverent, et qui contemplationi intentius vacent. Secundum propositum scalæ modum problema istud inquiratur. Qui capit, in Domino capiat.

Sunt animæ quædam negligentes immorantes in cœnobiis, quarum desidiæ quum materia facile suppeteret, in perditionem perfecte præcipitatæ sunt. Sunt item qui negligentiam suam per aliorum contubernium et societatem repulerunt : quod non solum in negligentioribus, verum studiosis quoque ac sollicitis sæpe factum est. Eadem regula etiam in solitudinis utamur quiete, dicentes : Plurimos probabiles suscipiens reprobavit, ideo quod nutu suo mallent vivere, voluptatis eos esse studiosos deprehendens atque arguens; alios item suscipiens, ex metu et perpetua cura judicii ac damnationis suæ sollicitos ac ferventes fecit.

Nullus qui vel furore vel elatione vel simulatione vel injuriarum memoria perturbatur, solitariæ quietis vestigium unquam vel videre audeat, ne forte stuporem animi inde forte lucretur. Qui vero his perturbationibus mundus est, ipse jam quod expedit agnoscet : imo ne ipse quidem, ut reor.

Eorum qui ratione solitariam arripiunt quietem, signa et studia et argumenta ista sunt : mens tranquilla nullisque agitata perturbationum fluctibus, castissima intentio, raptus ad Deum, præsens semper cruciatuum memoria, mortis properatio, infatigabilis ac insatiabilis oratio, custodia inviolabilis nullisque prædonibus patens, fornicationis mortificatio, totius affectionis mortalis ignoratio, mundi mors, gastrimargiæ fastidium,

theologiæ materia, discretionis fons, promptæ lacrimæ semper atque in potestate, loquacitatis exterminatio, et si quid hujusmodi est quod sibi contraria atque infesta solet esse multitudo. Porro eorum qui sine ratione hanc subeunt, ista sunt : divitiarum inopia, incrementum iracundiæ, armarium memoriæ illatæ contumeliæ, caritatis imminutio, fastus ac superbiæ assumptio. Sciens ac prudens tacebo reliqua.

Quoniam vero ad id sermo noster processit, necesse est ut de his quoque qui sub obedientia et subjectione vivunt hic loquamur : iis enim mihi nunc maxime sermo est. Eorum qui legitime et caste atque incontaminate ornatissimæ huic et pulcherrimæ virtuti conjunguntur, ista esse argumenta a sanctis Patribus definitum est, quæ suo quidem tempore perficiuntur, quotidie tamen extenduntur et adjectionem profectumque suscipiunt : primitivæ humilitatis incrementum, furoris imminutio (exinanito enim felle, quid aliud fieri potest ?), caritatis assumptio, vitiorum alienatio, odii liberatio quod ex reprehensione fit, imminutio lasciviæ, ignoratio acediæ, studii accumulatio, misericordiæ dilectio, superbiæ peregrinatio, virtus sane omnibus optanda paucisque proveniens.

Quum fonti aqua deest, jam non proprie dicitur fons : quid sequatur intelligit qui mentem habet.

Adolescentula quæ non servavit torum, corpus inquinavit ; anima vero quæ non servavit pactum, contaminavit spiritum. Illam quidem sequitur vituperatio, odium, verbera, et quod omnibus miserabilius est, separatio atque divortium ; hanc vero sequuntur inquinationes, oblivio mortis, inexplebilitas ventris, oculorum incontinentia, inanis gloriæ operatio, somni insatiabilitas, cordis duritia, insensibilitas, cogitationum horreum, captivitas cordis, turbationis operatio, inobedientia, contradictio, infidelitatis cor, nulla certa salutis fiducia, securum multiloquium, vitiosa affectio, et quæ omnibus gravior est, confidentia, quodque omnibus miserabilius est, cor absque ulla compunctionis gratia, cui succedit, in eis potissimum qui non advertunt, indolentia, spirituum mater ac lapsuum.

Solitariæ quietis æmulos, quinque ex octo spiritibus, subjectos vero tres præcipue oppugnant. — Solitarius adversus acediam pugnans, sæpe jacturam facit : tempus enim orationis atque contemplationis adversus hanc excogitando ac luctando consumit.

Quum aliquando in cella sedens desidia torperem, cellulamque ipsam fere cogitarem deserere, advenientes viri quidam, ut solitarium summis attollebant laudibus ac beatum prædicabant ; citiusque negligentiæ spiritus ab inani gloria fugatus abscessit. Admiratusque sum quomodo spiritibus omnibus tribulus iste adversetur.

Adspice horis singulis, conjugis et contubernalis tuæ motus atque obreptiones momentaque et conversiones, quomodo et quorsum vergant. Qui per Spiritum Sanctum tranquillitatem acquisivit, solus non ignorat hanc speculationem.

Principale solitariæ quietis opus est omnia negotia ejus, sive rationabilia sint sive irrationabilia, negligere (nam qui aperuerit prioribus, in sequentia etiam incidet) ; impigra oratio secundum ; et tertium operatio cordis, furibus inviolabilis. Possibile non est ut qui litteras non didicit, in libris se naturaliter exerceat ; longe est impossibilius ut qui prius illud adeptus non est, duo sequentia rationabiliter arripiat.

Quum medium illud arripuissem, inter medios effectus sum, ac sitientem me illuminabat. Et ecce rursus eram in illis. Quid quidem in eo erat ante visibilem formam, princeps docere non poterat [illegible] neque enim [illegible] [illegible] est ut [illegible] In propriis quidem [illegible] [illegible] est dextra [illegible] atque in [illegible] Impossibile est [illegible] Ego autem quo me trahebat affectus [illegible]

venit hora ob defectum ignis incorruptionis. Ista sive cum luto hoc, nescio; sive absque eo, dicere non possum.

Difficile ac durum est, æstivo maxime tempore, excutere meridianum somnum. Tunc enim, et solum fortasse, nequaquam rejiciendum est opus manuum.

Novi acediæ spiritum præparare ac præire fornicationis spiritum solere, ut valide corpus resolvens atque in somnum præcipitans, velut per somnium inquinationes quiescentibus inducat. Si illis omnino resistas fortissime, oppugnabunt te omnino acriter, ut quasi nihil proficientem a certaminibus revocent. — Nullum certius argumentum est quod dæmones a nobis victi sint, si nos acerrime oppugnent.

Quum procedis, congregata custodi. Solent enim aperta janua inclusæ aves avolare; tunc vero nullum quietis inveniemus emolumentum.

Modicus pilus perturbat oculum, et modica cura demolitur quietem. Quies enim est depositio sensuum, curarumque rationabilium abnegatio. — Is qui revera quietem apprehendit, ne ipsius quidem carnis sibi geret curam ullam. Neque enim mentitur qui ait. — Qui mentem puram Deo cupit sistere curisque agitatur, is ei similis est qui pedes suos fortiter vinciens, celeriter incedere nititur.

Rari quidem sunt qui sæcularem philosophiam ad summum eruditi sunt; ego vero pauciores esse dico qui veram quietis sapientiam secundum Deum noverunt. — Qui Deum nondum novit, quieti idoneus non est, plurimaque pericula sustinet. — Quies imperitos suffocat : nam quum dulcedinem Dei non gustaverunt, in captivationibus et furtis et mœroribus et fatigationibus animi tempus consumunt.

Qui pulchritudinem orationis attigerit, fugiet turbas ut onager. Quis enim nisi hæc dimisit onagrum liberum ab omni consortio hominum ?

Is qui passionibus obsessus moratur in eremo, horum exercitationi totus incumbit : sicut et senex sanctus, Arsilaites Georgius, quem et caritas tua non ignorat, quum aliquando formaret atque instrueret inutilem animam meam et erudiret ad solitudinis quietem, me de hujusmodi loquens edocuit. Notavi, inquit, mane ut plurimum inanis gloriæ atque concupiscentiæ spiritus solere advenire, meridie vero acediæ et iracundiæ et tristitiæ, vespere autem infelicis ventris stercorum tyrannos.

Melior est subditus pauper quam solitarius qui hinc inde distrahitur. — Qui secundum rationem quietem arripit neque ipsius lucra quotidie considerat, is aut non ratione et secundum quod convenit quiescit, aut elatione subripitur. — Quies est perpetuo atque intentissimo cultu Deo jugiter adsistere. — Jesu memoria fac ut spiritui tuo uniatur, tuncque agnosces quæ sit quietis utilitas.

Lapsus quidem subdito voluntas est propria, quieti vero solitarii, orationis intermissio. — Si adventu Fratrum ad cellam tuam gaudeas, scito te ipsum acediæ vacare soli, non Deo. — Exemplar orationis tibi sit vidua illa evangelica ab adversario suo diutius afflicta ; quietis vero forma, magnus ille parque angelis solitarius Arsenius. Memento, qui in solitudine degis, angeli hujus solitarii institutum, atque intuere quomodo ad se advenientes, ne id quod erat majus amitteret, insalutatos plerumque remiserit. — Certum est dæmones persuadere his qui irrationabiliter circuire sunt soliti, ut ad eos sæpius proficiscantur qui studiosissime sectantur quietem, ut horum causa operarios Dei vel parum impedire possint. Nota eos qui sunt hujusmodi, o carissime, neque vites religiose et pie contristare negligentes. Fortassis ex hac salubri contristatione circuire desinent. Cave etiam ne prædictæ intentionis occasione, frustra et sine causa animam contristes quæ forte præ sitis ardore haurire abs te aquam venit. In omnibus vero lucerna tibi opus est.

Luc. XVIII, 2-5.

Vita quiescentium, imo vero monachorum, secundum conscientiam et ex intimo

cordis sensu fiat. — Is qui rationabiliter currit, studia sua ac locutiones et cogitationes et incessus et motus, omnia secundum Deum facit studiosissime, atque ex affectu cordis coram Domino operatur. Quod si adhuc subripitur, nondum secundum virtutem operatur.

Aperiam, ait quidam, in psalterio propositionem meam et consilium, ob defectum *Ps. xlviii, 5.* hactenus discretionis. Ego vero per orationem aperiam voluntatem meam, atque inde certum aliquod auditionis indicium accipiam.

Fides est orationis penna : quam nisi habeat, rursus in sinum meum revertetur. *Ps. xxxiv, 13.* Fides est animæ nihil hæsitans status, adeo fixus ut nulla adversitate motus agitetur. Fidelis est, non qui Deum omnia posse arbitratur, sed qui credit ; omnibusque potietur. Fides est insperatarum rerum indultrix ; atque hoc latro ille felix ostendit. — *Luc. xxiii, 42, 43.* Fidem genuit labor et rectum cor : ex quibus ille quidem nihil hæsitantem efficit ; hoc autem ejusdem est auctor. — Quiescentium mater est firma fides. Nisi enim crediderit quis, quomodo quiescere poterit ?

Qui compeditus in carcere est, torquentis deterretur metu ; qui vero in cellula quiescit, timorem peperit Domini. Non ita prior ille quæstionem ut secundus æternum Judicis judicium metuit. — Summo tibi metu opus est, carissime, in solitudine : nihil namque persequi et fugare acediam ut timor potest.

Inspectabit assidue reus quando judex adveniet in carcerem, verus autem operarius quando ut exire urgeat venturus sit. Alligatum est priori tristitiæ pondus, sequenti vero lacrimarum fons.

Si patientiæ quæsieris baculum, cito desistent canes impudice agere. — Patientia est infractus animi labor, nullis vel proximis rationabilibus fragoribus agitatur. Patientia est vexationis quotidie exspectata definitio. Patientia est occasionum amputatio, suaque sibi cujusque sollicita vacatio.

Non ita suo alimento ut patientia operarius indiget : si enim illud desit, coronam accipiet ; sin vero hæc non adsit, perniciem referet. — Patiens, ante monumentum mortuus est : sepulcrum enim cellulam suam fecit. — Patientiam spes et luctus peperit : nam qui absque his duobus est, acediæ servus efficitur.

Scire debet palæstrites Christi, quos hostes eminus persequi et quibus cominus congredi expediat. Luctatio quippe aliquando coronas ministravit, aliquando vero luctæ declinatio improbos fecit. Sed hoc verbis edocere possibile non est : neque enim eisdem omnes neque eodem modo afficimur, neque qualitas una omnium est. — Unum spirituum observa vigilantius : nam ille et te infatigabiliter oppugnat in statu, in transitu, in sessione, in motu, in accubitu, in oratione, in somno.

Plurimi ex his qui in sanctæ quietis cursu assident, eam semper in se ipsis operationem continent quam Psalmista signavit : Providebam Dominum in adspectu meo sem- [illegible] per. Neque enim omnes panes ex cœlesti tritico spiritualis alimenti, ejusdem speciei sunt. Alii in eo se exercent quod Dominus ait, In patientia vestra possidebitis animas *Luc. xxi, 19.* vestras ; alii in eo quod rursus ait, Vigilate et orate ; alii iterum in eo quod scriptum *Matth. xxvi, 41.* est, Præpara in exitum tuum opera tua ; alii in eo quod dicitur, Humiliatus sum, et *Prov. xxiv, 27, juxta LXX.* salvavit me. Plerique id semper inspiciunt : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ in nobis revelanda est. Quidam vero illud, Nequando *Ps. cxiv, 6.* rapiat ut leo animam meam, et non sit qui eripiat, intentissime cogitant. Omnes qui- *Rom. viii, 18.* dem isti currunt, sed unus accipit bravium ex his sine labore. *Ps. xlix, 22.*

Non solum vigilans, verum etiam dormiens is qui jam profecit operatur : unde [illegible] nonnulli in ipsis quoque somnis, accedentes ad se dæmones ignominiis et contumeliis castigant, impudicasque mulierculas de castitate admonent.

Ne sis in exspectatione advenientium sollicitus, neque te ad id antea præpares : simplex enim totus ac omni nexu liber est quietis status.

Luc. xiv, 28-30. Nullus qui turrim vel cellam quietis ædificare velit, id ante conatur quam sedens per orationem computet an habeat proprietates perfectioni necessarias, ne forte postquam fundamenta jecerit, risum inimicis faciat, operariisque reliquis impedimentum.

Inspice diligentius advenientem in te suavitatem, ne forte ab amaris medicis, imo vero insidiatoribus, subdole tibi præparata sit. — Noctu quidem plurimum orationi insiste, psalmodiæ parum ; die vero rursus pro tuis viribus te parare satage.

Solet lectio non mediocriter illuminare atque colligere mentem : verba enim sunt Sancti Spiritus, accedentesque ad se omnino dirigunt et moderantur. — Sit tibi operanti lectio quæ informet actionem : nam si adsit operatio, superflua jam erit lectio. — Laboribus potius quam libris, salubritatis verba intelligere satage. — Noli antequam virtute spirituali præditus sis eos libros legere qui menti nocere possint : nam quum verba revera tenebrosa sint, imbecillioribus tenebras obducunt.

Unus sæpe calix vini gustum dedit, unusque sermo solitarii, his qui gustare possunt, omnem illius interiorem actionem statim patefecit.

Immotum animæ oculum adversus elationem constanter tene : nihil quippe adversus spiritualia furta hac perniciosius invenies. — Quum processeris parcito linguæ : plurimos enim labores hæc subito spargere et dissipare novit. — In eo te statu exerce qui curiositatem nesciat : nihil enim ita quietem inquinare potest ut curiositas. — His qui ad te veniunt necessaria atque utilia propone, corpori scilicet atque spiritui. Et si quidem illi sapientiores sint, silentio philosophiam nostram indicemus ; sin autem fratres fuerint ejusdemque nobiscum status, moderate januam aperiamus : præstat tamen omnes superiores nobis existimare.

Quum vellem his qui juniores adhuc erant, corporis opus in collectis omnino interdicere, continuit me qui arenam in pallio tota nocte ferebat. — Sicut rationi dogmatis sanctæ et increatæ et adorandæ sanctæ Trinitatis opponuntur quæ de dispensatione carnis unius ex tribus personis ejusdem laudatissimæ Trinitatis legimus (illa enim quæ ibi pluralia, in hoc sunt singularia ; et quæ illic singularia, hic pluralia sunt), ita et alia
Rom. xi, 34. solitudinis quieti, alia obedientiæ, alia subjectioni studia conveniunt. — Quis agnovit sensum Domini ? ait divinus Apostolus. Ego autem dico : Quis agnovit sensum hominis et corpore et spiritu quieti solitudinis dediti ?

GRADUS XXVIII

DE ORATIONE VIRTUTUM MATRE.

ORATIO in qualitate quidem sua, conjunctio atque unitio est, hominis videlicet et Dei ; secundum actionem vero, constantia mundi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lacrimarum mater earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus invisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, spei demonstratio, tristitiæ solutio, monachorum divi-

tiæ, solitariorum thesaurus, iræ minutio, speculum profectus, mensurarum indicium, status insinuatio, futurorum revelatio, clementiæ significatio. Oratio eis qui recte orant, curia et judicium et tribunal Domini ante futurum tribunal est.

Exsurgentes audiamus sacram hanc virtutum reginam excelsa ad nos voce clamantem ac dicentem : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam : tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris, plagisque vestris medicinam : jugum enim meum suave est, et peccata sanat maxima. *Matth.* xi,

Quicumque Regi nostro adsistere et colloqui proficiscimur, non imparati cursum hunc faciamus, ne forte nos absque armis et stola regio digna conspectu a longe conspiciens, ministris et famulis jubeat ut vinctos nos longe a facie sua in exsilium mittant, negligentesque et interruptas orationes nostras in faciem nobis exprobrent. — Quum vultui Domini adstare proficisceris, sit tibi tunica animæ filo ἀμνησικακίας, id est oblivionis injuriarum, omnino consuta : alioqui nihil ex oratione ipsa lucraberis. Sit tibi totus orationis textus unus, neque ulla varietate maculatus : uno enim verbo et publicanus ille ex Evangelio et prodigus filius Deum sibi reconciliaverunt. *Luc.* xviii, 13. [illegible]

Unus quidem est orantium status, sed is ingentem sane varietatem ac differentiam possidet. Alii namque ut amico et domino, illi familiarius adsistunt, pro aliorum jam non pro suo adjutorio vel preces illi vel laudes offerentes; alii divitias et gloriam et confidentiam ampliorem sibi dari quærunt; alii ab adversario suo omnino liberari exposcunt ; nonnulli ut dignitatem aliquam accipiant precantur ; quidam vero perfectam debiti securitatem, alii custodiæ liberationem, alii criminum solutionem consequi exoptant.

Ante omnia in orationis nostræ chirographo gratiarum actionem sinceram statuamus, in secundo autem versu, confessionem et contritionem animi ex intimo affectu prodeuntem; atque ita demum Regi nostro postulationem indicemus nostram. Optimus hic quem prædixi orationis modus est, sicut cuidam ex Fratribus ab angelo Dei demonstratum est.

Si unquam visibili judici obnoxius fuisti, non tibi alia forma jam opus erit quam imitari debeas dum orationi insistis. Quod si neque ipse reus exstitisti neque alios examinari perspexisti, vel ex infirmorum precibus quas medicis dum secandi vel urendi sunt fundunt, hujusmodi aliquid addisce.

Noli verbis excultioribus in oratione tua uti : sæpe enim infantium simplicia et pura et balbutientia verba Patrem suum qui est in cœlis placaverunt. — Noli conari multum loqui, ne mens tua ad inquisitionem verborum distendatur. Unus publicani sermo placavit Deum, unumque fidele verbum salvavit latronem. Multum in oratione loqui, mentem sæpe imaginibus illusit, intentionem dissolvit; parum autem aut unum etiam verbum in oratione loqui, colligere mentem consuevit. — Quum in orationis verbo, vel dulcedine perfundi vel compungi te sentis, in ipso persiste : tunc quippe custos noster nobiscum orat. *Ibid.* xviii, 13. 42.

Noli confidere quantumlibet munditia polleas, sed summa potius humilitate ad orationem attende, tuncque ampliorem confidentiam accipies. Si totam virtutum scalam ascendisti, tamen propter remissionem peccatorum ora, audiens de peccatoribus clamantem Paulum : Quorum primus sum ego. — Condire obsonia oleum solet et sal [illegible] orationem vero in sublime levare pudicitia et lacrimæ. — Si omnem mansuetudinem et iræ vacuitatem indueris, nihil tu laborabis ut eruas de captivitate mentem tuam. — Quousque orationem fixam certamque non possidemus, his qui infantes ad incedendum initio exercent similes sumus. — Contende ut ad superna feras, imo vero ut recludas intelligentiam in orationis verbis. Quod si debilitata per infantiam ceciderit, rursus

illam reducere cura : est quippe proprium mentis instabilitas, Dei vero proprium, sistere omnia posse.

Si infatigabiliter certes, adveniet in te penitus qui mentis mari terminum per
Job xxxviii, 11. gyrum posuit, et dicet illi : Hucusque venies, et non transgredieris. — Possibile non est spiritum ligare; sed ubi conditor spirituum est, omnino obtemperant.

Si Solem unquam sicut oportet conspexisti, poteris illi quoque decenter colloqui; sin autem, quomodo eum quem non vidisti, veraciter interpellare poteris? — Orationis quidem initium est luctas in animo advenientes, solo et tacito mentis imperio ex ipsis initiis fugare; medium vero, quum in his quæ dicuntur vel cogitantur mens tota est; finis autem, raptus ad Deum.

Alia lætitia est quæ in oratione contingit in congregatione degentibus, et alia quæ in solitudine orantibus provenit : illa namque fortasse modicis phantasiis luditur, hæc autem humilitate tota plena est. — Si te semper exerceas ut mens tua nunquam longius evagetur, etiam in ipsa mensæ appositione prope te erit; sin autem effrenate libere vagari patieris, nunquam tecum permanere poterit.

1 Cor. xiv, 19. Magnus quidem magnæ et perfectæ orationis operarius, Volo, ait, magis quinque verba mente mea dicere, et reliqua. Sed hoc a pueris et junioribus alienum est. Idcirco et nos cum qualitate et quantitatis multitudine ut imperfecti obsecramus : per hoc enim postremum ad primum illud pervenitur.

Qui dat, inquit, orationem mundam impigre oranti et sordide et cum labore. — Aliud est orationis sordes, aliud exterminatio, aliud furtum, et aliud macula. Sordes est Deo adsistere et iniquas cogitationes in animo versare; exterminatio est ad curas inutiles captivum pertrahi; furtum est dum latenter et sine nostro sensu mens aliquo strepitu agitatur intrinsecus ; macula est qualiscumque impetus tunc nobis appropians.

Quoties soli eo tempore non sumus quo ad orationem adsistimus, formemus intrinsecus orationis habitum. Sin vero non adsunt laudum ministri, etiam exteriorem habitum ad preces componamus : nam in his qui hactenus sunt imperfecti, mens corpori sæpe configuratur. — Omnes quidem, sed hi longe amplius qui debiti remissionem accipere a rege cupiunt, ingenti contritione indigent.

Act. xii, 8. Si in carcere sumus adhuc, audiamus dicentem Petro : Accingere obedientiæ linteo, et excalcea te voluntates tuas, atque his nudus et liber accede ad Dominum in oratione tua, solius ejus voluntatem implorans : tunc suscipies Dominum, animæ tuæ tenentem gubernacula eaque tuto regentem.

Surgens ab amore sæculi et voluptatum labe, projice curas, exue intelligentias, abnega corpus : nihil enim est aliud oratio nisi mundi visibilis et invisibilis alienatio.
Ps. lxxii, 25. Quid enim est mihi in cœlo? Nihil. [Et a te quid volui super terram? Nihil] nisi semper tibi in oratione absque ulla distractione adhærere. Nonnullis quidem opes in desiderio
Ibid. 28. sunt, aliis gloria, quibusdam mortalium quarumlibet rerum acquisitio. Mihi adhærere Deo bonum est atque desiderabile, et ponere in eo spem tranquillitatis meæ. — Fides orationis est penna, qua sine in cœlum evolare non potest.

Quicumque perturbationibus variis obnoxii sumus, oremus instanter Dominum : omnes enim qui ejusmodi fuerunt, ex perturbationum tempestate in beatam tranquilli-
Luc. xviii, 2-5. tatem profecerunt. — Etsi non Deum ut Deum metuit Judex, tamen quia sibi molesta sit anima quæ per peccatum et ruinam viduata fuerat, faciet ultionem ejus ex adversario illius corpore suisque inimicis spiritibus.

Gratos quidem clemens negotiator noster, per celerem postulationis effectum ad dilectionem suam pertrahit; ingratas vero canum animas, per esuriem petitionisque

sitim sibi assidere per orationis studium hortatur : ingratus enim canis quum panem tulerit, ab eo qui dedit statim abscedit. — Noli quum in oratione perduras, dicere : Nihil profeci. Jam enim satis profecisti. Quid enim sublimius esse possit quam adhærere Domino, atque in hac cum illo unione jugiter perseverare ?

Non sic is qui condemnatus est, pœnæ suæ sententiam metuit, ut qui orationis curam solertius habet, quum ad illam adsistit trepidat. Quocirca qui sapiens et acutus est, ex hac memoria maledictum omne et iracundiam et curam et occupationem et vexationem et saturitatem et tentationem et cogitationem aversari potest et fugere.

Præpara te ante per sempiternam animæ orationem ad adsistendum precibus tuis, et cito proficies. — Vidi quosdam obedientiæ virtute fulgentes Deique memoriam pro viribus non negligentes, prompte ad orationis studium occurrere, mentemque suam cito colligere, lacrimasque fontium in morem profundere : erant enim præparati per sanctam obedientiam.

Psalmodiam quidem cum multitudine, captivationes et mentis cogitationes sequuntur; solitariam vero non ita : sed hanc quidem acedia oppugnat, illam vero alacritas adjuvat. — Caritatem quidem militis ad imperatorem suum indicat bellum; monachi vero caritas ad Deum maxime quo tempore adstat orationi deprehenditur.

Statum tuum oratio tua manifestat tibi : hanc enim monachi esse speculum tradunt theologi rectissime. — Qui quodlibet opus incipit, et orationis tempore adveniente adhuc in illo moratur, a dæmonibus illuditur : intentio namque furibus est horam per horam a nobis furari.

Quum ut pro anima aliqua ores postularis, noli devitare, etsi virtutem orationis non possideas : fides enim petentis etiam cum contritione, oranti sæpe causa salutis fuit. — Noli extolli, quum pro alio oras, si exaudiaris : illius namque fides operata est atque prævaluit.

Solent pueri id quod a magistro didicerunt, ab eodem diebus singulis exigi : ita et mens omnis eam quam a Deo accepit virtutem, in omni oratione juste exigitur. Quocirca attendendum sollicite est.

Quum vigilantius orare cœperis, citius in iracundiam oppugnaberis : hoc enim subtrahere, vel suggerere, moliuntur inimici nostri, ut privemur orationis fructu. — Ad omnem quidem virtutem, præcipue tamen orationem, summo cordis sensu et affectu semper exerceri debemus. Tunc vero anima sibi* orat, quum iracundia superior evaserit. — Ea quæ plurimis temporibus, precibus ac lacrimis acquiruntur, solida sunt atque durabilia.

* sensu

Qui Deum possederit, non jam sibi ipsi in oratione intentionem dictabit : tunc enim Spiritus pro eo interpellat gemitibus ineffabilibus. — Omnem sensibilem phantasiam noli in oratione suscipere, ne forte stuporem atque amentiam incurras. — Omnis petitio 26.
nostra quod suscepta fuerit, certum judicium maxime in oratione percipimus. Porro ad judicium, ambiguitatis liberatio est, incertæque rei dignissima certissimaque atque immobilis informatio.

Misericors esto vehementer, si oratio revera tibi cordi est : in ipsa enim centuplum accipient monachi, et quod sequitur in futuro. Matth.

Ignis quidem adveniens in cor orationem excitavit; ea vero excitata atque in cœlum assumpta, ignis in cœnaculum animæ descendit. — Aiunt quidam meliorem esse orationem quam memoriam mortis; ego unius substantiæ duas essentias collaudo.

Equus probatus quanto ultra progreditur, fervere magis et cursui adjicere solet. Cursum, hymnorum cantum intelligo; equum vero, virilem animum. Hujusmodi vero de longe odoratur bellum, et præparatus jam ad omnia, insuperabilis permanet.

Dirum est aquam ex sitientis ore diripere; sed longe est dirius animam summo affectu compunctionis orantem, priusquam perfecte consummetur oratio se ipsam privare jucundissimo isto nimiumque desiderabili statu. Noli ab oratione desilire quoad videas ignem et aquam divina dispensatione cessavisse : neque enim hujusmodi tempus remissioni peccatorum fortassis ultra in omni vita tua invenies. — Qui orationis gustum cepit, uno sæpe verbo incautius emisso inquinavit mentem, atque in oratione adsistens, quem cupiebat nequaquam ut solebat invenit. — Aliud est crebrius corde speculari, aliud ipsum cor inspectare mentis officio, principis in morem rationabiles hostias Christo offerentis.

Nonnullos quidem, ut ait appellatus a theologiæ cognomine, sanctus atque cœlestis ignis adveniens comburit, eo quod adhuc satis purgati non sunt; alios rursus pro men-
Deut. IV, 24; sura perfectionis illuminat. Idem enim et ignis consumens et lux illuminans dicitur.
Joann. I, 9. Unde et quidam ab oratione exeuntes, veluti ex fornace ignis egrediuntur, sordis cujusdam ac materiæ levamen sentientes; alii vero veluti a luce illustrati atque duplici humilitatis et exsultationis amicti veste, inde procedunt. Qui vero absque his duobus effectibus ab oratione exeunt, corpore, non spiritu, Judaice dixerim, orant. — Si corpus per tactum appropinquans corpori, immutatur actione, quomodo non immutabitur qui Dei corpori manibus innocentibus propinquatur?

Possumus ad terreni regis similitudinem, nostrum quoque cœlestem et clementissimum Regem aliquando per se ipsum inspicere, aliquando per amicos, aliquando per servos, nonnunquam etiam incognito modo, militibus suis donativa largientem : jam vero qualitate tunicæ ejus (quæ in nobis fuerit) humilitatis. — Quemadmodum terreno regi exsecrabilis est is qui illi adstat et domini sui inimicos alloquitur; ita eum quoque Dominus abominatur, qui in oratione exsistens immundas cogitationes recipit.

Accedentem canem armis insequere; et si impudentius latret, non ei cedas. Pete
Matth. VII, 8. per luctum, et per obedientiam quære, pulsa per longanimitatem : nam qui sic quærit, invenit; et sic pulsanti aperietur. — Observa cautius ut non temere ac indifferenter pro femina in oratione tua ores, ne a dextris fortasse te prædator invadat. — Noli corporis actus ut sunt, distincte ac per partes in oratione Deo confiteri, ne tibi ipsi insidiator fias. — Noli illud orationi tempus deputare, dum tibi curis necessariis sive spiritualibus negotiis instandum est : alioqui id quod præstantius est, tibi fur ille versutus eripuit.

Qui baculum orationis jugiter tenet, non offendet; sed si offendere eum contigerit, non penitus cadet : quippe oratio pie Deo vim infert. Ejus utilitatem ex his quæ synaxis tempore contingunt dæmonum impedimentis colligere possumus. Ejus et fructum ex
Ps. XL, 12. inimici profligatione cognoscimus. In hoc enim cognovi quoniam voluisti me, quoniam
Ps. CXVIII, 145. non gaudebit inimicus meus super me belli tempore. — Clamavi, inquit Psalmista, in
Matth. XVIII, 20. toto corde meo, videlicet corpore et animo et spiritu. Ubi enim sunt duo postremi congregati, illic Deus est in medio eorum.

Neque corporalia neque spiritualia omnia omnibus eodem modo insunt : quibusdam enim celerius, quibusdam vero morosius psallere profuit, dum hi adversus captivationem, illi adversus imperitiam pugnare se dicunt.

Si contra inimicos tuos Regem jugiter interpellaveris, quum ad te accedunt confide, non laborabis : ipsi sua sponte abs te discedent. Neque enim impuri et contaminati spiritus patiuntur inspicere, dum coronam ex illorum impugnatione per orationem susceperis; præterea velut ab orationis igne verberati diffugient.

Fortissimo semper sis animo, Deumque magistrum habebis orationis tuæ. Non

possumus verbis discere adspicere : naturam enim id sequitur. Neque orationis pulchritudinem per alterius doctrinam addiscere poterimus : ipsa enim in se ipsa Deum habet magistrum, qui docet hominem scientiam, datque orationem oranti, et benedicit justorum animas. Amen. *Ps. x[illegible] 10.*

GRADUS XXIX

DE BEATA TRANQUILLITATE ANIMÆ.

ECCE nos quoque qui in profundissimo ignorantiæ lacu tenebrosisque perturbationibus et umbra mortis hujus corporis constituti sumus, summa improbitate et audacia de terrestri cœlo philosophari incipimus.

Habet firmamentum stellarum pulchritudinem; beata vero tranquillitas habet virtutum ornamentum. Nihil enim aliud ejusmodi tranquillitatem esse ego reor, nisi mentis intimum cœlum versutias dæmonum ludibria jam æstimans. Ille igitur proprie tranquillus est et intelligitur, qui carnem quidem omni corruptionis labe purgavit, mentem vero supra creaturam omnem elevans, omnes illi subjicit sensus, atque vultui Domini animam sistens, supra virium suarum modum in illum se semper extendit. — Quidam rursus beatam hanc tranquillitatem esse definiunt animæ resurrectionem ante resurrectionem corporis; alii perfectam cognitionem Dei, ab angelis secundam, esse aiunt.

Hæc itaque perfectorum perfecta et infinita perfectio, sicut mihi quidam qui illius gustum ceperat aperuit, ita sanctificat atque a terrenis omnibus rapit, ut plurimam jam carnalis vitæ partem postquam hunc cœlestem portum occupaverit, veluti in cœlo per excessum mentis ad speculationem attollat. De quo is qui bene fuerat expertus, quodam in loco ait : Quoniam Dei fortes terræ vehementer elevati sunt. Hujusmodi *Ps. XLVI, 10,*
fuisse Ægyptium illum novimus qui quoties cum aliquibus orabat, manus suas diutius *juxta LXX.*
in oratione extensas non dimittebat.

Est inter hujusmodi beatos alius alio tranquillior : alius enim fortiter adversatur atque odit iniquitatem ; alius inexplebiliter virtutibus ditatur. — Etiam et castitas tranquillitas dicitur : et merito sane. Principium est enim communis resurrectionis atque corruptibilium incorruptionis.

Tranquillitatem ostendit qui ait : Sensum Domini possideo. Hanc item insinuavit [illegible]
Ægyptius qui se ait non timere Dominum. Eam item ille ostendit qui ut ad se perturbationes et tentamenta redirent oravit. — Quis ante futuram claritatem, ita ut Syrus iste sacra hac tranquillitate dignus habitus est? Nempe celeberrimus inter Prophetas
David : Remitte mihi, inquit ad Dominum, ut refrigerer. Ille autem Dei athleta : Re- *Ps. xxx[illegible]*
mitte, ait, fluenta gratiæ tuæ. *14.*

Tranquillitatem habet anima quæ ita in virtutum qualitatem atque habitum sicut vitiosi in voluptatum traducta est. Si hic finis est gastrimargiæ, se ipsum etiam non appetentem, avide ad cibum impellere; hic profecto finis erit continentiæ, etiam esurientem se continere, natura jam libera atque nulli rei penitus obnoxia. Si hic finis est libidinis, in ipsa muta animalia resque inanimatas insanire; iste profecto castitatis finis erit, in omnibus veluti ea sint sine anima, sensus innocuos servare. Si finis iste avaritiæ est, nunquam congregare desinere vel satiari; hic profecto finis nuditatis erit,

neque proprio corpori parcere. Si is acediæ finis est, quantalibet in requie carere patientia et agitari ; hic erit patientiæ finis, ut quamvis in tribulatione quis sit, requiem tamen se habere arbitretur. Si hoc est inanis gloriæ culmen, etiam quum nullus adsit qui laudare possit, fingere simulationis opera ; hæc profecto contrariæ rei species erit, si nunquam, etiam in conspectu laudantium, nostra intentio ab inani gloria subripiatur. Si est iracundiæ pelagus, nemine præsente irritari atque efferari ; sane istud erit longanimitatis profundum, sive sit præsens sive absens qui maledictis insequitur, eadem animi tranquillitate durare. Si hæc species perditionis vel superbiæ est, in vili atque humili habitu extolli ; istud certe saluberrimæ humilitatis argumentum, in excelsis conatibus et recte factis humilem tenere mentem.

Si hoc perfectæ vitiositatis argumentum est, omnibus quæ dæmones inserunt proti-
Ps. c, 4. nus cedere ; hoc reor beatissimæ tranquillitatis indicium, posse efficaciter dicere : Declinantem a me malignum non cognoscebam, neque quomodo advenit neque cujus rei gratia, neque quomodo abscessit ; sed omnino ad hujusmodi insensibilis sum. Qui totus hoc statu dignus habitus fuerit, adhuc in carne degens ipsum in se habitantem Deum in omnibus verbis et operibus et cogitationibus ducem et gubernatorem habet. Unde et quasi divinæ voluntatis vocem quamdam per illuminationem interius percipit;
Ps. XLI, 3. atque humana omni doctrina celsior factus, dicit : Quando veniam et apparebo ante faciem Domini ? Neque enim jam fero desiderii vim atque efficaciam, sed quæro quam dedisti mihi ante carnis hujus lutum, immortalem pulchritudinem. Qui ejusmodi est,
Galat. II, 20. ne multa dicam, vivit quidem jam non ipse, vivit autem in eo Christus, ut ait qui
II *Tim.* IV, 7. bonum certamen certaverat, cursumque consummaverat, et fidem servaverat. — Non constat ex uno pretioso lapide diadema regni, neque consummatur ista beata tranquillitas si vel unam aliquam virtutem negligamus.

Joann. XIV, 2. Tranquillitatem intelliges tu quidem cœlestis Regis in cœlis regiam ; multas vero
Apoc. XXI, 12. mansiones, eas quæ sunt intra civitatem istam habitationes ; porro cœlestis hujus Jerusalem murum, peccatorum remissionem intellige.

Curramus, fratres ; curramus, rogo, quatenus ingressu thalami regiæ aulæ potiri mereamur. Quod si ex aliquo vel onere vel anticipatione vel tempore ob calamitatem non ferendam præoccupati fuerimus, vel mansionem aliquam circa thalamum ipsum occupare studeamus. Sin vero adhuc tepescimus et remissi sumus, vel intra mœnia ipsa modis omnibus inveniri curemus : nam qui ante finem vitæ in ea non fuerit ingressus, imo vero illa etiam transcenderit, in solitudine dæmonum et vitiorum com-
Ps. XVII, 30. morabitur. Idcirco etiam quidam orabat dicens : In Deo meo transgrediar murum. Et
Is. LIX, 2. alius quasi ex persona Dei ait : Nonne peccata vestra sunt quæ separant inter me et
Ephes. II, 14. vos ? Perfigamus, o amici, medium sepis parietem quem male per inobedientiam ædificavimus. Accipiamus hinc debiti solutionem, eo quod in inferno desit qui sanare vel debita dimittere possit. Videamus ergo, fratres, et festinemus : ad hoc enim in militiam
Joann. I, 12. cœlestis Imperatoris adscripti sumus. Quicumque enim per regenerationis lavacrum
Ps. XLV, 11. Dominum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, dicens : Vacate, et videte et agnoscite quoniam ego sum Deus, tranquillitasque et a vitiis redemptio. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ps. CXII, 7, 8. Suscitat quidem a terra mentem inopem atque a stercore vitiorum erigit pauperem beata tranquillitas, quæ videlicet liberatio a vitiis cordisque munditia est ; laudatissima vero semperque veneranda caritas collocat eum cum principibus populi Domini, et sedere facit cum spiritibus angelicis.

GRADUS XXX

DE VINCULO FIDEI, SPEI ET CARITATIS.

NUNC itaque post prædicta omnia manent fides, spes, caritas, tria hæc, quibus I Cor. XIII,
reliqua omnia conjunguntur atque arctissime colligata continentur. Major autem 13.
ex his caritas est : Deus enim rite appellatur. Equidem harum virtutum primam I Joann. IV,
radium, secundam lucem, tertiam circulum intelligo : ex quibus omnibus unus splen- 8, 16.
dor atque una claritas efficitur. Denique prima facere omnia et condere potest ; se- Matth. X,
quens, Dei misericordiam circuit, nec confusum facit ; tertia vero nunquam excidit, 22. Rom. V, 5.
neque unquam currere desistit, neque eum qui a beata insania vulneratus fuerit, ultra I Cor. XIII, 8.
quiescere sinit.

Qui de caritate loqui instituit, de perfecto loqui nititur. Enimvero de Deo verba facere, et anceps simul et periculosum est his qui parum caute quid moliantur advertunt. Sermo de caritate solis angelis notus est, atque illis ipsis per efficaciam illuminationis est cognitus. Caritas Deus est; ejus vero finem qui loqui instituit, cæcus quum sit, in abysso metiri arenam cupit.

Caritas quidem secundum qualitatem, similitudo Dei est quantum in hominibus fieri potest ; secundum efficaciam autem, ebrietas est animæ ; secundum proprietatem vero, fons est fidei, longanimitatis abyssus, altissimumque humilitatis pelagus. Caritas denique perfecta, est cujusque adversæ pravæque intentionis cogitationisque depositio : caritas enim non cogitat malum. Caritas, et tranquillitas, et filiorum adoptio, solis nomi- Ibid. 5.
nibus distinctæ sunt : sicut enim lumen, ignis et flamma in unam actionem conveniunt, ita de his quoque intelligendum est. — Pro defectus illustrationis mensura, timor inest animæ : nam qui sine timore est, aut caritate plenus aut in anima mortuus est. Ex perfecta tamen caritate verus et sanctus timor Domini nascitur, ex quo rursus Dei amor proficiscitur.

Nihil absurdum vel iniquum facere videbimur, si ab humanis rebus, desiderii et timoris et studii et zeli servitutisque et amoris Dei exempla ceperimus. Beatus qui tali in Deum fervet amore, quali turpis atque vesanus amator in eam mulierem quam diligit flagrat. Beati qui sic Dominum timent, sicut rei et morte mulctandi judicem ac tortorem metuunt. Beatus qui ita vera sollicitudine sollicitus erga Deum est, ut prudentes servi erga dominum suum. Beatus qui in eo zelo virtutibus invigilat quo zelotypi erga uxores suas. Beatus qui sic in oratione Domino adsistit, quemadmodum ministri qui regi adstant. Beatus qui ita Dominum ut homines jugiter placare atque obsequio tueri contendit.

Non ita mater lactenti puero ut caritatis filius Domino adhærere semper consuevit. — Is qui veraciter amat, ejus quem amat semper sibi proponit faciem, eamque intus summa cum voluptate complectitur. Nempe qui ejusmodi est, non jam vel in somnis potest quiescere, sed tunc quoque eum quem desiderat videt, atque cum illo una immoratur. Sicut in corporalibus, sic in incorporeis rebus fieri solet. Hoc jaculo quidam vulneratus dicebat de se ipso id quod admiror equidem : Ego dormio propter Cant. V, 2.
necessitatem, et cor meum vigilat per amoris magnitudinem.

Id in signum tibi erit, o virorum optime, quod quum interierint feræ belluæ a

cerva anima, tunc maxime concupiscit et deficit ad Dominum caritatis, igne veluti quodam spiculo percussa. — Famis quidem efficacia et causa incerta simul et obscura est, sitis vero aperta atque manifesta, ardoremque solis omnibus manifestat. Quo-
Ps. XLI, 3. circa et is qui Deum cupiebat, aiebat : Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. — Si facies ejus quem diligimus, verissime nos totos immutat, serenosque et lætos ac sine mœrore efficit, quid actura est Domini facies invisibiliter in animam ab omni labe mundatam advenientis ?

Timor quidem quoties ex intimo cordis prodierit affectu, liquefacere atque consu-
Ps. CXVIII, 120. mere sordes consuevit. Confige enim, inquit, a timore tuo carnes meas. Sed et caritas
Cant. IV, 9. nonnullos quidem vastare solita est et consumere, secundum eum qui dixit : Vulnerasti
Ps. XXVII, 7. cor meum. Quosdam vero etiam exsultare facit ac totos irradiat. In ipso enim, ait, speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea. Et gestiente corde, virescit facies. Quum vero jam totus homo divinæ caritati fuerit unitus, atque fere (ut ita dixerim) commixtus ; tunc etiam exterius in corpore, veluti per speculum quoddam,
Exod. XXXIV, 29-35. claritatem serenitatemque animæ ostendet. Eam gloriam consecutus est Moyses ille Dei speculator. Atque hi qui hujusmodi æqualem angelis gradum adepti sunt, sæpe cibi corporalis obliviscuntur : imo vero illum rarius appetunt. Nec sane mirum : nam si sæpe etiam contraria affectio, cibi memoriam exclusit, reor eum qui hæc incorruptibilia gustaverit, quum supra naturam factus sit, nulla jam corporis imbecillitate detineri. Id enim veluti jam incorruptibile effectum, per caritatis flammam expiatum est, qua scilicet omnis reliqua flamma perrupta atque exstincta est. Imo vero ne ipsum quoque oblatum sibi cibum cum voluptate ulla suscipere omnino posse arbitror. Aqua quidem subterranea, virgulti radicem irrigat ; horum vero animas cœlestis ignis nutrire consuevit.

Incrementum timoris, initium est caritatis ; finis vero castitatis, theologiæ argumentum est. — Cujus Deo perfecte sensus uniti sunt, hic ab eo verbis ejus in secreto instruitur : nisi enim illi Deo copulati fuerint, grave ac periculosum est de Deo loqui. — Substantiale quidem Verbum castitatem perficit, præsentia sua mortificans mortem ; hæc autem quum mortificata fuerit, protinus theologiæ discipulus illuminatur. — Verbum Dei quod ex Deo est, castum est, permanens in sæculum sæculi. Qui enim Deum non cognovit, scholastice loquitur ; castitas discipulum theologum facit, per se ipsum asserentem Trinitatis dogma.

I *Joann.* IV, 21. Qui diligit Dominum, fratrem suum dilexit : prioris enim demonstratio secundum est. Qui diligit proximum, nunquam adversus illum obloquentes tolerabit. Qui se Deum dicit diligere fratrique suo irascitur, similis est ei qui in somnis currit.

Fortitudo caritatis est spes : per hanc enim, mercedem caritatis exspectamus. Spes est incertarum divitiarum opulentia. Spes est indubitatus ante thesaurum thesaurus. Hæc laborum requies, hæc caritatis janua est. Hæc desperationis jugulatio, hæc absentium imago est. — Spei defectus, exterminatio est caritatis ; simul atque illuxit spes, caritas apparuit. Huic annexi sunt labores, ex hac pendent fatigationes, hæc misericordia circumdatur. Spe subnixus monachus, acediæ jugulator est, ex hujus gladio illam triumphans. Spem parit divinorum munerum experimentum : nam qui hæc expertus non est, non sine hæsitatione perstat. Spem solvit iracundia : hæc enim illam confundit. Vir autem iracundus nunquam erit honestus.

Caritas prophetiæ indultrix est ; caritas prodigia fieri præstat ; caritas illustrationis
* mundat abyssus est. Caritas fons igneus est, qui quanto magis mundat *, tanto magis sitientem amplius exurendo consumit. Caritas angelorum status est, profectusque sæculorum.
Cant. I, 6. Annuntia nobis, o decora inter virtutes, ubi pascis oves tuas, ubi moraris in meri-

die. Illumina nos, irriga nos, deduc nos, oramus : jam enim ascendere cupimus ad te.
Tu quippe dominaris omnium ; nunc autem in intimis penetralibus vulnerasti animam I Par. xxix, 12.
meam, nec possum continere flammam tuam : unde quum te laudavero, quo profici-
scar ? Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas atque Ps lxxxviii, 10, 11.
mortificas. Tu humilias ut vulneratum superbam cogitationem ; in brachio virtutis tuæ
dispersisti inimicos tuos, inexpugnabilesque facis amatores tuos. Quonam vero modo
Jacob te scalæ innixam viderit, addiscere festino. Quæso, quænam sit ascensus istius Gen xxviii, 12, 13.
species avide sciscitanti eloquere, qui modus, quod compendium illius : quas veluti
ascensiones compositionis graduum in corde suo disposuit amator tuus. Quis præterea Ps lxxxiii, 6.
sit horum numerus scire sitiebam, quantumque cursus illius tempus sit. Ductores enim
annuntiavit, qui luctam tuam visionemque didicerat ; ceterum clarius aliud noluit (imo
vero non valuit) dicere.

Illa vero veluti e cœlo mihi visa regina, in auribus animæ meæ colloquens ait :
Nisi solvaris ista crassitudine, o fervens amator, speciem meam cujusmodi sit, addiscere
non potes. Scala vero virtutum spiritualem compositionem te doceat. In ipsius ego
vertice firmata sum, sicut de me magnus ille arcanorum cognitor aiebat : Nunc vero I Cor xiii, 13.
manent fides, spes, caritas, tria hæc ; major autem omnibus est caritas.

INTENTA CONCLUSIO

HIS qui in libro vitæ nomina sua adscribi volunt, optimam cursus viam liber iste apertius ostendit. Hunc enim perlegentes, inveniemus absque errore sequi se volentes ducere, atque ab omni lapidis offensione servare illæsos, scalamque nobis a terrenis adusque sancta sanctorum erectam præferentem, Deumque dilectionis ipsius culmini innixum indicantem. Quam scalam, ut reor, supplantator ille vitiorum
Jacob in cubili exercitationis quiescens vidit. Ceterum ascendamus, quæso, prompte Gen xxviii, 12, 13.
atque fideliter intellectualem hunc atque cœlestem ascensum : cujus quidem initium
est terrenorum omnium abrenuntiatio, finis vero, caritatis Deus.

EXHORTATIO AD ASCENSUM SCALÆ

ASCENDITE, fratres, ascendite, ascensiones in corde prompte disponentes, ejus- Ps. lxxxiii, 6.
que memores qui ait : Venite, ascendamus in montem Domini et in domum Is. ii, 3.
Dei nostri, qui perfecit pedes nostros sicut cervi, et super excelsa statuit ut Ps xvii, 34.
vincamus in via sua. Currite, obsecro, cum illo qui ait : Festinemus donec occurramus Eph. iv, 13.
omnes in unitatem fidei et agnitionis Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis
plenitudinis Christi : qui per visibilem ætatem triginta annorum baptizatus, tricesi- Luc. iii, 23.
mum gradum in spirituali scala sortitus est : quippe caritas Deus est. Illi laus, illi
imperium, illi fortitudo, illi omnium bonorum causa inest fuitque et erit in infinita
sæcula. Amen.

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

II AD CORINTHIOS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

I AD THESSALONICENSES.

II AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX ANALYTICUS

A

B

C

E

F

G

H

I

J

N

O

P

Q

T

U

V

Z

INDEX GENERALIS

Emendanda. Pag. 73, lin. 11, et pag. 97 D, lin. 10 : idiorithmiam, *lege* idiorhythmiam; — 308 B', lin. 11 : mallens,... malens.

Dubium. Pag. 19, lin. 11, et pag. 25 A, lin. 12 : ex liberi, *forsan* et liberi.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.